Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G 4
40
gr. fol

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Zentral- & Hochschulbibliothek Luzern
ILU M 03 145 145
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. PETRI

BERCHORII

PICTAVIENSIS,

ORDINIS S. BENEDICTI

OPERA OMNIA

IN

SEX TOMOS DISTINCTA,

Cum Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. PETRI
BERCHORII
PICTAVIENSIS,
ORDINIS S. BENEDICTI
OPERA OMNIA
IN SEX TOMOS DISTINCTA,
SIVE
REDUCTORIUM, REPERTORIUM, ET DICTIONARIUM MORALE UTRIUSQUE TESTAMENTI QUADRIPARTITUM;

CATHOLICUM, PHILOSOPHICUM, HISTORICUM, TROPOlogicum, & Dogmaticum, variis rerum quarumvis definitionibus, Catholicæ Fidei dogmatibus, Scripturarum figuris, Apophthegmatibus, Hieroglyphicis, nominum Etymologiis, Rerum proprietatibus, Historiarum & Exemplorum cujusvis argumenti copia refertum;

Postremâ hac editione correctum, à variis mendis recognitum; locis tàm S. Scripturæ, quàm SS. Patrum auctum.

AC PROINDE

Omnibus SS. Theologiæ Studiosis, & Verbi divini Concionatoribus perquàm utile & necessarium.

EDITIO NOVISSIMA.

TOMUS PRIMUS.

CANTONS BIBLIOTHECK LUZERN



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus JOANNIS WILHELMI HUISCH, Bibliopolæ Am Hoff. ANNO M. DCC. XXX.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis speciali.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

CAROLUS SEXTUS Divinâ Favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod, cùm Nobis Noſtri, Sacrique Romani Imperii fideles dilecti JOANNES GUILIELMUS HUISCH & PETRUS Pürz Bibliopolæ Colonienſes exponi curârint, quem in modum P. PETRI BERCHORII Pictavienſis Ordinis S. Benedicti Opera, ſive Reductorium, Repertorium, & Dictionarium morale utriuſque Teſtamenti quadripartitum Catholicum, Philoſophicum, hiſtoricum, Tropologicum & dogmaticum variis rerum quarumvis Definitionibus, Catholicæ fidei Dogmatibus, ſcripturarum figuris, apophtegmatibus, Hieroglyphicis, Nominum Etymologiis, rerum proprietatibus, Poetarum fabulis, Hiſtoriarum & Exemplorum cujuſvis argumenti copiâ refertum in folio. Prælo committere reſolverint, vereantur autem ne æmulorum invidiâ hanc Editionem Imitantium impendii & laboris ſui fructu fruſtrentur: Ideòque Nobis demiſsè ſupplicarint, quatenùs eorum indemnitati Privilegio Noſtro Cæſareo ſuccurrere clementiſſimè dignaremur, Nos ſubmiſſæ pariter, ac æquæ eorum petitioni annuendum cenſuerimus. Ac proindè authoritate Noſtrâ Cæſareâ, omnibus & ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuſcunque rem librariam ſeu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus & interdicimus, nè quis ſuprà nominata P. BERCHORII Pictavienſis Opera, ſub hoc aliove titulo per decem annorum ſpatium exſpirato ab hinc triennio computandum intrà Sacri Romani Imperii & Regnorum, Ditionumque Noſtrarum hæreditariarum fines recudere vel aliis recudenda dare, aliorsùmve Impreſſa apportare citrà Præfatorum Impetrantium eorundemque Hæredum & ſucceſſorum voluntatem ac aſſenſum in ſcriptis obtentum, auſit vel præſumat. Si quis verò ſecùs faciendo Privilegium hoc Noſtrum ſeu interdictum violare, contemnereque præſumpſerit, eum non ſolùm ejuſmodi exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippe recuſis ſeu apportatis (quæ dicti JOANNES GUILIELMUS HUISH & PETRUS Pürz ſive propriâ authoritate ſive Magiſtratûs illius loci auxilio ſibi vindicare poterunt) de facto privandum, ſed & decem marcarum auri puri pœnâ ærario ſeu Fiſco Noſtro Cæſareo & Parti Læſæ ex æquo pendendâ omni ſpe veniæ ſublatâ; mulctandum decernimus, dummodò tenor hujus Noſtri Privilegii in fronte Libri impreſſus reperiatur, & abſoluto intrà prædictum triennium typo conſueta quinque exemplaria conſilio Noſtro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itàque omnibus & ſingulis Noſtris & Sacri Romani Imperii Regnorumquè & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis tàm Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus cujuſcunque ſtatûs, gradûs, dignitatis aut Ordinis, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu exiſtentes, vel ſuò, vel Superiorum ſuorum loco Jus Juſtitiamque adminiſtrant; nè quenquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum violare, ſpernere aut transgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces comperierint, conſtitutâ à Nobis mulctâ eos puniri & quibuſcunque modis idoneis coerceri curent, quatenùs & ipſi graviſſimam Noſtram Indignationem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum manu Noſtrâ ſubſcriptarum, & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, Quæ dabantur Laxemburgi die vigeſima prima Maij anno milleſimo ſeptingenteſimo ſeptimo, Regnorum Noſtrorum Romani decimo ſexto, Hiſpaniarum vigeſimo quarto, Hungarici & Bohemici verò decimo ſeptimo.

CAROLUS mpp.

(L. S.)

Frid. Carol. Comes de Schönborn mpp.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ
Majeſtatis proprium.
I. S. Haijeck de VVald-Stätten mpp.

Digitized by Google

ELOGIA ET TESTIMONIA DE PETRO BERCHORIO.

Trithemius de Script. Eccles.

PETRUS BERCHORII, *natione Gallus, patria Pictavienſis, Prior monaſterii B. Eligii Pariſienſis, Ordinis Divi Patris Benedicti, vir in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimus, & valdè eruditus, atque in ſæcularibus literis egregiè doctus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenii, Philoſophus, Hiſtoriologus, & Coſmographus inſignis.*

Scripſit multa præclara volumina, quibus nomen ſuum ad poſteritatis notitiam cum gloria tranſmiſit, è quibus iſta feruntur.

Ad Joannem de Pratis Epiſcopum Præneſtinum ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalem ſcripſit magnum & egregium opus, quod in tribus voluminibus jam eſt impreſſum, eſt prædicatoribus ſimplicioribus non inutile, quod DICTIONARIUM *appellant, ſed ipſe illud prænotare voluit.*

REPERTORIUM MORALE. *l. 3. Reverendo in Chriſto Patri.*

REDUCTORIUM QUOQUE MORALE. *Videte quoniam non ſolum.*

INDUCTORIUM MORALE. *l. 3.*

BREVIARIUM HISTORIARUM BIBLIÆ. *l. 1. Conſiderans hiſtoria.*

COSMOGRAPHIAM. *l. 1.*

SERMONES VARIOS. *l. 2.*

Et alia multa. Denique ad inſtantiam Joannis Regis Franciæ, Titum Livium in Gallicam linguam convertit.

Et notandum, quod trium operum moralium, quæ primò conſignavimus loco, unum, quod tribus magnis voluminibus conſtat, quorum, REDUCTORII *moralis una pars omnes libros Bibliæ hiſtoriales moraliter complectens impreſſa eſt, & incipit à Geneſi ſic:* Deus in mundi creatione, &c.

Feruntur ejus ad diverſos EPISTOLÆ, *& parvi, ſed multi tractatus.*

Claruit temporibus Caroli Imp. IV. & Innocentii Papæ VI. Anno Domini 1360.

Sixtus Senenſis, Bibl. Sanctæ. l. 4.

Petrus Berchorius natione Gallus, patria Pictavienſis, Prior monaſterii S. Eligii Pariſienſis Ord. Benedictini, ſcripſit in totam Bibliam quatuor inſignia volumina:

Quorum PRIMUM *inſcripſit* MORALE REDUCTORIUM UTRIUSQUE TESTAMENTI, *in triginta quatuor libros diviſum, in quo prætermiſſo hiſtorico ſenſu, breviter univerſa capita ſcripturæ tropologicè expoſuit, intermiſtis interdum allegoriis: ſtyloque uſus demiſſo & aperto, & ad ſenſus animi explicandos maximè accommodato, operis initium eſt:* Cum jam præopacam naturæ ſylvam.

SECUNDUM *volumen* REPERTORIUM MORALE. *ſive* DICTIONARIUM BIBLICUM, *prænotatum eſt, tribus magnis voluminibus diſtinctum, & per ordinem Alphabeti digeſtum, cujus initium eſt:* Reverendo in Chriſto Patri.

TERTIUM *quod* INDUCTORIUM MORALE *inſcribitur, in tres libros partitum incipit:* Videte quoniam non ſolum.

QUARTUM *quod* BREVIARIUM HISTORIARUM BIBLIÆ *dicitur, ſic incipit:* Conſiderans hiſtoriæ. *Claruit temporibus Caroli Imp. IV. & Innocentii Papæ VI. Anno Domini 1360.*

Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro.

Petrus Berchorius, Pictavienſis Gallus, Ord. Benedicti, & Prior Cœnobii S. Eligii Pariſienſis, DICTIONARIUM, *ſive* REPERTORIUM MORALE *compoſuit, quod dictiones ferè omnes ſacræ Theologiæ ſtudioſis, ac verbi divini Concionatoribus uſui futurum, locorum communium inſtar, alphabetico ordine complectitur, earumque ſignificationes moribus accommodat.*

Cum autem vix reperiretur, (licet Norimbergæ anno 1489. Pariſiis anno 1521. Lugduni anno 1520. exiviſſet in lucem) denuò apud Caſparum Bindonum Typographum Venetum prodiit, anno 1589.

Notatiuncula.

Habes hic varias Berchorii Editiones à Poſſevino aſſignatas: ſed an totum opus apud tam varios Typographos iis annis prodierit, jure dubites. Nos hic conſignabimus, quas ipſi vidimus.

REPERTORIUM MORALE impreſſum eſt Lugduni per M. Jacobum Sacon, anno Domini 1517.

Ibidem excudit REDUCTORIUM MORALE IN BIBLIA Matthias Bonhomè anno 1536.

Omnia Berchorii opera Venetiis prodiêre apud hæredem Hieronymi Scoti anno 1583.

LECTORIS.

AMICE Lector, vides varios à variis Berchorii Tomos conſtitui. Sed in hac re ipſi potiùs auctori credamus, qui in præfatione REDUCTORII MORALIS in tres potiſſimùm Tomos opus ſuum univerſum diſtribuit.

PRIMUS complectitur REDUCTORIUM MORALE, qui 16. libris comprehenditur. Quorum 14. de RERUM PROPRIETATIBUS 15. de POETARUM FABULIS. 16. verò DE S. SCRIPTURARUM FIGURIS.

SECUNDUS continet REPERTORIUM ſeu DICTIONARIUM MORALE, quo ordine alphabetico OMNIA BIBLIORUM VOCABULA exponuntur.

TERTIUS appellatur INDUCTORIUM MORALE; quo agitur de DIVERSIS THEMATIBUS, & AUCTORITATIBUS, & QUIBUSDAM BREVIBUS COLLATIONIBUS: quæ quidem hic tertius Tomus non proſequitur, ſed, congruâ factâ inductione, pro fuſiore eorum explicatione ad ſecundum Tomum Lectorem ablegat.

Atque hæc de ſuis operibus præfatur ipſe Berchorius loco ſuprà citato. Nos verò etſi nullum non lapidem moverimus, ut ea omnia aſſequeremur, nondum tamen tam felicibus eſſe licuit. Nam Tertius Tomus, ut eum inſcripſit Berchorius, in omnibus editionibus (quas quidem vidimus) deſideratur, & ex primo liber 15. qui eſt de POETARUM FABULIS. & 16. qui eſt de S. Scripturarum figuris.

Notandum tamen nos hac poſtrema editione, Sixtum Senenſem ſecuti, ordinem mutaſſe. Opuſque in ſex Tomos ſive tres compacturas diſtribuiſſe.

Primum enim Tomum, qui libris 34. totam S. Scripturam percurrit, fecimus, cui Secundum, (Reductorium morale, ſive de Rerum proprietatibus intitulatum, & 14. libris diſtinctum) conjunximus, & ità primam ligaturam ordinavimus.

Tertium Tomum ſive Dictionarium in quatuor partes ſecuimus, quarum prior uſquè ad literam D. Altera à lit. D. uſquè ad literam M. excluſivè progreditur, ſtatuetque ligaturam alteram. Tertia verò pars à litera M. uſquè R. Et quarta ſive ultima à lit. R. uſquè ad finem tertiam efficiet, ſicque omnia hæc ſimul Opera Berchorii tria juſta volumina conſtituent, poterit tamen benevolus Lector compacturas pro beneplacito diſtinguere.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM
REDUCTORII MORALIS PETRI BERCHORII SUPER TOTA BIBLIA.
Sive Tomi Primi

Liber I. Super Geneſim.

Cap. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*
2. *Igitur perfecti ſunt cœli & terra.*
3 *Sed & ſerpens erat callidior.*
4 *Adam verò cognovit uxorem ſuam Hevam, quæ concepit & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum.*
5 *Cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filii Dei filias.*
6 *Recordatus autem Deus Noe.*
7 *Benedixitque Deus Noe & filiis ejus.*
8 *Erat autem terra labii unius.*
9 *Dixit autem Dominus ad Abraham.*
10 *Aſcendit ergò Abraham de Ægypto.*
11 *His itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini,*
12 *Igitur Sarai uxor Abraham.*
13 *Poſtquam verò nonaginta, & novem annorum.*
14 *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre.*
15 *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere.*
16 *Viſitavit autem Dominus Saram ſicut promiſerat, & implevit.*
17 *Quæ poſtquam geſta ſunt, tentavit Deus.*
18 *Erat autem Abraham ſenex dierumque multorum.*
19 *Senuit autem Iſaac, & caligaverunt oculi ejus.*
20 *Vocavitque itaque Iſaac Jacob.*
21 *Profectus ergò Jacob venit in terram Orientalem.*
22 *Cernens autem Rachel quod infœcunda eſſet.*
23 *Egreſſa eſt autem Dina filia Lia.*
24 *Joſeph cum ſedecim eſſet annorum.*
25 *Eodem tempore.*
26 *Igitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum.*
27 *His itaque geſtis accidit ut peccarent.*
28 *Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium.*
29 *Interim fames per omnem terram vehementer.*
30 *His ita tranſactis nuntiatum eſt.*

Liber II. Super Exodum.

Cap. 1. *Hæc ſunt nomina filiorum Iſraël.*
2 *Reſpondens Moyſes ait: Non credent mihi.*
3 *Dixitque Dominus ad Moyſen, Ecce conſtituit Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus.*
4 *Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te.*
5 *Dixit autem Dominus ad Moyſen.*
6 *Dixit quoque Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti.*
7 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen.*
8 *Perſequenteſque Ægypti, ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites.*
9 *Tulit autem Moyſes Iſraël de mari rubro.*
10 *Profectique de Helim venit omnis multitudo.*
11 *Igitur profecta omnis multitudo filiorum Iſraël.*
12 *Menſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Ægypti.*
13 *Hæc ſunt judicia, quæ propones eis.*
14 *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem.*
15 *Non ſuſpicies vocem mendacii.*
16 *Aſcende ad Dominum.*
17 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filiis.*
18 *Tabernaculum verò ità facies. Decem cortinas.*
19 *Facies & altare de ligno ſethim.*
20 *Præceptum eſt Moyſi, quod applicaret ad ſe Aaron.*
21 *Sed & hæc facies ut mihi in ſacerdotio conſecrentur.*
22 *Facies quoque altare ad adolendum thimiama.*
23 *Videns autem populus, quod moram faceret Moyſes.*
24 *Ac deinceps, præcide ait tibi duas tabulas.*
25 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, Menſe primo.*

Liber III. Super Leviticum.

Cap. 1 *Vocavit autem Moyſen, & locutus eſt ei Dominus de tabernaculo teſtimonii, dicens: Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos, Homo, qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus.*
2 *Quod ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre marem ſive fœminam, immaculata offeret eoram Domino.*
3 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, anima, quæ peccaverit.*
4 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, dicens.*
5 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens.*
6 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron: Homo in cujus cute.*
7 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Hic eſt ritus.*
8 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens.*
9 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen poſt mortem duorum.*
10 *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere Aaron.*
11 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad omnem.*
12 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Hæc loqueris.*
13 *Dixit quoque Dominus ad Moyſen, Loquere ad ſacerdotes.*
14 *Locutus quoque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere.*
15 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere Filiis Iſraël, & dices ad eos.*
16 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai.*
17 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, &c.*

Liber IV. Super librum Numerorum.

Cap. 1. *Locutuſque eſt Deminus ad Moyſen & Aaron, dicens: Singuli per turmas.*
2 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens: Tolle ſummam filiorum.*
3 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Præcipe filiis Iſraël.*
4 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere.*
5 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere.*
6 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai.*
7 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Fac duas tubas.*
8 *Interea ortum eſt murmur populi.*
9 *Locutuſque eſt Maria ad Aaron contra Moyſen propter uxorem.*
10 *Profectus eſt populus de Haſeroth fixis tentoriis.*
11 *Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa.*
12 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad filios.*
13 *Ecce autem Cori filius Iſnar, filii Caath.*
14 *Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad.*
15 *Dixitque Dominus ad Aaron. Tu & filii tui, & domus patris tui.*
16 *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen Aaron, dicens: Iſta eſt Religio.*
17 *Veneruntque filii Iſraël, & omnis multitudo in deſertum Sim.*
18 *Quod cum audiviſſet Chananæus Rex arad, qui habitabat ad meridiem, veniſſe ſcil. Iſraël per exploratorum viam.*
19 *Profectique caſtra metati ſunt in campeſtribus Moab.*
20 *Morabatur autem eo tempore Iſraël in Sethim.*
21 *Acceſſerunt autem filiæ Saphaad.*
22 *Dixit quoque Dominus ad Moyſen. Præcipe filiis Iſraël. Et Menſis etiam ſeptimi prima dies.*
23 *Narravitque Moyſes filiis Iſraël omnia, quæ ei Dominus imperârat.*
24 *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: ulciſcere priùs filios Iſraël.*
25 *Filii autem Ruben, & Gad habebant pecora multa.*
26 *Hæc quoque locutus eſt Dominus ad Moyſen in campeſtibus Moab.*
27 *Acceſſerunt autem, & Principes familiarum Galaad.*

Liber V. Super Deuteronomium.

Cap. 1. *Cum verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram*
2 *Omne mandatum, quod ego præcipio tibi.*
3 *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur.*
4 *Obſerva menſem novarum frugum.*
5 *Non immolabis Domino Deo tuo ovem & bovem.*
6 *Non habebunt Sacerdotes, & Levitæ, & omnes, qui de eadem Tribu.*
7 *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos.*
8 *Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.*
9 *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem.*
10 *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis.*
11 *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam.*
12 *Si fuerit cauſa inter aliquos, & interpellaverit judices.*
13 *Si autem audiveris vocem Domini Dei tui.*
14 *Percutiat te Dominus egeſtate, febri, frigore.*

Liber VI. Super Joſue.

Cap. 1. *Miſit igitur Joſue filius Nun de Sethim duos viros exploratores.*
2 *Igitur Joſue de nocte conſurgens movit caſtra.*
3 *Quibus tranſgreſſis, dixit Dominus ad Joſue, Elige duodecim viros.*
4 *Poſtquam ergo audierunt omnes Reges Amorrhæorum.*
5 *Jericho autem clauſa erat timore filiorum Iſrael.*
6 *Filii autem Iſraël prævaricati ſunt mandatum.*
7 *Dixit autem Dominus ad Joſue.*
8 *Quibus auditis cuncti Reges.*
9 *Quæ cum audiſſet Adoniſedec Rex Jeruſalem.*
10 *Quæ cum audiſſet Jabin rex Aſor, miſit ad Johab regem Madan.*
11 *Hi ſunt Reges, quos percuſſerunt filii Iſraël, & poſſederunt terram eorum.*
12 *Igitur ſors filiorum Judæ per cognationes ſuas.*
13 *Cecidit quoque ſors filiorum Joſeph ab Jordane contra Jericho.*

Liber VII. Super libros Judicum.

Cap. 1. *Poſt mortem Joſue, conſuluerunt filii Iſraël Dominum, dicentes.*
2 *Aſcenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.*
3 *Addideruntque filii Iſraël facere malum in conſpectu Domini.*
4 *Cecineruntque Debbora, & Barac filius Abinoem.*
5 *Fecerunt autem filii Iſrael malum in conſpectu Domini.*
6 *Igitur Jeroboal, qui & Gedeon, de nocte conſurgens.*

7 *Dixe-*

Digitized by Google

7 *Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid est hoc, quod facere voluisti.*
8 *Abiit autem Abimelech filius Jeroboal in Sichem.*
9 *Fuit illo tempore Jephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator.*
10 *Rursumque filii Israël fecerunt malum in conspectu Domini.*
11 *Descendit ergò Samson in Thaannata, videnque ibi mulierem.*
12 *Post aliquantulum autem temporis cum dies triticea.*
13 *Post aliquantulum autem temporis.*
14 *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem.*
15 *Ruitque eo tempore vir quidam de monte Ephraim.*
16 *Fuit quidam vir Levites habitans in latere.*
17 *Egressi itaque sunt omnes filii Israel.*

Liber VIII. Super librum Ruth.

Cap. 1. *In diebus unius judicis.*

Liber IX. Super librum primum Regum.

Cap. 1. *Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim.*
2 *Exultavit cor meum Domino.*
3 *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli.*
4 *Et factum est in diebus illis convenerunt Philistiim.*
5 *Philistiim autem tulerunt arcam Dei, & asportaverunt.*
6 *Fuit ergò arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.*
7 *Et erat vir de Benjamin in nomine Cis filius Abiel.*
8 *Et factum est quasi post mensem ascendit Naas.*
9 *Dixit autem Samuel ad universum Israel, ecce audivi vocem vestram.*
10 *Et accidit in quadam die, ut diceret Jonathas.*
11 *Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus.*
12 *Dixitque Dominus ad Samuelem usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim.*
13 *Congregantes autem Philistiim agmina sua in prælium.*
14 *Et factum est cum complesset loqui ad Saul.*
15 *Locutus est autem Saul ad Jonatham filium suum.*
16 *Venit autem David in Nobe ad Abimelech Sacerdotem.*
17 *Abiit ergò David indè, & fugit in speluncam.*
18 *Et annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philisthiim.*
19 *Ascendit ergò David inde, & habitavit in locis.*
20 *Mortuus est autem Samuel, & congregatus est universus Israël.*
21 *Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes.*
22 *Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthiim.*
23 *Cumque venissent David, & viri ejus in Sicelech.*
24 *Philisthiim autem pugnabant adversum Israel.*

Liber X. Super secundum Regum.

Cap. 1. *Factum est autem postquam mortuus est Saul.*
2 *Facta est autem longa concertatio inter domum Saul & inter domum David.*
3 *Audivit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron.*
4 *Et venerunt universa tribus Israël ad David.*
5 *Congregavit autem rursum David omnes electos ex Israël.*
6 *Nuntiatumque est regi David, quod benedixisset Dominus, Obededom.*
7 *Factum est autem post hæc, ut moreretur Rex filiorum Amon.*
8 *Factum est autem vertente anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere.*
9 *Misit ergò Dominus Nathan ad David, qui cum venisset ad eum.*
10 *Factum est autem post hæc, ut Absalon filii David sororem.*
11 *Intelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor regis versum esset.*
12 *Igitur post hæc fecit sibi Absalon currus, & equites.*
13 *Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba.*
14 *Dixit ergò Achitophel ad Absalon, Eligam mihi duodecim millia virorum.*
15 *Igitur considerato David populo suo constituit super eos tribunos.*
16 *Nuntiatum est autem Joab, quod rex fleret & lugeret filium suum.*
17 *Accidit quoque ut ibi esset vir Behal nomine Seba.*
18 *Dixit itaque Joab ad Amasam, Salve mi frater.*
19 *Facta est quoque fames in diebus David in tribus annis jugiter.*
20 *Et addidit furor Domini irasci contra Israël.*

Liber XI. Super tertium Regum.

Cap. 1. *Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies.*
2 *Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur.*
3 *Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis.*
4 *Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israël.*
5 *Factum est autem quadringentesimo, octogesimo anno egressionis filiorum Israël.*
6 *Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis.*
7 *Factum est autem cum perfecisset Salomon ædificium domûs Domini.*
8 *Sed & Regina Sabæ audita fama Salomonis.*
9 *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienas.*
10 *Venit autem Roboam in Sichem, illuc enim congregatus erat.*
11 *Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel.*
12 *In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam.*
13 *Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani.*
14 *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab.*
15 *Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam.*
16 *Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia, quæ fecerat Elias.*
17 *Porrò Benadab rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum.*
18 *Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth.*
19 *Transiverunt igitur tres anni absque bello inter Syriam & Israël.*

Liber XII. Super quartum Regum.

Cap. 1. *Prævaricatus est autem Moab in Israël.*
2 *Factum est autem cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum.*
3 *Joram verò filius Achab regnavit super Israël in Samaria.*
4 *Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæum.*
5 *Erat autem fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo.*
6 *Naam Princeps militiæ regis Syriæ.*
7 *Dixerunt autem filii Prophetarum ad Elisæum.*
8 *Dixit autem Elisæus: Audite verbum Domini, Hæc dicit Dominus: In tempore.*
9 *Elisæus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium.*
10 *Elisæus autem Propheta, vocavit unum de filiis Prophetarum.*
11 *Erant autem Achab septuaginta filii.*
12 *Athalia verò Mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum.*
13 *Anno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ Regis Juda.*
14 *In anno secundo Joas filii Joachaz regis Israël regnavit Amasias.*
15 *Anno decimo septimo Phaceæ filii Romeliæ regnavit Achaz.*
16 *Anno duodecimo Achaz regis Juda, regnavit Ozeæ filius Hela.*
17 *Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum.*
18 *Anno tertio Ozeæ filii Hela regis Israël.*
19 *In diebus illis. Ægrotavit Ezechias usquè ad mortem.*
20 *Et renunciaverunt regi quod dixerat. Qui misit & congregati sunt ad eum.*
21 *In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis.*
22 *Factum est autem anno novo regni ejus mense decimo.*

Liber XIII. Super secundum Paralippomenon.

Cap. 1. *Dormivit autem Abia cum Patribus suis.*
2 *Post hæc congregati sunt filii Moab, & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis.*
3 *Septem annorum erat Joas, cum regnare cœpisset.*
4 *Viginti quinque annorum erat Amasias, cum regnare cœpisset.*
5 *Amasias quoque post cædem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir.*
6 *Omnis autem populus Juda filium ejus Oziam, &c.*

Liber XIV. Super primum Esdræ.

Cap. 1. *In anno primo Cyri Regis Persarum, ut compleretur Verbum Domini.*
2 *Factum est autem cum audisset Sanaballat.*
3 *Postquam autem hæc completa sunt.*

Liber XV. Super tertium Esdræ.

Cap. 1. *Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis.*
2 *Et inchoavit sequens dicere, quis dixit de fortitudine Regis.*
3 *Tertius, qui dixerat de mulieribus & veritate.*
4 *Et inchoavit loqui de veritate.*

Liber XVI. Super quartum Esdræ.

Cap. 1. *Hæc dicit Dominus. Ego eduxi populum istum de servitute.*
2 *Ecce dies venient, in quibus apprehendentur, qui inhabitant terram in censu multo.*
3 *Dominator Domine ex omni sylva terræ, & omnibus arboribus ejus.*
4 *Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi.*
5 *Et dixit ad me, initio terreni orbis, & antequam starent exitus sæculi.*
6 *Et videbunt, qui recepti sunt homines.*
7 *Et die secundo creasti Spiritum firmamenti.*
8 *Et factum est, cum finisset loqui verba hæc.*
9 *Et respondit ad me & dixit: Hoc sæculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.*
10 *Et factum est post dies septem, & somniavi somnium nocte.*

Liber XVII. Super Tobiam.

Cap. 1. *Tobias ex tribu & civitate Nephtali, quæ est in superioribus.*
2 *Post verò cum esset dies festus Domini.*
3 *Tunc Tobias ingemuit.*
4 *Tunc respondit Tobias Patri suo, & dixit omnia quæcunque.*
5 *Profectus est autem Tobias, & canis secutus est eum.*
6 *Postquam verò cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam.*
7 *Et factum est circa pullorum cantum, accersiri jussit Raguël.*

Liber XVIII. Super Judith.

Cap. 1. *Arphaxad, itaque Rex Medorum subjugaverat multas gentes.*
2 *Tunc miserunt legatos suos universarum urbium.*
3 *Tunc audientes hæc filii Israel, qui habitabant terræ Judæ.*
4 *Nuntiatumque est Holoferni Principi militiæ Assyriorum.*

5 *Holo-*

Digitized by Google

5 *Holofernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis.*
6 *Quibus aſcendentibus, Judith ingreſſa eſt oratorium ſuum.*
7 *Factum eſt autem cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum.*

Liber XIX. Super Heſther.

Cap. 1. *In diebus Aſſueri, qui regnavit ab India uſquè ad Æthiopiam.*
2 *His itàque geſtis, poſtquam Regis Aſſueri indignatio deferbuerat.*
3 *Poſt hæc Rex Aſſuerus exaltavit Aman filium Amadathi.*
4 *Quæ cum audiſſet Mardochæus, ſcindit veſtimenta ſua.*
5 *Die autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis.*
6 *Rex verò Aſſuerus omnem terram & cunctas maris inſulas.*
7 *Rex magnus Ataxerxes Indiæ uſque Æthiopiam.*

Liber XX. Super Job.

Cap. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Job.*
2 *Factum eſt autem cum quadam die veniſſent Filii Dei.*

Liber XXI. Super Iſaiam.

Cap. 1. *Viſio Iſaiæ filii Amos.*
2 *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ.*
3 *In anno quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem.*
4 *In diebus illis ægrotavit Ezechias uſque ad mortem.*

Liber XXII. Super Jeremiam.

Cap. 1. *Hæc dicit Dominus ad me, Vade & poſſide tibi lumbare.*
2 *Oſtendit mihi Dominus & ecce duo calathi.*
3 *Verbum quod factum eſt ad Jeremiam à Domino, quando Nabuchodonoſor.*
4 *Audivit autem Saphatias filius Mahan & Gedelias filius Phaſſur.*
5 *Et factum eſt in menſe ſeptimo, venit Iſmael filius Nathaniæ.*
6 *Et acceſſerunt omnes Principes bellatorum & Johannan filius Caree.*

Liber XXIII. Super Ezechielem.

Cap. 1. *Et factum eſt in triceſimo anno, in quarto, in quinta menſis.*
2 *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini.*
3 *Et tu fili hominis ſume tibi laterem, & pones.*
4 *Et factum eſt in anno ſexto, in ſexto menſe, in quinta menſis, ego ſedebam in domo mea.*
5 *Et clamavit in auribus meis voce magna dicens: Appropinquaverunt.*
6 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis Vaticinare.*
7 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis notas fac.*
8 *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis propone:*
9 *Et tu fili hominis aſſume planctum ſuper Principes Iſrael.*
10 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam.*
11 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, duæ mulieres.*
12 *Et factum eſt Verbum Domini ad me, dicens: Tu ergò fili hominis aſſume.*
13 *Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili.*
14 *In anno decimo, & duodecimo menſe, una die menſis.*
15 *Et factum eſt in anno undecimo, tertio menſe, una menſis.*
16 *Facta eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu.*
17 *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Fili hominis.*
18 *Et introduxit me in templum, & menſus eſt frontes.*
19 *Et convertit me ad viam portæ ſanctuarii exterioris, quæ reſpicit ad Orientem.*
20 *Hæc dicit Dominus, Portæ atrii interioris, quæ reſpicit ad Orientem.*
21 *Et convertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur.*

Liber XXIV. Super Danielem.

Cap. 1. *Anno tertio regni Joachim, regis Juda.*
2 *In anno ſecundo regni Nabuchodonoſor. Vidit Nabuchodonoſor ſomnium.*
3 *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream.*
4 *Ego Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo.*
5 *Balthaſar Rex fecit grande convivium optimatibus ſuis mille.*
6 *Anno primo Balthaſſar Regis Babylonis, Daniel ſomnium vidit.*
7 *Anno tertio regni Baithaſſar regis viſio apparuit mihi.*
8 *Anno tertio regni Cyri Regis Perſarum verbum revelatum eſt.*
9 *Erat vir habitans in Babylone, & nomen ejus Joachim.*

Liber XXV. Super Jonam.

Cap. 1. *Et factum eſt Verbum Domini ad Ionam filium Amathi.*

Liber XXVI. Super Zachariam.

Cap. 1. *In menſe octavo in anno ſecundo Darii Regis, factum eſt Verbum Domini ad Zachariam.*
2 *Et reverſus eſt Angelus, qui loquebatur in me, & ſuſcitavit me.*
3 *Et converſus ſum. Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans.*
4 *Et converſus ſum, & levavi oculos meos, & vidi.*

Liber XXVII. Super librum Machabæorum.

Cap. 1. *Et factum eſt poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo.*
2 *In diebus illis ſurrexit Mathatias filius Joannis, filii Simeonis.*
3 *Surrexit Judas Machabæus pro patre ſuo, & juvabant eum fratres ſui.*
4 *Et aſſumpſit Gorgias quinque millia virorum, mille equites electos.*
5 *Dixit autem Judas, & fratres ejus.*
6 *Et factum eſt, ut audierunt gentes in circuitu, quia ædificatum eſt altare.*
7 *Et Rex Antiochus perambulavit ſuperiores regiones.*
8 *Anno centeſimo quinquageſimo primo, exiit Demetrius Seleuci filius.*
9 *Et audivit Judas nomen Romanorum, qui ſunt potentes viribus.*
10 *Interea ut audivit Demetrius, quia cecidit Nicanor.*
11 *Et anno centeſimo quinquageſimo aſcendit Alexander Antiochi filius.*
12 *Et Rex Ægypti congregavit exercitum ſicut arenam, quæ eſt in littore maris.*
13 *Et vidit Jonathas quia tempus eum juvat.*
14 *Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo congregavit Rex Demetrius exercitum.*

Liber XXVIII. Super ſecundum librum Machabæorum.

Cap. 1. *Fratribus, qui ſunt per Ægyptum Judæis, Salutem dicunt fratres, qui ſunt in Jeroſolymis.*
2 *Inventitur autem in deſcriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quod juſſit eos ignem accipere.*
3 *Igitur cum ſancta civitas habitaretur in omni pace.*
4 *Simon autem prædictus pecuniarum & patriæ delator.*
5 *Sed non poſt multum temporis, miſit Rex ſenem quendam Antiochenum.*
6 *Machabæus autem, & qui cum eo erant, Domino ſe protegente.*
7 *His factis pactionibus, Lycias pergebat ad Regem.*
8 *Sed poſt triennii tempus cognovit Judas, & qui cum eo erant.*

Liber XXIX. Super Matthæum.

Cap. 1. *Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem.*
2 *In diebus autem illis venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto.*
3 *Tunc Jeſus dictus eſt in deſertum à ſpiritu.*
4 *Videns autem Jeſus turbas aſcendit in montem.*
5 *Cum aſcendiſſet Jeſus de monte.*
6 *Et aſcendens Jeſus in naviculam, tranſfretavit.*
7 *Et factum eſt cum conſummaſſet Jeſus præcipiens.*
8 *Abiit Jeſus per ſata ſabbatho.*
9 *Exiens Jeſus de domo ſedebat ſecus mare.*
10 *Audivit Herodes tetracha famam Jeſu, & ait pueris ſuis.*
11 *Tunc acceſſerunt ad eum ab Jeroſolymis Scribæ & Phariſæi.*
12 *Jeſus autem convocatis diſcipulis ſuis, dixit.*
13 *Et poſt dies ſex aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem.*
14 *In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes, quis putas.*
15 *Simile eſt regnum cœlorum.*
16 *Et cum appropinquaſſet Jeroſolymis & veniſſet Bethphage.*
17 *Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit.*
18 *Et factum eſt cum conſummaſſet Jeſus ſermones hos.*
19 *Manè autem facto.*
20 *Veſpere autem Sabbathi quæ luceſcit in prima Sabbathi.*

Liber XXX. Super Marcum.

Cap. 1. *Et introivit iterum in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam.*
2 *Et convenerunt ad eum Principes & Phariſæi.*
3 *Et dicebat illis. Amen dico vobis, quia ſunt quidam de his ſtantibus.*
4 *Et indè exurgens venit in fines Judeæ.*
5 *Erat autem Paſcha, & azyma poſt biduum.*
6 *Et cum tranſiſſet Sabbathum Maria Magdalena.*

Liber XXXI. Super Lucam.

Cap. 1. *Fuit in diebus Herodis Regis Judæ, Sacerdos quidam nomine Zacharias.*
2 *Factum eſt autem in diebus illis, Exiit edictum à Cæſare Auguſto.*
3 *Jeſus autem plenus Spiritu ſancto egreſſus à Jordane.*
4 *Factum eſt autem cum turbæ irruerunt in eum, ut audirent Verbum Dei.*
5 *Cum autem impleviſſet omnia verba ſua in aures.*
6 *Aderant autem quidam in ipſo tempore, nunciantes illi de Galilæis.*

Digitized by Google

7 *Et factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum.*
8 *Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores.*
9 *Dicebat autem ad discipulos suos, Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.*
10 *Et ait ad discipulos suos, impossibile est, ut non veniant scandala.*
11 *Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare.*
12 *Et ingressus perambulabat Jericho.*
13 *Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua.*
14 *Appropinquabat autem dies festus azymorum.*
15 *Una autem Sabbathi valde diluculo, venerunt ad monumentum.*

Liber XXXII. Super Joannem.

Cap. 1. *Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.*
2 *Ut ergò cognovit Jesus.*
3 *Post hæc erat festus dies Judæorum.*
4 *Jesus autem perrexit in montem Oliveti.*
5 *Et prætereins Jesus vidit hominem cæcum à nativitate.*
6 *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania.*
7 *Una autem Sabbathi Maria Magdalena venit mane.*
8 *Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tyberiadis.*

Liber XXXIII. Super Acta Apostolorum.

Cap. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile.*
2 *Et cum complerentur dies Pentecostes: erant omnes pariter.*
3 *Petrus autem & Joannes ascendebant in templum.*
4 *Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt Sacerdotes.*
5 *In diebus autem illis crescente numero discipulorum.*
6 *Saulus autem erat consentiens neci ejus.*
7 *Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius.*
8 *Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret*
9 *Factum est autem Iconii, ut simul introirent in Synagogam.*
10 *Et quidam descendentes de Judæa docebant fratres.*
11 *Pervenit autem Derben & Lystram, Et ecce discipulus quidam.*
12 *Cum autem perambulassent Amphibolim & Apolloniam.*
13 *Factum est autem cum Apollo esset Corinthi.*
14 *Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis.*
15 *Cum autem factum est ut navigaremus abstracti ab eis.*
16 *Agrippa verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso.*
17 *Ut autem judicatum est navigare eum in Italiam.*
18 *Et cum evasissemus tunc cognovimus, quia Melita.*

Liber XXXIV. Super Apocalypsim.

Cap. 1. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere servis suis.*
2 *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe, Hæc dicit, qui tenet.*
3 *Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, Hæc dicit, qui habet septem Spiritus Dei.*
4 *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cœlo.*
5 *Et vidi in dextera sedentis suprà thronum librum scriptum intus & foris.*
6 *Et quatuor animalia singula eorum habebant.*
7 *Et vidi quod aperuisset agnus unum de septem sigillis.*
8 *Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor Angulos terræ.*
9 *Et cum aperuisset sigillum septimum factum est silentium in cœlo.*
10 *Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cœlo.*
11 *Et datus est mihi calamus similis virgæ.*
12 *Et signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus.*
13 *Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem.*
14 *Et vidi, & ecce agnus stabat suprà montem Sion.*
15 *Et vidi aliud signum in cœlo magnum & mirabile.*
16 *Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi.*
17 *Et venit unus de septem Angelis qui habebant septem phialas.*
18 *Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cœlo.*
19 *Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum.*
20 *Et vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi,*
21 *Et vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum.*
22 *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum.*



MATE-

Digitized by Google

MATERIÆ SINGULARES OPERIS REDUCTORII MORALIS SUPER TOTA BIBLIA.

Ordine aptiſſimo ſecundùm numerum librorum ac capitulorum, unà cum elementorum appoſitione hic colliguntur: ut facilius occurrat quod candidus lector optat.

A.

AARON filii ejus ad ſacerdotium electi fuerunt,lib.2.cap.20.d
Aaron virga floruit,l.4.c.14.a
Aaron quomodò interpretatur, l.4. c.14.b
Aaron dictum eſt ſervare ſacerdotium, l. 4. c. 15.c
Abiſa virgo pulcherrima, l.9.c.h
Abimelech ſpurius Gedeonis factus eſt rex, l. 7. c. 8. f
Abſalon Ammon interfecit,l.10.c
Abſalon patris faciem ad duos annos non vidit,l.10.c.10. c.11.c
Abſalon præcepit ſegetes cõburi,l.10.c.11.c
Abſalon à Joab tribus lanceis perfoſſus interiit,l.10.c.15.b
Abietes ſunt pauperes, l.23.c. 12. b
Abſtinentia adjiciet vitam l.24.c.1.c
Abel munera accepta fuerunt Deo,l.1.c.4.
Abrahæ ſacrificium,l.1.c.11.c
Abrahæ prima uxor, quæ fuit,l.1.c.12.b
Abraham de præcepto Domini proprium filium immolare voluit,l.1.c.17. f
Abſtinentiæ ſobrietas per Beryllum intelligitur,l.2.c. 20. d
Activi occupantur circa terrena, l.1.c.5.b
Activa vita cui comparatur,l.1.c. 20. g
Achates tempeſtatem avertit,l.2.c.20. d
Accipiter,l.3.c.4. g
Achir princeps,l.3. c.4.g
Achitopel ſummus conſiliarius David,ille primus dominum ſuum negavit,l.10.c.14.h
Achimaas nuntiavit David regi mortem filii ſui Abſalonis.l.10.c.15.c
Achab rex nequiſſimus,l.12.c.15.c
Achab contra ſeipſum ſententiam tulit, l. 11. c.17. f
Adverſitas aperit oculos,l.33.c.7. a
Adulator dicitur imago,l.c.8.c
Adulatoris verba per lac intelligũtur, l.9.c.1.f
Adulatores à principibus admitti non debent, l.10.c.1.b
Adulteri in propriis uxoribus puniuntur, l.10. c. 9. a
Adulatoris aſtutia reprehenditur, l.10.c.12.f
Adonias ſenior filius David,l.11.c.1.a
Addo Propheta vir Dei nominatus à leonibus interiit,l.11.c.11.c
Adulatores proſpera dicere ſolent,l.11.c.19.h
Adonis juvenis filius matris, l.23. c. 4
Adam in cãpo Damaſceno creatus,l.23.c.7. h
Advocatus dives comparatur arieti,l.24.c.7.c
Adam ſexta die formatus,l.1.c.3.c
Adæ generatio, l.1.c.4.g
Adulterini filii ſunt gigantes in Ecc.l. 1.c.5. a
Adverſitas à mundo datur,l.1.c.30. g
Adipum tria genera Dominus voluit retinere, l.3.c. 2. d
Adeps bonæ affectionis in igne charitatis ſolet nutriri, l.5. c.3. c
Adulationis mel interdicitur nobis,l.3.ib.
Adulationis officium,l.3.c.4.a
Adam mortalitatem intulit,l.3.c.7.h
Adulator pilos divitiarũ ſecum rapit,l.4. c.4. f
Adulterium Hebrææ mulieris per potum aquæ manifeſtabatur,l.4. c.3. c
Adonibeſech rex captus in Iſraël ductus eſt, l. 7.c.1. c
Affectiones malæ ſunt quatuor,l.26. c. 1. d
Affectiones cordis ſunt quatuor, l.3.c.4. h
Affectiones bonæ ſunt quatuor.l.11. c.6. g
Agricolæ intelliguntur per vinum & oleum, l.34.c.7. c
Agar fuit ancilla Abrahæ,l.1.c.12. c
Agar interpretatur ſomniũ vigiliæ,l.1.c.12.c
Agnus paſchalis qualis fuerit, l.2.c.6. g
Agnus paſchalis quando comedebatur, per 7. dies fermentum non debebat in Hebræorum tabernaculis inveniri,l.3.c.3.b
Alexander Hieremiam in Alexandriam tranſtulit, l.22. c. 7. c
Alexander rex Macedonum reges & principes debellavit,l.27.c.1. a
Alchimus de ſemine Aaron,l.17.c.8. g
Alchimus ſummus ſacerdos iniquiſſimus, l. 27.c.10. g
Altare ſolet de terra fieri,quid denotat, l. 2. c. 12. h
Altare ſignificat Eccleſiaſticas dignitates, l. 2. c.12. h
Altare holocauſtorum præcipit Dominus fieri,l.2.c.19. h
Altare debet habere quatuor cornua, quid moraliter ſignificat,l.2.c.19. a
Alexander ſeipſum adorari fecit ſicut Deum, l. 2.c.22. b
Alienigena nunquam de ſanctificatis in lege comedere debebat,l.2.c.14.g
Aman filius Amadathi,l.29.c. 3. h
Aman invitatus ab Heſter ad prandium, l.19. c.4. d
Ambitio principum,l.27. c.1. b
Ambitioſus in dolo verba pacifica loquitur, l. 27. c. 1. c
Amalech pugnavit contra Iſraël,l.2.c.11.d
Amethiſtus hominem vigilem facit,l.2.c.20.d
Ambitioſus comparatur feſto tabernaculorum,l.4.c.22. b
Amorrhæus à filiis Iſraël præcipiente domino de terra promiſſionis fuit expulſus,l.5.c.1.e
Amicus amicum lædere non debet,l.5.c.8.h
Amonites repulſam Eccleſiæ patiebatur in lege,l.10.h
Amicus antequam recipiatur ad amicitiam eſt probandus,l.6.c.4. c
Ambitioſi Nabuchodonoſor comparantur, l. 18. c.2. f
Amicus falſus non niſi præſentem diligit hominem,l.7. c.13. a
Amalechitarum populos deſtrui mandabatur à Domino,l.9.c.11. e
Amor,qui ex corruptione naſcitur, vertitur in odium,l.10.c.10. b
Amon primogenitus David, l.10.c. 10. b
Amaſias Rex Juda,l.12.c.14. a
Amaſias juſtus ex virtute Dei Idumæos devicit,l.2.c.5. a
Ambitioſorum duo ſunt genera,l.4.c.13. e
Ambitioſi muneribus & adulationibus utuntur,l.4. c.13. g
Anima impeditur à carne, l.4.c.17. d
Antechriſtus de diabolo veniet,l.34.c.12. e
Angelum ſibi quilibet deputatum habet,l.33. c.9.d & e
Angelus,conſolatus eſt paſtores,l.22.c.2. e
Antonius ſanctus à diabolo verberatus, l.20. 29.c.5. e
Anima peccatrix non meretur dici filia Dei, l. 10.c. 6. c
Anima peccatrix in cuſtodiam diaboli vadit, l. 19.c.2 g
Anima per Suſannam intelligitur,l.24. c.9. e
Antiochus radix peccati ſibi impoſuit duo diademata,l.29.c.1. b
Antiochus ſpoliavit templum,l.29. c.1. b
Antiochus ordinavit, quod omnis populus unà eſſet, l.27.c.1. h
Angelica creatura intelligitur per lucem primordialem creationis mundi,l.1. c.1. e
Animalia mundi ſunt boni homines, & immunda mali,l.1.c.5. b
Anima hominis dicitur arca,l.1.c.5. e
Animæ conditiones,l.1. c.5. c
Anima per Saram uxorem Abrahæ intelligitur,l.1.c.8. e
Angeli tres ſunt miſſi ad Sodomam deſtruendam,l.1.c.14. a
Anima & corpus contrariantur,l.22.c.20. h
Animæ ſeductio oſtendirur,l.1.c.23. d
Anima non debet exire de domo conſcientiæ, l.1. c.23. d
Anima virtuoſa per tabernaculum intelligitur,l.1.c.18. h
Animæ virtuoſæ conditiones,l.2.c.18.
Animalia ruminantia & ſciſſàs ungulas habentia ſolùm à filiis Iſraël comedebantur, l.3. c.4. d
Animalia immunda in veteri lege tangens immundus erat,l.3.c.4. a
Animalia, quæ offerebantur in lege veteri debebant eſſe integra,l.3.c.14. g
Annus Jubilæus apud Hebræos præcipitur ſervari,l.3. c.16. b
Anima nupta carni,mundo, diabolo non debet comedere de ſanctificatis,l.3.c. 14. f
Anima per pœnitentiam rediens, cibis cœleſtibus digna,l.3.c. 14. f
Annus jubilæus ſignat gloriam,l.5.c.3. a
Anima peccatrix dicitur gentilis,l.5.c.8. e
Angelica tuba mundi ruinam prænuntiet; l.6. c.5. g & h
Anima comparatur naviculæ,l.39.c. b. & c
Anima dicitur vinea,l.29.c.15. h
Apoſtoli variis linguis loquentes, ebrii appellati ſunt,l.13.c.2. f
Apollonius Dux Demetrii, l.27.c.11. a
Apoſtata per colũbã intelligitur,l.2.c.6.e & f
Apoſtoli fuerunt flores mundi,l.2.c.17. e
Aquæ ſuperiores quid in mundi creatione moraliter denotant, l.1.c.1. f
Aquæ inferiores quid, l.1. f
Aqua per Moyſen converſa eſt in ſanguinem, l.2.c.3. h
Arida terra,quæ, l.1.c.1. d
Ariditas pœnitentiæ,l.1.c.1. d
Arca Noë ex præceptoDomini facta,l.1.c.5.a
Aries dux gregis,l.1.c.11. d
Arca ex lignis ſethim facta,l.2.c.17. e
Aſtronomia habet annexam magnam vanitatem,l.3.c. 1. c
Aſahel curſor velociſſimus fuit,l.10.c.10.c.
Aſſuerus convivium ſeptem diebus celebravit continuis, l.19.c.1. f
Aſſuerus fuit Rex Aſſyriorum,l.18.c.1.e
Aſſur rex comparatur Cedro,l.23.c.15. d
Avari dicuntur boves arantes, l.10.c.1. g
Avarus comparatur amphoræ,l.26. c.3. f
Aves volantes dicuntur eſſe in homine tanquam in minori mundo, moraliter quid denotat,l.1.c.1. e
Aurum optimum ubi reperitur,l.1.c.2. a
Avarus per Cain intelligitur,l.5.c.4.h
Avaritiæ incommoda,l.2.c.9. b
Auſtralis pars eſt regio luminoſa,l.2.c.17.g
Aves gemebundæ ſunt Deo acceptæ, & per eas moraliter intelligitur, l.3.c.1.b
Avarus talpæ comparatur, l.3.c.4.b
Avari per Moabitas intelliguntur,l.5.c.10. a
Avaritia Acham lapidavit,l.6.c.6.a
Avari religioſi Acham comparantur, l.6.c.6. a
Avaritia Eccleſiaſticos vitos damnat,l.6.c.6. a
Avaritia veritatem amittere facit, l.29.c.20. g

B.

BAptiſmus fluminis,l.3.c.4. e
Baptiſmus eſt cauſa ſalutis,l.3.c.7.a
Baptiſmus per Jordanem fluvium intelligitur, l.6.c. 2. a
Bachides interpretatur luctus fortis,l.25.c.2.e

Digitized by Google

Bachides multas civitates munivit,l. 27.c.10.f
Balach Rex Moab,l.4.c.19.d
Balaam asina locuta,l.4.c.19.d
Balam asina significat gentiles,l.4.c.19.d
Baasa occidit Nadab filium Jeroboam,l.11.c. 13.g
Babylonii adorare piè solèt solem,l.12.c.19.c
Belli victoria non in multitudine exercitus sed de cœlo fortitudo,l.7.c.4.d
Bethsamitæ erant de filiis Israël,l.9.c.6.f
Bethsan interpretatur domus dormientis, l.9. c.24.a
Bethsabeæ mater Salomonis,l.11.c.1.a
Beryllus quanto plus pallet, tanto est melior, l.2.c.20.a
Beati in paradiso designantur per altare absconditum in sanctuario,l.2.c.22.h
Beati quatuor dotes corporis habèt,l.2.c.22.h
Beati habent altare thymiamatis,l.2.c.22.b
Benignitas per Simonem intelligitur,l.4.c.1.
Benedicere est nobile officium,l.5.c.13.a
Bella felicia data à Deo suis fidelib.l.6.c.9.d
Beata virgo Maria per Judith datur intelligi, l.18.c.6.c
Bel idolum Babylonicum,l.24.c.9.g
Byssus quid designat,l.23.c.12.e
Byssus significat castitatem,l.2.c.18.a
Bonos aliquando Deus peccare permittit, l.2. c.18.c
Bona temporalia sunt vitæ necessària,l.c.8.c
Bos jugo subditus legem significat, l.3.c.21.c
Bona temporalia per pulverem designantur, l.5.c.14.c
Boni utuntur triplici cibo,l.3.c.4.d
Bubo,l.3.c.4.g

C.

CArdes,quomodò interpretatur, l.4.c.17.c
Caro concupiscit adversus spiritum, & quomodò,l.4.c.17.d
Castitas per turturem intelligitur,l.4.c. 22.c
Carnalis affectus facit hominem injusta petere,l.30.c.4.c
Caro designatur per Loth,l.7.c.5.a
Carnis amor spiritum decipit,l.7.c.14.e
Causidicus comparatur statuæ,l.24.c.2.f
Caro seipsam occidit,l.28.c.8.a
Carnis delectationes maria vocantur,l.1.c.1.d
Caro per Evam intelligitur,l.1.c.3.f
Cain munera à Deo contempta,l.1.c.4.g
Cain occidit fratrem suum Abel,l.1.c.4.g
Cain maledictus à Deo,ibid.g
Cain profugus factus est,ibid.
Capra macilenta,quæ,l.1.c.11.d
Caro per ancillã Abrahæ intelligitur,l.1.c.12.e
Carnis tentationes Dominus citò à viris justis non delet, ut possint cum humilitate vivere,l.2.c.15.h
Carnis vexationes non sentiẽtes,superbiũt. ib.
Candelabrum quod tabernaculum illuminabat,erat aurem, ib.c.17.h
Cassia confert pectori,l.2.c.22.b
Cauda in sacrificiis non efférebatur, nisi quando de quibus erat hostia,l.3.c.2.d
Camæleõ imundũ animal erat in leg. l.3.c.4.b
Calvitium quid,& quid per calvitium intelligitur,l.3.c.6.a
Castitas ficta est mala,l.4.c.6.b
Carnalis delectatio intelligitur per lepram in carne,l.3.c.6.b
Carnalis cõcupiscentia fœdat animã,l.5.c.9.e
Cham patrẽ suum denudatũ derisit,l.1.c.7.f
Chanaam filius Cham maledicitur,ibid.h
Charitas omnia potest,l.2.c.20.d
Charitas nulla major, quam quod Christus pro homine pati voluit,l.3.c.2.f
Charitas est ignis de cœlo datus,l.3.c.3.a
Charitas dicitur fons vivus,l.3.c.14.e
Chananæus quid interpretatur,l.5.c.1.f
Charitas dicitur domus nostra,l.5.c.7.g
Cedrus arbor significat Prælatũ,l.23.c.12.b
Cœco ponere offẽdicula prohibẽur,l.3.c.11.b
Cœci visũ à Christo receperũt,l.29.c.14.g.&a
Centurionis filius paralyticus à Christo sanatur,l.26.c.5.b
Centurio gentilis erat,l.28.c.5.b
Cœcos Dominus Christus illuminavit,l.29.c. 6.h
Civitates quinque Philistinorum à Deo percussæ,& quare,l.9.c.5.b
Cyathi sunt vasa rusticorum,l.2.c.17.e
Cisterna comparatur superbiæ,l.3.c.4.e
Convivium undè derivatur,l.19.c.1.g
Contemplativus per Cedrum intelligitur, l. 22.c.15.c
Cor hominis dicitur mare inscrutabile, l. 24. c.15.c
Constãtia ducis qualis debeat esse,l.25.c.10.d
Conscientia viri justi intelligitur per paradisum,l.1.c.2.a
Confessio per quid intelligitur,l.1.c.2.b
Consiliarius interpretatur per Evam,l.1.c.3.d
Contemplativi occupantur circa cœlestia,l.1. c.5.b
Conscientia redit ad patrem cœlestem per compunctionem,l.1.c.6.c
Corvini id est, carnales pœnitentiam procrastinant,l.1.c.6.e
Consilia malorum Deus dissipat,l.1.c.8.h
Contemplativi dicuntur turtures, l.1.c.11.c
Consensus peccati quid efficit,l.11.c.12.e
Consiliarii principum intelliguntur per Saram uxorem Abrahæ,ibid. f
Conjugalis vita per Segor civitatem intelligitur,l.1.c.15.
Contemplativa vita cui cõparatur,l.1.c.20.h
Consiliarius falsus per Thamar intelligitur, l. 1.c.25.h
Consuetudo precandi intelligitur per sepulchrum Joseph, l.1.c.29.g
Columna nubis quæ,l.2.c.7.a
Columna ignis quæ, l.2.c.7.a
Conscientia bona quibus rebus constituitur, l.2.c.17.e
Confessio extinguit vitia,l.2.c.19.d
Cortinæ tentoria Domini,l.2.c.18.f
Consiliarii malorum principum,qui sunt, l.2. c.29.g
Columnæ sanctuarii,l.2.c.19.g
Columnæ tabernaculi, ibid.
Columnæ atrii ibidem, f
Contritio per carbũculũ intelligitur,l.2.c.20.d
Confessio per sapphirũ intelligitur,l.2.c.20.b
Contemplativi cogitantes devotionem habuisse sæpè superbi efficiuntur,l.2.c.34.f
Confessionis dispositio describitur, l.3.c.1.a
Consolatio exterior non à Deo reprobatur, si affectus interior ad eũ ordinatur,l.3.c.2.e
Correctio delinquentis quomodò debet mitigari,l.3.c.6. per totum.
Correctio prælati debet esse benigna, l.3.c.6.
Confessio mundat lepram, id est,peccatum,l. 3.c.7.g
Conjugati debent esse similes, l.c.11.c
Corpus dicitur vir Ægyptius,l.3.c.15.b
Corrector vitiorum delinquentem per mansuetudinem inducat,l.5.c.7.a
Cõfessio cordis in necessitate sufficit,l.5.c.9.g
Confessor audiens confessionem, non ignota per circumstantias quærat,l.5.c.11.f
Cogitationibus non immediatè credendum, l.6.c.4.d
Consiliariorum vita describitur,l.18.c.7.e
Cogitatio munda per quid intelligitur, l.4.c. 22.c
Conversatio honesta intelligitur per colores iridis,l.34.c.11.
Color rufus significat fraudem,l.34.c.7.a
Cornelius centurio gentilis,Italicus,l.33.c.82.
Consilium capiendi Christum fuit in atrio principis sacerdotum,l.29.c.18.a
Conscientiæ remorsus non cessat nos impugnare,l.29.c.4.g
Correctores aliorum se ipsos primò corrigant,l.7.c.17.a
Constantinus Imperator crimina Episcoporum & clericorum indicare noluit,l.9.c.9.a
Consiliariorum infidelitas per Architopel ordinatur,l.10.c.4.h
Contemplatio consistit in quinque, l.11.c. 5.g
Contemplatio solitudinem debet quærere, l. 12.c.2.f
Conversatio viri justi per pallium Heliæ intelligitur, ibidem.
Crux Christi per signum thau intelligitur, l. 13.c.5.e
Creatione mundi Deus ordine quid fecerit, l.1.c.1.b
Creatura Angelica intelligitur per lucem primordialem creationis mundi,l.1.c.1.e
Creationis mundi omnia opera Deus sex diebus complevit,ibidem e
Crudelitas per quid intelligitur,l.1.c.4.h
Crucis Christi memoria est tribulationum medicina,l.2.c.9.f
Criminosi à statu Ecclesiæ debent ejici & evelli,l.2.c.13.d
Chrysolythus dæmones terret,l.2.c.20,d
Crapula fuit causa idololatriæ,l.2.c.23.c
Crocodilus immundum animal erat in lege, l.3.c.4.d
Clibanus ardens quis,l.1.c.11.d
Clerici boni & religiosi inter sæculares commorantes, non debent vitia eorum colere, sed destruere,l.2.c.15.b.
Clangoris festum,l.4.c.22.g
Custodes sepulchri Domini erant quasi mortui, l.29.c.20.g
Culpæ in mundo non semper correspondent pœnis,l.31.c.6.g
Curiis principum vitia culpare nemo audet, l.22.c.5.h

D.

DAlila uxor Samsonis,l.7.c.10.e
David posuit arma Goliæ in tabernaculo,l.9.c.13.f
David inimicum Saulem occidere noluit, cum potuit,l.9.c.19.h
David valdè gaudebat ducendo arcam Domini in domum suam,l.10.c.6.d
David humilitas laudatur, ibidem.
Davidis Regis & Prophetæ peccata enumerantur,l.10.c.8.h
David peccatum suũ cognovit humiliter,ib.a
Darius Rex sumẽ dilexit Danielem,l.14.c.5.b
Daniel in palatio Regis Darii in invidos principes,l.24.c.5.b
Delectationes carnis maria vocantur,l.1.c.1.d
Delectatio temporalis per pomum vetitum paradisi intelligitur,l.1.c.3.e
Delectationem malam diabolus carni repræsentat,ibidem.
Deus per Adã allegoricè intelligitur,l.1.c.48.
Deitas nil passa est,l.1.c.17.g
Deus per Jacob intelligitur,l.1.c.22.b
Deus personarum non est acceptor,l.1.c.29.e
Detractores intelliguntur per ranas loquaces, l.2.c.4.c
Detractores dicuntur fures,l.4.c.14.g
Decimas Deo dare obligamur,l.2.c.14.a
Deus petiit ab homine tria,l.2.c.15.c
Deus quid petat ab homine,l.2.c.17.d & e
Devotionis bonæ conditiones,l.2.c.22.b
Devotio est divina gratia, ibid.
Deus in sacrificio eligebat interiora,l.1.c.1.
Delectatio generat peccatum;l.3.c.4.e
Deus in corde nõ vult habere sociũ,l.3.c.11.d
Decima data fuit in lege,& quomodò, l.3.c. 17.f
Debita anno 7!non repetebantur,l.5.c.3.a
Decem virgines significant universitatem, animarum fidelium,l.29.c.17.a & b
Detractores per idolum zeli intelliguntur, l. 13.c.4.c
Dei filius dicitur aquila,l.23.c.8.c
Detractoris lingua dicitur gladius,l.23.c.10.g
Demetrius infortunia quæ accidere potuerunt prævidit,l.27.c.12.d
Diebus septem in mundi creatione Deus quid fecerit,l.1.c.1.b
Die sexta Christus mortuus est,l.1.c.1.h
Dies septimus quis sit,ibidem.
Die sexta creatus est homo, quid denotat, l.
Diligentia bonorum operum per Tygrim fluvium intelligitur,l.1.c.2.b

Divites

Digitized by Google

Divites hujus mundi concorditer habitare non poſſunt,l.1.c.10.c
Diabolus quomodò vincitur,l.1.c.20.b
Diabolus candida oſtendit,l.1.c.1.a
Dina filia Jacob ſignificat animam,l.c.23.e
Divitum ſucceſſores per quid intelliguntur, l.1.c.28.c
Divina ſapientia in corde humilium reperitur,l.1.c.29.b
Diabolus per Pharaonem intelligitur,l.2.c.h
Diabolus homines in tribus ſpecialiter occupat,ibidem h
Diabolus odio habet filios Dei,l.2.c.1.c
Dignitas hominis eſt uxor ejus,l,3.c.13.a
Dignitatis gradus, ibidem a
Dilectionis probatio eſt operis exhibitio, l. 3. c.7.g
Diabolus conſtruit domum vitiorum in conſcientia peccatorum,l.6.c.5.f
Diabolꝰ à Chriſto & Prophetis victus,l.6.c.7.b
Diabolus ſignificatur per Enachim,l.6.c.12.h
Diabolus datur intelligi per Nabuchodonoſor regem,l.18.c.1.c
Diabolus ſemper eſt inter bonos,l.2.c.1.h
Divites hujus mundi dicuntur dracones,l.23. c.13.b
Diabolus ſub ſpecie bonitatis ad homines intrat,l.22.c.6.a
Divites per Cedrum intelliguntur,l.23.c.15.e
Diabolus dicitur rex Babylonis,l.24.c.3.g
Dives cum mortuus fuerit nihil ſecum aufert, l.24.c.4.b
Diſcordes ſignificantur per Jonam Prophetam,l.25.c.1.b
Diabolus intelligitur per Antiochiã,l.17.c.1.d
Diſcordes non debent eſſe prælati;l.4.c.12.b
Divitis hiſtoria deſcribitur ſepulti in inferno, l.31.c.9.a
Diabolus tentavit primò hominem de tribus, l.29.c.3.e
Diſcretio per poculum intelligitur,l.29.c.3.h
Diabolus dicitur rex ſuper omnes filios ſuperbiæ,l.7.c.2.g
Diabolum quatuor hominum genera non vincunt,l.7.c.4.c
Cum Diabolo prælium ingrediuntur quatuor genera hominum,l.7.c.4.d
Diabolus dicitur ſpiritus Dei,l.7.c.8.g
Dominus hominis eſt mundus,l.2.c.13.b
Doloſus muſtellæ comparatur,l.3.c.4.b
Domino ſe offerens ſine macula,l.3.c.38.
Dona iniquorum Deus reprobat,l.5.c.19.c
Doctores intelliguntur per æs,l.2.c.2.g
Docens alium montem perfectæ vitæ aſcendere debet,l.29.c.4.g

E.

Eccleſia homini non feræ committi debet, l.1.c.2.a
Eccleſia per Evam intelligitur,l.1.c.3.c
Eccleſia militans per arcam Noe intelligitur, l.1.c.5.b
Eccleſia habet oſtium,quod eſt fides,l.1.c.5.b
Eccleſia habet feneſtram, hoc eſt viſionis ſpecies,ib.
Eccleſia puella nobilis,l.1.c.18.a
Eccleſiæ incommoda traduntur moraliter,ib.
Eccleſia per Hebræam mulierem intelligitur, l.2.c.1.c
Eccleſiaſtici ſunt pleni peccato,l.2.c.4.a
Eccleſia per Geſſen terrã intelligitur,l.2.c.5.c
Eccleſiæ tres ſunt gradus & ſtatus,l.2.c.16.c
Eccleſiæ primitivæ ordinatio,ib.
Eccleſia intelligitur per mundi creationem, l.2.c.1.e
Eccleſiaſtici viri debent eſſe per charitatem & ſanctitatem ſplendidi,l.2.c.17.e
Eccleſia dicitur candelabrum,ibid.c
Eccleſia habet diverſ.benefic.& dignitates,ib.
Eccleſia debet habere multa inſtrumẽta,quomodò moraliter intelligitur,l.2.c.19.e
Eccleſia eſt duplex,militans & triumphans,ib.
Eccleſia non claudit gremium pœnitenti, ib.
In Eccleſ.nõ debet eſſe perſonar.acceptio,ib.b
Eccleſiæ miniſtri debent eſſe conformes in ſtatu,l.2.c.19.b
Eccleſia eſt mater noſtra,l.3.c.12.c
Eccleſiaſtici multi accipiunt fructum Eccleſiæ non miniſtrantes Eccleſiæ,l.3.c.13.d
Eccleſiæ miniſtri debent eſſe mundi, ſancti & integri, & quomodò,l.3.c.14.g
Eccleſiæ inobedientes punientur,l.5.c.8.h
Eccleſiæ ingreſſus quatuor perſonis prohibebatur in lege,l.5.c.10.g
Eccleſiaſticus ſtatus intelligitur per nuptias, l.29.c.8.h
Eccleſia dicitur Hieruſalem, & quomodò, l.18.c.3.g
Eccleſia Romana per Heſter intelligitur, l.19. c.7.g
Eccleſiæ primus ſtatus in capite ſignificatur, l.24.c.2.d
Eccleſ.dicitur vinea dominiSabaoth,l.11.c.2.f
Eccleſia dicitur firmamentum,l.21.c.1.e
Eccleſia militans intelligitur per civitatem, quæ navi comparatur,l.23.c.12.b
Eccleſiaſticorum verba factis conſona eſſe debent,l.7.c.6.c
Eccleſia pro majori parte ex gentibus eſt aſſumpta,l.7.c.13.a
Eccleſia Romana eſt uxor Chriſti legitima, l.7.c.13.b
Eccleſiæ nemo magisnocet quam qui perverſè agens ordinẽ ſanctitatis habet, l.9.c.2.g
Edom rex denegavit populo Iſraël ire per terram ſuam, l.4.c.17.g
Ægyptiorum primogenita occidere Deus decrevit,l.2.c.6.f
Ægypti mare rubrum tranſgredi non potuerunt,l.2.c.8.d
Ægyptiorum voluntas quomodò per Dominum immutata,ib.e
Eglon rex opprimebat populum Iſraël violenter,l.7.c.2.d
Ægyptus baculo arundineo comparatur,l.23. c.14.e
Eglon interpretatur feſtivitas inutilis,l.3.c.2.e
Elëemoſyna per vaccam intelligitur,l.4.c.22.c
Elëemoſyna in gentib.Deo eſtgrata,l.33.c.8.a
In Elëemoſynis Deus magis attendit affectum quam effectum,l.33.c.11.h
Elëemoſyna per quid interpretatur,l.1.c.2.
Eleazar ſervus Abrahæ,l.1.c.18.h
Elëemoſyna intelligitur per aquas,l.2.c.4.a
Elëemoſyna à quibus fieri debet,l.2.c.19.b
Elëemoſyna aliis bonis operib. prævalet,ib.b
Eloquentia peccatori immunda reputatur, l.3.c.4.c
Elëemoſyna multiplicat tẽporalia,l.29.c.10.g
Elëemoſyna ab angelo comendatur,l.17.c.7.h
Emor,l.1.c.23.
Enachim ſignificat diabolum,l.6.c.12.h
Æquitas ſimulata, l.3.c.11.d
Eſau filius Rebeccæ,l.1.c.17.a
Eſau primo natus & venator fuit,l.1.c.17.g
Eſaias de qua progenie natus,l.21.c.1.d
Æſculapius pater medicorum fulmine periit, l.10.c.15.d
Eſaias ſerra lignea diviſus,l.12.c.18.d
Eſdras ſcriba velociſſimus,l.14.c.1.d
Eſdras vidit ſomniũ valdè mirabile,l.16.c.9.a
Eſdras legem Domini & prophetiæ libros reparavit,l.6.c.10.b
Per Evangelia quatuor, Chriſtus aquam ſuæ gratiæ nobis fundit,l.1.c.2.a
Euphrates fluvius, qui in paradiſo terreſtri fluit,l.1.c.2.b
Eva de coſta Adam formata,l.1.c.3.c
Euchariſtiæ digna ſumptio quomodò præparatur,l.2.c.6.h
CircaEuchariſtiæ ſumptionem non debet homo immorari,l.2.c.6.h
Euchariſtiam nemo ſumat niſi per pœnitentiam purgatus à vitiis,l.2.c.6.a
Eveus,l.5.c,1.c
Eunuchus repulſam EccleſiæDei in lege patiebatur,l.5.c.10.h
Excommunicatio major privat hominem à communione Sacramentorum,l.3.c.4.b
Excommunicationis minoris pœna,l.3.c.9.a
Excommunicationis majoris pœna,l.3.c.6.a
Excommunicatus per domum intelligitur, l. 36.c.f
Ex cineribus aquam expirationis in lege faciebant,l.3.c.9.d
Exemplum malorum accipere prohibemur, l.3.c.11.b
Excommunicatus ad Eccleſiam non intret, nec in officiis Eccleſiæ miniſtret, l.3.cap. 13.d
Exploratores terræ ſanctæ Pater & Spiritus ſanctus,l.4.c.10.g
Exploratores mali,qui fuerunt,ibid.h
Ezechias obtinuit quindecim annos vitæ, l.1. c.4.a
Ezechielis viſio,l.23.c.1.d
Ezechieli præceptum fuit in viſu, ut Hieruſalem oppugnaret,l.23.c.3.h
Ezechias contrivit ſtatuas,l.12.c.18.a
Ezechias legatos Babylonicos multum honoravit,l.12.c.19.c
Ezechias peſſimum filium habuit Manaſſen, l.12.c.19.d

F.

Fama mala difficilè tollitur,l.33.c.7.a
Fatuorum eſt,ſecreta ſua extraneis & ignotis revelare,l.12.c.19.d
Fallax migali animali comparatur,l.3.c.4.b
Favor humanus per mellis dulcedinem intelligitur,l.3.c.3.c
Falco ſicut primam gruem primò invadit, ſic diabolus clerum,l.2.7.c.2.c
Feræ ſunt nobiles, qui liberè per mundi ſylvam ambulant,l.1.c.1.f
Fermentum malitiæ interdicitur nobis, l.3. c.3.c
Firmamentum in mundi creatione quid denotat moraliter, l.1.c.1.c & d
Fidei lux homini neceſſaria,l.1.c.1.c
Per firmamentũ, ſpes deſignatur homini neceſſaria, ibid.
Filii Eccleſiæ boni & mali, l.1.c.16.e
Fidelium numerus per Chriſti Martyres multiplicabuntur,l.2.c.1.e
Fidem anhelans terrena deponere debet, l.2. c.1.b
Filii Iſraël in deſerto Deo ſacrificare petebant, l.2.c.4.c
Filii Iſraël quomodò per deſertum ducti,l.2. c.7.a
Fides noſtra eſt ciſterna,l.2.c.23.f
Fidei fundamentum fuit ſanguis Apoſtolorum & Martyrum,l.2.c.26.c
Filiis Iſraël præceptum erat offerre aurum & argentum,l.2.c.17.d
Fides Chriſtiana incorruptibilis, l.2.c.17.e
Fidelium tria genera à Chriſto proceſſerunt, l.2.c.17.a
Fideles debent habere opera miſericordiæ, ibid.e
Fides deſignatur per lucernam,l.2.c.12.c
Fides Iſraël Madianitis quinque reges occiderunt,l.4.c.24.d
Fidelis plùs peccat in eodem genere peccati, quàm infidelis, l.3.c.4.e
Fides bonis & malis conceditur, l.3.c.14.e
Filius parentibus inobediens lapidabatur, l.5. c.8.h
Filii Iſraël in caſtris habuerunt locum deputatum ad pugnandum ventres,l.5.c.10.b
Filii Iſraël ad terram promiſſionis per Jordanem fluvium intrârunt,l.9.c.2.g
Filii Iſraël triplici cibo uſi,l.6.c.4.d
Fides in homine debet eſſe fixa,l.29.c.10.c
Ficûs maledictio,l.29.c.16.b
Filii Iſraël aſcenderunt in ſolitudinem, ne ſacrificarent idolis,l.27.c.2.c
Filii Ambri Joannem fratrem Jonathæ occiderunt,l.27.c.10.f
Fimbris facere quid moraliter ſignificat, l.4. c.12.c
Filii Iſraël ex mandato Dei habuerunt in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias,l.4.c.12.b
Fides ſine operibus mortua,ib.b

Digitized by Google

Filiis Iſraël ſcopuli lætitiam adventùs oſtenderunt,l.4.c.18.c
Filius hominis dicitur Chriſtus,l.34.c.1.e
Filii Iſraël fuerunt in manu Madian ſeptem annis,l.7.c.5.e
Filii Iſraël volentes Gaba civitatem deſtruere, in fletu,jejunio,& ſacrificio vicerunt,l.7.c.17.a
Fons miſericordiæ Virginis Mariæ in quatuor partes eſt diviſus,l.1.c.2.a
Fortuna miſerrima,quæ inimico caret,l.7.c.2.e
Fortuna per reginam Heſter intelligitur,l.19.c.4.d
Fructus in tribus primis annis creſcentes immundi erant,l.3.c.11.f
Fruges veteres,quæ,l.3.c.16.d
Fratrem fratris mortui uxorem ducere in lege conceſſum erat,l.5.c.12.g
Frater noſter primogenitus fuit Lucifer; l.20.c.1.a

G.

GAd interpretatur accinctus,l.6.c.3.b
Gabaonitæ quinque reges adverſarios habuerunt,l.6.c.9.d
Gabelus conſanguineus Tobiæ,l.17.c.4.g
Gaza interpretatur fortitudo Dei,l.27.c.15.g
Gadiel Arabs abſtulit Alexandri caput, l.27.c.12.b
Gabaa civitas,l.7.16.g
Gergezeus expellitur de terra promiſſionis, l.5.c.1.e
Genus humanum per Ezechielem intelligitur, l.23.c.3.g
Genus humanum per Gabelum Tobiæ conſanguineum intelligitur,l.7.c.4.g
Gentilis populus per Raguelem datur intelligi,l.7.c.7.g
Gion fluvius,l.1.c.2.b
Gigantes in campo Sennaar turrim ædificaverunt,l.1.c.7.
Gloriantes ſe de generis nobilitate reprehenduntur,l.29.c.2.a
Gloria paradiſi per annum Jubilæum intelligitur,l.3.c.16.c
Gladius juſtitiam ſignificat,l.1.c.5.g
Gladius juſtitiæ debet eſſe univerſalis,l.1.c.3.
Goliat à David rege occiſus,l.9.c.13.c
Godolias præfectus,l.21.c.6.a
Gorgias dux Antiochi,l.27.c.3.g
Gratiâ Dei omnes egent,l.3.c.1.d
Gratiam habenti dabitur gloria,l.29.c.17.g
Gratia divina per tunicam Salvatoris intelligitur,l.30.c.5.h
Gratiæ tempus per octavam Circumciſionis diem intelligitur,l.1.c.13.g
Gratiam nõ habens peccator efficitur,l.2.c.2.f
Gratia divina bonis datur,l.21.c.1.c
Gratia eſt Manna,l.9.c.4.e
Gratia gratis data in peccatore,l.29.c.10.d
Guloſi jejunantes reputant hypocritas,l.29.c.7.e
Guloſus mari comparatur,l.3.c.4.b
Gulæ ingluvies intelligitur per lepram in cute,l.3.c.6.f&g

H.

HAy rex civitatis Hiericho,l.6.c.7.b
Halietus quid ſignificat,l.3.c.4.g
Heliodorus ærariũ templi ſpoliabat,l.27.c.3.g
Heliodorus interpretatur Deo meo generatus,l.27.c.3.g
Herbæ in mundi creatione moraliter quid ſignificent,l.1.c.1.
Herbæ virentes in mundi creatione quid denotant,l.1.c.1.f
In Helim duodecim fuerunt fontes, quid ſignificant,l.1.c.24.f
Hebræi mare rubrum ſine periculo tranſierunt,l.2.c.8.d
Helim interpretatur fortis,l.2.c.9.f
Herodes propter honorem quem ſibi ut Deo attribuit,conſumptus vermibus expiravit, l.2.c.22.g
Heli filios ſuos non correxit,l.3.c.4.a
Hæreſis debet diligenter inveſtigari,l.3.c.6.h
Hebræi anno ſeptimo non ſeminarunt, l.3.c.16.d
Hebron civitatem, gigantes inhabitabant, l.6.c.12.h
Heliachim ſummus ſacerdos, l.18.c.3.f
Hæreticus malam doctrinã ſeminat,l.3.c.8.c
Hæretici à perſonis Eccleſiaſticis ſunt fugiendi,l.3.c.13.g
Hæreticus non debet Eccleſiaſtica Sacramenta recipere,l.3.c.14.g
Hæreticorum opera & exempla à fidelibus non debent recipi,l.3.c.14.g
Hæreditatis partitio in lege de homine habente duas uxores,l.3.c.8.g
Heſter quomodò in reginã eligitur,l.19.c.2.e
Heſter jejuniis & lachrymis ſe dedit,l.19.c.4.a
Heli Sacerdos duos filios habuit peſtiferos, l.9.c.2.f
Heli filii mala morte interierunt,l.9.c.2.f
Heli non poterat videre lucernam Domini, l.9.c.3.g&h
Helias ſæpè ſubcinericium panem comedit, l.11.c.14.d
Helias in deſerto dormivit,l.11.c.16.g
Helias Thesbytes fuit homo piloſus,l.12.c.1.c
Hydropicus à Chriſto ſanatus in Sabbatho, l.31.c.7.h
Hypocriſis bonis operibus aſcribitur à malis, l.30.c.1.h
Hypocritæ mali benè docendo peccatores convertunt,l.30.c.3.d
Hiram rex Sidoniorum,l.21.c.4.c
Hypocrita habitum converſionis mutat,l.11.c.12.f
Hieroboam octoginta millia hominum contra Abiam congregavit,l.11.c.12.f
Hieremias interpretatur excelſus Domino, l.28.c.2.e
Hiſmael ferus homo fuit,l.1.c.16.e
Hiſmael odio perſequebatur fratrem Iſaac, l.1.c.16.e
Hypocritæ cui ſimiles, l.2.c.44.f
Hypocritæ verba,l.2.c.44.f
Hypocrita per virgam Aaron intelligitur, l.2.2.c.3.h
Hieruſalem primo dicta fuit Jebus,l.2.c.19.a
Hypocritæ faciem converſationis ſplendidam habent,ſed manum operationis leproſam, l.2.c.24.f
Hypocritæ per Gabaonitas intelliguntur; l.6.c.8.g
Hypocritarum vita & mores deſcribuntur, l.6.c.8.g
Hypocritæ comparantur fatuis virginibus, l.29.c.17.e
Hieremias contra Hieruſalem prædicavit, l.22.c.4.f
Hieremias in Ægypto idolorum Sacerdotibus ſignum quando virgo pareret,l.22.c.7.c
Hirci in veteri lege in ſortem mittebantur, l.3.c.9.d
Hircus emiſſarius quid denotat,l.3.c.9.d
Hircus quare dictus,l.3.c.9.d
Hiericho civitatis deſtructio,l.6.c.5.e
Hiericho interpretatur Suna,l.6.c.5.e
Hieremiæ præceptum,l.22.c.1.c
Hieremiæ viſio,l.22.c.2.d
Hieremias prædicabat principes Hieruſalem captivandos à Nabuchodonoſor,l.22.c.5.h
Hieruſalem facta eſt habitatio exteriorum, & quando hoc factum eſt,l.27.c.1.e
Hieruſalem civitatis deſcriptio,l.23.c.7.g
Homo exiſtens in tenebris peccatorũ ad ſtatum gratiæ properare debet,l.19.c.1.d
Hominibus alienis non bonum eſt magnam familiaritatem contrahere,l.7.c.15.a
Homo ſæpè convertitur in ipſo actu malæ voluntatis,l.9.c.15.h
Homo comparatur ſtatuæ,l.24.c.2.f
Homines magnæ reputationis præ aliis abſtinere debent à malis,l.28.c.5.d
Homini quæ ſint neceſſaria,l.1.c.1.d
Homo creatur ad imaginem Dei, quomodò intelligitur,l.1.c.1.e
Homo intelligitur quis,l.1.c.1.e
Homo ad imaginẽ Dei factus quis ſit,l.1.c.1.c
Hominis mali vita comparatur piſcibus maris,l.1.c.1.f&g
Hora ſexta Chriſtus mortuus,l.1.c.1.h
Homo naturaliter nititur in vetitum,l.1.c.6.d
Homo offerens Deo ſacrificium, facere quid debeat,l.1.c.14.a
Homo virtutibus deditus diabolũ timere debet,l.1.c.19.b
Homo malus per nubeam columnam, quæ filios Iſraël præcedebat in deſerto deſignatur,l.2.c.7.d
Homo de mundi & diaboli ſervitute egreditur per ſeptem Sacramenta,l.2.c.13.c
Homicida ſecretus veneno hominem necans pejor eſt aperto,l.2.c.14.g
Homo nonnunquam eſt ſine hoſte,l.2.c.15.a
Homini quæ neceſſaria,ut accipiat legem Domini,l.2.c.16.b
Homo candelabrum perfectionis in templo Domini collocetur,l.2.c.17.c&d
Holocauſtum quid, l.4.c.1.h
Holocauſtum unde originem ducit,l.4.c.1.a
Homines ſe Deo totos offerentes per holocauſtum intelliguntur,l.3.c.1.b
Holocauſtum de avibus fiebat,de turturibus vel pullis columbarum,l.3.c.1.b
Holocauſtum de avibus quomodò per Sacerdotem offerebatur,l.3.c.1.b
Holocauſtum totum combuſtum juſtum ſignificat,l.3.c.2.h
Hominum peccantium duo ſunt genera,l.3.c.2.h
Homo quando reputatur mundus,l.3.c.4.d
Homo obſtinatus comparatur vaſi terreo,l.3.c.4.c
Homo cupiens ſalvari, facere quid debeat, l.3.c.7.a
Homicida non habebat niſi tria remedia, l.4.c.16.c
Homo terrenum reputet & vilem,l.5.c.10.b
Homo cum adverſitate premitur,cogitet juſtè hæc fieri,l.7.c.1.c
Homo peregrè proficiſcens eſt ſalvator noſter,l.29.c.17.c
Homo debet diabolum per bona opera invadere,l.17.c.2.c
Holofernes omnia ſuo Domino ſubjugavit, l.18.c.2.c
Homo de virtutibus non ſuperbiat,l.6.c.13.b
Homo ſæpiùs meretur à Deo id malum,quod aliis fecit,l.7.c.1.c
Homo in vitia dicitur cœcus,l.29.c.15.a
Homo ad mundi negotia ſe deflectens, per Tobiam intelligitur moraliter,l.17.c.5.
Holofernes Princeps militum Aſſyriorum, l.18.c.7.c
Humilitas eſt velamen virtutis,l.3.c.13.a
Humilitas per Benjamin intelligitur,l.4.c.1.a
Humilis intelligitur per aſinam,l.4.c.19.f
Humilitas peccatoris Deo plus placet quam ſeveritas præſumptoris,l.31.c.11.e
Humilis petitio citò à Deo exauditur, l.29.c.5.b

I.

IAcob fuit filius Rebeccæ,l.1.c.18.c
Jacob dictus eſt Iſraël, l.1.c.20.h
Jacob duodecim fuerunt filii,l.1.c.24.f
Jaſpis ſanguinem ſtringit,l.2.c.20.d
Jaſon frater Onſe, l.28.c.4.h
Jacob fuit Agricola, l.1.c.18.a
Jacob hiſtoria recitatur,l.1.c.19.b
Jaſon proprium fratrem à ſacerdotio repulit, l.28.c.4.h
Jaſpis oculos clarificat,l.23.c.13.g
Jabin rex Chanaan,l.7.c.3.h
Jahel uxor habet,l.7.c.3.h
Ibis, l.3.c.4.g
Idololatriæ crimen in amicis fuit vindicatum, l.2.c.25.c&d
Idololatriam à Hier. culpatam, l.22.c.7.b &c.
Jebuſæus quomodò interpretatur, l.9.cap.1.f
Jeconias filius Saphan,l.12.c.17.a

Jeza-

Digitized by Google

Index Super Biblia.

Jezabel interpretatur fluxus ſanguinis, l. 24. c. 2. d
Jejunante ChriſtoDiabolus affuit, l.29.c.3.c
Jephte illegitimus fuit,l.7.c.9. a
Jephte filia eſt caro noſtra,ib. b
Jebus civitas gentilium,l.7.c.16. g
Ignis altaris Domini fuit perpetuus,l.3.c.3.a
Ignis mundanus eſt ardor avaritiæ,l.3.c.3.
Immolatio ſpiritualis,l.1.c.111. c
Impatientia oſtenditur per murmur filiorum Iſraël in deſerto,l.2.c.10. g
Immundus quis ſit apud Deum,l.3.c.4. h
Impedimenta tredecim fuerunt impedientes hominem,ne in tabernaculo miniſtraret in ſacerdotali officio,l.3.c.13. c
Imago duplex poteſt imprimi in numiſmate animæ noſtræ,l.29.c.16. f
Impatientia Deo odibilis,l.4.c.8. a
Ingratitudo duriſſimè vindicatur,l.10.c.7. e
Indignos ſe ad officia reputantes, digni habendi ſunt,l.4.c.8. e
Invidia dolet de gratia proximi, l.4.c.8. 5.
Invidia non parcit fratribus, l.4.c.9. f
Invidia Aaron Moyſen opprimere decrevit, l.4.c.9. f
Invidia non poteſt pati proſperitatem, l.4.c. 13. c
Invidia proprio benefactori non parcit, l. 9. c.14. g
Invidi proprio gladio transfixi ſunt,l.9.c.24.h
Innocentia per agnum intelligitur,l.4.c.22.c
Cum inimico ſolum remanere fatuum eſt, l. 7.c.2. e
Cum inimico nemo tutus in gratiã redit,ib.e
Inclinationes naturaliter ad mala,l.1.c.4. h
Intellectus per Abrahã intelligitur,l.1.c.13. g
Intellectus debet creſcere quomodò,l.1.c.13. h
Incarnatio humanũ genus liberavit, l.2.c.1. b
Infernus per Ægyptum intelligitur,l.2.c.5. e
Inimici occulti ſunt pejores apertis,l.2.c.14.g
Juventus debet ſe Deo per bona opera offerre, l.3.c. b
Infamia intelligitur per lepram in domo, l. 3. c. 6. g
Inſtabiles celebrant feſtum paſchæ quomodò intelligitur,l.4.c.22. a
Inconſtantem meliùs eſt in ſæculo manere, quam ad religionem intrare,l.5.c.7. f
Inimicos habere hominem aliquando utile eſt,l. 7.c. 1. d
Iniquitatem nullus quærat in domo juſti, l. 5. c. 11. g
Intentio mala eſt fundamentum mundanæ converſationis,l.6.c.5. g
Invidia à malo deſcendit, l.22. c.1. b
Ingrati benefactorem deſerunt,l.23.c.7. b
Invidia nocet ſæpè homini à quo emittitur, l. 14. c.5. b
Infernus eſt ſimilis urſo,l.24.c.6. e
Joab ex mandatoSalomonis occiſus,l.11.c.2.c
Joannis Baptiſtæ virtutes deſcribuntur, l. 12. c. 1. d
Joida ſummus ſacerdos erat,l.12.c.12. d
Joas rex Iſraël, l.12.c.13. g
Joaſis rex,l.12.c.20. e
Jonathan factus eſt rex,ib. e
Joachim rex, ib. g
Joras rex Juda,l.13.c.3. f
Joannes de factis Chriſti majora aliis ſcripſit, l.22.c.1. c
Joſeph de Arimathia corpus Chriſti ſepelivit, l. 29. c. 19. e
Joannes Evangeliſta relicta ſindone fugit, l. 30.c. 5. g
Joannes vox clamantis in deſerto,l.29.c.2.
Joannes redarguit quoſdam dicentes ſe eſſe natos de ſemine Abraham,l.29. c. 6. a
JoannesDomini verticem tangere timuit,ib.b
Joannis diſcipuli jejunabant,l.29.c.6. e
Joannes non manducans neque bibens, l. 29. c.7. e
Jonathas à patre ſuo morti adjudicatus, l. 9. c.10. c & d
Joſeph filius Jacob,l.1,c. 24. e
Joſeph ſomnium deſcribitur, ib. e
Joſeph convivium fratribus ſuis fecit, l. 1. c. 29. d
Joſeph defectuoſus fuit Prælatus,l.1.c.29. e
Job percuſſus in corpore fuit,l.20.c.2. b
Joſue factus princeps populi Iſraëlitici, l. 6. c. 1. e
Joſue filius Nun fuit,l.6.c.1. f
Joſue ædificavit altare Domino,l.6.c.7. b
Joſue ex mandato Dei duas civitates deſtruxit,l.9.c.8. c
Joſue à Deo impetravit ne ſol in occaſũ tranſiret,l.6.c.9. e
Joſue viginti quatuor reges cum exercitu interfecit,l.6.c.10. f
Job ſimplex & rectus,l.20.c.1. c
Jonas Propheta,l.25.c.1. a
Isboſeth,rex Iſraël,l.10.c.2. e
Iſaac filius Abrahæ bonus,l.1.c.16. d
Iſaac ſenex fuit,l.1.c. 19. b
Iſraël interpretatur videns Deum,l.1.c.20. h
Iſachar interpretatur memorans,l.4.c.1. h
Judaicus populus intelligitur per Cham, l. 1. c. 7. h
Judex ad inquirendam veritatem criminis debet perſonaliter deſcendere, l. 1.c.14. a
Juſtus non debet orare pro injuſto quod liberetur à pœna,l.1.c.14. a
Juſti pauci ſunt cauſa ſalvationis magni populi, ib. a
Judex quomodò muneribus corrumpitur, l. 19. c.19. e
Judas Patriarcha, l.1.c.25. g
Judicis corruptio perThamar intelligitur,ib.g
Judex iniquus per Judam Patriarcham intelligitur,ib. g
Judicis correctio metas excedere non debet, l.2.c.14. g & h
Cum Judæis amicitiam contrahere non debemus,l.2.c.5. a
Juſti conditiones,l.2. c.7. b
Juſtus debet eſſe apertus ſacerdoti per confeſſionem,l.2.c.19. e
Juſtus quatuor habet affectiones, l.2.c.20. c
Judicis mali officium,l.3.c.4. a
Jubilæus apud Hebræos maximè erat privilegiatus,l.3.c.16. b
Jubilæus undè dicitur, ib. c
Judas interpretatur confeſſio,l.4.c.1. h
Judas Machabæus cum quatuor millibus ſexcentum millia debellavit,l.9.c.10.
Juſti ex conſortio malorum injuſti fiunt, l. 4. c.4. e
Juſti quadruplicem tranſitum celebrare noſcuntur,l.4.c.6. h
Juventutis primitiasDeo offerentes luxuriando Pentecoſtes feſto comparantur, l. 4. c. 22. a &b
Juge ſacrificium quale erat in lege,l.4.c.22. b
Juſti vitia omnia explere non poſſunt, ſed aliqua remanent,l.6.c.13. b
Judith ſe placabilem Holoferni reddit, l. 18. c. 7. b
Juſtus plenus ſapientia dicitur candelabrum Eccleſiæ, l.26.c.2. e
Judas Machabæus purificavit templum pollutum ab Antiochio,l.27.c.4. b
Judas Machabæus elegit ſacerdotes ſine macula, ib. b
Judicii dies per Jordanem intelligitur, l. 6. c. g & h
Juramentum Caleph magis ſervavit quam legem,l.9.c.12. h
Juramentum aliquando præfertur legi, l.6. c. 12. a
Judices mali per Iſmael intelliguntur,l.22.c.b
Judicis ſtatus deſcribitur,l.24.c.6. g
Julius Cæſar confoſſus in ſenatu obiit, l. 10. c. 15. d
Juſtitia divina nemini parcit, l.11.c.15. c
Judex in omni arduo caſu Deum conſultorem habeat, l.4.c.21. a
Juſtus ſe juſtum non putat, l.9.c.15. a
Julianus non permiſit Chriſtianos artes liberales audire, l.9.c.9. h
Juſtus debet tria vincere,l.9.c.13. d

L.

LAzarus à morte per Chriſtum ſuſcitatus, l.51.c.6. g
Laici in eodem genere peccati minus peccant quam clerici, l.9.c.6.
Lavacrum in ingreſſu tabernaculi erat de ſpeculis mulierum,l.2.c.22. h
Labium æreum quid,ib. h
Lavatoria tria erant ante tabernaculum,ib.h
Lachrymarum genera in Eccleſia tria,ib. a
Laurus,l.3.c.4. g
Lacerta immundum animal erat in lege, l. 3. c. 4. b
Laſcivus ſtellioni comparatur, ib. b
Laban promiſit filiam ſuam Jacob pro ſervitio,l.1.c.1. a
Lepra multiplex in ſcriptura manifeſtatur,l.5. c. 6. g
Lepræ ſigna,ib. a & b
Lepræ veſtimenta, ib. b
Legem quomodò dedit Deus in monte Sinai,l.2.c.12. f
Lepra in capillis, l.3. c.6. g
Lepra in cute, l. 3.c,6. g
Lepra in carne, l.3.c. 6. g
Lepra in veſte, l.3.c.6. g
Lepra in domo, l.3.c.6. g
Lepra quomodò dicitur eſſe in domo, moraliter exponitur, l.3.c.6. e
Lepræ apparentia vel ſuſpicio undè orieba-tur, l.3.c.6. h
Lepra quomodò à ſacerdote judicabatur, l.3. c. 6. h
Lepra aliquando oritur in calvitio, l.3. c.6. a
Leproſus in lege mandabatur extra caſtra ejici,l.3.c.6. d
Leproſus debet in lege veteri contegi, l. 3. c. 6. d
Leproſi caput debebat eſſe mundum,l.3 c.6.d
Leproſi veſtimenta diffluta,l.3.c.6. d
Leproſum oportebat clamare ſeipſum ſordidum, ib.
Lepra macula parietibus ſignabatur,ib. e
Leproſæ domus examinatio,l.3.c.6. f
Lepræ genera quatuor inveniebantur, ib.
Lepræ mundatio quomodò fiebat, l.3.c.7. g
Ad Leproſi mundationem requirebantur duo,ib.
Leproſus mundatus ſacerdoti quid obtulit, l.2.c.7. b
Levitarum conſecratio quomodò fiebat, l. 4. c. 5. f
Lena beſtia luxurioſa,l.14.c.6. d
Lignum vitæ, l.1.c.2. h
Lignum ſcientiæ,ibid.
Lignum vitæ eſt ſacra ſcriptura,l.1.c.3. c
Lignum ſcientiæ eſt mundi ſcientia,ib.
Lilia ſignificant innocentiam & caſtitatem, l.2. c.17. b
Ligurius fluxum ventris ſtringit,l.2.c.29. d
Libamen in omni animali ſacrificato offerebatur,l.3.c.3. b
Libidinoſi ſolam delectationem quærunt, l. 17. c. 6. f
Liber ſacræ ſcripturæ quomodò ſcriptus,l.23. c. 2. g
Lingua undè ſumit originem, l.23.c.10. g
Loquacitas per Evam intelligitur, quæ formata eſt de oſſibus,l.1.c.13. d
Loth diviſus ab Abraham,l.1.c.10. c
Loth regionem circa Jordanem eligit, ib.
Loth interpretatur declinans,ib.
Loth Sodomitis obtulit ſuam ſororem, & filias ad ſatiandam libidinem,l.1.c.15. c
Loth dictum fuit quod cum ſorore & filiabus Sodomæ civitatem exiret, l.1.c.15. c
Loth uxor in ſtatuam ſalis propter inobedientiam verſa eſt, l.15.c.15. c
Loth fugit de Segor in civitatem,l.1.c.7. d
Lucis pruinordialis materia in ſolem ceſſit, l.1.c.1. g
Per Lucam intelligitur Maria virgo, ib.

Digitized by Google

Per Lucem quomodò factus ſol juſtitiæ, ib.
Lux quæ præceſſit ſolem quid ſignat, ib.
Lucernæ ſeptem ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, l.2.c.17.h
Luxuriæ peccatum intelligitur per vitulum, l.2.c.23.d
Luxuriæ famulans conviviis intendit, ib.
Luxurioſus lacertæ comparatur, l.3.c.4.f
Lumina tria ſunt animæ neceſſaria, l.2.c.19.d
Luxurioſus per mulierem menſtruoſam intelligitur, l.3.c.7.a
Lucrum denotatur per Dan, l.4.c.1.a
Luxurioſi per Amonites intelliguntur, l.5.c.10.h
Lunaticus quidam Chriſto eſt præſentatus, l.19.c.13.b
Luxurioſus per hircum fœtidum intelligitur, l.24.c.7.c

M.

MAria virgo quomodò per paradiſum intelligitur, l.1.c.2.h
Maria undè dicuntur, & quomodò peccatores per maria intelliguntur, l.1.c.1.d
Matrimonio copulati quomodò vivere debent, l.1.c.13.h
Manna de cœlo pluit filiis Iſraël, l.2.c.10.c
Mali non continentur ſub numero, l.2.c.22.a
Malum minus tolerandum eſt pro majori malo virando, l.1.c.14.a
Manna quid ſit, l.2.c.10.h
Manna eſt ſacra ſcriptura, ib.
Mali per ſuperiores debent puniri, l.3.c.6.h
Manaſſes obſervabat ſomnia, l.3.c.11.b
Maculam corporis qui habebat in lege prohibebatur non offerre panes Deo, nec accedere ad miniſterium ejus, l3.c.13.b
Mandata Dei ſervans Domino conſecratur, l.33.c.17.g
Manſeres repulſam Eccleſiæ Dei in lege patiebantur, l.5.c.10.h
Mali homines occulta Dei permittentia puniuntur, l.9.c.10.f
Maria virgo dicitur thronus ſaphireus, l.23.c.1.
Matathias cum filiis ſuis viros impios percuſcuſſit, l.27.c.2.b
Maledictio filiorum Iſraël, quæ fuit, l.5.c.13.a
Mardochæus quis fuerit, l.19.c.2.e
Mardochæus interpretatur mala contritio, l.19.c.2.e
Maria ſoror Moyſi locuta eſt contra Moyſen, l.4.c.9.f
Maria ſoror Moyſi percuſſa eſt lepra, l.4.c.9.f
Matthias loco Judæ electus fuit in apoſtolum, l.33.c.1.e
Magdalenæ Chriſtus in hortulani ſpecie apparuit, l.32.c.7.b
Mali ſub ſpecie boni innocentes perdere quærunt, l.29.c.1.f
Maria virgo per vellus Gedeonis intelligitur, l.7.c.5.c
Maria virgo per thronum Salomonis intelligitur, l.11.c.8.g
Martyres Chriſti quinque habuerunt, l.7.c.6.e
Maria Virgo diabolum ſuperavit, l.7.c.8.g
Manue habuit uxorem ſterilem, l.7.c.10.c
Macharius petiit à carraceno mortuo, quis in inferno graviùs puniretur, l.9.c.6.h
Malorum mors magis quam bonorum eſt deflenda, l.10.c.15.c
Malis promiſſa fides non eſt ſervanda, l.11.c.2.d
Malus per malum punitur permittente Deo, l.11.c.13.g
Manaſſes Rex Judæ, l.13.c.19.d
Menſa quæ Chriſtum reficit quæ, l.12.c.4.g
Mens à vita non diſcordet, l.2.c.10.a
Menſium duodecim deſcriptio & moralizatio, l.34.c.23.a
Methulus, l.3.c.4.g
Migale immundum animal erat in lege, l.3.c.4.b
Miſericordia Dei magna, l.1.c.25.g
Milites præſumptuoſi victoriam ſibi promittunt, l.27.c.3.g & h
Milites Antiochi regis, l.27.c.5.f
Michol fuit filia regis, l.6.c.12.a
Miſertus eſt Chriſtus ſuper turbam famelicam, l.29.c.12.g
Moyſis legem ſpernere non debebat, l.1.c.12.g
Moyſes percuſſit petram Oreb, & egreſſæ ſunt aquæ vivæ, l.2.c.11.c
Moribus bonis vita concordare debet, l.2.c.20.e
Moyſi facies propter gloriam ex conſortio Domini cornuta videbatur, l.2.c.24.f
Moyſes velamen ante faciem poſuit, l.2.c.24.f
Moyſen manum leproſam habuiſſe legitur, l.2.c.24.f
Morticinium quis comedit, l.3.c.4.a
Mortale peccatum faciens indignus eſt ad paradiſi gloriam, l.3.c.4.a
Moyſes quomodò aquis à matre commiſſus, l.2.c.2.c
Moyſes cur tardæ linguæ fuit, l.2.c.2.d & a
Moriens duo debet attendere, l.2.c.13.b
Moyſes quadraginta diebus & noctibus jejunavit, & quare hoc fecit, l.2.c.16.b
Moabites repulſam Eccleſiæ Dei lege patiebantur, l.5.c.10.a
Mola ſuperior quæ farinam tenet, moraliter quid ſignificat, l.5.c.11.f
Monachi (ſecundùm opinionem aliquorum) habuerunt originem à Judæis, l.22.c.3.e
Mors dicitur gladius, l.5.c.10.g
Mors dicitur ferox urſa, l.24.c.6.e
Moab rex vidit civitatem ſuam à tribus regibus impugnari, l.12.c.3.c
Modeſtia per columbam intelligitur, l.4.c.22.c
Mors Apoſtolorum valdè profuit nobis, l.33.c.12.b
Mortuos tres Chriſtus ſuſcitavit, l.31.c.5.d
Murmuratio eſt magnum crimen, l,4.c.9.f
Murmurantem populum Dominus delere voluit, l.4.c.11.a
Murmurantes contra Moyſen incendium paſſi ſunt, l.4.c.13.d
Pro Murmure Dominus miſit in populum ignitos ſerpentes, l.4.c.28.b
Mundus dicitur Judas proditor, l.3.c.g
Mundana proſperitas probat hominem, l.7.c.6.c
Mundi lætitia facit animam peccatricem, l.7.c.9.c
Mundus per Labes civitatem intelligitur, l.7.c.9.c
Mundus per Apollonium, qui interpretatur mirabilis, intelligitur, l.27.c.3.f
Mulier facta eſt de viri latere, & moraliter quid ſignificat, l.1.c.3.c
Mundus candida oſtendit, l.1.c.21.a
Mundi proſperitas, per quam intelligitur, l.2.c.4.b
Mulier ornata vagari delectatur, l.2.c.13.e
Mulieres vagantes includi debent, l.2.c.13.e
Mundus quis judicari debet, l.3.c.4.d
Muſtela immundum animal erat in lege, l.3.c.4.b
Mundus bivius dicitur, l.1.c.35.g
Mulierum fallacia deſcribitur, l.1.c.25.h
Mundi rector per regem Ægypti intelligitur, l.2.c.1.c
Mulier mala dicitur fovea, l.2.c.15.e
Mulier quæ peperit, immunda erat ſeptem diebus, l.3.c.5.f
Mundus dicitur leproſa domus, l.3.c.6.b
Mulier in lege veteri non poterat votum facere, l.4.c.23.c
Mundus habet tria genera ſerpentum, quid moraliter ſignificat, l.5.c.2.g
Mulieres viros regentes deſcribuntur, l.5.c.9.e
Mulieres perfidæ ſignum pedis ſupra caput pro ornatu portant, l.5.c.9.e
Mundus comparatur lunæ, l.6.c.5.g
Mundus comparatur ſtatuæ, l.24.c.2.f
Mundi rectores per Nabuchodonoſor regem intelliguntur, l.23.c.3.g
Mundus dicitur Babylon, l.24.c.5.a
Mundi fluxibilitas intelligitur per Jordanem fluvium, l.6.c.2.h
Mundus intelligitur per Ebron, l.7.c.12.h

N.

NAchur civitas, l.1.c.18.h
Nabuchodonoſor regis imperium quale erat, l.18.c.1.a
Nabuchodonoſor ſolus Deus haberi in terris optavit, l.18.c.2.c & d
Nazaræi qui, & eorum religio, l.4.c.4.d
Nabuchodonoſor ſubjugavit Hieruſalem, l.24.c.1.b
Nabuchodonoſor fuit beſtia ſine ſenſu, l.24.c.4.f
Nathan Propheta, l.11.c.1.b
Naaman leproſus ab Heliſæo curatus, l.12.c.6.e
Nabuzardan princeps, l.12.c.22.a
Neomenia, l.4.c.22.c
Neomeniam quando celebramus, l.4.c.22.d
Nephthalim civitas, l.17.c.1.c
Nichanor dux Antiochi, l.27.c.4.a
Noe emiſit columbam de arca, l.1.c.6.d
Noe moraliter eſt Deus pater, l.1.c.6.d
Noe fuit agricola, l.1.c.7.f
Noe fuit inebriatus vino, l.1.c.7.f
Noe decimus ab Adam Chriſtum ſignificat, l.1.c.7.g
Noe vinea eſt domus Iſraël, l.1.c.7.g
Noctua, l.3.c.4.g
Novitates diligentes celebrant neomeniam, l.4.c.22.d
Nubes, quæ præcedebat filios Iſraël in deſerto facta erat ad modum columnæ, l.2.c.15.a & b
Nummularii ſedebant in circuitu templi Salomonis, l.11.c.16.e

O.

OBſtinatus crocodilo comparatur, l.3.c.4.b
Obedientia per vitulum intelligitur, l.2.c.22.e
Obſtinati peccatores quomodò fieri debeant, l.33.c.18.c
Ochozias rex Iſraël, l.12.c.1.c
Occiſio hominis cum caſu & ſine deliberatione, magis debet eſſe divinæ providentiæ adſcribendum, quam malitiæ occidentis, l.2.c.13.d
Occidere ſeipſum antiquitùs virtuoſiùs reputabatur quam alium, l.28.c.8.a
Officiales principum, & regum per Chriſti milites crucifixores intelliguntur, l.30.c.5.g
Officiales avari per quid intelliguntur, l.1.c.28.c
Officiales per virgam Aaron intelliguntur, l.2.c.3.h
Officiales principum dicuntur leones, l.32.c.9.e
Og rex Amorrhæorum, l.4.c.19.d
Oleum in ſacra ſcriptura denotat eleemoſynam, l.2.c.19.c
Onychinus imagines more ſpeculi repræſentat, l.2.c.20.d
Onias ſummus ſacerdos, l.28.c.3.c
Onias interpretatur mœrens Domino, l.28.c.8.b
Opera quæ vera intentione non fiunt, durare non poſſunt, l.33.c.4.c
Ophni filius Heli, l.9.c.2.f
Operatio bona per manum intelligitur, l.2.c.2.g
Opera bona debent ad laudem Dei ordinari, l.2.c.14.a
Opera bona quæ ex vana gloria fiunt, ſunt primogenita aſinina, l.2.c.14.b
Opus bonum mala intentione factum Deo non placet, l.1.c.14.b
Opera noſtra non debent divina gratia, digna indicari, l.3.c.14.a
Oppreſſoris puellarum pœna, l.5.c.9.g

Opera-

Digitized by Google

Operarius dignus mercede, l. 5. c. 12. a
Opera plus sunt consideranda, quam verba, l. 29. c. 26. b
Oratione Moyses amaritudinem aquæ in dulcedinem mutavit, l. 2. c. 9. f
Oratio Prælati proficit subditis, l. 2. c. 11. e & f
Oratio justi multum valet, l. 2. c. 11. e & f
Oratio intelligitur per incensum, l. 2. c. 22. b
Originale peccatum per Adam transmissum, l. 3. c. 4. c
Oratione ad Deum clamare debemus, l. 5. c. 1. g
Oratione Esaias multa impetravit, l. 21. c. 1. d
Oratione Hieremias aspides fugavit, l. 22. c. 7. c
Oratio unius boni est causa salutis multorum, l. 33. c. 18. c
Orationibus sanctus Gregorius paganum ab inferno suscitavit, l. 33. c. 7. f
Oratio est ad fidem manuductiva, l. 33. c. 6. f
Oratio Deum placat, l. 9. c. 12. b
Oratione Helias ignem de cœlo protulit, l. 11. c. 15. h
Orationis magna est efficacia, l. 12. c. 18. b
Os dicitur immundum, si non per loquendi moderantiam sit ligatum, l. 34. c. 16. b
Osia lepra percussus in facie, l. 3. c. 6. b
Othoniel frater Caleph, l. 6. c. 12. h
Ozias multa bona fecit, l. 13. c. 6. b
Ozias lepra percussus, l. 13. c. 6. b

P.

Paradisus quid, l. 1. c. 2. h
Paradisi fons, & quomodò in quatuor flumina dividitur, l. 1. c. 2. h
Pauperes ubique crudelitatem inveniunt, l. 2. c. 4. b
Paradisus per Jessen terram intelligitur, l. 2. c. 3. e
Passio Christi moraliter describitur, l. 2. c. 6. f
Patres novi ac veteres testamenti tres fuerunt, l. 2. c. 17. a
Patres veteris testamenti fuerunt divinæ legis sustentatores, l. 5. c. 18. g
Paxilli in tabernaculo necessarii, l. 2. c. 19. b
Partus cum libidine concipitur & in immunditia nascitur, l. 3. c. 5. g
In Passionis memoria consistit vita animæ, l. 3. c. 10. a
Pauperibus est tribuendum, l. 4. c. 11. e
Patri maledicens morti adjudicatus fuit, l. 3. c. 12. f
Panum tria genera apud Judæos, l. 3. c. 14. d
Panes propositionis, l. 3. c. 14. d
Panes oblati populo, l. 3. c. 14. e
Paschatis celebratio in lege quomodò fiebat, l. 4. c. 6. b
Paschæ festum quadruplex celebratum apud antiquos, l. 4. c. 6. h
Pascha in Ægypto, l. 4. c. 6. h
Pascha in deserto, l. 4. c. 6. h
Pascha in Galgalis, l. 4. c. 6. h
Pascha in Hierusalem, l. 4. c. 6. h
Pax à filiis Israël civitati impugnandæ dabatur, l. 3. c. 7. e
Panes quinque hordeacei vetus testamentum significant, l. 29. c. 10. g
In Paradiso offeruntur varia genera personarum, l. 4. c. 22. c
Patientia per Manassen intelligitur, l. 4. c. 1. a
Pascha quando celebramus, l. 4. c. 22. d
Pauper ad divitias ascendens filiæ Israël comparatur, l. 5. c. 10. g
Paupertatis status per partem aquilonis frigidam intelligitur, l. 23. c. 20.
Pathmos insula, l. 34. c. 1. c
Paulus in seditione fuit captus, l. 3. c. 16. b
Paulus dæmones ab obsessis corporibus expellebat, l. 33. c. 14. d
Paulus circumcidit Timotheum, l. 33. c. 12. h
Paulus claudum pedibus ex utero matris sanavit, l. 33. c. 10. f
Paulus apertis oculis ad terram prostratus nihil vidit, l. 33. c. 7. g
Pauli conversio mirabilis, l. 33. c. 7. g
Paralyticus à Christo sanatus, l. 31. c. 4. a
Pœna unius terror multorum, l. 4. c. 13. g
Perfectus vir plus debet facere quam promittere, l. 4. c. 14. c
Pœnitentia perquam expiationis in lege intelligitur, l. 4. c. 16. d
Pœnitentia moritur in prosperitate humana, l. 4. c. 17. g
Pœnitentia prosperitatis interficit, l. 4. c. 17. g
Peccator publicus publicè debet culpari, l. 4. c. 10. g
Pœnitentia per hircum intelligitur, l. c. 22. c
Peccator quo ipse peccat, punietur, l. 11. c. 13. h
Peccatores dicuntur putei abyssi, l. 3. c. 10. g
Perfecti fiunt mortui, l. 34. c. 1. e
Petrus captus ab Herode, l. 33. c. 9. c
Petrus claudum in nomine Jesu sanavit, l. 33. c. 3. b
Peccator mortuus quomodò seipsum resuscitare debeat, l. 12. c. 4. c
Pentecostes die Apostoli erant congregati in unum, l. 33. c. 22. h
Peccator per contritionem à morte suscitatur, l. 32. c. 6. h
Pecuniæ obediunt omnia, l. 29. c. 20. g
Peccatores sunt surdi & muti, l. 30. c. 2. a
Peccatum facit hominem surdum, l. 30. c. 3. b
Peccator obstinatus & cæcus facere quid debeat, l. 30. c. 4. e
Peccatorum animus per paralyticum intelligitur, l. 31. c. 4. a
Peccator est sterilis ficulneo, l. 31. c. 6. h
Peccatorum societatem viri sancti abhorrere non debent, l. 19. c. 6. f
Peccator debilis & cæcus per Samsonem datur intelligi, l. 7. c. 14. f
Peccatum juxta conscientiam stare non potest, l. 9. c. 4. c
Peccatores indigni Sacramenta tangere non debent, l. 9. c. 5. d
Peccata omnia ad tria vitia capitalia reducuntur, l. 9. c. 9. a
Peccator post pœnitentiam non citò Deo associatur, l. 10. c. 11. c
Peccator per Adam & Evam intelligitur, l. 1. c. 3. f
Peccator veniam non petens, sed se excusans gloriam paradisi non intrabit, l. 1. c. 3. f
Persona simplex per columbam intelligitur, l. 1. c. 6. d
Peccanti Prælatus misericordiam concedere debet, l. 1. c. 6. d
Peccati contra naturam cœcitas, libr. 1. ca. 14. b
Pœnitens facere quid debeat, l. 1. c. 15. c
Peccator per gratiam Dei & Mariam Virginem à mundi fluvio liberatur, l. 2. c. 1. d
Pœnitens per Moysen intelligitur, l. 1. cap. 1. a
Personæ justæ terrena ministrantes, crudeles aliquando efficiuntur, l. 2. c. f
Pœnitentis conversio, l. 2. c. 4. c
Pœnitentis sacrificium, l. 2. c. 4. c
Peccatores per Ægyptios intelliguntur, l. 2. c. 5. d
Peccatores debent mortis æternæ subire periculum, l. 2. c. 6. f
Peccatores sanguinis Christi immemores non salvantur, l. 2. c. 6. f
Peccator ad pœnitentiam conversus debet à strepitu mundi cavere, l. 2. c. 7. g
Peccata subjugant animas hominum, l. 2. c. 8. d
Peccatori via pœnitentiæ dura, l. 2. c. 9. f
Peccatum debet abscondi, ne malum exemplum pariat, l. 2. c. 13. e
Peccata spiritualia quæ, l. 2. c. 15. h
Pœnitentia per lavatorium tabernaculi denotatur, l. 2. c. 22. h
Persona quæ Domino vult offerri, in tria debet dividi, l. c. 20. d
Perseverantia per caudam intelligitur, l. 3. c. 2. d
Pellis est scientia temporalis, l. 3. c. 2. h
Peccati redemptio quomodò debet fieri, l. 3. c. 2. f
Pœnitens magis debet timere tormenta, quam sperare præmia, l. 3. c. 1. h
Pœnitens oblatio, l. 3. c. 3. c
Pennulæ piscis denotant virtutem contemplationis, l. 3. c. 4. e
Peccatores sunt in duplici differentia, l. 3. c. 4. f
Peccator est animal immundum, l. 3. c. 4. f
Pœnitentia debet correspondere delicto, l. 3. c. 5. g
Peccatores cæteris se præferunt, l. 3. c. 6. h
Peccatum est macula qua homo corrumpitur, ib. g
Peccator debet à consortio hominum separari, ib. e
Peccator immundus à peccatis debet sibiipsi timere ne se præsumat, l. 3. c. 7. e
Pœnitentem justum tria debent concomitari, l. 4. c. 9. h
Peccator dicitur peregrinus & pauper, l. 3. c. 11. e
Pœnitentes debent esse humiles, & comparantur Gabaonitis, l. 6. c. 9. e
Pentecostes festum per annum jubilæum intelligitur, l. c. 14.
Perseverantia sanctitatem augmentat, l. 4. c. 4. f
Perfectorum vita qualis debeat esse, l. 4. c. 5. g
Perfectorum requies ubi & quando, ibidem, g
Pœnitentia tarda comparatur festo propitiationis, l. 4. c. 22. b
Peccatoris mortem Deus non petit. l. 5. c. 7. e
Pœnitentia est sicut farina, l. 9. c. 4. e
Peccatum unius est aliquando ruina multorum, l. 6. c. 6. a
Peccatori magnum clementiæ signum ostenditur, quando virga correctionis ad eum extenditur, l. 19. c. 4. d
Perfectus vir intelligitur per Job, l. 20. c. 1. c
Perfecti dicuntur arare in agro scripturarum, l. 20. c. 1. h
Pœnitens quatuor considerare debet, l. 23. c. 16. h
Peccator per Job intelligitur, li. 20. c. 2. c
Peccator per Hieremiam intelligitur, l. 22. c. 5. h
Peccator per spem pœnitentiæ futuræ in infernum defertur, l. 23. c. 6. d
Peccator bestia fit, l. 24. c. 4. e
Pisces qui, l. 1. c. 1. g
Pincerna Pharaonis, l. 1. c. 27. a
Pistor Pharaonis, ib. a
Piscis pinnas & squammas qui non habebat, immundus erat in lege, l. 3. c. 4. e
Pharisæus contemnebat publicanum, l. 33. c. 8. b
Pharao rex Ægypti, l. 12. c. 20. e
Plinius Philosophus à favilla ardentis montis consumptus, l. 10. c. 55. d
Phinees filius Heli sacerdotis, l. 9. c. 2. f
Philistæi erant idololatræ, l. 9. c. 6. f
Philosophia est utilis Ecclesiæ, l. 2. c. 8. e
Pharaonis regis mandatum, l. 2. c. 1. c
Phiale quid, l. 2. c. 16. e
Phase transitus Domini, l. 2. c. 6.
Pharisæus, l. 5. c. 1. f
Philosophica scientia non est ex toto repudianda, l. 6. c. 5. h
Philosophica disciplina intelligitur per civitatem capiendam, l. 5. c. 7. h
Potestas hominis in paradiso, l. 1. c. 3. b
Populus Deo non serviens dæmonibus committitur, l. 4. c. 19. b
Populus Judaicus intelligitur per vellus Gedeonis, l. c. 5. h
Populus Judaicus à fide incarnationis fugitivus, l. 2. c. 2. e
Populus debet se bono Prælato conformare, l. 2. c. 7. b
Populus Prælatum sequitur, ib. g.

Digitized by Google

Populus fidelium debet peccatorum consortia fugere,ib.g
Pontifex summus periculum incurrebat,si sonus non audiretur in tabernaculo cum intrabat, l.2.c.20. g
Pontifex summus habebat tria specialia ornamenta, ib.g
Porphyrio, l.3.c.4. g
Populus quomodò in veteri lege à peccatis expiabatur,l.3.c. 9. d
Pomorum germina sunt bonorum initia, l. 3. c. 11. e
Pollutus immundus non debet ad Sacramentum accedere,l.4.c.6. h
Populi septem de terra promissionis ex præcepto Domini fuerunt ejecti,l.5.c.1.e
Pollutio nocturna repulsam extra castra patiebatur,l.5.c.10. a
Populus Judæorum per Tobiam intelligitur, l.17.c.3. f
Princeps intelligitur allegoricè per Adam,l.1. c.1. d
Prælatus dicitur Angelus cui committitur Ecclesia,l.1.c.3. e
Prælatus debet habere gaudium severæ justitiæ,ib.g
Prælatus delinquentem ex charitate corrigere debet,ib. g
Prælatus malus per Noe intelligitur,l.1.c.7.
Prælatorum scelera subditi tegant,l.1.c.5.g
Prælatus intelligitur perSaram uxorem Abrahæ,l.1.c.12. f
Prælatus quomodò virtute crescere debet,l.1. c. 9. d
Prælatus indoctus per Isaac senem intelligitur,l.c.19. c
Promissa non reddentes per Laban intelliguntur,l.1.c.12. a
ProvidentiaDei diversos occultos modos habet sua opera faciendi,l.1.c.14. f
Prælatus quomodò cognoscere debet subditos suos,l.2.c.29. e
Prosperitas à mundo datur,l.1.c.30. g
Principes mali intelliguntur per regem Ægypti,l.2.c.2. h
Principum malorum regimẽ describitur,ib. h
Prælati mali Ecclesiæ per obstetrices Ægypti intelliguntur,l.2.c.1. h
Primogenita filiorum Israël Deus intacta dimisit,l.2.c.6. f
Prælatus intelligitur per nubem, quæ præcedebat filios Israël in deserto,l.2.c.7. b
Prosperitas mundi per mare rubrum intelligitur,l.2. c.8. d
Providentia Dei occulta mutat voluntatem hominis,l.2.c.8. e
Primogenita nostra sũt bona opera,l.2.c.14.b
Primogenita omnium animalium præcepit offerri Deus,ib. a
Prælati debent se Deo offerre per bona opera & exempla, ib.
Prælati sunt in Ecclesia tolerandi,nec Ecclesia ministris viduetur,l.2.c.15. h
Præmium essentiale est quatuor digitorum,& habet quatuor genera principalia præmiorum,l.2.17. g
Prædicatoria correctio qualis debeat esse, l.2. c. 17. f
Princeps malus intelligitur per altare holocaustorum,l.2.c.19. d
Prædestinatio intelligitur in scriptura per numerum,quanto in veteri lege populum numerari contingebat, l.2.c.21. a
Prælatorum bonorum absentia reddit subditos ad peccandum proclives, l.2.c.23. d
Prædicatores nulli omninò parcere debẽt,ib.e
Proditio per lepram significatur, l.3.c.6. e
Prælatus debet esse Deo dicatus,l.3.c.9. f
Proditoria falsitas intelligitur per vestem lana & tela contextam, l.3.c.11. d
Prælatus est pater noster, l.3.c.12. g
Prædicatio procedat à vita & doctr.l.3.c.14.h
Prædicator est tuba,l.4.c.7. a
Prælatus de sua patria eligi debet, si sufficiens invenitur,l.5.c.5. e
Prælatus tria debet fugere, ibid.
Prælatus tria debet facere,ib.
Propheta prophetizans non missus à Deo interfici jubebatur,l.5.c.6. e
Prædicator comparatur Josuæ,l.6.c.6. f
Præmium justorum quandoque differtur, l. 19.c.5. b
Prudens debet habere veritatem, l.4.c.1. h
Prosperitates mundi dicuntur maledictæ, l.4. c. 3. c
Propitiationis festum,l4.c.12. d
Prælati multi à subditis reguntur,l.5.c.9. e
Princeps mundi per Holofernem intelligitur, l.18.c.7. d
Prælati duplici monitione debẽt uti,l.19.c.4.d
Prælatus debet habere conditiones Job, l. 2. c.1. d
Principes tria genera personarum in amorem rapiunt,l.20.c.1. h
Prosperitas mundana comparatur baculo arundineo, l.23.c.14. c
Principes mali sunt urso similes,l.24.c.6. e
Proditores aliquando occupant dignitates aliorum,l.27.c.12. b
Ptolemæus traditor diabolum significat, l.27. c.14. h
Ptolomæus rex Ægypti,l.27. c.1. b
Purificatio mulieris, l. 3. c. 5.
Purificatio pro partu fœmineo plùs temporis requirebat quam pro puero masculo,l3.c.5

R.

RAtio intelligitur per Adam, l.1.c.3. e
Ranæ terram Ægypti occupaverunt,l.21. c.4. b
Raptor occultus est pejor publico,l.2.c.14.g
Rationale judicii quid,l.2.c.20. b
Raab meretrix, l.9.c.1. b
Ramothiam una dicti est secundùm Hieronymum & nomen civitatis,l.9.c.1. c
Religiosorum animus,l.1.c.15. c
Religiosorum status, ib.
Rebecca, l.1. c.18. h
Religiosorum pœnitentia,l.2.c.2. f
Religio per desertum intelligitur, l.2.c.4. c
Religio debet esse sanctuarium sanctitatis, l. 2.c.19. a
Religiosi semper habent adversarios,l.20.c.1.f
Rechabitæ fuerunt quædam familiæ Judæorum,l. 22. c.3. e
Religiosus bonus aliquando superbus creditur,l.2.c.4. g
Reptile super terram abominabile erat in lege,l.3.c.4. d
Religiosi debent obedientiæ subdi,l.3.c.9. f
Religiosi nullum defectum debent habere, l. 3. c.14. h
Religiosi per Nazaræos intelliguntur,l.4.c.4.e
Religiosi non debent vinum delicatum bibere, ib.
Rex nullus in Capione Indiæ insula eligebatur pater,l.5.c.5. d
Reges non debent vagari,l.5.c.5. e
Religionis status per Jordanem fluvium interpretatur,l.6.c.28. g
Regis primi scilicet Christi, prima uxor fuit Synagoga,l.29. c.1. c
Recidivum hominis,l.1.c.15. c
Religiosi intelliguntur per populum, qui exierat de Ægypto ad terram promissionis, l.4.c.8. c
Reges super populum ex ira Dei venerunt, l.9.c.9. f
Rex quidam pro filio suo in adulterio comprehenso sibi unum oculum, & filio alterum erui fecit,l.9.c.10. e
Romani quamvis bello victi, sed certare bello non cessantes, finaliter triumphabant, l.11. c.17. e
Romulus fratrẽ occidit propter edicti transgressum,l.4.c.12. c
Romanorum potentia describitur, l.27.c.9. b
Rubo ardenti Dominus Moysi apparuit, l. 2. c. 1. b
Ruben interpretatur videns filium, lib. 4. c. 1. h
Rut mulier alienigena,viro Israëlitico fuit nupta,l.8.c.1. h

S.

SAbathum,l.4. c.22. c
Sabathum quando celebramus moraliter, l.4.c.22. d
Sabathum significat requiem mortis,l.2.10. e
Sacerdotes in lege judicium populo dederunt,l.5.c.5. c
Sacerdotum consilia accipiens in negotiis emergentibus,interfici in lege mandabatur, l.4.c.22. c
Sacerdotibus est obediendum, ib.
Sara filia Raguelis,l.27. c.6 f
Sacerdos sanctam debet habere conversationem,l.24.c.18. c
Sacra scriptura significatur propriè per manna,l.6.c.4. d
Sacerdos debet habere scripturam & bonorum operum opulentiam,l.6.c.7. c
Sabæi interpretantur eloquentes, l.10.c.1. h
Sapientes mundi habent cor altũ,l.23. c.12. f
Sara uxor Abrahæ,l.1. c.10. d
Sacræ scripturæ difficultas,l.1.c.20.
Sacræ scripturæ mentem frequentare nemo dignus,nisi cujus castitas est probata, l. 2. c.12. g
Sacræ scripturæ commendatio,l.2.c.17. d
Sacerdotes debent esse aurei per sanctitatem, ib. c
Saga asperam pœnitentiam significant, l. 2. c. 18. a
Sacerdotio si qui fungi volunt probari debent,l.2.c.20. d
Sacerdotes minores in veteri lege quatuor ornamentis utebantur,ib. e
Sacerdotes debent habere fœminalia linea quid significat,l.2.c.20. e
Sacerdotes debent habere tunicam lineam quid significat,l.2.c.20. f
Sacerdotes debent habere baltheum, quid significat,ib.g
Sacerdotes debent habere quatuor ornamenta moraliter describitur,ib.
Sacerdos summus multa habebat ornamenta, ib.
Sacerdos summus Anabarchus dicitur, l. 2. c.20. g
Sacerdos dicitur habere scientiam & patientiam,ib. a
Sacerdos debet habere memoriam Sanctorum Patrum,l.2.c.10. a
Sacerdos debet habere suorum subditorum memoriam,l.2.c.20. a
Saphirus ostia clausa aperit,ib. d
Satisfactio per jaspidem intelligitur,l.2.c.20.d
Stabilitas per achatem intelligitur, lib. 2. c. 20. d
Sacerdotes quomodò consecrati ex præcepto Domini,ib. e
Sacerdotum consecratio qualis erat in lege veteri,l.2.c.21. e
Sacerdotes quomodò debent consecrari Domino, & quid habere debeant, lib. 2. cap. 40. e
Sacerdotis oblatio ad altare thymiamatis,quæ fuit,l.2.c.22. g
Sacerdotes sacrificia oblaturi, manus & pedes ante tabernaculum lavabant, l. 2. c. 32. h
Sacra scriptura significatur per labium æneum,l.2.c.32. h
Sacerdotes in veteri lege per Moysen præcepto Domini unctionis oleum acceperunt, l.2.c. 22. a
Sacerdos pro peccato confitentis debet intercedere per orationes,l.3.c.1. a
Sacrificia votiva quomodò dividebantur, l. 3. c.2. c
Sacerdos peccatorem convertens temporalia capere debet,l.3.c.2. e & f
Sacerdotis peccatoris immolatio, lib. 3. c.2. e & f
Sacerdotis peccatum faciliter à populo trahitur in exemplum, l.3.c.2. g

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdos tenetur legem Dei scire,l.3.c.2.g
Sapientia per barbam intelligitur,l.3.c.6.b
Sacrificium magnum fiebat in festo expiationis,l.3.c,9.d
Sacerdos sacra docens, debet habere memoriam martyrum, ib.g
Sacra scriptura comparatur fontibus,l.3.c.4.e
Sacramentorum virtus dependet à Deo, l.3. c.4.e
Sanguis Christi propitiatio nostra,l.3.c.9.e
Sanguis qui prohibitus in lege, l.1. c.10. a
Sacerdoti in lege mortuum tangere prohibebatur,l.3.c.13.g
Sacerdotem non accipere scortum præceptum erat in lege,ib.h
Sacerdotis officium ex præcepto quale erat in lege,ib.a
Sacerdos & verbo & exemplo debet populum ducere, ib.h
Sacerdotes debent sanctitatẽ in moribus observare,ib.h
Sacerdotes non debent publica officia petere, ib.b
Sacerdotes non debent commiscere stirpem generis sui vulgo gentis suæ,ib.b
Sacerdotem impedientia,ib.c
Sacerdotis filia in lege alteri nupta populo non poterat comedere de sanctificatis, l.2. c.14.
Sacrificiũ ex voto debet esse sine macula,ib.c
Sacerdotes onera Ecclesiæ propriis humeris debent portare,l.4.c.2.b
Sacerdotes undè dicuntur,l.4.c.b
Sabbatho quidam ligna lege colligebat, & carcere inclusus,l.14.c.12.b
Sabbathum violans lapidibus opprimebatur, ib.b
Sabbatha non custodiens punietur,ib.b
Sabbathum est laus religionis,ib.b
Sacerdotium multi in lege ambiebant, l.4. c.13.d
Sacerdotum justitia quomodò probari debet, l.4.c.14.a
Sacrificium vaccæ rufæ,l.4.c.17.d
Sacerdotes aliquando alios mundos faciunt seipsos immundos reddentes,l.4.c.16.a
Salphaad mortuus est in deserto,l.4.c.21.h
Sacrificia in veteri lege quæ fuerunt,l.4.c.22.c
Sacramentorum ministratio non debet pro muneribus fieri,l.12.c.6.g
Sagar cum vomere sexcentos homines interfecit,l.7.c.2.g
Sacrificium Gedeonis quale erat,l.7.c.5.f
Samson leonem occidit,l.7.c.5.c
Samson leonem manibus laceravit,l.7.c.11.d
Samson mandibula asini mille viros interfecit,l.7.c.12.f & g
Samson per Dalilam deceptus,l.7.c.14.d
Samson à muliere deceptus, hostibus est traditus, ib.d
Samson plurimos moriens quàm vivens occidit, ib.f
Saul per Samuelem in regem unctus,l.9.c.7.a
Saul arreptus à diabolo intravit,l.9.c.14.g
Saul vulneratus,se occidi popolcit ab armigero suo,l.9.c.24.g
Sadoch sacerdos,l.11.c.1.a
Salomon divitiis & sapientia præditus, l.11. c.3.g
Salomon tres personas occidit,l.11.c.2.f
Salomonis judicium quod dedit duabus meretricibus,l.11.c.3.g
Salomon duodecim habuit duces qui cibaria mensæ ministrabant,l.11.c.4.c
Salomon ædificavit domum Domini septem annis,l.11.c.6.a
Salomon ædificavit quatuor domos,l.11.c.6.a
Salomon super omnes reges terræ magnificatus,l.11.c.7.c
Salomonem universa terra desiderabat videre,l.11.c.8.c & f
Salomon fecit thronum de ebore,l.11.c.8.g
Salomonis civitas scutis aureis munita erat, ib.b
Salomonem mulieres seduxerunt,l.11.c.9.d
Scientia gentium in bonis moribus est servanda,l.5.c.7.h
Scientia Ecclesiæ designatur per pluviam, l.5. c.14.c & d
Scala Jacob, l.1.c.20.f
Scala Jacob est beata Virgo,l.1.c.20.g
Scala Jacob est crux Christi, ib.g
Scriptura sacra dicitur mons,l.2.c.12.g
Scripturam sacram non debet senex subditus per scrupulosam indaginem tangere,ib.g
Scientia mundi significatur per aquam, l.2. c.2.13.e
Scientiæ subtilitas intelligitur per capillos,l.3. c.6.h
Scientiæ sæculares sunt panes alienigenæ, l.3. c.14.g
Scientia intelligitur per Ruben,l.4.c.1.h
Senectutis opera debent esse meliora, l.4. c. 22.b
Serpentium tria genera filii Israël in deserto invenerunt,l.5.c.2.g
Servitus anno septimo remittebatur,l.5.c.3.h
Servitus Deorum aliorum morte punitur, l.5. c.5.c
Sæculares, qui religiosos ad peccandumtrahunt,punientur, l.27.h
Serpens decepit primos parentes,l.1.c.3.d
Septenarius numerus quid denotat,l.1.c.28.c
Semine qui fluebat, immundus erat in lege, l.3.c.8.c
Severitas per Gad intelligitur,l.4.c.1.a
Seon rex Amorrhæorum,l.4.c.19.d
Servorum duo genera constituit Dominus, l.31.c.5.d
Sedechias cœcus in Babylonem ductus, l.12. c.22.a
Sæculares Ecclesiastica officia exercentes peccant,l.7.c.7.f
Seneca in apertione venæ in balneo defecit, l.10.c.15.d
Sennacherib rex Assyriorum,l.12.c.8.b
Simoniaci per spurios intelliguntur,l.5.c.10.h
Simoniacus clericus Achan comparatur, l.6. c.6.a
Simonia principes modernos infatuat, l.18. c.7.e
Simon summus Sacerdos,l.27.c.24.g
Simplices homines per oves intelliguntur,l.1. c.22.c
Sichem, ib.c
Simplicem hominem à bono opere seducens ei in foro conscientiæ satisfacere debet,l.2. c.13.e
Siclus viginti obulos habet, l.2.c.12.a
Synagogæ peccatricis immolatio ostenditur, l.3.c.2.g
Signa sive maculæ,quæ hominem reddebant indignum ministerio sacerdotalis officii sunt tredecim,l.3.c.13.c
Sila trusus est in carcerem,l.33.c.12.b
Simon magus invidebat Apostolis propter miracula,l.33.c.6.e
Simon leprosus suscepit Christum in domum suam,l.29.c.18.a
Simonis leprosi socrus magnis tenebatur febribus,& à Christo sanata, l.29.c.e
Similes similibus associantur,l.29.c.6.c
Synagoga dicta est Phenenna,l.9.c.1.d
Smaragdus visum recreat,l.23.c.13.h
Somnium Nabuchodonosor regis, l.24.c.2. d
Sodomitæ populi pessimi dicebantur, l.1. c. 14.h
Sodomitæ non intrabunt regnum Dei, l.1. c.14.b
Sodomitæ in extremo judicio erunt muti, l.1. c.14.h
Sodomitæ civitates mundum significant, l.1. c.15.
Somnium Pharaonis describitur.l.1.c.28.b
Societatis malæ reprobatio,l.3.c.4.e
Somnia observare prohibemur,l.3.c.11.b
Societas debet esse inter similes,l.3.c.11.c
Solitudo intelligitur per partem aquilonarem, l.4.c.1.a
Solemnitates legales apud Judæos erant septem,l.2.c.22.c
Societas mala vitiorum est occasio,l.4.c.20.
Solitudo mala docuit quomodò intelligitur, l.28.c.3.c
Spiritus ubi vult spirat,l.4.c.8.e
Spiritus sanctus debita peccatorum dimittit, l.3.c.16.e
Spes omnibus conceditur,l.3.c.14.e
Spiritus sancti ignem aquæ tribulationis extinguere non potuerunt,l.27.c.1.d
Spes est spiritualis mola,l.5.c.11.e
Spes tollit vitium desperationis,l.5.c.11.f
Spurii repulsam Ecclesiæ Dei in lege patiebantur, l.5.c.10.h
Squammæ piscis patientiam significant, l.3. c.4.c
Struthio hypocritas significat, l.3.c.4.g
Stacten est myrrha electa, l.2.c.22.c
Superiores primò corrigendo non debent esse austeri,l.5.c.10.d
Subditi rotæ dicuntur,l.13.c.1.c
Superbia Nabuchodonosor regis, lib. 24. c.4.
Susanna pomerium viri ingressa, lib. 24. c. 9.e
Superbi per gigantes intelliguntur, lib. 1. c.8.a
Subditi per vaccam jugo subditam intelliguntur,l.1.c.11.d
Subditus Prælato quomodò vivere debet, l.1. c.13.h
Subditorum duplex conditio, l.1.c.19.c
Subditus malus dicitur bos,l.2.c.13.d
Superbus chameleoni comparatur, lib. 3. c.4.b
Superbia intelligitur per lepram,l.c.6.h
Superbus dici meretur, qui de mentis immunditia gloriatur,l.3.c.6.a
Surdo maledicere prohibemur, lib. 3. cap. 11.b
Subditi non debent semper superiorum injurias portare, l.4.c.9.g
Sudor Christi factus est, ut guttæ sanguinis, l.31.c.14.a
Surdus miraculosè à Christo auditum recepit,l.30.c.2.a
Superbus seipsum judicare nescit, lib. 7. c. 4.c
Suspicio est causa multorum malorum, lib. 10.c.7.
Superior non debet esse nimis credulus, l.10. c.13.g

T.

TAciturnitas per virum de terra factum intelligitur,l.1.c.3.d
Tabernaculi candelabrum est fides nostra,l.2. c.17.g
Tabernaculum in deserto, factum est à filiis Israël,l.2.c.18.e
Tabernaculum ex quibus,l.2.c.18.e
Tabernaculum in deserto est Ecclesia, l.2.c. 18.e
In Tabernaculo quatuor erant principaliter, l.2.c.18.e
Tabernaculum est Virgo Maria, lib. 2. cap. 18.e
Tabernaculum est Ecclesia vel religio, l.2. c.18.e
Tabernaculi compositio qualis fuit, & quid per eam intelligitur,l.2.c.18.e
Tabernaculum est paradisus,l.2.c.18.b
Tabernaculum fœderis duas habebat particulas, l.2.c.18.b
Tabernaculum tegebatur variis rebus, l.2.c. 18.g
Tabernaculi quatuor opertoria quid significant,l.2.c.18.f
Tabernaculi tentorium quale erat, lib. 2. cap. 18.f
Tabernaculi tentorium est lux divina, l.2.c. 18.g
Tabernaculi atrium, l.2.c.19.f

Digitized by Google

Tabernaculi erectio quomodò facta, l. 2. cap. 18. g
Tard. per bovem intelliguntur, l. 3. c. 2. d
per Talentum quid intelligitur, l. 29. c. 17. g
Terrenorum cura reddit aliquando devotos carnales, l. 2. c. 13. h
Tenebræ factæ in Ægypto moraliter quid denotant, l. 2. c. 5. g
Tentatio fortis est amara, l. 2. c. 9. f
Terrena diligens immundus apud Deum, l. 3. c. 4. d
Terra in lege ad perpetuitatem non vendebatur, l. 3. c. 16. d
Temperantia per partem occidentalem intelligitur, l. 4. c. 2. a
Terribiles quoad mundum abominabiles sunt quoad Deum, l. 17. c. e
Testamentorum executores reprobantur, l. 24. c. 5. a
Temperantia per bovem intelligitur, l. 4. c. 22. c
Templi Salomonis ædificatio, l. 11. c. 5. f
Templum Salomonis tria habebat cœnacula seu interstitia, l. 11. c. 5. c
Templum Salomonis duas partes habebat in longitudine, l. 11. c. 20. f
Theologia sacra non debet sæcularium negotiorum usibus dari, l. 29. c. 11. g
Theologica scientia comparatur mannæ in deserto, l. 6. c. 4. d
Thymiama ex quibus speciebus aromaticis confectum, l. 2. c. 22. b & c
Thamar meretrix, l. 1. c. 25. g
Timor Domini aliis virtutibus supereminet, l. 2. c. 20. b
Timor est duplex, l. 2. c. 20. b
Tyrannus sævit in substantiam temporalem & personam, l. 5. c. 9. e
Timor est spiritualis mola, l. 5. c. 11. e
Timor Domini tollit vitium præsumptionis, l. 5. c. 11. e
Tyranni hujus mundi per regem Hay intelliguntur, l. 6. c. 7. b
Tyrannorum superbia moraliter explicatur, l. 18. c. 2. c
Tyrannis non sufficit una crudelitas, l. 19. c. 5. h
Tyranni dicuntur gladii, l. 32. c. 10. g
Timor Domini expellit peccatum, l. 7. c. 8. g
Tobias undè natus, l. 17. c. 1. c
Tobias fugiebat à consortio hominum, ibidem.
Tobias docuit filium suum timere Deum, ibid.
Topazius lunam sequitur, l. 32. c. 13. g
Tramuth filia Pharaonis, l. 2. c. 1. c
Tribulatos & oppressos defendere quilibet debet, l. 2. c. 1. b
Tribulationes per hostes intelliguntur, l. 2. c. 15. g
Tribulatio viro justo utilis, ib.
Tres calami tres partes pœnitentiæ, l. 2. c. 17. a
Tribus aliquæ Israël reputabantur ignobiles, l. 5. c. 13. a
Triphon nitebatur Dominum interficere quid significat, l. 29. c. 13. e
Triphon regis Antiochi princeps major, ibid. d
Tribulationum flagellum ad duo proficit peccatori, l. 28. c. 3. g
Tunica Salvatoris inconsutilis, l. 30. c. 5. h

V.

VAna gloria aliquando ex operibus sæpè prævenit, l. 3. c. 5. f
Vaniloquus habet tria genera verborum in ore, l. 24. c. 6. f
Veritas finaliter vincit, l. 1. c. 26. a
Vestium curiositas intelligitur per lepram in veste, l. 3. c. 6. e
Vela tria fuerunt in tabernaculo, l. 2. c. 19. h
Velum tabernaculi septies sanguine fuit aspersum, l. 3. c. 2. f
Vesper est finis vitæ, l. 3. c. 4. a
Verba non semper secundùm literam sunt intelligenda, sed secundùm sensum quem habent, l. 5. c. 9. f
Verba sacra cantilenis mundanis non sunt miscenda, l. 5. c. 10. d
Verbosus per ficum intelligitur, l. 29. c. 16. b
Verbi Dei auditor debet esse sicut filia Caleb, l. 6. c. 12. b
Vita hominis mali comparatur piscibus maris, l. 1. c. 2. e
Virtutes magistro indigent, vitia sine magistro discuntur, l. 1. c. 4. h
Vita perfectionis requirit quietem à mundi tumultu, l. 1. c. 20. f
Virgines juvenculæ per Dinam intelliguntur, l. 1. c. 23. d
Viri nimis mulieribus credentes describuntur, l. 1. c. 26. a
Vita boni religiosi quomodò debet esse, l. 2. c. 1. a
Vir perfectus dicitur esse linguæ tardioris, ibidem, a
Virga Moysi versa est in colubrum, l. 2. cap. 2. e
Virga Aaron percussit aquam, & in sanguinem conversa est, l. 12. c. 3. h
Viri justi per mare hujus sæculi sine periculo transire possunt, l. 2. c. 8. D
Vita præsens septem diebus significatur, l. 3. c. 14. D
Virgo Maria dicitur arca, l. 2. c. 18. E
Vitiorum emunctoria quæ, l. 2. c. 18. D
Viti justi conditiones moraliter describuntur, l. 2. c. 19. A
Vir justus debet habere duplicem justitiæ rectitudinem, l. 2. c. 19. B
Virtus benè operandi designatur per humeros, l. 2. c. 20. H
Vita bonis moribus debet concordare, l. 2. c. 20. H
Virtus generativa consistit in renibus, l. 3. c. 2. e
Virtutes Theologicæ sunt tres, l. 3. c. 3. c
Virtutes cardinales sunt quatuor mundi partes, l. 4. c. 1. g
Vir justus pugnat contra vitia, l. 6. c. 9. f
Vinea Domini est Ecclesia, l. 9. c. 10. f
Visiones Danielis explicantur, l. 24. c. 6. c
Vir perfectus comparatur pardo, l. 24. c. 6. g
Vir bonus per arietem intelligitur, l. 24. c. 7. b
Visio Zachariæ, l. 26. c. d
Victoria dependet ab occulta Dei ordinatione, l. 27. c. g
Viribus propriis confidens decipitur, l. 4. c. 11. a
Viri justi per prædicationem dæmonia ab hominibus expellunt, l. 30. c. 1. h
Vitæ æternæ ingressus fit per mandata Dei, l. 30. c. 4. d
Vitia debellare nemo potest delitiis deditus, l. 7. c. 6. c
Vir prudens vindictam non debet petere, l. 10. c. 13. g
Virtutes propter vanam gloriam ostendere non debemus, l. 12. c. 12. f
Voluntas per Balaam intelligitur moraliter, l. 4. c. 19. e
Voluntatem Domini scientes & non facientes, damnabuntur, l. 31. c. 5. f
Vocatio peccatoris, l. 29. c. 3. f
Voluntas semper debet se in actu rationaliter moderare, l. 1. c. 13. h
Voluntariè peccantes per se sunt mortui, l. 2. c. 4. f
Votum à vovente debet impleri, l. 5. c. 17. f
Ur civitas Chaldæorum, l. 1. c. 19. a
Ur mundum significat, l. 1. c. 9.
Uxores viri propter deformitatem in lege dimittere potuerunt, l. 5. c. 11. d
Uxorem vir accipiens ad bellum ire prohibebatur, l. 5. c. 11. e

X.

XErxes malum judicem excoriari fecit, l. 4. c. 13. c

Z.

ZAreth torridus siccatus, l. 4. c. 18. c
Zacchæus princeps publicanorum desiderabat videre Jesum, l. 31. c. 12. d
Zacharias pater Joannis Baptistæ, l. 31. cap. 1. d
Zedechias rex malus, l. 12. c. 22. h
Zedechias fecit juramentum regi Babylonis, l. 12. c. 22. a
Zizara princeps exercitus, l. 7. c. 3. h
Zizara à muliere interfectus, l. 7. c. 3. h

§. *Finit præcipuarum materiarum operis Rectorii moralis super tota Biblia Petri Berchorii summaria annotatio, quo faciliori tramite diligenti lectori ad singulas sententias via pateat. Illo favente (qui est finis & principium) Deo benedicto in sæcula.*

FINIS.

OPUS

Digitized by Google

OPUS REDUCTORII MORALIS

SUPER TOTA BIBLIA FRATRIS PETRI BERCHORII PICTAVIENSIS,

ORDINIS DIVI PATRIS BENEDICTI, VIRI divinarum humanarumque literarum eruditissimi.

PROOEMIUM.

A CUm jam præopacam naturæ sylvam, flores proprietatum lecturus, percurrerim, & ipsius rerum naturæ majestate scrutata, post laborum & sudorum molestias, jam appropinquem ad littus: Restat post moralisatas proprietates creaturarum figuras, nec non superadditas expositiones morales ænigmatum poëtarum, moralisare & exponere figuras & parabolas scripturarum. Quia enim scriptum est, quod *auditor sapiens animadvertet parabolam & interpretationem: Verba sapientum & ænigmata eorum, occultaque Proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur.* Dignum mihi visum est unum tractatulum de moralisatione aliquarum figurarum Bibliorum huic operi meo inserere, & paucas è multis eligere, & præter expositiones omnes, quæ positæ sunt à doctoribus & à glossa aliquam moralem expositionem, ad Creatoris laudem & gloriam ordinare. Protestor igitur, quod non intendo me intromittere vel curare de vero & literali intellectu figurarum, historiarum & ænigmatum. Cum re vera tenuitatem ingenii mei non deceat, quod mittat ad tam ardua manum suam, præsertim cum Sancti doctores nihil intactum voluerunt dimittere, nec justum sit, quod nitar Solem facibus adjuvare. Solum ergo aliquas figuras magis notabiles eligere intendo, quas solum superficialiter, quantum ad simplicium informationem utiles judicavero, ad mores applicare propono. Nec omnia, quæ ponam hic, mihi attribuo, quinimò multorum dicta me proferre confiteor, & in multis passibus ipsorum me verbis vel sententiis uti humiliter recognosco. Nunquã enim mihi placuit alienam gloriam mihi attribuere, nec aliorum

B ingeniis derogare. Scio enim quod unusquisque in suo sensu abundat secundùm Apostolum. Et ideò non ignoro, quod homini naturaliter displicet, si alius ejus labores & opera sibi attribuat & adscribat, & alieno pallio sese tegat.

Libri Geneseos primum Capitulum. Textus. In principio creavit Deus cœlum & terram.

AUTHORIS MORALITATUM CAP. I.

DEus in mundi creatione ante omnia tanquam magis necessariam, primo dierum omnium lucem fecit, virtute cujus tenebras effugavit. Tandem verò die secunda firmamentum in medio aquarum constituit, quo aquas superiores ab inferioribus divisit. Aquas enim de terra in locum unum coercuit, & aridam apparere mandavit. Et aridam vocavit terram, aquas autem quia congregatas, maria nominavit. Postea autem incepit terra herbam virentem, & ligna fructifera germinare, lignaque & herbæ cœperunt fructus & semina procreare. Deinde die quarto Deus duo luminaria magna in firmamento posuit. Duoque luminaria magna, scilicet, Solem & Lunam, ut alter diei, alter nocti præesset, formavit. Quinta verò die in aquis creavit pisces, qui in aqua re-

C manserunt, & volucres, qui sursum ad aëra volaverunt. Sexta verò die Deus in terra jumenta, reptilia, & bestias, & tandem hominem creavit, ipsumque in Paradiso locavit, & sic in sex diebus sua opera consummavit, & mundum secundum creaturarum distinctionem formavit. In septima verò die legitur quievisse, & nihil præter illum diem, & ejus sanctificationem fecisse.

Rectè videtur, quod sicut Deus se habuit in istius mundi majoris creatione, sic quotidie se habet in minoris mundi, scilicet, hominis creatione, & moralis hominis compositione. Dico ergo, quod lux est fides, firmamentum est spes. Aquæ superiores sunt à Deo immissæ tribulationes. Aquæ verò inferiores, sunt à carne nascentes tentationes. Terra est corpus, herbæ & arbores sunt bona opera, fructus & semina sunt virtutes & merita. Luminaria significant discretionem. Sol æternorum sapientiam, Luna, temporalium notitiam. Pisces, qui semper sunt in aqua, significant devotionem. Volucres verò cœlestium contemplationem. Jumenta pauperum adjutorium & subventionem. Reptilia aliorum dolorum compassionem. Bestiæ significant dæmonum & vitiorum considerationem. Homo verò ad imaginem Dei factus, designat moralis hominis compositionem, & mentis moralem perfectionem. Paradisus verò denotat finalem beatificationem, & gloriæ consecutionem. Dico ergo quod ad hoc, quod minor mundus, id est, vir perfectus moraliter constituatur, primò necessaria est lux fidei, ut scilicet mentem illuminet, & veritatem ostendat, & errorem & tenebras dissiper & confundat. Unde dicitur Actor. 9. *Circumfulsit eum lux de cœlo.* Secundò, debet in ipso fieri firmamentum, id est, spes, quæ scilicet firma & solida debet manere, & inter aquas superiores tribulationum, & inter aquas inferiores tentationum immobilis perdurare. Spes enim D in Deum utrobique juvat, quia sicut dicitur Eccles. 374. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, quoniam ipse est spes ejus.* Sequitur. *Protector sapientiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, umbraculum meridianum.* Tertiò ibi debet apparere arida, id est, pœnitentiæ ariditas, & aquarum, id est, delitiarum carnalium debet cohiberi fluxibilitas, quia pro certo aquæ inferiores, id est, carnis delectationes maria vocantur, pro eo, quod ipsas multæ amaritudines concomitantur, sicut patet in luxuriosis, qui pro carnis delectationibus habendis multas molestias patiuntur. Unde dicitur Apoc. 8. *Et multi hominum mortui sunt ex aquis, quia amaræ factæ sunt*, Arida verò terra, quæ naturaliter & solida dicitur, pro eo, quod pœnitentiæ ariditas in mentis soliditatem mutatur, in quantum scilicet, ut communiter, ille qui per abstinentiam & pœnitentiam, à carnis voluptatibus est aridus, fortis est & stabilis. Psal. 103. *Fundavit terram super stabilitatem suam.* Quartò debent in isto mundo scilicet homine, poni luminaria claræ & lucentis discretionis, quia scilicet ibi debet esse sol, id est, sapientia de spiritualibus: luna, id est, scientia de temporalibus, stellæ, id est, scientiæ de naturalibus. Ad virum perfectum pertinet, quod ipse sit illuminatus & instructus in spiritualibus, & E temporalibus, & naturalibus. Unde dicitur Abac. 3. *Sol & luna steterunt in habitaculo suo.* Quintò dico, quod ibi debent esse pisces, qui valdè sunt vigiles, id est, diligentia vitæ activæ, aves volantes, id est, sublimitas contemplativa, quia pro certo iste debet esse diligens & mobilis quantum ad ministrationem virtuosæ actionis, altus verò volucris & sublimis, quantum ad volatum contemplationis Psalm. 8. *Volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris*, id est, perambulare debent semitas conscientiæ amaræ & devotæ. Sextò debent esse jumenta, id est, adjutrix proximorum compassio, reptilia, id est, vitiorum, quæ in nobis repunt meditatio, bestiæ, id est, dœmonum crudelium timor, & consideratio, ut sic dicat homo illud Psalm. 49. *Meæ sunt omnes feræ Sylvarum, jumenta in montibus & boves.* Talibus etiam creaturis spiritualibus præambulis frequenter creatur homo ad imaginem Dei, homo dico, interior, id est, interior ratio & moralis perfectio, Christique imago & imitatio, quæ initialiter ponitur in Paradiso, id est, Ecclesiæ militantis statu & officio, & finaliter in Paradisi cœlestis gaudio & solatio. Unde dicitur Gen. 2. *Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quem posuit hominem, quem formaverat.* Et sic sequitur septima dies, id est, mentis tranquillitas, & quietatio, & etiam æterna requies & consolatio. Sex enim diebus, id est, sex perfectionis gradibus, omnia quæ ad minoris mundi, id est, interioris homi-

Digitized by Google

nis conſtitutionem ſpectant, poſſunt ſpiritualiter fieri. Et ſic dies ſeptima, id eſt, quies mentis in hac vita, vel æterna tranquillitas in patria poteſt ſequi. Unde homini dicitur Exod. 23. *Sex diebus operaberis, ſeptimo autem die ceſſabis.* Et ibidem dicitur: *Sex annis ſeminabis terram, ſeptimo autem dimittas, ut quieſcat.*

Vel dicamus, quod mundus eſt Eccleſia, in cujus, ſcilicet, compoſitione concurrunt multa genera creaturarum, id eſt, perſonarum. Et primò quidem eſt illi lux, id eſt, natura angelica, quæ habet homines illuminare, & errorum obſcuritatem fugare. Sunt ibi aquæ inferiores & ſuperiores, id eſt, ſancti qui ſunt in patria, & juſti, qui degunt in via. Eſt etiam ibi firmamentum inter utraſque aquas medium, id eſt, ſtatus prælatorum & Eccleſiaſticorum, qui, ſcilicet, inter Deum & populum medius currit, & inter ſuperiora & inferiora firmus in fide & moribus perſiſtit. Item ibi ſunt herbæ virentes, id eſt, ſimplices populares; arbores fructificantes, id eſt, boni activi, & ſæculares; ſtellæ lucentes, id eſt, clerici atque doctores, piſces natantes, id eſt, viri devoti. Aves volantes, id eſt, viri contemplativi. Ibi eſt Sol, id eſt, Chriſtus, qui per charitatem calefacit: Luna, id eſt, beata Virgo, quæ noctem, id eſt, peccatores per pietatem humectat, & rigat, terra ſeu arida, id eſt, viri ſicci, ſeu abſtinentes; maria, id eſt, viri amari & pœnitentes. Ibi ſunt jumenta, id eſt, illi qui per eleemoſynas
F alios juvant. Reptilia, id eſt, illi qui circa terram repunt, ſcilicet, illi, qui agriculturæ vacant, beſtiæ & feræ, id eſt, nobiles, qui liberi per mundi ſylvam perambulant, homo ad imaginem Dei factus, id eſt, juſti, qui perfectionem Chriſti, & mores in ſe & ſuis actibus repræſentant. Iſte eſt ergo ille mundus de quo dicit Dominus Jo. 19. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Et illud Joan. 1. *Mundus per ipſum factus eſt.*

Vel dic, quod firmamentum eſt bonus Prælatus, qui, ſcilicet, debet eſſe ſolidus, & firmus inter aquas ſuperiores, id eſt, inter Deum, Angelos & Sanctos, & aquas inferiores, id eſt, fideles & ſubditos eſt mediator, & medius, & duobus magnis luminaribus, id eſt, duabus ſpiritualibus virtutibus, ſcilicet, ſole indefectibili, id eſt, juſtitia, luna mutabili, id eſt, clementia, & ſtellis lucentibus, id eſt, prudentia debet eſſe munitus. Iſte ergo debet eſſe firmamentum per conſtantiæ firmitatem, medius inter Deum & populum per orationum ſuffragium, & per prælationis auctoritatem; mediator verò inter alios per concordiam & charitatem illuminatus, & ſtellatus per ſapientiam, & ſagacitatem, per juſtitiam & pietatem, nec non per multiplicitatem virtutum. Unde: *Fiant luminaria in firmamento cœli.*

Vel dic, quod aquæ ſuperiores quæ ſunt cryſtallinæ, ſolidæ & lucidæ, ſunt viri juſti, qui ſuper cœlos ſpe, & contemplatione morantur, & qui per ſapientiam lucidi, & per conſtantiam ſolidi dignoſcuntur Pſalm. 148. *Benedicite aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt Domino*, Dan. 3. Aquæ autem inferiores, quæ in unum ſunt congregatæ, & maria ab amaritudine ſunt dictæ, & fluctuoſæ, & tumultuoſæ ſignificant peccatores, qui, ſcilicet, per malam amicitiam invicem congregati, per invidiam amaricantur, per inconſtantiam ſunt fluctuoſi, & per diſcordiam tumultuoſi. Unde dicitur Eſa. 57. *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non valet.* Firmamentum igitur, id eſt, bonus prælatus debet iſtos ab invicem dividere, & inter alios dijudicare & diſtinguere, & ab invicem eos ſeparare. Unde Matthæi 25. *Dividet agnos ab hœdis, & ponet agnos à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.*

Vel dic, quod aquæ, de quibus tam piſces quàm volucres ſunt creati, ſignificant iſtam mortalem vitam, vel etiam iſtius ſæculi
G voluptatem, quæ, ſcilicet, eſt principium & origo piſcium, id eſt, malorum; & volucrum, id eſt, bonorum, ſed pro certo piſces, id eſt, voluptuoſi, in iſtis aquis per complacentiam remanſerunt, volucres verò, i. e. contemplativi & juſti, ſurſum ad bona ſpiritualia & æterna per effectum evolaverunt, & aquas voluptatis, ſæcula in quibus fuerant nati, reliquerunt. Mali enim non ſolent locum nativitatis ſuæ, ſcilicet, mundum dimittere, ſed ibi gaudent more piſcium enatare. Unde dicitur Abacuc. 1. *Facies hominis ſicut piſces maris.* Boni verò iſtum locum ſolent fugere, & ad Paradiſi gloriam evolare. Unde canitur in hymno: *Qui ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim lenas in aera.* Vel ſi vis, dic, quod illi qui ſunt volucres, i. e. ſcientifici & ſpirituales, libenter relinquunt patriam ſuam, & nativitatis ſuæ locum, ſcientes illud, *quod nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Luc. 4. Piſces autem, id eſt, voluptuoſi; imbecilles & ignari, neſciunt patriam ſuam dimittere vel exire, &c. Vel dic, quod Deus in principio fecit lucem primordialem, de quo dicit hiſtoria ſcholaſtica, quod ipſius materia in ſolem ceſſit, itaque de ea ſol poſtea factus fuit. Iſta igitur quamvis ſolet eſſe prior in tempore, fuit tamen minor in opere, quia licet non erat ita clara iſta lux primaria, quæ præceſſit, ſicut ſol poſtea qui ſucceſſit. Talis lux videtur eſſe Beata Virgo, quæ re vera fuit puriſſima more lucis. Unde dicitur: *Vidit Deus lucem, quod eſſet bona.* De iſta enim fuit factus ſol juſtitiæ Chriſtus, qui ab ipſa fuit humanitùs incarnatus. Illa ergo quamvis in tempore ipſo Sole Chriſto homine fuit prior, in virtute tamen & efficacia fuit minor. Unde de iſta poteſt dici Heſt. 10. *Fons parvus crevit in fluvium magnum, & in lucem ſolemque converſus eſt.*

Vel dic, quod iſta lux, quæ præceſſit ſolem, & ante ſolis creationem vices ipſius exercebat, ſignificat legem ante gratiam, Joannem ante Chriſtum, gratiam ante gloriam, initium ante perfectionem. Joannem ante ſalvatorem, quia ſcilicet iſta tanquam minora & imperfectiora præceſſerunt, illa verò tanquam majora & magis utilia ſucceſſerunt. Unde Auguſtinus in Homilia: *Præmittitur*, inquit, *Joannes ante Chriſtum, paranymphus ante ſponſam, ſervus ante Dominum*, &c. Senarius numerus in hoc videtur privilegiatus, quia Deus omnia opera conſtitutionis & creationis mundi ſex diebus complevit. In hoc etiam, quod Chriſtus ſexto die & ſexta hora diei mortuus fuit, & quia etiam homo ſexto die fuit creatus. Et quia dies iſta ſeptimæ diei, quæ H ſignificat requiem, fuit conjunctus, per iſtum numerum poſſim intelligere laborem bonæ operationis. Unde dicitur Exod. 23. *Sex diebus operaberis;* quia pro certo iſte numerus, id eſt, bonus labor benè numeratus & menſuratus nobis in hoc commendatur, quia Deus ipſum mundum creando ſacravit, & ipſum recreando per ſuæ paſſionis miniſterium benedixit. Iſtum etiam dies ſeptimus, id eſt, æterna requies immediate ſequitur, quia ſcilicet, poſt honeſtum laborem juſtum eſt, quod cœli requies habeatur. Unde dicitur Apoc. 14. *Amodo jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis.* Sexta ergo die fuit creatus homo, ad denotandum, quod ipſe debet eſſe labori bonorum operum deditus, quia dicitur Luc. 13. *Sex dies ſunt, in quibus operari oportet* Job. 5. *Homo naſcitur ad laborem.*

Capitulum ſecundum. Textus. Igitur perfecti ſunt cœli & terra.

Moralitatum Cap. I.

Sicut dicitur in Geneſi ſecundo. Dominus à principio Paradiſum voluptatis in orientali plaga plantaverat, & ibi poſuit hominem, quem formaverat. Erat autem Paradiſus ille terreſtris locus amœniſſimus prope globum lunarem poſitus, & in ſecreta mundi parte locatus, diverſis arboribus conſitus, fontibus & fluminibus irrigatus. Ibi enim eſt fons, qui aſcendebat de terra, irrigans ſuperficiem paradiſi, qui tandem in quatuor flumina dividitur, quæ ad diverſas mundi partes mittuntur. Ibi erat lignum vitæ, de cujus eſu vita poterat continuari. Ibi etiam erat lignum ſcientiæ boni & mali, per cujus eſum intellectus poterat illuminari, & mens ſcientis informari. Homo igitur formatus ibi ponitur, ut Paradiſum operetur & ſervet, & ibi Dominus deputetur.

Paradiſus poteſt ſignificare virginem glorioſam, quæ procul A dubio in oriente lucis gratiæ fuit ſita, ſurſum ad cœleſtia per affectum & contemplationem erecta, à mundo per contemptum diviſa, in ſe ſolitaria, & ſecreta, aquis gratiarum irrigata, & virtutum arboribus fœcundata. In ipſa enim & in ejus medio fuit lignum vitæ, id eſt, charitas, lignum ſcientiæ, id eſt, veritas, fons cuncta irrigans, id eſt, pietas: quadruplex fluvius, id eſt, ſuæ pietatis quadruplex proprietas. Fons enim miſericordiæ virginis benedictæ in quatuor partes eſt diviſus, & in quatuor flumina diſpertitus, quia, ſcilicet, unus de ſuis fluviis vadit ad angelos, & ad ſanctos, ut lætificentur; alius ad miſeros, ut in tribulationibus conſolentur; alius ad juſtos, ut in bono fortificentur; alius ad peccatores, ut à criminibus releventur. Bernardus enim dicit, quod iſta omnibus omnia facta eſt, & quod in ipſa invenit angelus lætitiam, juſtus gratiam, miſer conſolationem, peccator veniam. Unde legitur Ezech. 31. *Flumina ejus manebant in circuitu ejus.* In iſto ergo horto delitiarum poſuit Deus pater hominem, quem formaverat, id eſt, Chriſtum, & ipſius fecit ipſum principalem cuſtodem & Dominum, quod, ſcilicet, factum eſt, cùm verbum extitit incarnatum. Pſalm. 86. *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſſimus.*

Vel dic, quod Paradiſus eſt eccleſia ſancta & alta, & ſuper ſectas alias elevata, & in oriente fidei conſtituta, ubi ſcilicet, eſt fons ſapientiæ, verbum Dei, ſcilicet, Chriſtus, qui per quatuor flumina, id eſt, quatuor evangelia aquam ſuæ gratiæ nobis infundit, ubi lignum vitæ, i.e. crux, quæ vivificat peccatores, ubi lignum ſcientiæ, id eſt, fides, quæ ſcientiam ſignificat ignorantis. Ibi igitur ponitur homo, id eſt, quilibet fidelis ut nutriatur, & vivat, quia alibi non eſt ſalus. Vel & ibi debet poni & præfici in prælatum & Dominum homo, id eſt, perſona rationabilis & juſta, ut eum operetur & exerceat, ut eum ſervet & cuſtodiat. Homo enim debet eſſe & non fera, id eſt, rationalis, & humanus, cui Paradiſus committitur, cui cuſtodia & regnum eccleſiæ commendatur.

Vel dic, quod Paradiſus eſt conſcientia viri juſti alta, ſecreta, illuminata, irrigata, ibi eſt fons, ſcilicet, gratiæ, & quatuor flumina, id eſt, quatuor virtutes Cardinales, lignum vitæ, id eſt, memoria crucis, etiam lignum ſcientiæ, id eſt, virtutes fidei, & diſcretionis, atque ſic homo, id eſt, Chriſtus, iſtum Paradiſum per gratiam libenter intrabit, ipſumque cuſtodiet & ſervabit Pſal. 120. *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam.*

Qua-

Digitized by Google

Quatuor flumina fuerunt in Paradiſo terreſtri, quæ per diverſas orbis partes ſe undique diffundebant. Primum enim flumen erat
B Phiſon, qui circumit terram Evilath, ubi eſt aurum optimum, bdellium & onychinus. Secundum eſt Gion, qui circumit Æthiopiam. Tertium flumen eſt Tygris, quod vadit contra Aſſyrios. Quartum autem eſt Euphrates. Iſta quatuor flumina poſſunt ſignificare quatuor virtutes, quæ in Paradiſo cordis noſtri eſſe debent. Phiſon enim, qui interpretatur oris mutatio, ſignificat confeſſionem, quæ ſcilicet, terram Evilath, qui interpretatur dolens, id eſt, contritionem debet circumire, ubi, ſcilicet, aurum, id eſt, ſapientia, bdellium ſtringens, id eſt, abſtinentia, onychinus, qui oculos facit tremulos, id eſt, timor & triſtitia debet eſſe. Gion, qui interpretatur luctatio, eſt conſideratio, quæ, ſcilicet, contra ſpirituales hoſtes debet luctari, quæ debet Æthiopiam, id eſt, vitiorum, & inferni caliginem circumire. Tygris, qui interpretatur velocitas, eſt diligentia, quæ debet opera bona velociter exercere. Euphrates, qui interpretatur frugifer, eſt eleemoſyna, quæ fruge ſua debet pauperes enutrire. Iſta enim quatuor flumina, id eſt, iſtæ quatuor virtutes debent à fonte pœnitentiæ derivari, ut inde poſſit Paradiſus conſcientiæ irrigari. Unde dicitur Eccl. 37. *Ex corde quatuor oriuntur.*

Capitulum ſecundum & Tertium. Textus. Sed & ſerpens erat callidior.

Moralitatum Cap. III.

cap. 2. HOmo poſitus in Paradiſo, omnia ligna habuit in ſua poteſtate, & ipſum lignum vitæ, quod erat in medio Paradiſi, excepto tamen ligno & fructu ſcientiæ boni & mali, quod ſolum ſibi Deus interdixit. Veruntamen ſic factum eſt, quod de nullo legitur comediſſe niſi de illo, quod fuerat ſibi interdictum.

Quod ad hoc poteſt applicari, quod homo naturaliter nititur in vetitum. Minus enim appetit homo illa, quæ ſibi ſunt libera & conceſſa, licet plus valeant, quam illa, quæ fuerunt denegata, quinimò res eo ipſo concupiſcitur, quo denegatur. Sicut narratur de quodam, qui centenarius vixerat, nec unquam civitatem ſuam exiverat. Quod Rex admirans, vocavit eum, & ſibi interdixit exitum civitatis. Qui ſtatim exire tentatus fuit nec quievit, quouſque Rex exeundi licentiam ſibi dedit. Unde dicitur
C Prov. 1. *Stulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupiunt.* Unde Apoſtolus Rom. 7. *Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*

Vel dic, quod lignum vitæ eſt divina gratia, lignum ſcientiæ eſt rerum notitia, quæ, ſcilicet, pro eo homini interdicitur, quia ſcilicet, non eſt bonum, quod circa ſcientias animus plus debito occupetur, quinimò neceſſe eſt, quod à nimio ſcientiæ appetitu per debitam prudentiam refrænetur, quare Apoſtolus Rom. 12. *Non plus ſapere,* & hoc ſuadet quia *ſcientia inflat, charitas autem ædificat:* ſicut dicitur 1. Corinth. 8. Veruntamen quidam ſunt, ſicut Adam, qui plus diligunt ſcire quàm vivere, & citius ad ſcientiam, quàm vitam vel gratiam currunt, & potiùs appetunt fieri docti quàm boni eſſe; ſicut ſunt illi, qui quærunt ſcientias curioſas & damnatas; Sicut etiam ſunt illi, qui pro ſcientia dimittunt horas vel ſimilia, & propter hoc tales de Paradiſo, id eſt, de ſtatu ſalutis ejiciuntur, & à ligno vitæ, quam contempſerunt, id eſt, à vita æterna, gladio divinæ ſcientiæ, & igne gehennæ finaliter excluduntur. Apoſtolus Roman. 12. *Non plus ſapere, quàm neceſſe eſt.*

Vel dic, quod lignum vitæ eſt ſacra ſcriptura, lignum verò ſcientiæ eſt mundi ſcientia & doctrina hoc eſt verum, quod Adam & Eva, qui erant in Paradiſo, & in ſtatu Eccleſiæ militantis, citius cucurrerunt ad lignum ſcientiæ mundanæ & lucrativæ, quàm ad lignum vitæ ſacræ ſcripturæ, & gratiæ divinæ: propter quod digni fuerunt abinde ejici, & bonis Eccleſiaſticis ſpoliari, juxta illud Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, expellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.*

cap. 2. Deus de utero, id eſt, de limo terræ ſine ſemine virili ſexta die formavit Adam, quem quia nolebat eſſe ſolum, decrevit ſibi dare ſimile adjutorium, & ideò in ipſum ſoporem miſit, & de coſta ejus Evam formavit, quam uxorem & ſociam ſibi dedit.

Terra iſta inviolata eſt Virgo immaculata, de qua, ſcilicet, ſecundus Adam Chriſtus ſine virili ſemine ſexta die, id eſt, ſexta
D ætate fuit factus. Unde illud Ezech. 36. *Illa terra inculta eſt quaſi hortus voluptatis.* Tandem verò ſopor mortis in ipſo immittitur, & Eva, id eſt, S. Mater omnium fidelium Eccleſia de ejus coſta, id eſt, de ejus latere conſtituitur & formatur, quæ cum ipſo per fidem ſocialiter deſponſatur. Unde Oſe. 2. *Sponſabo te mihi in fide.*

Vel dic, quod in hoc, quod mulier facta eſt de viri latere, non de capite, vel de pede, datur intelligi, quod vir debeat uxorem ſuam tanquam ſibi collateralem & ſociam diligere, non tamen eam ſibi præficere, nec ei obedire, quia de viri capite non eſt facta; nec eam plus debito vilipendere debet, quia de pedibus non eſt creata, ſed eam debet quaſi ſibi ſimilem honorare, & eam ſociam reputare, quia de medio, ſcilicet, de latere eſt formata. Unde dicitur, Geneſis. 3. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam,* &c.

Vel, ſi vis, allega contra loquacitatem mulierum, quod vir creatus eſt de terra, quæ eſt muta & non ſonora, Mulier verò facta eſt de oſſe, de re ſcilicet, quæ eſt ſonora & dura. Plenus enim ſaccus terræ non ſonat, plenus verò ſaccus oſſibus tumultuat, & inde fit, quod mulieres, quæ de oſſibus factæ ſunt, ſunt loquaces; Viri verò de terra formati ſunt taciturni

cap. 3. Cùm Adam & Eva eſſent in Paradiſo poſiti, & ad producendum prolem invicem conjugati, ſerpens, qui erat ſapientior cunctis animantibus terræ, accepit de fructu ligni vetiti. Et primò decepit mulierem, promittens ei, ſi comederet, ſcientiam, & aliqualiter Deitatem, dicens: *Eritis*, inquit, *ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Mulier enim decepta comedit, & viro ſuo pomum ad comedendum tradidit, qui etiam ad mulieris vocem contra præceptum Domini manducavit, propter quod uterque maledictionem incurrit, & de Paradiſo ejectus fuit, & Deus etiam ante Paradiſum angelum & ignem, id eſt, murum igneum & gladium verſatilem ad cuſtodiendum januam collocavit.

Allegoricè per Adam, principem vel prælatum magnum intelligo; per Evam uxorem ejus, aliquem conſiliarium & collateralem ipſius aſſumo; ſerpens autem inferiores Ballivos denotat; pomum vero vetitum ſubſtantia mmundi deſignat. Dico ergo, quod Adam eſt quandoque in Paradiſo, id eſt, princeps vel prælatus in ſuo deliciarum palatio, vel ſuæ authoritatis faſtigio, ubi pro certo ſemper, ut communiter, habet Evam conjugem, id eſt, aliquem magnum Conſiliarium, id eſt, Collateralem; ſibi igitur & collaterali ſuo à Deo omnis rapina interdicitur, & ne comedant poma ligni ſcientiæ, id eſt, ne devorent vel rapiant bona ſubditorum, & maximè clericorum, religioſorum, ſcientificorum virorum, eidem denegatur. Unde dicitur Ezech. 45. *Sufficiat vobis principes Iſrael, iniquitatem & rapinas intermittite, judicium & juſtitiam facite.* Sed qui pro certo ſerpentes venenoſi, id eſt, inferiores Ballivi, lignum ſcientiæ cum fructu ſuo pulchro, & ad veſcendum ſuavi, id eſt, divites ſubditos cum ſuis divitiis primo Evæ, id eſt, illi principali Conſiliario magiſtri ſui deferunt, & ad poma, id eſt, ad bona eorum rapienda eos inducunt, occaſioneſque faciendi exactiones, & affligendi populum ipſis ſignificant: & E
oſtendunt illis, dicentes ipſis illud, quod ibidem ſequitur: *Si comederitis, nequaquam moriemini*, id eſt, ſi rapueritis bona talium, nequaquam peccabitis, quia, ſcilicet, in hoc & in hoc deliquerunt, quia etiam bona ſubditorum in neceſſitate ſunt veſtra, &c. Hujuſmodi verò inquiunt, ſi ſic feceritis, *eritis ſicut dii*, id eſt, apparebitis aliorum domini & magiſtri. His ergo ablatis & delatis, Eva, id eſt, malus Conſiliarius Adæ viro ſuo, id eſt, Principi & Prælato, illud ipſum loquitur, & ſic de comedendo pomo vetito, id eſt, de exigendo à ſubditis indebita ſubſidia, de imponendo falſo crimine inter eos conſeritur. Quapropter & ſerpens deferens, & Eva conſulens, & Adam conſentiens & authoritatem præſtans, id eſt, Ballivi, & Conſiliarii, & Magiſtri à Deo maledicuntur, ærumnis culpæ, & pœnæ finaliter ſupponuntur, & à Paradiſi gaudiis excluduntur. Et, ſi vis, dilata etiam contra ſæculares Officiales, & Principes, qui conſilia facere non ceſſant, quomodo bona clericorum (quæ tamen ſunt eis vetita) comedant, & conſumant.

Vel dic, quod Adam eſt ratio vel ſpiritus, Eva ſibi conjuncta eſt caro, ſenſualitas ſive corpus; pomum eſt temporalis delectatio, ſerpens verò eſt diabolus, & tentatio. Igitur dico, quod Adam & Eva, id eſt, ſpiritus, & caro invicem conjunguntur, & ut prolem bonorum operum Eva, id eſt, caro pariat, cùm caro ſeu corpus ſit principium operandi, invicem deſponſantur. Sed pro certo ſerpens, id eſt, diabolus, pomum vetitum, id eſt, malam delectationem, primò mulieri, id eſt, carni præſentat, quæ viro ſuo, id eſt, ſpiritui, ut conſentiat, ſtatim portat. Sic ergo Adam Eva mediante comedit, quando animus, carne inſtigante, malæ delectationi conſentit, quapropter uterque Paradiſum, id eſt, ſalutis & gratiæ ſtatum perdit, & maledictionem uterque incurrit, quia & ſpiritus amaritudinem, caro verò miſeriam inde ſentit. Ignis verò & gladius, id eſt, concupiſcentia & deſperatio ipſis opponitur, propter quæ ab ingreſſu Paradiſi, id eſt, à reditu ad gratiam ſecluduntur Pſalm. 139. *In ignem dejicies eos, & in miſeriis non*
F *ſubſiſtent.* Conſtat enim quod Adam & Eva, id eſt, anima & caro poſtquam ſerpenti diabolo conſentiunt, & pomum vetitum comedunt, id eſt, opus prohibitum faciunt, non ſolùm Paradiſum, id eſt, ſtatum ſalutis & gratiæ perdunt, ſed etiam miſeriam mentis, & corporis concupiſcentiam, & iracundiam tanquam ignem, & gladium incurrunt, nec non difficultatem pœnitendi, & ad Paradiſum gratiæ revertendi ſentiunt, ita quod laboribus & miſeriis extraordinariis ſubſunt, id eſt, in eas incurrunt, unde Geneſis 22. *Abraham autem portabat in manibus ſuis ignem & gladium.*

Digitized by Google

cap.3. Postquam Adam & Eva peccaverunt, aperti sunt oculi eorũ, & cognoverunt se nudos, & ad vocem Domini timuerunt, & se, quia nudi erant, absconderunt, & foliis ficûs suas turpitudines absconderunt. Reprehensi autem à Domino veniam non petierunt, sed se excusantes, Eva in serpentem, Adam verò in Evam, & etiam in Deum culpas suas retorserunt, propter quæ Paradisi palatium perdiderunt.

Sic verè peccator videns se reprehensum, & cunctis gratiis viduatum & nudatum, vocem & consortium bonorum metuit, quapropter, quantum potest, se excusare contendit, & sub diversarum palliationum foliis se abscondit, nec verè, dum redarguitur, veniam petit, sed peccatum suum in alium repercutit & refundit, quapropter veniam non meretur, imò Paradisi gloriam perdit justè, quia proculdubio, qui turpitudines suas occultat & celat, & de peccatis suis veniam non petit, sed ea potius operit & excusat, justum est, quod Paradisi gloriam amittat & perdat. Unde dicitur Prov. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur à Domino. Qui autem confessus fuerit & dimiserit ea, misericordiam consequetur.*

cap.3. Angelus, qui custodiebat viam ligni vitæ, & januã Paradisi, habebat gladium igneum & versatilem, ad prohibendum, ne Adam post peccatum de ligno vitæ sumeret, & ne aliquis peccator Paradisum intraret.

Sic verè Angelus, id est, Prælatus, cui committitur custodia Paradisi terrestris, id est, Ecclesiæ militantis, summè debet cavere, ne Adam post peccatum, id est, ne quicunque peccator aut indignus ingrediatur ibidem, & ne quocunque modo sumat de ligno vitæ, id est, de officiis vel beneficiis, quæ sunt in Paradiso Ecclesiæ, & G propter hoc talis Angelus vel Prælatus debet habere gladium severæ justitiæ, quæ tamen debet esse ignea, id est, charitativa, & debet esse versatilis, id est, vertibilis, & discreta, ut scilicet possit indignos ab ingressu Ecclesiæ cohibere, & ipsis lignum vitæ, id est, fructus Ecclesiæ denegare. Gladius enim justitiam significat, qua delinquentes punit & truncat. Ista tamen debet esse ignea per charitatem, versatilis verò per mutationis diversitatem. Prælatus enim quando justitiam vel severitatem facit, vel quando aliquem gladio percutit, semper hoc debet ex charitate facere, ipsumque gladium justitiæ non semper æqualiter infligere, imò vertibiliter, nunc uno modo, nunc alio, nunc interimendo, nunc remittendo: debet enim variare, sic, quod gladius justitiæ versatilis dicitur, quando secundùm conditionem locorum, temporum, causarum & personarum diversimodè variatur, 2. Reg. 11. *Varius est eventus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius.*

Capitulum quartum. Textus. Adam verò cognovit uxorem suam Evam, quæ concepit & peperit Cain, dicens: possedi hominem per Deum.

Moralitatum Cap. IV.

cap.4. ADam & Eva primò genuerunt Cain, qui fuit malus, postea Abel, qui fuit bonus. Deus enim munera Cain contempsit, ad Abel verò & ad ejus munera respexit. Tandem verò Cain invidiâ motus, Abel occidit, propter quod illum Deus, maledixit, & signum, scilicet tremorem capitis in facie ejus posuit. Ipse verò ex tunc vagus, & profugus factus fuit.

Adam est pater noster Deus. Eva est Synagoga, quæ fuit primaria ejus uxor. Cain primogenitus fuit populus Judæorum, de quo dicitur Exod. 4. *Primogenitus meus Israel.* Abel verò innocens fuit Christus.

Dico allegoricè, quod Adam, id est, Deus, primo Evam, id est, Synagogam habuit in uxorem, de qua dicitur Oseæ primò. *Accipe tibi uxorem fornicariam, & fac filios fornicationum.* Et primò in ista uxore sua pessimum Cain filium, id est durissimum populum Judaicum genuit, tandem verò fratrem ipsius Cain, scilicet, H Abel, id est, Christum innocentissimum produxit, ad cujus, scilicet, opera, sacrificia & munera respexit Deus, ipsaque pro redemptione humani generis acceptavit. Cain verò, id est, ipsius populi Judaici munera, id est, sacrificia & opera, quæ neminem justificabant, contempsit. Unde Esa. primo. *Non offeratis mihi sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi.* Cain igitur, id est, populus Judaicus, Abel fratri suo, id est, Christo ejusque sanctitati, & miraculis invidet, dum de Pilato scriptum est Matth. 17. *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum*, ipsumque per crucem occidit, & mordet. Quapropter iste Cain Judaicus populus vagus & profugus super terram, ad literam, efficitur, & signum in ejus facie ponitur, ut ab omnibus cognoscatur. Judæi enim ad literam cognoscuntur in facie, & propter peccatum mortis fratris sui Christi, vagi, & profugi sunt in orbe. Unde dicitur per Prophetam Oseæ 9. *Abjiciet eos Dominus Deus, quia non audierunt eum, & vagi erunt in nationibus.*

Vel si vis, dic, quod Adam est spiritus, Eva caro. Illi ergo ante Abel producunt Cain, quia scilicet prius faciunt mala opera, quàm bona, & magis naturale est mala facere, quàm honesta. Unde Seneca dicit, quod virtutes magistro indigent, sine magistro vitia discuntur.

Vel dic generaliter contra invidos, qui, scilicet, quando vident alios magis acceptos, invident eis & dolent, unde quantum ad vitam, vel famam occidunt eos.

Vel dic, quod Cain, qui interpretatur possessio, est avarus, cujus caput est tremulum, quia, scilicet, avarus semper est in timore. Juxta illud Senecæ: *Quantum accessimus ad successum, tantum accessimus ad metum.* Tales etiam sunt vagi super terram, quia nunquam sunt solidi, nec in aliquo statu fixi. Vel dic, quòd Adam est Deus, primogenitus ejus est lucifer, qui est principium viarum Dei Job. 40. Iste ergo invidens, secundum filium, id est, hominem occidit. Ipse verò nunc vagus & profugus per hunc mundum discurrit.

Capitulum sextum. Textus. Cumque cepissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filii Dei, filias. A

Moralitatum Cap. V.

cap.6. GEnesis sexto dicitur, quod videntes filii Dei filias hominũ, quod essent pulchræ, acceperunt uxores ex omnibus, quas elegerant. Exinde autem geniti sunt gigantes, qui in sæculo fuerunt viri famosi & potentes.

Filii Dei sunt viri Ecclesiastici, qui per spiritualem vocationem à Deo sunt in Ecclesia generati. Isti tamen quandoque vident filias hominum esse pulchras, & exinde accipiunt concubinas: filii autem adulterini gigantes sunt, in quantum scilicet, patres eorum de bonis Ecclesiæ aliquoties ditant eos, ita quod in sæculo magni fiant.

Vel dic, quod filii Dei sunt quicunque fideles, filii hominum sunt carnis delectationes, quas pro certo dum in uxores accipiunt, gigantes, id est, mala & monstruosa opera generant, & producunt, quia pro certo omnis filius, id est, omne opus, quod à carnis delectatione provenit, naturam giganteam, id est, enormem, & irrationabilem sapit,

cap.6. & 7. Cum diluvium imineret super terram, præcepit Dominus Noe, quod faceret arcam de lignis lævigatis, ut salvaretur universum semen in ea. Facta est ergo cum mansiunculis & tristegis suis. Et habuit trecentos cubitos in longitudine, quinquaginta cubitos in latitudine, & triginta in altitudine. Linita fuit bitumine intrinsecus & extrinsecus, ostium fuit inferius in latere, sursum verò fuit fenestra crystallina in summitate. Arca etiam deorsum erat lata, sursum autem stricta & in cubito consummata erat. De omni viventium genere, fructuum atque seminum in arcam introducuntur. Veruntamen deorsum animalia, sursum verò volatilia statuuntur, de istis etiam viventibus posita sunt in arcam, de mundis septena, de immundis autem bina, scilicet, masculus & fœmina, tam de volucribus, & reptilibus quàm de jumentis. Escæ autem congregatæ sunt in arcam pro animalibus nutriendis. Sicque factum est quod animalia, quæ in arca fuerunt, sunt salvata, cuncta alia in aquis diluvii sunt deleta. Tandem verò diluvium, quod quadraginta diebus incessanter duraverat, omnemque carnem consumpserat, cessare incepit. Arca autem super montes Armeniæ requievit, sicut omnia ponuntur Gen. 7. cum explanatione, quam ponit magister in historia scholastica.

Dicamus igitur allegoricè, quod arca ista significat Ecclesiam militantem, quæ, scilicet, de lignis lævigatis, id est, de personis bonis dolatis, & à superfluitatibus vitiorum abstersis constituitur, & in qua Noë cum filiis, id est, Christus, vel aliquis bonus Prælatus cum suis subditis dominatur, & quæ ab ipso Prælato pro viribus ad salvationem efficitur fidelium & formatur, quæ procul dubio bitumine charitatis & gratiæ interiùs quantùm ad affectionem, & exteriùs quantùm ad operationem inungitur & linitur. Unde dicitur Exod. 25. *Facies enim arcam de lignis Sethim, interius & exterius deaurabis eam.* Ista arca habet cœnacula, mansiunculas & tristega, id est, diversas statuum distinctiones, scilicet, officia, beneficia, dignitates, conventus, collegia, religiones, &c. quia sicut dicitur Joan. 14. in evangelio: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* In istis tamen tristegis positi sunt ex omni genere animalium & volatilium, id est ex omni genere personarum, quia, scilicet, ibi inveniuntur animalia munda & immunda, id est, boni & mali, scilicet, volatilia, id est, viri contemplativi: Jumenta, id est, viri activi, reptilia, id est, peccatores & defectivi. Sed de istis istud est certum, quod in tristegis, id est, in statibus Ecclesiæ animalia reptilia debent esse deorsum in statu subjectionis, volatilia verò, id est, viri spirituales & contemplativi, debent esse sursum in statu Prælationis, quia re vera dignum est, quod in gradibus Ecclesiasticis, ille, qui plus valet, sit superior, ille verò, qui minus, sit inferior. B

Vel etiam animalia sunt activi, qui occupantur deorsum circa terrena: volucres sunt contemplativi, qui occupantur circa

Digitized by Google

ea cœleſtia & ſuprema. Unde in Proverbiis 25. *Cœlum ſurſum, & terra deorſum.* Item iſta arca Eccleſiæ habet oſtium inferiùs, per quod intratur, hoc eſt, fideles, & feneſtram ſuperiùs, per quam lux veritatis videtur, hæc eſt viſionis ſpecies, 1. Corinth. 13. Hic enim inferius *ambulamus per fidem*, ſurſum autem in patria ambulamus *per ſpeciem*, quia, ſcilicet, *nunc videmus per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem in claritate*, ſicut dicit Apoſtolus. Item iſta arca habebat longitudinem fidei, quæ habet trecentos cubitos propter fructum triceſimum, ſexageſimum & centeſimum, id eſt, propter triplex cœleſte præmium, quod exſpectat; latitudinem charitatis, quæ habet quinquaginta cubitos, propter Spiritum ſanctum, qui datus eſt die quinquageſima, qui etiam inflammat. Apoſtolus Epheſ. 3. *Poſſitis intelligere, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profunditas.* Item iſta arca Eccleſiæ inferiùs fuit lata, & ſurſum ſtricta, ibi notatur, quod deorſum eſt lata in militante, in quantum *multi ſunt vocati*, ſurſum ſtricta in triumphante, in quantum *pauci* ſunt *electi.*

Vel etiam dic, quod iſta deorſum eſt lata in militante, in quantum multi ſunt ſubditi, multi activi, multi imperfecti. Surſum verò ſtricta, in quantum pauci ſunt prælati, contemplativi, pauci perfecti, Eſa. 54. *Multi filii deſertæ magis quàm ejus, quæ habet virum.* Breviter arca iſta Eccleſiæ continet volucres contemplativos, animalia activa, maſculos perfectos, fœminas imperfectas, & mundos bonos, immundos malos. Cibum tamen bonorum temporalium, & ſcripturæ & gratiæ habet pro omnibus nutriendis, & pro electis & reprobis educandis. Unde dicitur Danielis 4. *Eſca univerſorum in ea.* Iſta eſt ergo, quæ in cubito, id eſt, in Chriſto conſummatur & perficitur, & quæ in diluvio tribulationum, & contemplationum per quadragenam vitæ præſentis fluctuat & concutitur, ubi etiam, quicunque in futuro per fidem & gratiam inventus fuerit, ſalvabitur, quicunque verò per perfidiam vel peccatum extra manſerit, peribit & damnabitur, finaliter tamen ſuper montibus ſituabitur & quietabitur, ſcilicet, in judicio, quando præſens tribulationum diluvium auferetur, Pſalm. 68. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis, &c.*

Vel dic, quod anima eſt arca, vel etiam vir perfectus, qui debet habere longitudinem fidei, altum ſpei, latum charitatis, &c. ſicut ſupra; quæ bitumine divinæ gratiæ debet eſſe linita, intus in conſcientia, & exterius in apparentia; quæ de lignis lævigatis, id eſt, de bonis affectionibus debet conſtitui; inferiùs quantum ad alios debet per eleemoſynam eſſe lata, ſurſum verò quantùm ad ſe per abſtinentiam debet ſtringi. Inferiùs debet habere oſtium hoſpitalitatis ad pauperes introducendos. Surſum verò debet habe-
D re feneſtram diſcretionis ad lucem veritatis ſpeculandam. In hac ergò debent eſſe volucres, id eſt, mundæ cogitationes, animalia id eſt, vivæ operationes, ſcilicet, ſcientiæ & virtutes, & ſic diluvium tribulationum & tentationum iſtam arcam non ſubvertet, ſed ipsa finaliter in ſupernis montibus requieſcet. Allegatur ut ſupra.

Capitulum octavum Textus. Recordatus autem Dominus Noe.

Moralitatum Cap. VI.

CUm diluvium quieviſſet, dimiſit Noe columbam, quæ cum ſit munda avis, & non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, niſi ſuper fœtentia cadavera, quæ ſcilicet, tangere non volebat, reverſa eſt ad Noe iterum, qui aperta feneſtra ipſam introduxit in arcam. Tandem emiſit corvum, qui inveniens humani generis cadavera, ad arcam redire noluit, ſed cum cadaveribus foris manſit. Noe ſignificat Deum Patrem, qui revera columbam & corvum, id eſt, bonos & malos per creationem emittit. Ipſoſque ad hujus mundi diluvium, id eſt, ad fluctus tentationum vel tribulationum dirigit & tranſmittit, veruntamen, quia mediante iſto tentationum vel tribulationum diluvio, quaſi totus mundus plenus eſt cadaveribus, id eſt, immunditiis, & carnalitatibus, ideo columba, id eſt, perſona ſimplex, bona & columbina, non inveniens in mundo, id eſt, in mundanis negotiis & diluviis, ubi pes affectionis ejus requieſcere debeat, juxta illud Micheæ 2. *Surgite & ite, quia non habebitis hic requiem*, voluntarie redit ad patrem ſuum Deum, ſcilicet, ad ſecreta conſcientiæ per compunctionem, ad bona æterna per contemplationem, affectionem & orationem, refugiens delitiarum cadavera, negotiorumque, & vitiorum diluvium vilipendens, dicens illud Joan. 16. *Exivi à patre, & veni in mundum, iterum relinquo*
E *mundum, & vado ad Patrem.* Sed re vera corvus, id eſt, homines corvini, carnales & immundi, de reditu ad Deum vel ad conſcientiæ ſecretum non curant, imo exteriùs in cadaveribus, id eſt, in mundi immunditiis & carnalitatibus ſe delectant, quapropter in arcam ſalutis & Paradiſi, unde exiverant, nunquam intrant ad Noe, id eſt, ad Deum, qui ipſos per creationem emiſerat, redire per pœnitentiam refutant, dicentes illud Hierem. 5. *Induraverunt faciem ſuam ſuper petram, noluerunt reverti.* Iſti igitur arcam Paradiſi, ſeu ſtatum ſalutis intrare refutant, & in ſuis delectationibus & vitiis extravagantur Pſalm. 64. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Iſta potiſſimè apparent in religioſis, qui de arca, id eſt, de clauſtris emittuntur ad temporalia miniſtranda. Carnales verò & corvini, qui, ſcilicet, more corvi ſemper procraſtinant pœnitentiam dicentes: Cras, cras, ex toto manent in mundo, boni verò in mundi negotiis aut delitiis requiem & delectationem non inveniunt, quandoque redeunt ad devotionem & ad clauſtrum, qui ſecum deferunt ramum olivæ, id eſt miſericordiæ bonum opus. Vel dic de Apoſtatis, quorum quidam ex toto remanent circa cadavera, id eſt, circa immunditiam luxuriæ. Alii verò redeunt ad Noe, id eſt, ad Prælatum in arcam, id eſt, in Eccleſiam vel in clauſtrum. Tales igitur ramum olivæ (qui miſericordiam ſignificat) ſecum portare dicuntur pro eo, quod iſti, qui ad pœnitentiã redeunt, miſericordiam, & pacem merentur. Unde dicitur Luc. 15. *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam, Pater peccavi in cœlum & coram te.* Et ideo dicitur, quod Noe extenſa manu apprehendit columbam pro eo, quod Prælatus debet tales miſericorditer recipere, & ipſis concedere veniam & tutelam, dicens illud Hierem. 3. *Revertere, & ego ſuſcipiam te.* Et illud Canticorum 2. *Veni electa mea*, &c.

Cap. 8. Columba fuit emiſſa ante ad videndum, ſi ceſſaſſent aquæ F
diluvii ſuper terram. Quæ veſpere rediit ad Noe ferens ramum viridis olivæ in ore ſuo, & diluvium ceſſaſſe ſignans, & pacem redditam humano generi deſignans.

Sic verò dudum, cum jam diluvium peccati, & damnationis genus conſumpſiſſet humanum, miſſus eſt à Noe, id eſt, à Deo Patre, de ipſa arca Paradiſi columba, id eſt, Chriſtus benigniſſimus atque mitis, qui, ſcilicet, in hoc mundo ramum olivæ virentis, id eſt, portionem noſtræ humanitatis aſſumpſit, quam tandem in aſcenſione in arcam Paradiſi ad Noe, id eſt, Patrem detulit, & ejus virtute ceſſaſſe, & conſummatum fuiſſe vitiorum diluvium intimavit, dicens illud Tob. 12. *Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui miſit me.*

Cap. 9. Volens Deus inire pactum cum genere humano, quod de cætero non eſſet futurum diluvium, nec per diluvium conſummanda omnis caro, promiſit arcum ſuum ponere in nubibus, ut eſſet ſignum fœderis prælibati: *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & terram.*

Sic Deus volens humanum genus aſſecurare, quod diluvium æternæ damnationis nunquam ampliùs involveret mundũ univerſũ, *arcum ſuum tetendit, & paravit illum*, Pſ. 7. ſc. filium benedictum, ipſumque in nubibus, id eſt, in puriſſimis Mariæ viſceribus poſuit, ibique colores duos principales rubeum, ſcilicet, & cœleſtem aſſumpſit. Rubeus verò color ſignificat carnem, cœleſtis verò ſignificat animam. Sic ergo fuit Deus Pater, mediante iſto arcu, humano generi confœderatus, homo verò à damnationis diluvio eſt liberatus. Unde de Chriſto dicitur Eccl. 50. *Quod ipſe eſt quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* Et ſicut arcus iſte deſignat pluviam. &c. Vide in titulo ſuo.

Capitulum nonum. Textus. Benedixitque Deus Noe & filiis ejus.

Moralitatum Cap. VII.

NOe cæpit eſſe vir agricola, & exercere terram, plantavitque vineam, bibit vinum, & inebriatus eſt, & nudatus jacuit in tabernaculo ſuo. Quod cum vidiſſet Cham filius ejus, verenda Patris non cooperuit, ſed deridens Patrem nudatum, hoc Sem & Japhet ſuis fratribus nunciavit. Qui ſtatim pallium humeris ſuis imponentes, averſa facie uſque ad Patrem retroceſſerunt, ipſumque operuerunt, & ejus turpitudinem non viderunt. Propter quod, cum evigilaſſet, Cham cum poſteritate ſua ſervitute & maledictione damnatus eſt ab ipſo; Sem verò, & Japhet à Deo benedictionis gratiam meruerunt.

Iſtud poteſt applicari, quod utile eſt quandoque vitia & defectus hominum diſſimulare, periculum verò ipſa detegere, aut videre. Quandoque verò Noë, id eſt, aliquis Prælatus vel Princeps vino, in quo eſt luxuria, i.e. vitiis & carnalitatibus ebrius, in tabernaculo do- G
mus ſuæ requieſcit, & delectatur, turpitudinemque luxuriæ ſuæ, & aliorum vitiorum ità omnibus manifeſtat, quod nudus ſine velamento jacere videatur, & (quod deterius eſt) ab aliis ſe videri nullatenus opinetur, cum tamen vitia eorum nuda ab omnibus videantur, Hierem. 14. *Nudavi femora tua ante faciem tuam, & apparuit ignominia tua.* Sed pro certo tales nullo modo volunt videri nec explorari, quinimò, ſi ad notitiam ſuam veniat, quod aliquis homo defectus ſuæ turpitudinis viderit, ſolent dolere, & ipſis publicè vel occultè maledictionem vel punitionem inferre, & maximè, quando ſciunt, quod ille, qui videt, deridet talia facta ſua, & nititur aliis publicare. Unde dicitur Eccleſ. 3. *Non eſt enim neceſſe tibi ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis.* Et ideò, qui ſunt ſapientes filii, tales turpitudines & infamias de Magnatibus, & maximè de ſuis Patribus, id eſt, de ſuis Prælatis & Principibus non audiunt, nec ipſas videre vel explorare quærunt. Juxta illud Micheæ, *Non quæras iniquitatem in domo impii.* Imò pallium diſſimulationis induunt, & ab inquiſitione retrocedunt, ipſoſque, quantum poſſunt, excuſant atque tegunt, ne appareant, propter quod tales à talibus defectuoſis Magiſtratibus benedictiones & glorias acquirunt. Mali enim ſuperiores illos potiſſimè ſolent diligere, qui crimina ſua

Digitized by Google

ſtudent abſcondere & celare, & ſub diſſimulationis pallio tranſire, &, ne appareant, excuſare.

Vel dic, quod Noë eſt Pater & Prælatus noſter, qui, ſcilicet, ſi in delitiis dormiat, ità quod turpitudo ſuorum defectuum in aliquo appareat,Sem & Japhet,id eſt,boni filii & ſubditi ipſum operire & excuſare nituntur. Cham verò,id eſt, mali & protervi ſubditi ipſum deridere,& turpitudines defectuum ſuorum aliis prodere, & eas in libellis & appellationibus revelare conantur,quapropter tales ſervitute & adverſitate damnantur, Boni verò & pacifici proſperitate fruuntur,cum ſcriptum ſit in Levitico, 18.cap. *quod qui revelaverit turpitudines Patris ſui, morte moriatur.*

Vel dic, quod Noë decimus ab Adam (qui interpretatur requies) Chriſtum ſignificat, qui decalogum legis implevit, & requiem Paradiſi donavit. *Vinea* enim, *quam plantavit, domus Iſraël eſt*, ut dicit Eſa. 5. Iſta, quæ exſpectata eſt, *ut faceret uvas, fecit autem ſpinas*,quia,ſcilicet, iſta vinum conſolationis Domino debuit offerre,ipſa tamen ipſum ſpinis voluit coronare,& acetum mordacis tribulationis eidem ſtuduit propinare, & eum in cruce aceto potare,Pſalm. 68. *In ſiti mea potaverunt me aceto.* Quia pro certo iſta eſt,quæ ipſum creatorem & plantatorem ſuum Chriſtum vino tormentorum inebriavit, quæque ipſum in lecto crucis per mortem nudum dormire fecit,ità, quod Cham filius ejus,id eſt,malus populus Judaicus videns turpitudinem ejus, id eſt, humanitatem ejus morituram,ipſum derilit,cum dicitur Matth. 27. *Vah, qui deſtruis templum Dei,ſalva temetipſum.* Veruntamen boni filii ejus, Sem & Japhet, id eſt,Apoſtoli & Chriſtiani,verenda Patris,id eſt, mortem, & mortalitatem ipſius operuerunt, in quantum ipſam dignis rationibus eſſe neceſſariam monſtraverunt, quapropter Chanaan filius Cham maledicitur, quia Judæorum poſteritas propter Chriſti paſſionem per maledictionem damnatur, ſicut ipſimet dixerunt: *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Boni verò filii, ſcilicet,Chriſtiani & Apoſtoli, benedictione tam temporali, quàm perpetua perfruuntur. Ideo de iſta vinea conqueritur Dominus, Hier. 2. *Ego plantavi te vineam meam electam: omne ſemen verum,quomodo ergo commutata in pravum vinea aliena?*

Capitulum undecimum. Textus. Erat autem terra labii unius.

Moralitatum Cap. VIII.

CUm gigantes eſſent ſuper terram, decreverunt in campo Sennaar ædificare turrim, cujus ſummitas cœlum tangeret, ut ſcilicet in cœlum aſcenderent,& nomen ſuum inter homines celebrarent. Habuerunt ergo lateres pro ſaxis,& bitumen pro cæmento. Igitur cum ædificarent,& jam turrim illam in civitate Babylonica uſque ad duorum milliariorum extuliſſent altitudinem, ſecundùm Oroſium & ſecundum Hieronymum ſuper Eſa. 13. Indignatus Dominus linguas eorum confudit,ità, quod alter alterius verba nullatenus intellexit. Quapropter ab invicem ſeparati ſunt, & per mundum ſecundùm linguarum diſtinctiones ſe diverſimodè diviſerunt.

A Tales gigantes ſunt ſuperbi, qui turrim, id eſt, faſtigioſum,& altum ſtatum in campo Sennaar,qui interpretatur fœtor, id eſt,in iſto mundo fœtido ædificare nituntur, ſurſumque ad altitudinem cœli,id eſt,altos gradus & ſtatus,ultra quàm requirunt ipſorum merita,aſcendere moliuntur. Et hoc ut meliùs faciant, plures quandoque in eandem ſocietatem conveniunt, & ad hoc communiter occupantur. Quapropter ſæpè fit,quod Dominus contra eos indignatur,ipſorumque malam concordiam rumpit, & ipſos per mortem vel per infortunia dividit, & ſic occultè faciente Domino opus malum,quod cœperant,impeditur. Unde Job. 5. *Diſſipat conſilia malignorum,ne poſſint manus eorum implere,quod cœperant.*

Capitulum duodecimum. Textus. Dixit autem Dominus ad Abraam, Egredere.

Moralitatum Cap. IX.

CUm Abraam eſſet in Ur, quæ eſt civitas Chaldæorum, apparuit ei Dominus, dicens: *Egredere de cognatione tua,& de domo Patris tui,& veni in terram,quam monſtravero tibi, & faciam te in gentem magnam,* Abraam igitur in terram Chanaam ducitur,ubi altare Domino ædificavit, & ubi dilatatio ſui ſeminis,totiuſque illius terræ poſſeſſio ſibi promittitur atque datur.

Ur, qui interpretatur ignis, ſignificat mundum, qui,ſcilicet, Ur Chaldæorum dicitur, pro eo, quod igne concupiſcentiæ mundus continuè inflammatur. Abraam autem eſt homo, cujus terra eſt terrena poſſeſſio. Cognatio eſt carnalis delectatio. Domus Patris ſive parentum eſt amicorum affectio. Terra verò, quam Deus nobis oſtendit, eſt vita ſpiritualis, religio & perfectio. Dico igitur,quod Abraæ, id eſt,cuilibet peccatori, qui in Ur Chaldæorum, id eſt, in mundo vel in igne concupiſcentiæ habitat, à Deo præcipitur, quod inde, quantum ad affectum, exeat, quod terram, id eſt, terrenorum amorem, cognationem, id eſt, propriæ carnis delectationem, & decorem domus Patris ſui, id eſt, proprii generis nobilitatem, & honorem contemnat penitùs & dimittat,quodque ad terram, quam ipſe Deus monſtrat, id eſt, ad ſtatum pœnitentiæ, vel ad vitam ſpiritualem ſe transferat & transducat. Sic enim ſibi promittitur dilatatio gratiæ, promotio & exultatio gloriæ, & poſſeſſio cæleſtis Patriæ. Sicut etiam patet, Chriſto dicente Matth. 19. *Vos,qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me*, &c.

Vel dic allegoricè, quod Abraam eſt Chriſtus, terra eſt Judæa, cognatio ejus fuit Judæorum populus, domus ſua templum & Synagoga. Igitur prædicta verba potuerunt eſſe Patris Dei ad Chriſtum dicentis: Egredere,quantum ad fidem, & quantum ad credulitatem de terra tua, cognatione, & domo, id eſt, de Synagoga,de templo ſeu Judaico populo, & veni in terram Chanaan,id eſt,ad populum gentilem,quam monſtravero tibi,ubi ſcilic. altare tuum,id eſt,Eccleſiam ædificabis, & ubi per fidem dilataberis B & volabis. Unde dicitur Iſaiæ 19. *In illo tempore erit altare Domini in Ægypto.*

Vel videtur, quod talia verba dicit diabolus homini, quem videt in ſtatu religionis vel gratiæ. Monet enim hominem, quod terram ſuam,id eſt,ſtabilitatem ſuam deſerat,& quod cognationem ſuam, id eſt, bonorum ſuorum ſocietatem dimittat, de domo Patris ſui,id eſt,de religione per Apoſtaſiam fugiat & recedat, & ad terram Chanaan, id eſt, ad mundum mente, & corpore ſe deflectat, & ibi promittit ſibi diabolus per vanam ſpem, quod faciet eum in gentem magnam, id eſt, quod faciet ipſum totaliter divitem & potentem, quodque ipſum in temporalibus dilatabit, & quod terram Chanaan, id eſt, mundum in poſſeſſionibus continuò ſibi dabit, ſicut ſupra videbatur dixiſſe mulieri: *Quacunque die comederitis,eritis ſicut dii.*

Fame invaleſcente in terra Chanaan deſcendit Abraam in Ægyptum,ut peregrinaretur ibidem. Pharao autem Rex ſibi ſuam mulierem abſtulit,ſed tandem immunem ſibi eam reſtituit. Ipſe vero fame ceſſante in terram promiſſionis rediit.

Sic verè cum quis urgente fame avaritiæ, terram promiſſionis, id eſt,clauſtrum vel devotionem dimittit, & in Ægyptum, id eſt,in mundum & mundi negotia deſcendit, ſtatim adeſt Pharao Rex Ægypti,id eſt,diabolus princeps mundi,qui uxorem ejus,id eſt, divinam gratiam ſibi tollit. Veruntamen quandoque Deus ipſum ad pœnitentiam reducit,& uxorem ſuam, ſcilicet, gratiam ſibi reddit,& ceſſante fame avaritiæ, iterum in terram promiſſionis, id eſt, ſtatum ſalutis vel religionis, vel ad clauſtrum perducit, ità, ut dicere poſſit illud Prophetæ: *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Aſcendit ergo Abraam de Ægypto.

Moralitatum Cap. X.

LOth & Abraham quamvis eſſent amici & fratres, nequibant tamen habitare communiter, quia erat poſſeſſio eorum nimia. Loth igitur diviſus ab Abraam, regionem circa Jordanem, quæ irrigabatur,ut Paradiſus,elegit, ubi cirò poſt cum aliis captus fuit,c.14.Quatuor enim reges contra Sodomã,ubi habitabat, venerunt, qui ipſum cum populo captivaverunt. Abraam tamen occurrens adverſariis obviavit, & Loth de eorum manibus liberavit. C

Sic verè quotidie fit, quod illi, quorum eſt poſſeſſio nimia,ſcilicet,divites hujus mundi, ſimul ſeu concorditer habitare non poſſunt,imo ab invicem per lites, & controverſias dividuntur: terrena enim poſſeſſio eſt diviſionis occaſio. Sæpè etiam fit, quod Loth, qui interpretatur declinans, id eſt, aliquis, qui ab Abraam,id eſt, à bonorum vicinorum ſocietate declinat, & ex hoc circa Jordanem mundanæ proſperitatis poſſe habitare ſe putat, qui tamen ab hoſtibus,id eſt, à vitiis & tribulationibus captivatur, ità, quod oportet,quod ab Abraam,quem dimiſerat,id eſt, ab illo fratre, ſocio vel amico,cujus ſocietatem dereliquerat & contempſerat, adjuvetur. Igitur non eſt bonum, bonam ſocietatem,& concordiam dimittere, nec ſolum ſeu ſolitarium manere, nec mundi proſpera ultra debitum affectare, ſed ſimul per concordiam quieſcere & manere. Unde dicitur Gen. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.*

Capitulum decimum quintum. Textus. His itaque tranſactis factus eſt ſermo Domini,

Moralitatum Cap. XI.

DOminus præcepit Abraæ, quod ſacrificaret ſibi vaccam, capram & arietem triennes, columbamque & turturem. Abraam ergo animalia diviſit, volucres ſine diviſione ad partem poſuit. Tandem aves cœli cadavera ſacrificii volebant comedere, ſed Abraam eas abegit. In ſero verò clibanus ardens apparuit, qui ſacrificium conſumpſit: Dominus verò multa bona Abraæ promiſit, & ſibi ſecreta plurima revelavit.

Revera

Digitized by Google

Revera videtur,quod in iſtis ſacrificiis ſignificantur omnes illi, quos ſibi Dominus vult ſpiritualiter immolari. Ibi enim ſunt aves, id eſt, contemplativi; animalia, id eſt, activi. Aves igitur præcipiuntur non dividi, pro eo quod contemplativi nec per mundi negotia, nec per afflictiones varias ſunt diviſi, imo per contemplationem in Deum tendunt integri & perfecti. Unde dicitur Lev. 1. *Avem non ſecabit, nec ferro dividet.* Iſtæ etiam aves, ſcilicet contemplativi, dicuntur turtures propter caſtitatem,quam ſervant, dicuntur columbæ propter ſimplicitatem, quam amant. Iſti etiam pro Domino dicuntur oblati, ſcilicet, par turturum aut pulli columbarum. Animalia autem (ſicut dictum eſt) ſunt activi, qui ſcilicet, circa terram, id eſt, circa terrena negotia ſolent occupari & manere. In iſtis vero eſt vacca jugo ſubdita, quæ ſignificat ſubditos, aries dux gregis,qui ſignificat Prælatos, capra
D macilenta, quæ ſignificat pœnitentes laborioſos. Igitur quilibet iſtorum debet eſſe triennis, quia videlicet vacca, id eſt, ſubditi, debent eſſe triennes per fidem Trinitatis, quam debent ſimpliciter credere. Vel per tria vota religionis, obedientiam ſcilicet, paupertatem & caſtitatem, quæ debent firmiter continere. De quo dicitur Eccl. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Aries, id eſt, Prælati debent eſſe triennes per tres virtutes Theologicas, fidem, ſpem,& charitatem,quas debent habere veraciter: de quibus Apoſtolus 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes & charitas, tria hæc.* Capra verò,id eſt, pœnitentes debent eſſe triennes, ſecundùm tres partes pœnitentiæ,ſcilicet,contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, quas debent veraciter implere, de quibus dicitur Exod. 3. *Viam trium dierum ibimus in ſolitudinem.* Ut & ſic quilibet iſtorum dicat illud Eccli. 25. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo.* Talia igitur ſacrificia, id eſt tales perſonæ ab avibus, id eſt, à dæmonibus tentantibus impetuntur,ſed ab Abraa, id eſt, à Deo vel à bono Prælato defenduntur. Clibanus etiam ardens, id eſt charitas perfecta tales inflammat, ipſoſque Deo immolat, & præſentat.

Capitulum decimum ſextum. Textus. Igitur Sarai uxor Abraam.

MORALITATUM CAP. XII.

CUm Sara uxor Abraæ ſterilem ſe videret, tradidit ancillam ſuam Abraæ viro ſuo, ut ſibi in ea filium generaret, quæ tandem inter genua ſua pareret & adſcriberet ſibi partum. Agar autem concepiſſe ſe videns,contempſit dominam,quæ cum ipsâ affligeret, fugam iniit Agar, quam tamen in deſerto Angelus vagan-
E tem & fugientem invenit, ſibique dixit: Agar ancilla Sarai, unde venis,& quo vadis? Conſulit ergo Angelus,quod rediret, & quod ſub manu dominæ ſuæ cervicem ſupponeret, & ne amplius ſuperbiret contra eam. Filium etiam ex ea generandum prædixit, & ab ipſo duodecim duces proceſſuros promiſit.

Iſtud poteſt exponi moraliter, & dici, quod Abraam eſt homo, qui revera habet uxorem & ancillam: quia ſcilicet, Sara uxor ſua ſignificat animam. Agar verò ancilla ſignificat carnem. Sara ergo, id eſt,anima de ſe eſt ſterilis, quia, ſcilicet, anima de ſe,nec per ſe nihil poteſt operari vel facere, nec partum cujuſcunque boni operis generare, cum non habet organa, & ideo oportet,quod ancilla ejus, ſcilicet, caro pariat filium, id eſt, faciat bonum ejus, quia licet à mente procedat boni operis ordinatio ſicut à domina, tamen à carne procedit executio boni operis ſicut ab ancilla. Veruntamen quia iſta ancilla, id eſt, caro concepiſſe, & aliquid boni feciſſe ſe videns, quandoque in ſuperbiam erigitur, dominamque ſuam contemnens, in deſerto mundi circa bona terrena vagatur, ideo Angelus, id eſt, Deus vel bonus prædicator, vel Prælatus, ipſam reprehendit tam de contemptu Dominæ, quàm de fuga. Dicit ergo ſic: *Agar ancilla Sarai unde venis, & quo vadis?*

O tu Agar, quæ interpretaris ſomnium vigiliæ, id eſt, ô caro! quæ ſemper ſomnias vigilias, & ludibria hujus mundi, quæ es ancilla Sarai,id eſt,animæ:rogo,unde veneris,adverte, & quo vadis, & qualis eſt nativitas tua, & qualis mors? unde naſceris, qualiter morieris:quàm vilis ingrediendo, & quàm flebilis moriendo! & cave, quod de cætero animam tuam dominam non contemnas, ſed ei ſervias,obedias & intendas,quia,ſcilicet, dicitur in Pſ. 122. *Oculi ancillæ debent eſſe in manibus dominæ ſuæ.*

Vel dic,quod quando domina,anima,laxat frænum ancillæ,id eſt, carni, ita quod ipſam dominam permittit concumbere carnaliter cum Abraam, id eſt, aliqua carnali vel temporali voluptate, tunc ſtatim concipit Iſmaelem, id eſt, malum propoſitum quod, ſcilicet,contra Iſaac,id eſt, contra virtutes quotidie facit bellum, concipit etiam quandoque divitias, delitias & ſæculares ſcientias, & alia mundi bona, ita quod tunc iſta ſuperba efficitur, in tantum quod dominæ ſuæ,animæ, nequaquam obedire dignatur, quinimo ſi domina, anima, ipſam velit à ſuperbia reprimere,& per abſtinentiam affligere, ſtatim ſolet ad deſertum vitiorum tranſire, & à jugo virtutum fugere & abire. Unde dicitur Hie. 2. *A ſæculo confregiſti jugum, rupiſti vincula, dixiſti,non ſerviam.* Iſta etiam per Angelum, id eſt, prædicationem vel religionem, vel confeſſionem eſt reducenda, & ſibi dicendum eſt, Agar ancilla, &c. per omnia F
ſicut ſupra.

Vel dic recte: Sara ſignificat mihi aliquos magnos conſiliarios principum vel magnatum, qui quandoque habent aliquam ancillam,id eſt,aliquam perſonam vilem & ſervilem, ſcilicet, de humili plebe natam,quam diligunt, & ipſam Abraam viro ſuo ſupponunt, & in ejus ſervitio ponunt, & ut ipſi exinde filium ſuſcipiant, id eſt, ut exinde lucrum, & obſequium habeant: ipſos cum magiſtris promovent & extollunt, qui tamen ſtatim ut cœperint per divitias imprægnari, incipiunt ſuperbire: & Saram dominam ſuam, & illum, qui ipſos ad officia promovent, ingratè ſolent contemnere, atque de eo non curare; quapropter ſæpe fit,quod tales ſolent eos affligere, & propter turpem ingratitudinem ad fugam, id eſt, ad amiſſionem ſtatûs,quem eis procuraverunt,compellere & urgere. Et ideo rectè poteſt talibus conſuli,quod erga dominam,id eſt,benefactorem humilientur,& contra ipſum inſurgere non conentur. Unde dicitur Eccl. 4. *Magnato humilia caput tuum.* Vel dico, quod Sara ſignificat Prælatum,qui ancillam ſuam,id eſt, ſubditum ſuum permittit, imo etiam procurat divitiis, & beneficiis aliquoties imprægnari: quapropter ſæpe fit,quod talis concepiſſe ſe videns, & divitias & ſcientias acquiſiviſſe,contra eum ſuperbit, ipſummet & ejus mandata contemnit: in tantum quod ſi Sara vel ipſum affligere vel corrigere nititur, ſtatim per apoſtaſiam, vel per appellationem ad deſertum mundi, & ad Romanam Curiam citò fugit, & vagabundus per mundum perambulat, & incedit. Angelus igitur, id eſt, quicunque bonus debet talibus conſulere, quod redeant, & quod Saræ,id eſt, Prælato ſuo obtemperent, & quod humilitate prævia ipſius pacem quærant, dicendo illud Hiere. 31. *Revertere ad civitates tuas, uſquequo delitiis ſolveris filia vaga?*

Vel dic, quod prima uxor Abraæ fuit ſynagoga, quæ à principio fuit ſterilis, & in fine Iſaac, qui interpretatur gaudium, id eſt,Chriſtum generavit. Ancilla ſua eſt gentilitas vel Eccleſia collecta de gentibus,quæ ſe concepiſſe ſpiritum ſalutis videns,dominam ſuam, G
id eſt Eccleſiam de Judæis natam, pro eo quod dominum crucifixerunt,contemnebat, ſicut dicit Apoſtolus. Rom. 3. Illam ergo tanquam dominam alii honorare jubentur,& contra eam ſuperbire vetantur. Unde poſtquam Apoſtolus dixit, quod in Eccleſia non eſt differentia Græci, & Judæi, ſequitur, *quid ergo habet Judæus Græco amplius? multum per omnia.*

Vel dic, quod etiam nos, qui ſumus ex gentibus, non debemus ſynagogam,quamvis induratam & ſterilem, vilipendere, ſed eam quadam reverentia honorare,pro eo quod ab illa ſcripturæ, & fidei principia habuimus. Quæ etiam Papa facere dicitur, quia, ſcilicet, rotulam legis Moyſi à Judæis oblatam in die conſecrationis ſuæ oſculari nullatenus dedignatur.

Capitulum decimum ſeptimum. Textus. Poſtquam verò nonaginta & novem annorum.

MORALITATUM CAP. XIII.

ABraam præceptum fuit, quod octava die omne maſculinum circumcideretur, & quod certa portio de ſui carne præputii auferretur, ut ſic populus Dei à gentibus diſtingueretur.

Octava dies eſt tempus gratiæ,quod poſt ſabbathum legis ſuccedit. Nos igitur, qui ſumus in iſto octonario, id eſt in ſtatu & tempore gratiæ, debemus eſſe à cunctis ſuperfluitatibus circumciſi, & maximè à præputio carnis noſtræ,id eſt,à concupiſcentia carnali: & ſicut ſoli maſculi,non fœminæ circumcidebantur, ſic etiam hodie maſculi, ſcilicet, perfecti,non fœminæ, i.e. imperfecti ſe à vitiis circumcidunt,& ſicut in circumciſione nomen imponebatur, ſic boni, qui à vitiis circumciſi ſunt, nomen bonæ famæ præ aliis conſequuntur. Unde dicitur Eccl. 5. *Nomine æterno hæreditabit illum Dominus Deus noſter.*

Vel dic,quod octonarius eſt tempus futuræ reſurrectionis, ubi pro certo caro noſtra à cunctis ſuperfluis paſſionibus circumcidetur,à cunctis defectibus ſecludetur. Unde Luc. 2. *Octava die venerunt circumcidere puerum.*

Cap. 17. Antequam Abraam & Sarai Iſaac generarent, præcepit dominus,quod nomen ſuum creſceret,& diceretur Abraam, Sarai quoque nomen ſuum minueret & diceretur Sara.

Per Abraam intelligitur intellectus, per Sarai autem uxorem intelligo voluntatem. Iſti enim duo, ſcilicet, Abraam & Sarai debent ſimul Iſaac,id eſt,bonam prolem & bona opera parere, & fructum virtutum domino generare. Sed revera ad hoc requiritur, H
quod Abraam, id eſt, intellectus creſcat veritatem cognoſcendo,Sarai, id eſt, voluntas decreſcat, ſe à concupiſcentiis refrænando. Voluntas enim, quantum poteſt, debet in actu ſuo, id eſt, in concupiſcentia boni ſe rationabiliter moderare. Scriptum eſt enim, *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.* Eccleſ. 18. *Si præſtas animæ tuæ concupiſcentias ſuas, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Debet ergo dicere Sarai de Abraam, id eſt voluntas de intellectu,illud Joan. 3. *Illum oportet creſcere, me autem minui.*

Vel dic de conjugibus, quod quando vir creſcit per bonitatem, mulier verò decreſcit per humilitatem, tunc faciunt Iſa-

Digitized by Google

ac,id est, risum, & gaudium per communem jucunditatem: tunc enim conjugium prosperatur, quando mulier subjicitur, & vir dominatur, &c. Quod tamen est contra multas dominas hodiernas, quæ viris dominari nituntur. Unde dicitur Esa. 3. *Mulieres dominatæ sunt eis.*

Vel dic quod vir est Prælatus, quia debet crescere virtute, & auctoritate, mulier est subditus, quæ debet minui humilitate, ut sic simul generent Isaac, id est, risum, hoc est dictum, ut sic perseverent in gaudio, & prosperitate. Debet enim prælatus crescere & se magnum ostendere, ne familiaritas pariat contemptum. Subditus vero debet humiliari, & minui, ne superbia pariat despectum, unde dicitur Gen. 16. *Humiliare sub manu dominæ.*

Capitulum decimum octavum. Textus. Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre.

Moralitatum Cap. XIV.

SOdomitæ populi pessimi dicebantur, qui scilicet, per horribilem infectionem luxuriæ, viris abutebantur, advenas & paupetes recipere dedignabantur, & *abundantia panis, & vitæ superbia* fruebantur Ezech. 16. Propter quod quia ipsos Deus delere decre- A verat, locutus fuit dominus Abraham, dicens, quod descendere volebat, ut videret, si crimen illorum famæ & clamori hominum responderet. Abraham autem audita Domini voluntate, pro Loth nepote suo, qui habitabat in Sodomis, sollicitus domino allegare incepit, quod non deceret Deum, quod perderet justum cum impio. Sibi vero dicit Dominus, quod propter decem justos si inverentur ibi, civitati toti parceret: benignitatem jugiter repromisit.

Ista autem possunt exemplariter allegari: quomodo mundi prosperitas causa est multorum malorum: quæ sicut dicitur Eze. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, abundantia panis, & superbia vitæ: & manum pauperi non porrigebant.*

Item potest allegari: quod judex non debeat verbis credere, imo ad inquirendum veritatem criminis debet personaliter descendere: licet tanquam privatam personam constaret veritatem facti ipsum scire, sicut, scilicet, constat, quod Dominus crimen istorum sciebat: & tamen velle descendere pro veritatis scrutinio se dicebat.

Item potest allegari: quod quando infortunium est futurum: quilibet debeat esse sollicitus pro amicis: exemplo Abraam, qui amore Loth cum Domino disputabat.

Item potest allegari: quod justus nō debeat orare pro injusto, quod liberetur à pœna, quamquam sit propinquus, quia Abraam non legitur orasse pro Loth, nec pro eo allegasse, nisi in quantum supponebat eum justum.

Item potest allegari, quod pauci justi sunt quandoque causa salvationis magni populi: patet hic: ubi dominus promittit se civitati parcere, si decem justi invenirentur ibidem, ista aliter exponere non oportet.

C. 18. Tres Angeli missi à Deo pro Sodoma destruenda, inventi sunt ab Abraam: & ad convivium invitati Qui scilicet, sub arbore quieverunt, pedes laverunt, & panes subcineritios & vitulum comederunt: qui tandem sibi generationem Isaac promiserunt. Sic vere quando Abraam, i.e. homo offert Deo sacrificium & convivium spirituale, scilicet, loturam pedum, id est, confessionem mundificativam, umbram arboris, id est, crucis memoriam refrigerativam, subcineritium panem, i.e. mortis considerationem incinerativam, lac, i.e. devotionem, vitulum, id est, spiritualem cordis exultationem, tunc pro certo Isaac, id est, risus æternæ gloriæ sibi promittitur, & sibi à Deo & Angelis æternum gaudium & lætitia propinatur. Unde dicitur Esa 61. & 55. *Lætitia sempiterna erit eis, gaudium & exultationem obtinebunt.*

Vel dic quod Abraam est Deus Pater vel Prælatus, qui, scilicet, invitat Angelos, i.e. viros Angelicos & justos ad confessionis lotu- ram, ad arboris, id est, crucis memoriam, ad lac devotionis, ad recordationem futuræ incinerationis, & comestionem vituli Christi in Sacramento Altaris. *Laventur* (inquit) *pedes vestri, & requiescite sub arbore, &c.*

B Cap. 19. Cum duo Angeli in forma juvenum Sodomam advenissent, & in platea manssissent, Loth recepit eos hospitio. Sed cum viri civitatis, ut ipsis juvenibus abuterentur, fores domûs irrumperent; Loth vero pro Angelis, quos credebat homines, tantâ immunditiâ liberandis, uxorem & filias virgines ipsis malis hominibus ad satiandam suam libidinem obtulit, quas recipere non volebant, imo fores ipsius confringebant, tandem percussi sunt ab Angelis cæcitate, ita quod ostium invenire non valebant. In crastino vero Angeli ipsum Loth, uxorem & filias eduxerunt; sed duo generi Loth, submersionem urbis futuræ credere noluerunt, imo cum eis diceretur à Loth, quod exirent: ipsum loqui deliratoriè crediderunt, quapropter & civitas & ipsi cum populo, igne & sulphure in crastino perierunt.

Istud enim poterit allegari sine altera expositione ad tria, videlicet quod in peccato contra naturam mens hominis plus quàm aliis vitiis excœcatur. Tales enim homines dicuntur cœcitate percuti, pro eo quod super omnes homines hi sunt cæci. Isti etiam malefici ostium non inveniunt, quia pro certo isti ostium paradisi, ubi sunt Loth & Angeli, non intrabunt Esa. 59. *Palpavimus quasi cæci parietem.* Et propter hoc Sodoma bene interpretatur muta, quia, scilicet, tales in judicio erunt muti, pro eo quod excusationem aliquam non habebunt, Ps. 30. *Muta fiant labia dolosa.* Item allegari potest, quod minus malum tolerandum est pro majori malo vitando, sicut Loth prostitutionem uxoris & filiarum sustinere volebat, ut crimen Sodomiticum vitaretur. Item potest allegari quod impossibile est eum à morte eripere, quem etiam occulta Dei providentia decreverat punire, sicut patet de istis generis Loth, qui noluerunt credere, ut exirent, disponente domino, quod cum aliis, cum quibus deliquerant, interirent. Unde dicitur Eccles. 7. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Hoc enim quoti- C die percipitur, quasi scilicet, homo voluntarius in fata ruit, ita quod non obstante consilio contrario ad infortunia lætus currit, secundùm quod occulta Dei justitia seu providentia ipsum ducit. Vel allega ista exemplariter ad bonum hospitalitatis, quæ liberationem sui & suorum meretur. Unde Apostolus Heb. 3. *hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc quidam placuerunt Angelis hospitio receptis.*

Capitulum decimum nonum. Textus, Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere.

Moralitatum Cap. XV.

CUm Deus civitatem Sodomæ cum aliis quatuor propter horrenda crimina sua igne & sulphure delendas decrevisset, dictum fuit Loth, quod unà cum uxore & filiabus civitatem exiret, quod in omni circa regione nullatenus remaneret, sed in monte potiùs se salvaret. Dictum etiam fuit eis, quod non respicerent retro, cum incederent, sed quod ad montem recto itinere properarent: veruntamen quum jam micarent fulgura, & audirentur tonitrua, & ignis, & sulphur de cœlo mitterentur in urbem, sicut testatur Solinus, qui de Sodoma loquens dicit, quod ipsam de cœlo tactam testatur humus nigra; Uxor Loth reversa retro respexit, quapropter, quia inobediens fuit, statim in salis statuam versa fuit.

Civitates istæ mundum designant, & etiam mundi status, ubi quia plura crimina abundare noscuntur, propter quæ Deus subversionem, & ignem, & damnationem eisdem comminatur, consulit dominus devotis omnibus suis, quod inde, quantum ad affectum, exeant, & in montem religionis, & perfectionis, & etiam contemplationis ascendant, quodque in omni circa regione, id est in mundi negotiis & officiis, & deliciis non maneant, sed recedant, & quod omnino caveant, ne retro se respiciant, & quod scilicet, ad vitia, quæ confessi fuerunt, per recidivationem non redeant, nec ad mundi bona, quibus renunciaverunt, per desideria retrocedant, nec per apostasiam se ab itinere salutis, quam professi sunt, retrovertant. Quia sicut dicitur Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Retro enim non debet respicere pœnitens recidivando, religiosus apostatando, contemplativus in mundi se negotiis implicando, quinimo ipse debet continuare iter suum in bonum proficiendo. Sed pro certo quidam sunt, sicut uxor Loth, qui, scilicet, tonitrua tentationum audientes, ignem concupiscentiæ sentientes, fulgura tribulationum videntes, retro respiciunt, ad vitia seu bona temporalia, quæ dimiserant, se convertunt, iter, quod inceperant, dimittunt, & per inconstantiam vitæ retrocedunt. Sicut etiam de infidelibus amicis patet, qui, scilicet, audita modica tribulatione vel difficultate, ab incepta fidelitate desistunt. Tales enim sunt religiosi, qui, scilicet, ad bona mundi, quibus renunciaverunt, libenti animo retrocedunt, contempto religionis & contemplationis monte, versus vallem mundi negotiorum respiciunt & accedunt. Tales igitur in statuam salis mu- D tantur, in quantum, scilicet, peccatores insensati, duri & obstinati efficiuntur, & in quantum in viros iniquos vertuntur. Ideo dicit Dominus: *Qui in agro est, non respiciat retro, memores estote uxoris Loth.* Luc. 17.

Cum Loth de Sodomis fugeret, ne igne & sulphure periret, petiit à domino, quod liceret sibi civitatem Segor parvulam introire; sed quia ibi fiebat creberrimus terræ motus, necesse habuit exinde fugere, & ad montem ascendere, & ibi se salvare.

Sodoma est vita carnalis, quæ igne & sulphure luxuriæ fœtet. Segor vita conjugalis, quæ terræ motus multarum sollicitudinum sustinet, mons vero est vita contemplativa & Ecclesiastica vel claustralis, quæ stabilis & tuta manet. Loth igitur qui interpretatur declinans, est ille, qui juxta Psalmistæ consilium Psalm. 36. declinat à malo, ut faciat bonum, qui scilicet ignem & sulphur carnalis vitæ fugit, & in Segor, id est, in statu conjugali tutus manere credit. Sed finaliter attento motu tentationum, tribulationum & miseriarum istius civitatis, ad montem religionis vel Ecclesiæ ascendit, & sic à carnali inflammatione se liberat & evadit, Esa. 2. *Venite ad montem domini.*

Loth in Sodomis legitur bonus fuisse, nec unquam luxuriæ & ebrietati vacavisse, in monte tamen, ubi pro se salvando fugam iniit, legitur se inebriasse, & cum propriis filiabus incestum & adulterium commisisse.

Sic

Digitized by Google

Sic verè hodie ſunt multi alii, qui de valle ad montem, id eſt, de mundo ad religionem, vel de ſæculari ſtatu ad Eccleſiaſticum aſcendunt, & ſic periculum damnationis evadere, & ibidem ſe ſalvare credunt, qui tamen ibidem ebrietati & luxuriæ vacantes, deteriores fiunt, & damnationis periculum plus incurrunt. De quo Hier. 1. conqueritur Dominus: *Quid eſt* (inquit) *quod dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa?*

Capitulum vigeſimum primum. Textus. Viſitavit autem Dominus Saram ſicut promiſerat, & implevit.

Moralitatum Cap. XVI.

Abraam duos filios habuit, ſ. Iſaac de libera, & Iſmael de ancilla. Iſmael autem fuit ferus homo, venator & ſagittarius, de quo dicitur ſupra 16. *quod manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione fratrum ſuorum figet tabernacula.* Iſaac autem fuit bonus & manſuetus. Veruntamen Iſmael (ſecundum Paulum Apoſtolum Gal. 4.) ſemper fratrem ſuum Iſaac opprimebat; & eidem moleſtias magnas inferebat, quapropter cum Sara mater Iſaac hoc quadam die cerneret, dixit ad Abraam, Ejice ancillam & filium ejus. Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Igitur Agar cum filio Iſmael ejicitur, uter aquæ & panis ſibi ab Abraam in ſcapulis imponitur, & dimiſſa per deſerta, ſitienſque vagatur aquâ conſumptâ. Angelus vero domini apparens oſtendit puteum ſitienti, & ſiccam conſolatur.

Abraam ſignificabat bonum Prælatum, qui revera in domo ſua, id eſt, Eccleſia habet duo genera filiorum, quoſdam bonos more Iſaac, quos ſcilicet divina gratia generavit; quoſdam vero malos more Iſmael, quos ſibi uxor ancilla, id eſt, diabolus, vel ſimoniaca ambitio, vel carnalis affectio procreavit. Sed revera inter iſtos ſemper ſolent eſſe jurgia, quia Iſmael ſignificat malos & maximè diſcolos & perverſos, qui revera per contradictionem omnibus ſe ſubjiciunt, & è regione fratrum ſuorum tabernacula ſua figunt, in quantum omnium aliorum voluntatibus contradicunt, ita quod manus eorum contra omnes, & manus eorum obſint. Unde Apoſtolus: *Deum non amant, & cunctis hominibus adverſantur.* Iſti duo ſemper ſolent perſequi Iſaac, quia, ſcilicet, mali ſemper ſunt ſolliciti bonos offendere & eis inimicari. Ideo dicitur: Contra bonum malum eſt, & contra vitam mors, ſic & contra juſtum virum peccator. Sed quid? pro certo iſti non debent eſſe hæredes in Eccleſia, nec quantum ad beneficia temporalia, nec quantum ad bona ſpiritualia. Ideo Abraam id eſt, Prælatus debet eos ejicere, & unà cum matre ſua ſimoniaca vel affectione carnali ab Eccleſia ſegregare, dicens illud Jud. 11. *Hæres in domo noſtra eſſe non poteris, quia de adultera natus es.*

Vel dic etiam, moraliter loquendo, quod duæ iſtæ mulieres, Sara libera, Agar ancilla ſignificant animam & carnem, & Iſaac filius ſignificat opera bona, quæ ab anima producuntur; Iſmael autem filius ancillæ, ſignificat opera mala, quæ à carnis concupiſcentia procreantur, Iſaac igitur ab Iſmaele impugnari dicitur, quia conſtat, quod carnis opera ſolent ſpiritualibus operibus inimicari, & contra ea præliari, Unde Apoſtolus Gal. 5.: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, hæc enim ſibi invicem contrariantur. Sequitur: manifeſta ſunt opera carnis. Abraam, id eſt, homo, quando videt iſtos duos filios, id eſt, Iſmael & Iſaac, id eſt malos affectus, cogitatus, & opera conſligere contra bonos, & in domo cordis ſui videt ipſa opera carnis, opera Spiritûs moleſtare, tunc oportet ancillam, & filium ejus, id eſt, carnem & opera carnalia ejicere & deprimere, & ad deſertum pœnitentiæ mittere, & panem & aquam per abſtinentiam ſibi imponere, & ſic ibi Angelum teſtamenti Chriſtum poterit invenire, qui puteum miſericordiæ ſibi poterit demonſtrare.

Capitulum vigeſimum ſecundum. Textus. Quæ poſtquam geſta ſunt, tentavit Deus.

Moralitatum Cap. XVII.

Gen. 22. Volens Deus tentare Abraam, præcepit ſibi, quod filium ſuum, quem diligebat Iſaac, tolleret, ipſumque ſuper quendam montem, quem ſibi oſtenderet, occideret, & ei immolaret. Tulit ergo Abraam ſecum filium ſuum Iſaac unà cum duobus juvenibus & aſino, quos ſcilicet, ad pedem montis dimiſit. Ipſe autem Abraam & filius ejus, qui ligna, quibus erat ſacrificandus, portabat, montè aſcendit, ignem & gladiũ in manibus tenuit, & ligna ſacrificio præparavit. Succenſis autem ignibus, accepit Abraam filium ſuũ, & projecit ſuper aram. Cumque manum ad gladium extenderet pro filio occidendo & domino immolando, ſtatim affuit Angelus, qui prohibuit, & qui arietem, qui hærebat in monte inter vepres cornibus, loco pueri interficere ſibi jubet. Sic ergo fit, quod dum aries occiditur, Iſaac liberatur, ſanuſque ad juvenes revertitur, à quibus inferius adventus ipſius expectabatur.

Abraam eſt Deus pater, Iſaac Dei filius, aries ipſius Dei filii corpus; ligna, vepres, & ara, crucem deſignant; gladius & lancea, & clavos; ignis, etiam paſſionis ardorem ſignificat; duo juvenes remanentes, duos populos ſignificant non credentes. Judæos, ſcilicet, & gentiles; aſinus autem, qui eos comitatur, ſignificat ſtultitiam, quâ increduli habebantur. Dico igitur, quod Abraam, qui interpretatur Deus pater, Iſaac filium ſuum immolandum in arca crucis decrevit, ita quod gladium & ignem, id eſt, ipſius paſſionis aſperitatem contra eum præparavit, accidit tamen, quod Iſaac, id eſt, filii deitas nil patitur, aries verò, id eſt, Chriſti ſola humanitas immolatur, dum, ſcilicet, cornua ejus, id eſt, manus ad modum cornuum extentæ inter vepres, id eſt, inter ligna crucis clavo tenus alligantur, & crucis cornibus aſtringuntur, Abac. 3. Unde dicitur: *Cornua in manibus ejus.* Duo verò juvenes, id eſt, duo populi, Judæi videlicet & gentiles, in infidelitate ſua pro majori parte manſerunt, in quantum ad montem fidei non aſcenderunt, nec incarnationis aut paſſionis myſterium cognoverunt. Qui etiam aſinum, id eſt, ſtultitiam habuiſſe dicuntur, pro eo, quod iſti in ſua ſtultitia obſtinati leguntur, nec credidiſſe, quæ credenda fuerant, probantur, Luc. 24. Unde: *O ſtulti & tardi corde ad credendum in his, quæ locuti ſunt Prophetæ.* Apoſtol. Rom. 1. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Capitulum vigeſimum quartum. Textus. Erant autem Abraam ſenex, dierumque multorum.

Moralitatum Cap. XVIII.

cap. 24. Poſtquam Abraam de Sara uxore ſua filium ſuum Iſaac genuiſſet, ipſumque filium immolare tentaſſet, & in loco filii arietẽ occidiſſet, filius vero nihil mali paſſus fuiſſet, accidit, quod Sara ejus uxor mortua eſt, Gen. 24. Quod videns Abraham ſicut dicitur hic: Servum ſuum Eliazar miſit in Meſopotamiam, terram, ſcilicet, gentilium, ut & filio ſuo Iſaac procuraret uxorem. Venit igitur in civitatem Nachor, ubi erat puella pulcherrima, ſcilicet, Rebecca, filia Bathuelis, quæ deſcendit ad fontem, ut impleret hydriam ſuam. Ab illa igitur puella aquam ſibi dari petiit. Quæ non eum ſolum, ſed etiam & Camelos ſuos adaquavit. Iſte autem ſervus cauſam legationis ſuæ Rebeccæ parentibus aperuit, & eam filio domini ſui tanquam procurator, ducit in conjugem, datiſque ſibi armillis & ornamentis, ad domum domini ſui ducit, ubi Iſaac meditantem in agro reperit, quæ viſo eo ſtatim de Camelo deſcendit, & pallio ſe involvit, ipſe vero puellam factis nuptiis ſibi matrimonialiter copulavit, eamque in tabernaculo Saræ matris ſuæ introduxit, & eam tantùm dilexit; quod amore ejus mortem matris ſuæ oblivioni dedit, & tandem duos filios, Eſau, ſcilicet, & Jacob generavit, quorum Eſau malus fuit, Jacob vero ſanctus & optimus homo fuit.

Sic verè poſtquam Abraham Deus pater de uxore ſua Sara, id eſt, de Synagoga genuiſſet Iſaac, id eſt, Chriſtum filium benedictum, arieſque, id eſt, Chriſti humanitas immolata fuiſſet in cruce, ipſeque Iſaac, id eſt, ipſa filii divinitas nihil paſſa fuiſſet, accidit quod uxor ſua ſynagoga per infidelitatem mortua fuit, in quantum eum, ſcilicet, fidem Incarnationis filii non recipit. Unde dicitur Joann. 1. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Et Ezech. 24. *Mortua eſt uxor veſpere*; quapropter Abraham Deus miſit ſervum ſuum, id eſt, Apoſtolorum & prædicatorum cœtum ad terram & civitates gentiles, ut ſcilicet, puellam nobilem ſcilicet, ipſam Eccleſiam de ipſa gentilitate natam, filio ſuo Chriſto in uxorem acciperet, qui ſcilicet hanc prædicant & rogant, ut de puteo & hydria naturalis Philoſophiæ, quam habebat, & de aqua ſcientiarum, quam continuè hauriebat, camelos ſuos, id eſt, fideles populos adaquaret, quia revera Eccleſia collecta de gentilibus, puteo ſuo, id eſt, ſcientiis phyſicis multùm adaquavit fideles, multùm etiam fugavit hæreticos infideles, ſicut in Auguſtino apparuit, qui etiam ante fidem clericus inter gentiles magnus fuit. Igitur ſervus, i. prædicatorum cœtus, iſti puellæ, id eſt, Eccleſiæ primitivæ armillas & ornamenta gratiarum & virtutum donaverunt. Iſaac vero, i. Chriſtus, qui jam ad meditandum in agro paradiſi per aſcenſionem aſcenderat, ipſam puellam ſibi matrimonialiter copulavit, eamque in tabernaculo matris ſuæ, id eſt, per ſacram ſcripturam, quæ fuit tabernaculum ſynagogæ, matrimonialiter introduxit, in quantum ſibi ſcripturarum dogmata revelavit. Ipſa vero Eccleſia, id eſt puella, viſo Iſaac, id eſt, cognita Chriſti majeſtate, de camelo, i. de ſuperbia gentilitatis ſe humiliando deſcendit, & pallio bonorum operum ſe involvit, exemplo Heſter. c. 5. quæ viſo Aſſuero dicebat: *Vidi te Domine ſicut Angelum Dei, conturbatumque eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ, valde es admirabilis Domine, facies tua plena eſt gratiarum.* Sic igitur fit, quod ab Iſaac & Rebecca, id eſt, à Chriſto & Eccleſia plures filii, i. plures Chriſtiani gignuntur, quorum quidam Jacob, quia boni, alii vero Eſau, quia mali, dici merentur, quia revera filii Chriſti & Eccleſiæ dividuntur in duos, quia quidam ſunt Jacob, i. boni à Deo amabiles. Alii vero ſunt Eſau, id eſt, mali & Deo odibiles. Unde Malach. 1. *Jacob autem dilexi, Eſau verò odio habui.*

c. 25. Cum Rebecca, ſecundum quod dicitur hic. cap. 25. duos filios concepiſſet, ſcilicet Eſau malum & Jacob bonum, & tempus partûs inſtaret, colliderant pueri in utero ſuo, ac ſi invicem dimicarent, quis eorum naſceretur prius, tamen

Digitized by Google

men factum est, quod Esau, qui malus est, natus est primus: Jacob verò bonus natus est ultimus. Fuit ergo Esau venator, & ideo pater ipsum amabat, eò quod de venationibus suis comedebat, Jacob verò qui erat simplex & agricola, qui venationes non portabat, à patre non in tantum dilectus erat.

Pater iste Isaac est Prælatus, mater vero est Ecclesia uxor sua. Igitur dico, quod ista mater Ecclesia in utero suo, i. in collegio vel in claustro quandoque concipit plures filios, id est, plures subditos, quosdam, similes Esau, id est, malos, quosdam verò similes Jacob, id est, bonos. Sic ergo fit quod quando tempus appropinquat, utpote quando vacat aliquod beneficium, ita quod aliquis promoveatur, & quod exterius pariatur, & per promotionem ad exterius beneficium emittatur in lucem, incipiunt isti pueri, scilicet subditi collidere, & parentes alter alterum impugnare, & hoc: quia vult quilibet primus ad promotionem exire.
B Sed quid? Pro certo Esau, qui fuit pilosus, primus exiisse dicitur, quia scilicet hodie illi, qui priores exeunt, dum tamen sint pilosi, i. divites, primi ad beneficia promoventur. Illi vero qui sunt Jacob, id est, boni & simplices, impromoti in claustri utero dimittuntur, vel saltem alijs postponuntur. Breviter enim istud est verum hodie, quod illi, qui sunt mali, dum tamen sint venatores & exactores, & de venationibus divitiarum suarum ipsis suis magistris munerum oblatores, sunt ab eis prædilecti. Illi verò, qui more Jacob sunt simplices, & pilis divitiarum nudi, nec venationi rapinarum dediti, ab eis sunt neglecti. Prælati enim & Principes nullum subditum & officialem vel familiarem diligunt nisi illum, de cujus venatione comedunt, vel à quo lucra vel munera ac emolumenta percipiunt, & de cujus rapina partem suam assumunt, nec alium in officiis suis libenter tenent, promovent vel extollunt. Unde Miche. 3. *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Vide supra cap. 16. de vipera. De quibus fit mentio, Gen. 26.

De puteis, quos Abraham & servi ejus, Isaac & servi ejus foderunt, quos ei Philistæi pro viribus obstruebant; Potest dici, quod Abraham est Deus pater, servi ejus fuerunt Prophetæ: Isaac Dei filius, servi ejus fuerunt Apostoli & Evangelistæ. Igitur dico, quod isti puteos scripturarum fecerunt, quia scilicet illi vetus testamentum, isti verò novum composuerunt. Sed pro certo Palæstini, id est, Judæi istos puteos nostros nituntur terrâ obstruere, dum intellectum scripturarum per terrenum sensum & perversum exponendo conantur occupare.

Capitulum vigesimum septimum. Textus. Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus.

Moralitatum Cap. XIX.

C cap. 27. Isaac senex & cœcutiens, dum duos filios haberet, scil. Esau primogenitum, & Jacob ultimo genitum, & primogenito suo benedicere decrevisset: vocavit eum, præcipiens quod arcum & pharetram suam sumeret, & quod in venationem iret, & cibos sibi gratos pararet, de quibus comedens benedictionis gratiam sibi daret. Igitur dum Esau pilosus ad venationem foris properans jussa patris exequitur, Jacob frater ejus junior domi remanens, benedictionem suam surripit & furatur, de consilio enim matris Rebeccæ duos hœdos præparat, vestibus optimis Esau se ornat, & manus suas, ut videatur pilosus, hœdorum pelliculis circumligat, & sic cibos nomine Esau patri præsentat, qui tangens manus ejus, pilosas esse sentiens, filium primogenitum ipsum putat dicens, quod licet haberet vocem Jacob, quod tamen manus erant Esau, & cum cibum comedisset paratum, benedictionem sibi & suo semini statim donat: primogenitus verò, qui jussu patris venabatur in agro, postea veniens nil reportat. Sic ergo factum est, quod virtute benedictionis junior, primogenito est prælatus, & minori fratri primogenitus est subditus, quodque pater cœcutiens, dum minorem filium primogenitum credidit, unum pro alio benedixit, & sic Jacob benedictionem Esau à patre habuit, virtute cujus in terra promissionis, quæ de jure debebatur primogenito, mox successit, & sic Jacob, id est supplantator dictus est, quia supplantavit fratrem taliter. *Justè* (inquit) *vocatum est nomen ejus Jacob.*

Per istum Isaac cœcutientem possum intelligere prælatum carnalem & ignorantem, & parum per rationem videntem, per uxorem enim Rebeccam, quæ interpretatur, multum accepit, intelligitur carnis affectio seu ambitio, quæ scilicet, hodie accipit universum. Unde Abacuc 1. *Totum in hamo sublevavit.* Per duos verò filios intelligitur subditorum suorum duplex conditio, quia, scilicet, quidam sunt primogeniti, id est, boni, qui sunt filii Ecclesiæ senes & maturi, exterius venationi dediti, id est, in negotiis Ecclesiæ occupati. Quidam vero sunt juvenes & insci, sicut sunt cognati & nepotuli, intus in domo Ecclesiæ quiescentes, & circa patrem & prælatum in aliquibus officiis commorantes. Igitur dico, quod quandoque accidit, quod Isaac, id est, malus prælatus per carnis affectionem, vel per ignorantiam cœcus factus, vult aliquam benedictionem, id est, promotionem impendere, & primogenitum filium, id est, aliquem antiquum, qui satis servivit Ecclesiæ, intendit prima facie promovere, ita quod sibi præcipit quod venationi & negotiorum administrationi vacet, ut benedictionem, id est promotionem reportet, dicens illud Apostoli 2. Timoth. 2. *Labora, sicut bonus miles Christi.* Quia D sicut dicitur in libro Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Veruntamen sæpe fit, quod dum tales primogeniti exterius jussa patris & utilitatem Ecclesiæ faciunt, tunc instigante matre sua, id est, carnali affectione & ambitione, juvenes domi remanentes primogenitos se esse dicunt, in quantú, scilicet, sibi debere dari promotiones asserunt, quia cibos, id est, munera simoniacè patri, id est, prælato offerunt, ostendunt & manus, id est, opera obsequiaque & servitia, quæ fecerant, unà cum pelle carnalis affectionis vel consanguineæ conjunctionis, quam prætendunt. Sic ergo fit, quòd taliter decipiunt patrem, id est, prælatum, qui se faciunt primogenitos, id est, magis bene meritos credere, & sic solent benedictionem, id est, promotionem, quæ debebatur primogenitis & antiquioribus, reportare. Sicque juniores antiquioribus præferuntur. Primogeniti verò boni & laborioši, qui post venationis & laborum studia pro remuneratione revertuntur ad patrem, in subjectione remanent, & supplantatores & impii promoventur, & terram promissionis obtinent, Eccles. 10. *Vidi servos in equis, & principes ambulantes sicut servos super terram.* Mater enim eorú, id est, ambitio, quæ optimè parare cibos novit, quibus prælati libenter vescuntur, duos hœdos, id est, munera duplicata & magna accipi mandat, vestesque optimas, id est, exteriorem pompam recipi consulit, & tandem manus pilis, id est, divitiis & muneribus circumvolvi præcipit. Quibus tactis manualiter, id est, apprehensis, iste Pater, id est, Prælatus ipsum esse primogenitum asserit atque dicit. *Nunquid tu es filius meus primogenitus Esau? Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. Tactui enim magis credidit quàm auditui, quia isti plus volunt munera tangere, quàm promissiones audire. *Fili* (inquit) *accede ad me, ut tangam te.* Accessi, &c. Statimque, ut sentit vestimentorum ejus fragrantiam, benedicens illi, ait: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Serviant tibi, esto Dominus fratrum tuorum.* Vide ibi.

Vel dic, quod Isaac, id est, malus Prælatus, quando vult dare benedictionem, id est beneficium vel præbendam, vocat primogenitum prædilectum, & ab eo prælectum, & sibi dicit, E quod ad venationem vadat, & sibi cibos afferat, id est, quod munera sibi procuret, & quærat, ut beneficium quod vacat, det sibi benedictionem pro munere. Veruntamen sæpe fit, quod dum procurat venationem suam, id est, munera, quæ debet sibi afferre, ab alio anticipetur, qui oblatis hœdis, id est, muneribus, pro primogenito acceptatur, & alius spe fraudatur. Sicque fit, quod ille, qui, prius cibos offert, & qui prius munera simoniaca patri profert, benedictionem & promotionem ab eo prius refert: ut qui prior apportat, prior habeat, & qui prior offerat reliquias, prior tangat. Solent ergo isti mali & pessimi Superiores, aliis supervenientibus, se excusare. *Venit*, inquit, *germanus tuus, fraudulenter abstulit benedictionem tuam. Benedixi ei & erit benedictus.*

Vel dic, quod iste pater est judex, qui revera illum non verè cognoscit, quem mediante pilo, id est, mediantibus muneribus vel affectione examinat atque tangit, & ideo fit, quod talis benedictionem alterius reportat, dum pro ipsa judex injustè judicat, & alterius justitiam sibi donat. Contra quod Esa. 5. *Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi auferis ab eo.*

Vel dic, quod Isaac est Deus, qui scilicet duos filios habuit, id est, duos populos, scilicet, judaicum populum primogenitum Oseæ 11. *Primogenitus meus Israel;* & gentilem etiam juniorem. Sed dum Esau, id est, populus judaicus exteriùs circa sensum literalem scripturæ remanet, junior gentilis domi remanens, id est, interiùs sensum scripturæ penetrans, patris benedictionem, scilicet fidem Christianam habet, & cœli benedictionem percipiet. Iste enim dum patri suo, Deo, ad instinctum matris suæ, gratiæ, cibum virtutum cum pellibus bonorum exemplorum præsentat, benedictionem fidei & gloriæ, quæ fratri suo primogenito, id est, populo judaico debebatur, reportat. Unde dicitur Matthæi 8. *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob, filii autem regni ejicientur foras.* Esau autem persequitur Jacob benedictum, & Judaicus populus odit & persequitur Christianum.

Vel istud potest allegari de occulta Dei providentia, quæ præter & contra voluntatem & spem hominum suum introducit effectum. F Decreverat enim Deus se Jacob benedictionem daturum, quapropter ipse fecit, quod contra propriam intentionem ipsum Isaac benediceret, & quod frater suus tunc temporis foris esset, quia scilicet sæpe fit, quod Deus homine præter intentionem tanquam instrumento suo utitur, ut finis, quem intendit, efficaciter consequatur.

Vel allega contra hypocritas, qui similes sunt Jacob, quia scilicet manus, id est, opera sua cooperiunt pellibus, id est, fictis palliationibus; quapropter sæpe fit, quod benedictionem, id est, promotionem reportant. Vel dic, quod de hypocrita potest dici,

Digitized by Google

ct,quod vox, inquit vox Jacob eſt, ſed manus ſunt Eſau, quia ſcilicet vocem habent bonam & verba honeſta, ſicut Jacob qui fuit bonus, manus autem impias habent & opera mala, ſicut Eſau qui fuit malus.

Capitulum vigeſimum octavum. Textus. Vocavit itaque Iſaac Jacob.

MORALITATUM CAP. XX.

SIcut dicitur Gen. 28. Jacob fugiens iram Eſau fratris ſui receſſit in Meſopotamiam ad Laban avunculum ſuum, ut ſic à fratris impetu ſalvaretur. Dum igitur eſſet in via ſuppoſito lapide capiti ſuo,obdormivit, & in ſomnis ſcalam cœlum tangentem aſpexit, & Angelos ſcalam aſcendentes & deſcendentes, dominumque innixum ſcalæ vidit. Tandem vero venit ad puteum, cujus os grandi lapide claudebatur, ubi oves & cameli adaquabantur, poſt hoc Lyam & Rachelem uxores accepit, & ipſi Laban multas divitias acquiſivit.

Revera ſic debet facere Jacob ſupplantator, id eſt, quilibet qui vult diabolum ſupplantare. Si enim videt quod Eſau frater ſuus, id eſt, diabolus, vel etiam corpus proprium ipſum ſequatur in patria patris, ſcilicet in mundo, & cum per diverſa vitia conetur occidere, debet ſtatim patriam & mundum per contemptum exire, & ad Laban, id eſt, ad Deum per orationem, & ad matris ſuæ, id eſt, divinæ gratiæ mandatum in terram alienam, ſcilicet ad religionem vel Eccleſiam, vel ad morum perfectionem tranſire. Supra 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram,quam monſtravero tibi.* Dum ergo talis viam perfectionis aggreditur, neceſſe eſt,quod à mundi tumultibus quieſcere volens, capiti ſuo ſupponat lapidem, id eſt, Chriſtum, qui eſt petra firma, ſcilicet ipſi per ſpem & deſiderium innitatur, quod ſi fecerit in pace,per mentis tranquillitatem quieſcet, ſcalam plenam Deo & Angelis per quam in cœlum aſcenditur,id eſt, viam virtutum, qui Chriſtus eſt, ubi & viri angelici aſcendunt in cœlum,cognoſcet, tandem puteum ſacræ ſcripturæ, qui grandi lapide, id
G eſt,grandi difficultate clauſus eſt, & qui pro adaquandis & potandis camelis & omnibus,id eſt, magnis & parvis ordinatus eſt,reperiet, & tandem duas filias Laban, ſcilicet, Rachelem & Lyam, id eſt, duas vitas filii Dei, contemplativam & activam in uxores accipiet, & ipſius Laban divitias, id eſt, virtutes & merita vel gloriam æternam à Deo percipiet & acquiret, & ſic poterit dicere illud Gen. 41. *Creſcere me fecit Dominus in terra paupertatis meæ.* Sed ſicut videmus quod Jacob quamvis eſſet valde ditatus, Eſau tamen fratrem ſuum ſibi occurrentem timebat, nec ipſum habere voluit ſocium vel vicinum. Sic dato,quod homo virtutibus ſit ditatus, ſemper debet fratrem ſuum, ſcilicet, corpus vel diabolum timere, & occurſum ejus, ſcilicet, tentationum ſuarum impetum formidare, propter quod debet Dominum exorare, dicens illud Geneſ. 32. *Libera me Domine Deus de manibus fratris mei, quia valde ipſum timeo.*

Vel dic quod Jacob eſt Chriſtus, qui ſcilicet, ad inſtinctum & ad preces matris ſuæ, ſcilicet, ſynagogæ, patriam ſuam, ſcilicet paradiſum dimiſit, & ad Laban, id eſt, ad mundum per incarnationem venit, ubi ſcalam quæ cœlos tangit, id eſt, crucem invenit, & ibi ſuperpoſito lapide ſepulchri dormivit. Factumque eſt,quod duas filias mundi, ſcilicet, animam & carnem ſibi copulavit uxores, & duas turmas ovium, id eſt, gentes duplicis populi acquiſivit, Judæos ſcilicet, & gentiles, &c. Iſte eſt enim qui dicit: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum,& nunc cum duabus turmis regredior.* Quia ſcilicet Chriſtus Jordanem mortis tranſivit, tandem cum duabus turmis, id eſt, cum fidelibus utriuſque populi ad patrem in aſcenſione redivit, dicens illud Luc. 15. *Surgam & ibo ad patrem meum.*

Vel dic quod ſcala,quam vidit Jacob, eſt beata Virgo, quæ ſtans in terra corporaliter, cœlos tangebat cordialiter, per quam & qua mediante Angeli ad nos deſcendere noſcuntur, & cui Dominus per beatam incarnationem innixus fuiſſe comprobatur.

Vel dic quod ſcala iſta eſt crux, cui, ſcilicet, Dominus perſonaliter fuit innixus,& quæ Angelos, id eſt, viros Angelicos in ipſa per devotionem deambulantes continet, & ſtans in terra cœlos virtualiter tangit & obtinet cap. 32. Angelus volens dare conſtantiam Jacob, ne Eſau formidaret, per noctem cum eo luctatus eſt. Sed cum ipſum ſuperare non poſſet, ſicut facie tenus prætendebat, tetigit Angelus femur ejus,& ſtatim emarcuit, ſcilicet nervus ſuus, ita quod ex tunc Jacob factus fuit claudus, & quia Angelum viderat, de Jacob Iſrael fuit dictus, & ne timeret Eſau, per Angelum eſt
H monitus. Dictum eſt enim ſibi: *Non vocaberis ultra Jacob, ſed Iſrael erit nomen tuum*, ſi inquit contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines fortis eris.

Iſrael,qui interpretatur videns Deum,ſignificat illum, qui habet contemplationem vel beatificam viſionem. Jacob vero illum, qui adhuc habet præſentem luctam & hujus vitæ tribulationes. Igitur dico,quod quando Jacob, id eſt, homo mortalis & pœnitens, qui ſcilicet, eſt ſollicitus de evadendo periculo & tentatione Eſau, id eſt, diaboli fratris ſui, ab eodem patre geniti & creati, plerumque accidit quod Angelus, id eſt, Deus luctatur cum eo, ſcilicet aliquas tribulationes immittit, & ſic dum nervum ſui femoris, id eſt, carnis ejus potentiam marceſcere facit, ipſumque debilitat & reſtringit: & ita quantum ad corporis virtutem ipſum claudicare compellit, fortitudinem ad reſiſtendum Eſau diabolo ſibi tradit, eumque finaliter de Jacob in Iſrael mutat, quando poſt luctam hujus vitæ cœli viſionem ſibi donat, vel in quantum per contemplationem ipſum ad Deum videndum elevat & mutat. Tunc enim homo de Jacob Iſrael, id eſt de viatore comprehenſor, vel de activo contemplator efficitur, quando nervus femoris, id eſt, fortitudo carnis & voluptatis ipſius maceratur, Apoſtolus 2. Cor. 12. *Cum enim infirmor, tunc fortis ſum.*

Vel dic quod Angelus eſt animus, Jacob corpus, *quæ invicem pugnant.* Galat. 5. Quia, ſicut dicit Apoſtolus, hæc ſibi invicem contrariantur. Veruntamen Angelus, id eſt Spiritus ſanctus carnem ſuperat, quando femur ejus, id eſt, carnis voluptatem debilitat,tunc etiam Jacob iſte Iſrael dicitur, & ad videndum Deum per fidem & contemplationem inſtruitur, quando nervus femoris, id eſt,voluptas carnis ipſius maceratur. Apoſtolus Rom. *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Capitulum vigeſimum nonum. Textus. Profectus ergo Jacob venit in terram orientalem.

MORALITATUM CAP. XXI.

CUm Laban promiſiſſet Jacob filiam ſuam pro ſervitio ſeptem annorum quod fecerat, ſic factum eſt, quod cum die nuptiarum eum Rachaelem ſibi crederet reddere, quæ erat pulcherrima, ſuppoſuit ſibi Lyam, quæ erat turpis & lippa, in aliis etiam mercedibus, ſcilicet, in ovibus ſibi promiſſis fuit ſibi merces mutata, ita quod Laban nunquam libenter volebat reddere, quæ per ipſum fuerant repromiſſa. Gen. 15. *Immutaſti enim*, inquit, *mercedem meam decem vicibus.*

Laban qui interpretatur candidatio, ſignificat mundum, qui more rei candidæ viſum diſcretionis obtundit, vel etiam eſt diabolus, qui per delectamenta dulcem & candidum ſe oſtendit. Igitur iſti ſunt quidam domini, qui nunquam quod promiſerunt conſueverunt reddere, imo ſervitiorum vel laboratorum ſuorum ſolent ſtipendia commutare, quia, ſcilicet, pro Rachele reddunt Lyam, pro præmio pœnam, pro albis ovibus reddunt nigras, pro virtutibus reddunt culpas. Et revera quotidie percipitur quod ille, qui modo ſervivit, nunquam attingit ad bonum quod ab eo ſperabatur. Nulla enim eſt in rebus fortunæ conſtantia,imo communiter fit,quod,ubi arridendo bona promiſerit, reddit mala. Ideo tales mundi dilectores poſſunt dicere illud Eſa. 59. *Expectavimus lucem, & ecce tenebræ, &c.* Et Hie. 11. *quid redditur pro bono malum?* Vel ſi vis illud allega contra modernos dominos,qui ſervitoribus raro reddunt promiſſa, quia ſcilicet, cum homo ſervierit pro Rachael, id eſt, pro bono beneficio,finaliter recipit Lyam, id eſt,aliquod beneficium parum valens, quandoque, quod eſt deterius, & quandoque nihil, ita quod jam proprie poteſt dicere illud Eſai. 49. *In vacuum laboravi, ſine cauſa & vane conſumpſi fortitudinem meam.*

Cùm Jacob primo ſerviſſet pro Lya, & tandem pro Rachele, dicitur ibi quod amorem ſequentis priori prætulit.

Sic verè hodiè commune eſt cuiquam, quod ſi habeat aliquam uxorem, id eſt, aliquem amicum vel familiarem, & ſibi ſuperveniat alius magis novus, primum quodammodo reſpectu alterius contemnet,& ultimum prædiliget atque colet. Apoſtolus Heb. 10. *Aufert primum ut ſequens ſtatuat.* Contra quos dicitur Eccleſ. 9. *Ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit ſimilis* B *illi.*

Vel dic,quod Lya lippa ſed fœcunda, eſt vita activa, quæ eſt fructuoſa: Rachael pulchra eſt vita contemplativa, quæ eſt pretioſa. Igitur dico quod quando Jacob, id eſt mortalis homo qui eſt in hoc mundo, luctatur de Lyæ connubio, tranſit ad Rachelis amplexus,id eſt, de vita activa tranſit ad vitam contemplativam, & de ſæculi negotiis ad cœleſtia contemplanda transfertur. Conſtat quod primam uxorem, id eſt, vitam activam & ſæcularem parum reputat, quando ad Rachelem, id eſt, ad vitæ contemplativæ brachia ſe tranſportat, parumque reputat terrena, quando guſtat quæ ſunt cœleſtia, vilipenditque vitæ ſæcularis bona, quando per contemplationem cœleſtia guſtat dona. Unde dicitur Levit. 26. *Novis ſupervenientibus vetera projicietis, &c.*

Capitulum trigeſimum. Textus. Cernens autem Rachel quod infœcunda eſſet.

MORALITATUM CAP. XXII.

CUm Laban conceſſiſſet genero ſuo pro præmio ſui ſervitii oves, quæ in grege ſuo quandoque naſcebantur nigræ, quandoque naſcebantur albæ, quandoque naſcebantur variæ, ſicut dicitur Gen. 33. Jacob magna cautela uſus eſt, qui, ſcilicet, cum oves tempore prægnationis ad canales aquarum adaquare venirent, ſi vole-

Digitized by Google

volebat quod fœtus albos conciperent, virgas ex toto decorticabat, ipsasque in canalibus ante oculos consicientium ponebat, & sic ovis ad aspectum albæ virgæ fœtum album concipiebat. Econtra quando volebat fœtus nigros producere, tunc solebat virgas cum pelle in canalibus ponere. Si vero varias habere cupiebat, virgas partim decorticabat, & partim cum cortice dimittebat. Imaginatio enim animalis ad aspectum virgæ movebatur, & sic qualis erat virga, talis partus concipiebatur.

Dic quod Jacob significat Deum, virga qua mediante Deus pastor regit mundum, significat prælatum, oves vero significant Ecclesiam vel collegium, filii vero ovium designant subjectum populum. Ideo dico quod à qualitate virgarum, id est, prælatorum sequitur qualitas agnorum subjectorum. Oves enim, id est, Ecclesiæ tales partus, id est, tales subditos concipiunt, quales virgas, id est, quales prælatos conspiciunt, quia revera agni, id est, subditi tales efficiuntur quales virgæ, id est, quales prælati vel superiores vel Ecclesiastici eorum aspectibus offeruntur. Cum virgis enim nigris sunt nigri, cum albis albi, & cum variis varii, cum bonis boni, cum malis mali, cum mediocribus medii Psal. 17. *Cum sancto sanctus eris.*

Vel dic quod oves sunt simplices, qui revera dum ad canales, id est, ad prædicatores sacræ scripturæ veniunt, ut puta quando ad audiendos sermones accedunt, solent tales fœtus, id est, talia proposita & opera concipere, quales virgas, id est, quales exemplares regulas ibi solent videre, secundum enim virgam, id est, secundum exemplum quod in canali, id est, prædicatore cernitur, fœtus operis vel propositi in auditoribus generatur.

Vel dic quod si virga, id est, prædicator vel prælatus sit cortice bonorum temporalium, & omnis malæ conversationis nudatus, & omni affectu terrenorum privatus: solent oves, id est, auditores simplices, qui talem aspiciunt, concipere albos fœtus, id est, facere bonos actus. Econtra vero, quando prælati malæ conversationis cortice sunt vestiti, tunc fœtus, & actus ovium, id est simplicium subditorum, vitiorum nigredine sunt fœdati. Unde dicitur Nahum 2. *Facies eorum sicut nigredo ollæ.*

Vel dic, quod virgæ significant opera & rigorem divinæ gratiæ & justitiæ, quibus verberat filios pestilentes, Psalm. 190. *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion.* Istæ enim virgæ quandoque sunt nudæ & decorticatæ, in quantum manifesta est Dei justitia, quandoque cortices sunt opertæ, in quantum Dei judicia sunt occulta. Dico igitur quod solo aspectu talium virgarum, id est, ex sola consideratione judiciorum Dei, & suæ justitiæ operum, oves, id est, boni simplices, debent bonum propositum concipere, & bona opera parturire: solus enim aspectus justitiæ & virgæ rigoris sui, & tribulationum quas immittit, facit hominem concipere spiritum salutis, & finaliter parere opera gratiæ & veritatis sive virtutis, quod etiam de bonis subditis apparet, quia, scilicet, non debent exspectare quod à prælato virga percutientur, imo solo aspectu bona operari tenentur Esa. 26. *Domine à timore tuo concepimus.*

Capitulum trigesimum quartum. Textus. Egressa est autem Dina filia Liæ.

Moralitatum Cap. XXIII.

D Dina filia Jacob volens videre mulieres regionis Chananæorum, exivit ad videndum. Quam cum vidisset Sichem filius Emor principis terræ, adamavit eam, rapuitque & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.

Revera Dina filia Jacob significat animam filiam Dei Patris, regio ista est mundus, ubi, scilicet, Chananæi gentiles, id est, peccatores morantur, Sichem autem est diabolus, & Emor est Lucifer pater ejus, qui in hoc sæculo principatur. Unde dicitur Joan. 14. *Venit enim princeps mundi hujus, &c.* Igitur dico, quod quando filia Jacob, id est, anima Christiana, vel etiam aliqua persona religiosa cupit videre mulieres Chananæorum, id est, delectationes, ludibria, & mollities peccatorum, & sic de domo religionis, id est, de secreto conscientiæ ad mundi religionem per aliquam malam complacentiam transit, & in aliquibus mundi negotiis, non credens malefacere, sed bene, æstimans suam servare virginitatem, id est, suæ conscientiæ integritatem, se ingerit & immittit, statim adest Sichem, id est, diabolus, qui per malos consensus eam rapit, & per mala opera violat, & corrumpit, & virginitatem spiritualis pudicitiæ sibi tollit, eamque secum ad domum patris sui, scilicet, ad infernum protrahit, atque ducit. Utile ergo est quod anima domum conscientiæ non exeat, quodque exterius ad mundi negotia non transeat, ne fortè diabolus ipsam rapiat & corrumpat. Unde Luc. 9. *In quamcunque domum intraveritis, ibi manete, & inde non exeatis.*

Vel dic ad literam contra juvenculas, quæ domum patris exeunt pro videndis mundi ludibriis, ad mundi festa, & convivia vadunt, ubi scilicet, à juvenibus luxuriosis facilè decipiuntur, & mente vel corpore corrumpuntur. Idem vero est de monialibus, quæ plus volunt per mundum penes amicos circumire, quam in claustro manere. Unde sæpe fit quod corrumpuntur, & castitatis pudore privantur, Apostolus 1. Tim. 5. *Discunt circumire domos, & cum luxuriatæ fuerint, quærunt nubere.*

Capitulum trigesimum septimum. Textus. Joseph cum sedecim esset annorum. E

Moralitatum Cap. XXIV.

CUm Joseph filius Jacob Junior à patre plus aliis fratribus diligeretur: propter quod tunicam talarem ei fecerat, ipsumque secum domi, cum fratres irent ad pascua, detinebat. Et factum est quod somniavit, quod sol, & luna, & stellæ undecim ipsum venerabantur, & quod manipuli fratrum suorum suum manipulum adorabant, propter quod ipsi fratres sibi quamplurimum invidebant, quapropter cum pater ipsum in pascuis ad fratres visitandos misisset, ipsumque de Sichem in Dothaiam transiviſſe comperisset, statim quando eum viderunt, in mortem ipsius conspirare cœperunt. Ipsum ergo talari tunica exuerunt, & in cisterna veteri eum incluserunt, & tunicam ejus in hœdi sanguine statim tingunt, & eam ad patrem mittentes puerum à feris occisum fingunt. Ipsum vero puerum Ismaelitis mercatoribus vendunt, qui tandem in Ægyptum eum deferunt, ibi Deo operante Dominus Ægypti efficitur, ita quod pater & fratres propter famem suam relevandam, ad eum finaliter descendunt, & vadunt, & juxta somnii visionem sibi obediunt, & serviunt.

Ista allegoricè exponuntur communiter de Christo. Iste est Joseph filius Jacob, id est, Dei patris, ab ipso super omnia prædilectus, breviter dicitur Matt. 3. *Hic est filius meus dilectus.* Et tunica talari, id est, humanitate vestitus ab æterno somnians, & prævidens quod à stellis, & fratribus, id est, ab Angelis & hominibus erat merito adorandus. Fratres igitur istius quos pater ad pascendos greges miserat, erant Pharisæi, quos, scilicet, Deus ad simplices instruendos in scripturæ pascuis ordinaverat. Isti tamen de Sichem, quod interpretatur causa: in Dothaim, quod interpretatur Defectio: transiverant, in quantum de bona causa in defectum, de lege in peccatum, de bono intellectu in malum, improbe se mutarunt. Missus est Joseph, id est, Christus, in pascua mundi hujus, pro suis fratribus visitandis, & pro hominibus redimendis, ipsos in Dothaim reperit, in quantum, scilicet, in F defectione plurium virorum eos immersos invenit. Unde Deut. 32. *Invenit eos in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.* Isti invidentes sibi tunica humanitatis ipsum exeunt occidendo, & eum sanguine cruentant, ipsum flagellando, in cisterna eum ponunt, corpus sepeliendo; Ismaelitæ tamen, id est, Apostoli eum emunt, ipsum per fidem recipiendo, qui in Ægyptum, id est, in gentilitatis populum eum deferunt prædicando, ubi tandem Dominus efficitur, fidem suam & Ecclesiam dilatando, ita quod fratres sui, scilicet, Judæi, qui prius eum vendiderant, finaliter ad ipsum venient, se scilicet, ad eum convertendo, & hoc quando fame, id est, paupertate & inopia laboraverunt per mundum vagando Ps. 58. *Famem patientur ut canes, & circumibunt civitatem. Ipsi convertentur ad manducandum.* Vel allegari possunt exemplariter, quomodo providentia Dei habet diversos modos occultos sua opera faciendi, & quomodo non est possibile, quod possint per hominem immutari, quinimo sæpe fit, quod per easdem vias, quibus homo Dei ordinationem impedire nititur, ad plenum effectum illius pervenitur. Isti enim visionem somnii sui, ne adorarent eum impedire volentes, ipsum exteriùs vendiderunt. Ubi tandem post labores & carceres Dominus Ægypti factus est, ita quod ipsum, ubi non sperabant, adoraverunt. Dominus enim multas tribulationes & miserias quandoque immittit, nec curat si hominem vel ad peccatum laxari vel tribulationibus fatigari permittit, quia quid & qualis finis consequi debeat, ipse sentit Ps. 137. *Excelsus enim Dominus & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Gen. ult. Unde etiam ipse Joseph dicit fratribus suis: *Nolite timere*, inquit, *Nunquid possumus resistere Dei voluntati? vos cogitastis de me malum, & Dominus vertit illud in bonum, ut exaltaret me.* Duodecim fuerunt filii Jacob, 12. fontes in Helim, duodecim lapides pretiosi in veste Aaron, 12. lapides insecti in altari, 12. panes propositionis, 12. lapides de Jordane sumpti, & in signum positi, 12. boves sub mari æneo constituti, 12. stellæ in corona mulieris, 12. portæ, 12. Angeli, 12. fundamenta novæ civitatis, 12. horæ diei, 12. menses anni, 12. fructus ligni, 12. ligna cœli.

Revera per istum numerum 12. possunt intelligi 12. Apostoli, vel etiam quicunque fideles 12. Apostolis credentes, & 12. Apostolos imitantes, quia pro certo isti sunt 12. Patriarchæ, qui alios G spiritualiter generaverunt. Sunt 12. fontes, qui alios gratia & doctrina irrigaverunt. Sunt 12. pretiosi lapides, qui vestes sacerdotis, id est, Ecclesiam ornaverunt. Sunt 12. insecti altaris Ecclesiæ lapides, qui ipsum altare, id est, fidem Ecclesiæ sustinuerunt. Sunt 12. panes, qui famelicos satiaverunt, Sunt 12. boves, qui sub mari sacræ scripturæ trituraverunt. Sunt 12. stellæ, quæ mundum illuminaverunt, & in corona mulieris, id est, Ecclesiæ reluxerunt. Sunt 12. anguli qui fundamenta civitatis Ecclesiæ stabiliierunt. Sunt 12. fundamenta, quæ Ecclesiam fortificaverunt. Sunt 12. horæ diei, quæ diem divinæ gratiæ distinxerunt. Sunt 12. menses, qui solem, id est, Christum per gratiam continuerunt. Sunt 12. fructus qui doctrina sua sana alios nutrierunt.

Sunt

Digitized by Google

Sunt 12. ſigna, qui gloriam bonis, pœnam reprobis ſignificaverunt. Iſti ergo potuerunt dicere illud Gen. 42. *Fratres ſumus, filii viri unius.*

Capitulum trigeſimum octavum. Textus. Eodem tempore.

MORALITATUM CAP. XXV.

CUm Thamar in habitu meretricum ſederet in bivio, accidit quod Patriarcha Judas tranſiens cum ea concubuit, qui pro arrhabone annulum, & armillam, & baculum proprium ſibi dedit, qui, ſcilicet duplicem prolem Phares & Saram in ea genuit. Et cum propter adulterium duceretur ad ignem: oſtendendo prædicta pignora, quæ ſibi Judas dederat, liberata fuit, de viro inquit, cujus hæc ſunt, concepi &c. Vide plenius hiſtoriam Gen. 38.

Judas iſte ſignificat Chriſtum, qui Leo de tribu Juda dicitur. Iſta vero mulier ſignificat animam, quæ cum habitu meretricis, id eſt, cum multiplici peccato, & cum malæ converſationis contagio in bivio mundi ſedet; qui mundus recte dicitur bivium, quia ibi homo facile deviat. Sed quid? pro certo plerumque contingit, quod verus noſter Judas, id eſt, Chriſtus, iſtam per miſericordiam reſpicit & invenit, ſecumque per gratiam cohabitat & concumbit, annulumque fidei & baculum ſpei, ſeu memoriæ crucis Chriſti & armillam charitatis ſibi pro arrhabone concedit, duplicique fœtu, ſcilicet, bona affectione interiùs, & bona operatione exteriùs eam imprægnat. Et ubi dæmones iſtam ad ignem pœnæ & culpæ nituntur trahere, miſericorditer ipſam ſalvat, quia pro certo nunquam anima igne malæ concupiſcentiæ in præſenti comburitur, vel etiam igne gehennæ nunquam poſt mortem damnatur, dum tamen prædictum arrhabonem, ſcilicet, annulum, armillam & baculum oſtendere mereatur. Ita quod tunc poterit dicere illud Gen. 32. *In baculo iſto tranſivi Jordanem &c.* In baculo enim crucis, vel ſpei, Jordanis, id eſt, fluxus mortalitatis noſtræ poteſt tutò tranſire anima, & duplex partus duplexque turma bonorum operum, ſcilicet, interiorum & exteriorum, poterit in ea parturiri.

Vel dic, quod talis mulier eſt falſus conſiliarius, vel hypocrita, qui ne cognoſcatur, pallio falſarum palliationum & fraudum ſe velat, ut ſic concubitum Judæ, id eſt, familiaritatem dominorum habeat, & ut divitiis imprægnetur, & paſtorali baculo & annulo Epiſcopali, armillaque dignitatis ditetur.

Vel dic, quod hodie dato quod aliqua perſona comburi meruerit, ſi tamen arrhabonem oſtenderit, id eſt, ſi bona munera judicibus obtulerit, ſalva erit. Eſt enim unus lapis pretioſus, qui comburi vel puniri hominem non permittens, dicit illud Eſa. 43. *Cum ambulaveris per aquam, tecum ero, cum pertranſieris per ignem, non combureris.*

Vel dic, quod Judas eſt iniquus Judex, qui ſæpe alios punire nititur de eo crimine, quo ipſemet innodatur. Veruntamen quando crimen in ipſum inflectitur, quamvis homo ſit culpabilis, ipſum conatur liberare.

Capitulum trigeſimum nonum Textus. Igitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum.

MORALITATUM CAP. XXVI.

IEgitur, quod cum uxor Putipharis oculos injeciſſet in Joſeph, ita quod ipſius petiiſſet concubitum: quod & ille negaſſet, & fugiens pallium dimiſiſſet. Illa vero videns ſe contemptam, contrarium viro ſuo dixit, & quod eam Joſeph opprimere voluerit, accuſavit, & pallium demiſſum in argumentum fidei oſtendit, propter quod vir ille nimis uxori credulus Joſeph carceri mancipavit, de quo tandem Dominus miraculosè eum expedivit.

Poteſt allegari contra fallaciam mulieris, quæ non timet quandoque impudicè libidinem appetere, nec timet falſum crimen imponere, & argumento fidei multa fingere & prætendere, nec facit conſcientiam, innocentem damnare. Unde dicitur Eccleſiaſt. 25. *Non eſt malitia ſuper malitiam mulieris.*

Poteſt etiam allegari contra viros modernos, qui ſcilicet, nimis credunt ſuis uxoribus, & maximè, ubi agitur de pudicitia conjugali.

Poteſt etiam allegari, quod quicunque juſtus exemplo Joſeph ſe debet potiùs permittere diffamari & incarcerari, quàm legem Domini præterire, & maximè: quia Dominus ſolet tales expedire, & ad majorem gloriam promovere, ſicut apparuit in Suſanna & in Joſepho.

Vel poteſt allegari pro veritate & pro innocentia, quæ quamvis aliquando ſupprimatur, finaliter tamen vincit. Unde dicitur 3. Eſdr. 3. *Super omnia vincit veritas.*

Capitulum quadrageſimum. Textus. His itaque geſtis accidit, ut peccarent.

MORALITATUM CAP. XXVII.

DUo familiares Pharaonis regis Ægypti in carcere regis poſiti cum Joſeph, ſcilicet, Magiſter pincernarum, & Magiſter piſtorum, viderunt ſomnium una nocte. Magiſter enim pincernarum videbat coram ſe vitem, in qua erant tres propagines, in quibus uvæ florebant & matureſcebant, ità quod ſcyphum Pharaonis accipiebat, & ibi uvas exprimebat, & poculum regi dabat. Magiſter verò piſtorum tria caniſtra farinæ portare ſe ſomniabat, & in ſuperiori, quod omnes cibos, qui fieri ſolent arte piſtoria, continebat, aliiſque excelſiùs præeminebat, aves cibos comedere conſpiciebat. Iſta ergo ſomnia fuerunt à Joſeph expoſita, taliter quod pincerna infra tres dies debebat ad priſtinum officium reſtitui, & potum regi porrigere. Piſtor vero debebat ſuſpendi, & aves carnes ejus comedere.

Pharao rex Ægypti Deum ſignificat cœli regem. Carcer autem ejus ſignificat iſtum mundum, qui, ſcilicet, continet pincernam, & piſtorem, id eſt, populum bonum, & malum: verùm propter defectum primi parentis boni & mali, de domo Pharaonis, id eſt, de paradiſo fuerunt ejecti, & in hujus mundi carcere vinculati. Sed pro certo uterque ſomniat in carcere, id eſt, uterque cogitat de futuris. Boni enim, qui in pincerna figurantur, vident vitam, id eſt, Deum, qui habet tres propagines, id eſt tres perſonas, quibus accipiunt uvas, id eſt Fidem, de qua, ſcilicet, ipſi exprimunt vinum, id eſt, bona opera, quæ infundunt in calice regis Chriſti, in quantum iſta lætificant regem Chriſtum. Pſal. 103. B *Vinum lætificat cor hominis.* Mali verò qui per piſtorem deſignantur, vident, quod ipſi habent tria caniſtra, id eſt, triplicem concupiſcentiam & genus ciborum, id eſt, carnis, & oris ingluviem, & aves deſuper volantes, id eſt, & vanitatem & ſuperbiam. Unde Baruch. 3. *In avibus cœli ludunt.* Quis ergo finis horum? procul dubio ſecundùm expoſitionem Joſeph, id eſt, ſecundùm ſanctorum doctrinam boni ſunt præmiandi, quia, ſcilicet, pincerna, id eſt cœtus bonorum poſt tres dies, id eſt, poſt tria tempora hujus vitæ, ſcilicet, in die judicii ad gradum priſtinum, ſcilicet, ad beatitudinem & immortalitatem reſtituentur, & in domo regis, id eſt, in paradiſo recipientur, & ad propinandum vinum lætitiæ cum Angelis admittentur. Econtra vero mali poſt eoſdem tres dies, ſcilicet, in die judicii in inferni patibulo ſuſpendentur, & eorum animæ ab avibus, id eſt, à dæmonibus comedentur. Deut. 22. Unde dicitur, *Conſumentur fame, & devorabunt eos aves morſu amariſſimo.*

Capitulum quadrageſimum primum. Textus. Poſt duos annos vidit Pharao ſomnium.

MORALITATUM CAP. XXVIII.

VIdit Pharao ſomnium, ſc. ſeptem vaccas pinguiſſimas, quæ paſcebantur in locis paluſtribus. Poſt quas erumpebant ſeptem aliæ macie confectæ, quæ conſumptis & devoratis prioribus nullum ſaturitatis dedere veſtigium, ſed ſimul macie & ſqualore torpebant. Vidit etiam, quod ſeptem ſpicæ pullulabant è culmo uno, plenæ atque pulcherrimæ. Aliæ verò ſeptem percuſſæ uredine oriebantur è ſtipula, quæ priorum pulchritudinem devorabant.

Primò ſciendum eſt, quod numerus ſeptenarius univerſitatem ſignificat, ſecundùm Greg. eò quod univerſa tempora per ſeptenarium dierum currunt, & ſic dicam, quod ſeptem vaccæ pingues ſignificant univerſos divites. Septem vero ſpicæ plenæ ſignant univerſa eorum temporalia bona. Vaccæ vero macræ ſignant dæmonum univerſitatem. 7. verò ſpicæ ſqualidæ deſignant illam, quam & inferunt univerſalem adverſitatem; & ſic igitur dico, quod in ripa fluminis proſperitatis mundanæ inveniuntur hodie ſeptem vaccæ mundi, divites divitiis imprægnati, qui ſcilicet, ſeptem ſpicis, id eſt, univerſitate bonorum temporalium ſunt refecti. Sed revera ex alia parte, ſcilicet, poſt mortem iſti inveniunt ſeptem vaccas macras, id eſt, univerſitatem tormentorum, à quibus iſtæ vaccæ pingues cum ſpicis ſuis devorabuntur, & æternaliter conſumentur. Dæmones enim divites devorabunt, & ſequentes adverſitates præcedentem proſperitatem vaſtabunt; unde ſequitur ibidem, venient ſeptem anni tantæ ſterilitatis, ita quod oblivioni dentur cuncta retro, Amos 4. dicens: *Audite verbum Domini vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, dicentes, afferte ut bibamus; quia ecce dies venient, dicit Dominus, & elevabunt eos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus.*

Vel, dic, quod iſtæ vaccæ primò ſignificant aliquos homines pingues, divites & ſibi ſufficientes, ſicut ſunt quidam, qui in ripa hujus mundi tenuerunt de ſuis reditibus bonos ſtatus. Septem vero macræ ſequentes, ſignificant malos eorum filios & ſucceſſores, qui ſcilicet, undique ita ſunt pauperes, macri & infortunati, quod pinguedinem prædeceſſorum ſuorum, & bona, quæ acquiſierunt, conſumunt, devorant atque vendunt, & tamen nullam ſatietatem atque ſufficientiam proinde recipiunt aut acquirunt, & ſic fit ſqualor & uredo, macies & infortunium ipſorum, vacuitaſque ſtipularum, id eſt, paupertas & tenuitas bonorum ſuorum aliorum plenitudinem devorat, & quicquid boni alii prædeceſſores ſui cumulaverunt, malorum ſucceſſorum infortunitas devaſtat. Unde dicitur Joh. 4. *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.*

Vel dic, quod vaccæ iſtæ macræ ſunt avari, ballivi & officiales, vel principes, raptores, & voratores, qui ſcilicet, tantæ ſunt tenuitatis & paupertatis, tantarumque expenſarum & inſatiabi-

Digitized by Google

litatis; quod nihil penitus sufficit eis, quinimo dato quod omnes vaccas pingues patriæ, id est, omnes divites homines sibi subjectos soleant rapinis & exactionibus devorare, & consumere, & vastare, nullum tamen saturitatis vel sufficientiæ vestigium in eis apparet, imo paupertate & miseria semper sunt repleti. Unde dicitur prov. 11. *Alii dividunt propria, & ditiores sunt, alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.*

Capitulum quadragesimum tertium. Textus. Interim fames omnem terram vehementer &c.

Moralitatum Cap. XXIX.

Genesis 42. & 43. dicitur, cum fratres Joseph ad ipsum in Ægyptũ, ubi dominabatur, venissent, ipse ibi fratres suos cognoscens, non est agnitus ab eis. Fecit ergo eis convivium. Et quia sciebat, qui erant primogeniti, fecit eos ad mensam priores sedere, secundùm quod erant antiquiores, & dato, quod ibi esset Benjamin adolescentulus, ab eo præcipuè prædilectus, eò quod frater erat ipsius uterinus, ipsum tamen antiquioribus fratribus non præposuit, imo quia erat junior, locum ultimum sibi dedit.

Talis Joseph est Christus. Unde dicitur Gen. 49. Fratres sui sunt omnes Christiani Rom. 8. Apostolus ait: *Primogenitus in multis fratribus,* Uterini, & magis dilecti sunt religiosi, & clerici, qui sibi spiritualiter sunt conjuncti. Dico igitur quod Joseph, i. e. Christus, quamvis hodie sit à fratribus, id est, à fidelibus absconditus, & ignotus, ipsos tamen invicem diligit, & cognoscit, & quæ sit eorum ætas, id est, eorum perfectio, optimè judicat, & discernit. Ætas enim virtutem, & perfectionem significat, in qua quantò quis est perfectior, tantò honore paradisi est dignior. Unde dicitur Sap. 4. *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Quando igitur isti fratres Christi, fideles, in convivio Joseph, id est, in paradisum sunt locandi, optimè considerat ipse Christus ætatem, id est, merita singulorum, ipsosque secundùm primogenita sua, id est, secundùm virtutes, quas habent, solet ordinare, & primos vel ultimos collocare, & hoc sine quacunque acceptione personarum, quia pro certo fratres uterini, id est, viri Ecclesiastici nequaquam præferuntur, quinimo si in moribus sunt cæteris minores, ultimiores ponuntur. Ibi enim non est acceptio seu distinctio Judæi & Græci, quinimo sæpe fit, quod Græci, qui primi sunt, sunt novissimi, & novissimi primi.

Vel dic, quod Joseph est Prælatus, qui revera summè debet cognoscere ætatem, id est, merita subditorum, & dato, quod ipsi eum non cognoverunt, id est, non visitaverunt, nec obtulerunt munera, nec adulando applauserunt, ipse tamen debet eos cognoscere, & eorum sufficientias cogitare. Ergo quando ipse facit convivium, id est, provisionem aliquam, ipse debet in mensa beneficiorum Ecclesiæ ipsos collocare priores, qui ætate, id est, virtutibus sunt majores, quia verè dato, quod Benjamin, id est, quod illi habeant aliquos fratres uterinos, id est, aliquos consanguineos, nepotes vel amicos, si tamen sint juniores, id est, moribus imperfectiores, nunquam debet eos bonis & provectis præponere, sed, præmissis melioribus, ipsis ultimum locum dare Ps. 67. *Ibi Benjamin adolescẽtulus &c.* Unde Hest. 1. *Bibebant omnes inaureis poculis &c. adolescẽtulus &c.* Unde Hest. 1. *Bibebant omnes inaureis poculis &c.*

Dato, quod Joseph fratres suos ordinatè secundùm ætates suas collocasset ad mensam, & sic Benjamin prædilectus & uterinus, eo quod esset junior, ultimus locaretur, nihil tamen propter hoc sibi periit, imo portio ciborum, quam sibi Joseph dedit, portionem aliorum fratrum in quinque partibus excessit.

Sic verè cum fratres Joseph, id est, fideles Ecclesiæ, nunc in locis graduum & dignitatum diversimodè sunt locati, ita quod sæpe fit, quod illi, qui sunt uterini, i. e. Christo magis per charitatem conjuncti, & ab eo potissimè prædilecti, in mensa bonorum Ecclesiæ sunt ultimi constituti; quia verò hodie plerumque accidit, quod illos, quos Christus venturus Joseph plus diligit, & quos sibi charitas seu sanctitas magis jungit, ultimos in Ecclesia vel mundi dignitatibus ponit, dicens illud Luc. 14. *Recumbe in novissimo loco.* Ex hoc tamen nihil sibi perit propter ista, quia pro certo post mortem, quando Christus distribuet cibos gloriæ paradisi, isti aliis præficientur, & portione gloriæ præferẽtur, quia revera Christus illos, qui sunt modo ultimi, depressi & pauperes, aliis, qui modo sunt alti & divites, præfert, ita quod gloria eis data aliorum gloriam præcellet. Unde dicitur Matth. 21. *Erunt novissimi primi &c.*

Vel dic, quod talis Joseph esse videtur defectuosus Prælatus, qui revera de bonis Ecclesiæ solet suis fratribus uterinis, id est, filiis, nepotibus, & compatriotis & familiaribus magis dare, dato, quod alii antiquiores & meliores noscantur esse, sicut dicit Apostolus, quod *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Ephes. 5. Etiam Scyphus Joseph inventus fuit in sacco Benjamin junioris & fratris minoris, ad denotandum, quod scyphus divinæ sapientiæ in sacco, id est, in corde humilium invenitur, quia quantò quis est per humilitatem minor, & per puritatem junior, tantò calice sapientiæ plus potatur. Exemplum est de B. Joanne, qui erat Apostolis junior, & tamen intellectu fuit altior, Ps. 67. *Benjamin adolescentulus in mentis excessu.*

Sicut dicitur in Gen. 47. *Joseph emit populum Ægypti in servitutem regis dando eis frumentum regis.*

Sic verè prædicator, qui est dispensator frumenti, id est, scripturæ & scientiæ Christi regis, populum fidelium in ipsius regis Christi acquirit servitutem, dum frumentum suum, id est, doctrinam suam vel etiam Eucharistiam ei pandit Ps. 80. *Cibavit eos ex adipe frumenti.*

Vel dic, quod populus Pharaonis, id est, diaboli servus efficitur, dum frumento ejus, id est, bonis temporalibus fatiatur. Unde in Proverb. 22. *Qui accipit mutuum, servus est fœnerantis.*

Capitulum quadragesimum octavum. Textus. His ita transactis nuntiatum est, &c.

Moralitatum Cap. XXX.

Jacob in brevi moriturus, voluit benedicere duobus filiis Joseph, scilicet Ephraim & Manassè, unde cum esset in lecto cœcutiens, adduxit eos Joseph sibi, benedicendos, ad lectum. Cum ergo primogenitum posuisset ad dexteram, & secundogenitum ad sinistram, pater manus supponiturus cancellavit, & dextram genitori secundo, qui erat sinister, imposuit. Sinistram vero super primogenitum assignavit, & sic cancellando & mutando manus, dexter filiorum sinister, sinister verò dexter factus est, & benedictionem primogeniti reportavit.

Revera iste Jacob Patriarcha potest mihi significare Deum. Joseph verò significat mundum, vel quemcunque, qui habet alios promovere in principem vel Prælatum: vel per dextram intelligitur prosperitas, per sinistram verò adversitas; ergo istud constat, quod Joseph, id est, mundus aliquos ponit ad dexteram, aliquos constituit ad sinistram, quia, scilicet, divites ponit in dextera prosperitatis, pauperes verò in sinistra adversitatis. Sed revera Jacob, id est, Christus in die judicii, quando *benedictionem dabit legislator,* & *ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion,* Ps. 83. tunc manus suæ munificentiæ cancellabit, & etiam eos permutabit. Sicque fiet, quod dexteram prosperitatis illis dabit, qui nunc sunt in adversitatis sinistra. Sinistram verò adversitatis his dabit, qui nunc sunt in prosperitatis dextera, & sic fiet quod dexteri fient sinistri, & econverso, & quod primi erunt novissimi, & novissimi primi. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. 1. c. Joseph verò noluit sepeliri in Ægypto, imo rogavit fratres quod in terrâ promissionis eum portarent, quod finaliter factum est. Sic verè nec nos debemus velle sepeliri per malam consuetudinem in peccato, imo debemus rogare fratres, id est, religiosos & justos, quod inde suis doctrinis, exemplis & orationibus nos educant, Ps. 141. *Educ de carcere animam meam.*

Moralitatum super Genesin finis.

MORALITATUM LIBER SECUNDUS SUPER EXODUM.

Capitulum primum. Textus. Hæc sunt nomina filiorum Israel, &c.

Moralitatum Cap. I.

Surrexit rex novus super Ægyptum, qui non noverat opera Joseph seu beneficia, quæ Ægypto contulerat, propter quod filios Israel per magistros operum quamplurimùm opprimebat, ipsosque sibi servire in luto, & latere, & paleis, ad ædificationem suarum urbium faciebat. Veruntamen sic fiebat, quod quantò plus opprimebat, tantò plus eorum populus crescebat. Quapropter aliud genus oppressionis cogitavit, quia, scilicet, vocatis obstetricibus, omnes, quotquot nascebantur masculini sexus, submergi fecit, fœminas vero reservari mandavit.

Tales videntur esse Reges nostri, Prælati, Judices & Principes novi, de novo promoti, vel novi, juvenes & insci, vel novi, bonis prædecessoribus suis dissimiles, & in vitiis innovati, quia revera istorum tota cura est, filios Israel, id est, bonos subditos suos rapinis, & exactionibus, & tributis, & servitutibus opprimere, & eos per suos iniquos magistros operum, scilicet, ballivos & officiales affligere, & si quæ beneficia à Joseph, id est, ab aliquibus eorum amicis ipsi vel eorum progenitores receperint, solent per ingratitudinem cuncta oblivioni dare. Istud patet in multis Principibus, qui si habuerint aliquem Joseph, id est, aliquem magnum Consiliarium vel Magistrum, à quo receperunt servitia vel obsequia, bene solent, dum vivit, suis amicis ab exactionibus parcere, sed eo mortuo, solent illos de ejus genere plus quàm alios infestare. Et breviter mali superiores hodie in regno & jurisdictione sua masculos filios, id est, bonos & virtuosos nituntur submergere & extirpare; Fœminas vero, id est, molles & defectuosos, & ad bene operandum inhabiles solent servare, & eos plusquam alios supportare. Unde dicitur Num. 31. *Cur fœminas reservastis?*

Vel dic, quod Pharao est diabolus, qui, scilicet, Israel, id est, fideles, quos per peccatum subjugat, tribus specialiter occupat, videlicet in luto inficiente, id est, in luxuria, & in palea de levi volante, id est, superbia, & in latere igne durato, id est, in avaritia. Istos etiam per præfectos malorum operum, id est, capitalia vitia vel per malos Prælatos vel prædicatores hæreticos solet affligere, & fœtus masculos, id est, bona opera in eis destruere, ipsaque in flumine carnalis voluptatis submergere. Fœminas verò, id est, molles actus & reprobos, solet in homine vegetare. Vult enim Diabolus quod mala

Digitized by Google

mala opera in nobis pullulent & succrescant, bona verò deficiant & decrescant.

Vel dic ad literam, quod Pharao diabolus per obstetrices Ægypti, id est, per malos Prælatos de Ecclesia hodie eradicat masculos, id est, homines virtuosos. Ibi verò fovet, nutrit & plantat fœminas, A id est, carnales & defectuosos, unde iste videtur dicere illud, Num. 31. *Interficite, quidquid est generis masculini.*

Vel dic, quod Pharao est Diabolus, qui semper habet odio filios Israël, id est, Christi fideles, potissimè masculos, id est, probos homines & virtuosos, quos in primitiva Ecclesia videns & invidens multiplicari, per præfectos operum, id est, mundi tyrannos faciebat affligi, & sic nomen Christi & fidem ejus putabat posse destrui vel subverti; verùm tamen sic fiebat, quod quantò plures affligebantur, id est, quantò plures pro Christo martyrio moriebantur, tantò fidelium numerus ampliùs multiplicabatur, & status Ecclesiæ in melius augebatur. Sicut enim dicitur in proverbiis: *Non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Deum.* Et in historia tripartita legitur, quod Julianus apostata volens Christi sectam destruere, sciens, quod consueverat in tribulationibus proficere, decrevit non tribulationibus, sed oblectationibus sanctorum animos immutare.

Vel posset allegari pro generali proverbio, quod dicitur contra rusticos, quia si premuntur, taliantur & suppeditantur, meliùs fructificant, & ad modum vineæ computantur, &c.

Cap. 2. Cum Pharao rex Ægypti mandasset omnes Hebræorũ filios submergendos, accidit, ut Moyses nascerctur, quem cum mater jam tribus mensibus occultasset, & ipsum ampliùs servare non posset, fiscellam composuit, in qua vagientem ligavit, ipsumque per fluvium fluctuare permisit. Quem cum Tramuth filia Pharaonis, quæ ad flumen lavandi se gratiâ venerat, invenisset, & eum corpore elegantem vidisset, matremque pueri spectaret in littore, vocavit, sibique parvulum nutriendum commisit, ac ipsum Moysen, id est, de aquis assumptum vocavit, quem tandem adultum in filium adoptavit.

Per Regem Ægypti intelligitur rector mundi, qui, scilicet, à principio propter peccatum Adæ decrevit cunctos filios humani generis originali vulnere perimendos. Per mulierem Hebræam intelligo B sanctam Ecclesiam matrem, quæ scil. Hebræa, id est, transiens dicitur pro eo, quod non habet hic manentem civitatem, sed ad futuram movetur. Igitur dico, quod quoties ista nostra Ecclesia parturit, Moysen, i.e. aliquem noverit natum, primò debet eum tribus mensibus tenere, id est, in tribus virtutibus Theologicis instruere, tandem debet eum in fluvio baptismi mergere, & fiscellæ spei & divinæ misericordiæ committere, & tunc procul dubio statim adest filia Regis, id est, divina gratia, dum, scil. fluvium baptismi frequentat, quæ ipsum de periculo liberat, & in filium recipit & adoptat, & matri suæ propriæ, scil. Ecclesiæ, lacte doctrinæ nutriendum committit, & sic Moysen, id est, de aquis assumptum, & per aquas baptismi salvatum meritò ipsum vocat.

Vel dic, quod mater signat carnalem concupiscentiam, quæ filium suum peccatorem tribus mensibus servat, in quantum peccatis superbiæ, luxuriæ & avaritiæ ipsum ligat. Tandem verò ipsum in fluvium ponit, quando fluxui mundi negotiorum, & temporalis prosperitatis ipsum exponit. Filia verò Regis, id est, gratia vel etiam Beata Virgo, ipsum de fluvio mundi liberat, quando à mundi fluxu ipsum detrahit, & per pœnitentiam ipsum salvat, & in filium per charitatem adoptat, & lacte sanæ doctrinæ nutriendum procurat, & mulieri Hebrææ, id est, pœnitentiæ vel religioni, quæ transit de hoc mundo ad Patrem, nutriendum assignat, ut dicamus divinæ gratiæ illud Joan. 19. *Mulier, ecce Filius tuus, & Filio, ecce Mater tua.*

Vel dic, quod parvulus iste significat humilium vulgus subditorum. Filia Regis Ecclesiam significat, quæ, scilicet, in flumine divinæ gratiæ vel pœnitentiæ lachrymosæ ipsum balneare non cessat. Ista ergo filium suum, id est, fidelium vulgus, matri eorum scilicet, Rectoribus & Curatis cæteris nutriendum, scilicet, lacte doctrinæ & subventionis terrenæ committit, & mercedem æternæ gloriæ promittit. Unde ista est, quæ dicit ibidem. *Accipe puerum ad nutriendum, ego reddam, tibi mercedem.*

Secundùm Josephum, cum filia Pharaonis Moysen inventum in flumine, primò cuidam mulieri Ægyptiæ dedisset, puer de lacte ipsius bibere non volebat, quapropter vocata est mater ejus Hebræa, quæ finem rei exspectans, in littore residebat, ideò soror dixisse legitur, Exod. 2. *Vis, ut vocem mulierem Hebræam, ut nutrire possit infantulum.* Ponit etiam ibidem, quod dum puer crevisset, Pharao diadema super caput Moysi posuit, qui statim illud de capite projecit, quod prodigiosè factum Rex considerans, ipsum occidere voluit. Sed ad probandum, utrum pueriliter hoc fecisset, carbonem ardentem sibi dedit, qui nutu divino ipsum in ore posuit, & linguam sibi combussit, & inde factum est, quod semper impediti oris, & tardæ linguæ fuit, sicut infra legitur. Exod. 4. *Obsecro te domine, non sum eloquens.*

C Sic verè debet facere bonus Moyses, id est, bonus religiosus, de aqua mundanæ fluxibilitatis assumptus, quia revera lac Ægyptiarum mulierum, id est, dulcedines mundi scientiarum, delitiarum, verborum, adulatorum aut delectationum debet fugere. Juxta illud Proverb. 1. *Fili, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Secundum verò lac mulieris Hebrææ matris suæ, id est, dulcedine devotionis, doctrinæ & gratiæ, quam sibi dedit Ecclesia vel religio mater sua, debet fugere & gustare. Unde dicitur 1. Petr. 2. *Lac concupiscite rationabile, &c.* Diadema etiam, id est, honorem & dignitatem, quam Pharao, id est, mundus vel diabolus sibi per vias injustas vult imponere, debet similiter refutare, & carbonem, id est, ardorem charitatis seu divini timoris & pœnitentiæ debet eligere, & linguam suam cum eo debet temperare. Unde de Moyse legitur, quod ipse beatius reputavit improperium Christi thesauris Ægyptiorum. Ideò secundùm aliam literam, dicitur: *Cabent carbones ignis desuper eos, & erunt sibi in refrigerio.* Debet ergo talis vir perfectus esse linguæ tardioris. Juxta illud, Jac. 1. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, &c.*

Cap. 2. Cum Moyses videret quâdam die unum Ægyptium, qui unum Hebræum percutiebat, & eidem injuriam faciebat, occidit eũ, & in sabulo eũ sepelivit, quia verò rumor exivit in publicum, fugit in terram Madian, ubi Jethro sacerdotis Madian oves pavit, cujus filiam in uxorem accepit. Et dum istæ oves sacerdotis de Madian in deserto pascerent, mirabiles visiones ibidem vidit.

Istud exponitur sic, Moyses, qui interpretatur assumptus ex aquis, significabat hominem pœnitentem, qui, scil. in aquis lachrymosæ compunctionis debet jugiter inveniri, & ibi à matre sua, id est, pœnitentia (ut à filia regis, id est, à divina gratia recipiatur) debet constitui & imponi. Ægyptius significat peccatum vel carnem, Hebræus verò significat animam vel mentem. Igitur dico, quod quando Moyses, id est, pœnitens, videt, quod frater suus, spiritus seu animus, qui debet dici Hebræus, id est, transiens, pro eo, quod ad Deum & Paradisum debet transire festinus, opprimitur vel injuriatur ab D aliquo Ægyptio, id est, proprio corpore vel à peccato, statim debet contra eum insurgere, & ipsum per confessionem occidere, & per satisfactionem sub sabulo, & asperitate pœnitentiæ abscondere, vel velare; & tunc poterit fugere ad Jethro sacerdotem, id est, ad Deum per devotionem, & filiam ejus in uxorem accipere, scilicet, scientiam & discretionem, seu gratiam, seu devotionem, & sic poterit oves, id est, Christi fideles pascere per prædicationem, & eruditionem, & visiones cæli videre per cælestium contemplationem. Unde dicitur, Ezech. 8. *Elevavit me spiritus, & duxit in Hierusalem in visione Dei.*

Vel allega ista generaliter, quod de lege naturæ quilibet tenetur oppressos & tribulatos defendere, & eis contra impios subvenire. Unde in Proverb. 24. *Eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui ducuntur ad interitum, liberare non cesses.*

Cap. 3. Moyses pascens gregem, cum duxisset oves ad deserti interiora, apparuit sibi Dominus in rubo ardente, vidit enim in monte Oreb rubum ardentem, qui non comburebatur: cui cum appropinquare vellet, ut, quid hoc esset, videret, præcepit sibi Dominus, quod calceamenta de pedibus suis tolleret, eò, quod locus ille terra sancta esset.

Revera sic videtur fecisse Dominus Pater, quia quando filios Israël, id est, fideles suos de imperio Pharaonis, id est, diaboli, & de Ægypto, id est, de inferno liberare decrevit, signum mirabile primitus demonstravit, scilicet, signum Beatissimæ Incarnationis, quo mediante populum suum liberavit. Ipse enim tunc in rubo arbore spinosa, id est, Beata Virgine spinis pœnitentiæ circumseptâ, Moysi, id est, humano generi, vel Judæorum populo apparuit, ipsamque arborem igne sancti spiritus inflammavit, & mirabiliter impræg-navit. Nunquam tamen ista arbor Beata Virgo ab integritate virginitatis fuit nudata, nec per incendium carnalitatis combusta, semper virgo & integra reservata. Veruntamen ad hoc, quod Moyses, id E est, Judaicus populus mereatur istam visionem cernere, & Incarnationis Sacramentum cognoscere, necesse est, ut de pedibus affectionum suarum calceamenta carnalis cognitionis, sensumque literalem auferat, & quod inde per fidei cognitionem incedat. Qui enim calceamento carnalis sapientiæ involvitur, ad tantam visionem, & ad tanti Sacramenti cognitionem pertingere non meretur. Necesse est ergo per fidem calceamentum tale solvere, & omnem mundi sapientiam amovere, quia, scilicet, terra, in qua sumus, sancta est; quam Ecclesiam sanctam Catholicam constat esse. Unde dicitur, Jos. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, sanctus est.*

Vel dic, si vis, quod ad hoc, quod homo divinas revelationes videat, necesse est, quod ad interiora deserti, id est, ad secreta conscientiæ gregem affectionum suarum ducat, & quod calceamenta terrenorum bonorum de pedibus affectionum suarum tollat.

Capitulum quartum. Textus. Respondens Moyses ait, non credent mihi.

Moralitatum Cap. II.

INter signa, quæ fiebant coram Pharaone pro liberatione populi Israëlitici, primum fuit de virga versa in colubrum. Unde Exod. 4. dicitur, quod virga, quam tenebat Moyses, projecta in terram statim versa est in colubrum, ità ut timeret Moyses non solùm vir-

Digitized by Google

gam illam recipere, ſed etiam hanc videre. Dominus tamen ſibi præcepit, quod caudam draconis acciperet, quod cum feciſſet, in virgam iterum eſt converſa.

Iſtud applicatur ad ſtatum populi Judæorum. Virga enim, quâ mundus regitur, ſignificat filium Dei Patris, Pſ. 2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Moyſes verò, qui iſtam tenet, populum Judaicum ſignificat, qui revera in principio iſtam virgam, ſcilicet, Deum, in manu ſua tenuit, in quantum in ipſum credidit & amavit. Per colubrum, qui eſt res corporalis & viva, intelligitur Chriſti humanitas, quæ, ſcilicet, fuit corporea & mortalis: dico igitur, quod quando virga, quam tenebat Moyſes, id eſt, Deus, quem credebat populus Judæorum, in terram miſſus fuit, tunc proculdubio in draconem, id eſt, in mortalem hominem eſt converſus, ita quod Moyſes iſte, ſcilicet populus Judæorum factus eſt tremendus, & à fide incarnationis domini fugitivus. Judæus enim virgam in colubrum mutavit, dum Dei filii perſonam hominem factam abhorruit, & eam credere, & accipere, & recipere recuſavit. Unde dicitur Joan. 1. *Sui eum non receperunt: & Verbum caro factum eſt.* Veruntamen de divino
F diſpenſationis mandato ſic fiet, quod Moyſes iſte, id eſt, Judaicus populus iſtum ſerpentem Chriſtum, caudâ, id eſt, in fine per crudelitatem accipiet, & tunc ſibi vertetur in virgam, in quantum ipſum finaliter Deum credet, ita quod nunc propriè poſſit dici illud Pſal. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* In medio inimicorum tuorum, id eſt, in medio Judæorum, qui modo ſunt Chriſti & fidei inimici.

Vel dic, quod Moyſes eſt Deus, qui quandoque in manu ſua tenet virgam, id eſt, aliquam bonam perſonam, quam, ſcilicet, in ſtatu gratiæ manu tenet, & eam in bono retinet atque fovet. Veruntamen ſæpe accidit, quod Deus laxat manum ſuam, & ſecundùm occulta ſuæ diſpenſationis judicia ipſam peccare permittit, & in terra eam projicit, dum ad amorem terrenorum per avaritiam, vel apoſtaſiam cadere hanc ſinit, quæ revera in draconem vertitur, in quantum in virum peſſimum commutatur. Quod utique ad literam videmus de multis hominibus, qui in Eccleſia vel Religione, antequam ad terrena adminiſtranda promoverentur, erant virgæ, id eſt, perſonæ juſtæ & rectæ, ad regendum alios optimè diſpoſiti, qui tamē poſtquam ad terram, id eſt, ad adminiſtrandū terrena dimittuntur, utpote quando ad aliquod officium vel dignitatem promoventur, tunc dracones, id eſt rapaces & crudeles efficiuntur, & in malos homines commutantur. *Quid refert* (inquit Tullius) *an quis in belluam ſe convertat, aut per iniquitatem ferinos mores induat?* Fit tamen de talibus quandoque, quod Moyſes, id eſt, Deus ipſos in cauda, id eſt, in ſenectute ad miſericordiam recipit, & eos per pœnitentiam ad ſtatum ſalutis reducit, & ſic hi in virgas, id eſt, in viros juſtos mutantur, & à draconina ſævitia & nequitia convertuntur. Unde dicitur Theren. 1. *Ipſa gemens converſa eſt retrorſum.*

Vel dic, quod Moyſes eſt Prælatus, de cujus manu quandoque virga, id eſt, religioſus apoſtatando, & ad terram, id eſt, ad ſæculum redeundo, fit draco venenoſus, multipliciter peccando, ita quod Moyſes, id eſt, Prælatus, ipſum timet recipere, malam vitam ipſius abhorrendo, tandem tamen in fine iſte per Moyſen, id eſt, per Prælatum capitur, ab ipſoque punitur, ita quod ſæpe fit, quod iterum in virgam, id eſt, bonum virum mutatur. Unde dicitur 1. Reg.
G 10. *Mutatus eſt in virum alterum.*

Moyſes faciens ſigna coram Pharaone, manum ſuam in ſinum mittebat, & quam diu ibi ſtabat, ſana erat, quando autem ipſam coram Pharaone extrahebat, tunc leproſa fiebat. Si vero ipſam iterum in ſinum trahebat, ad ſanitatem priſtinam redibat.

Manus in ſcriptura ſignificat bonam operationem, ſinus eſt conſcientiæ ſecretum & intentio, dico ergo, quod quando Moyſes, id eſt, vir juſtus tenet manum ſuam, id eſt, bona opera ſua in ſinu ſuo, id eſt, in conſcientiæ ſecreto, ipſaque in abſcondito & occulto facit, tunc ipſa opera perſeverant utilia atque ſana. Si vero ipſa de ſinu ſecreti ſuper oſtentationem extrahat, & coram Pharaone, id eſt, coram mundo demonſtrare ipſa gaudeat, tunc leprâ inanis gloriæ polluuntur, & per jactantiam depravantur. Quapropter neceſſe eſt, quod manus operationis noſtræ ad ſinum noſtrum, id eſt, ad ſecretum redeat, aliàs in ſanitate & munditia nunquam apud Deum perſeverat, & ideo homo, qui gaudet facere opera ſua bona coram hominibus, ut videatur ab eis, reprehenditur, in Pſ. 73. ubi dicitur. *Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio ſinu tuo in finem.*

Vel dic, quod Moyſes eſt Prælatus, ſinus eſt clauſtrum, & membrum ejus eſt quilibet ſubditus. Igitur dico, dato quod Moyſes habet manus ſuas, id eſt, ſubditos ſuos retinet in ſinu Clauſtri ſanctos ac ſpiritualiter ſanos, & mundos illos habet, quando tamen ipſos emittit de ſinu clauſtri ſui exterius ad terrenas miniſtrationes, vel inter ſæculares eos mittit, faciliter ſolent lepram luxuriæ, & avaritiæ incurrere, & quamdiu extra fuerint, immundi & luxurioſi manere. Sed pro certo tunc iterum ſani efficiuntur, quando ad ſinum clauſtri per Prælati induſtriam retrahuntur. Ideo dicat bonus religioſus foris in temporalibus occupatus, illud Luc. 11. *Revertar in domum meam, unde exivi.*

Vel dic, quod iſta manus eſt homo, qui de ſinu divinæ gratiæ, & charitatis emiſſus, leproſus efficitur & peccator, qui tamen tunc temporis ſpiritualiter ſanatur, quando per pœnitentiam ad hunc ſinum revertitur, Unde dicitur Hier. 47. *Revertere ad vaginam tuam ô mucro.*

Vel dic de apoſtatis, qui tunc leproſi & peccatores fiunt, quando de ſinu Moyſi, id eſt, de clauſtro apoſtatando, vel in publico inter ſæculares prodeunt. Tunc vero è converſo ſpiritualiter ſani efficiuntur, quando ad clauſtrum, vel ad Chriſti vel Prælati ſui gre- H mium revertuntur. Sicut ad literam patet de religioſis ſanctimonialibus, quæ quando nimis frequentant domus parentum, & etiam curias ſæculares, vel domus Prælatorum, ſtatim ſolent lepram avaritiæ & adulationis, & ſuperbiæ incurrere. Ideo talibus dicitur Hier. 31. *Revertere ad civitates tuas. Uſquequo delitiis diſſolveris filia vaga?*

Capitulum ſeptimum. Textus. Dixit Dominus ad Moyſen: ecce conſtitui te Deum Pharaonis, &c.

Moralitatum Cap. III.

TErtium ſignum, quod præcepit Dominus per Moyſen, fuit de aqua converſa in ſanguinem. Accepit enim aquam de flumine, & fudit ſuper aridam, & facta eſt ſanguis.

Sic verè loquendo ſpiritualiter ſæpe fit, quod dum aqua, id eſt, aliqua ſimplex perſona de ſuo flumine, id eſt, de ſtatu religionis, devotionis, vel compunctionis extrahitur, & ſuper aridam effunditur, id eſt, ad miniſtrationem terrenorum conſtituitur, tunc verè ſanguis, id eſt, carnalis & luxurioſa efficitur, niſi cum diligentia præcaveat, ne labatur Pſ. 104. *Convertit aquam eorum in ſanguinem.* Vel expone ſicut Apoc. 8. & 16. dicitur, &c.

Vel dic, quod talis aqua ſignificat uſurarios & avaros, malos officiales & ballivos, qui ſuper terram dum effunduntur, id eſt, quando in terra vel patria dominantur, in ſanguinem, id eſt, in perſonas crudeles & ſanguineas commutantur.

Poſtquam Aaron projecit virgam ſuam in terram coram Pharaone, & verſa eſt in colubrum, vocavit Pharao incantatores, & maleficos, & ſapientes ſuos, & projecerunt ſinguli virgas ſuas, & ſimiliter in colubros ſunt converſæ, virga tamen Aaron virgas devorabat magorum. Iſtud allegari poteſt, quod magi, id eſt, hypocritæ homines & ficti, quandoque ita bona opera in apparentia faciunt, ſicut Aaron, id eſt, ſicut boni. Veruntamen iſta eſt differentia, quod virga Aaron ſuperſtat, aliis devoratis, & opera juſtorum A perſeverant, operibus hypocritarum conſumptis, quia revera miracula, id eſt, mirabilia & ſingularia opera, quæ faciunt juſti, ſunt mirabilia. Illa vero, quæ faciunt hypocritæ ſeu mali homines, ſunt defectibilia. Unde Seneca: *Nihil quod fictum eſt, eſt diuturnum.* Vel dic, quod Aaron ſummus ſacerdos ſignificat magnos dominos & prælatos. Magi vero ſignificant inferiores, ballivos, & vaſallos. Cum igitur uterque habeat virgas verſas in colubrum, id eſt, in rapacem familiam, vel cum uterque virgam juriſdictionis ſuæ in colubrum, id eſt, in rapacitatem convertat, in quantum tam major quàm minor rapinis, & exactionibus vacat, virga tamen Aaron virgas magorum devorare dicitur, in quantum officiales majorum, officialibus minorum inimicantur, & in quantum ad juriſdictionem Papæ vel Regis vaſallorum dominia quotidie reprimuntur, & tunc propriè draconem devorat, quando unus malus alium malum gravat. Unde illud; *Ferrum ferro tollitur, &c.*

Idem Capitulum ſeptimum. Textus. Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te.

Moralitatum Cap. IV.

PRæcepit Dominus Aaron, dicens, Tolle Virgam tuam, & extende ſuper rivos, & lacus, & paludes Ægypti, & convertantur in ſanguinem, & ſit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vaſis quàm in lapideis. Percuſſitque aquas, & verſæ ſunt in ſanguinem, & computruit fluvius, & piſces, qui erant in fluvio, mortui ſunt, & non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, & foderunt ſibi aquam per circuitum fluminis ad bibendum.

Per aquam in ſcriptura poſſumus intelligere Eleemoſynam. Unde dicitur Eccl. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ſic Eleemoſyna extinguit peccatum.* Per cruorem intelligo crudelitatem, rapinamque & adverſitatem. Unde: Deut. 32. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine &c.* Dicamus igitur, quod hodie per totam Ægyptum, id eſt, per totum mundum tota aqua pietatis converſa eſt in ſanguinem crudelitatis, & hoc non ſolum in lacubus, & paludibus, id eſt, in ſtatibus ſæcularibus, ſed etiam in rivis & fluminibus, id eſt, in Eccleſiaſticis, & regularibus. Vaſa enim lignea, id eſt, B prælati Eccleſiaſtici, vaſa lapidea, id eſt, principes ſæculares, & laici pleni ſunt crudelitatis cruore, nihilque habent de cujuſcunque pietatis aut benignitatis humore. Piſces enim, id eſt, viri flexibiles, devoti & pii, qui erant in flumine Eccleſiæ, mortui ſunt, ipſumque flumen quaſi jam eſt factum putridum per peccatum. Et, ut breviùs concludam, quocunque ſe vertant Ægyptii, id eſt, pauperes, ſive ad clericos, ſive ad laicos, ſive ad officiales principum ſive Prælatorum, totum inveniunt crudelita-

tc

Digitized by Google

te & cruore plenum, ita quod non inveniunt, quid possint bibere, id est, à quo possint cujuscunque beneficii refrigerium reportare. Ideo omnibus talibus potest dici, Esa. 1. *Manus vestræ plenæ sanguine sunt.*

Vel dic, quod aqua significat prosperitatem mundi, quæ fluit & defluit sicut aqua, & revera in sanguinem carnalis infectionis hodie vertitur, ita quod pisces hujus fluminis, scilicet, mundani divites per peccatum luxuriæ moriuntur.

Vel dic, quod quia fluvius religionis, vasaque lignea & lapidea, id est, Ecclesiastici debiliores, & fortiores, sunt pleni sanguine, i. e. peccato, ita quod jam totum est putridum & corruptum, piscesque, id est, viri pii, molles, & benigni, & devoti jam penitus deficiunt: ideo Ægyptii, id est, sæculares jam non inveniunt, quid de aqua bonæ doctrinæ, vel de bonitate exemplaris viræ ibidem possint bibere vel haurire; quapropter jam necesse est eos deficere vel perire, & propter mala exempla Ecclesiasticorum multipliciter esurire. Sanguis enim & non aqua, id est, carnalis vita & non pura, mala doctrina & non bona, exempla inutilia & non sana possunt hodie in flumine Ecclesiæ reperiri, & in vasis, id est, in conscientiis hominum. Unde Apocal. 14. *Et exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum.* Ægyptii autem, id est, religiosi & pœnitentes etiam non inveniunt in flumine hujus mundi, quod possent tutò bibere, quinimò necesse est eis terram proprii corporis, per pœnitentiam fodere, ut aquam vivam, id est, gratiam divinam valeant reperire. Ideò de diabolo potest dici illud Psal. 104. *Qui convertit aquas eorum in sanguinem, & imbres eorum, ne biberent.*

Cap. 8. Secunda plaga fuit de ranis. Præceptum est enim Aaron, quod extenderet manum suam super flumina, & super rivos & paludes Pharaonis, dicens: Sic ebulliet (inquit) fluvius ranas, & ascendent domum tuam, & cubiculum lecti tui, & super stratum tuum, ingredientur domos servorum tuorum, necnon & in populum tuum, & in furnos tuos, &c. Et in reliquias ciborum tuorum. Sicque factum est, quod ranæ terram Ægypti occupaverunt, & usque ad lectos & cubilia hominum intraverunt.

Ranæ loquaces significant detractores, qui revera hodie quasi totum occupant mundum. In domibus enim regum, & superiorum, Principum, Prælatorum & majorum etiam & minorum, imò in ipsis cubiculis, & secretis cameris eorundem hodie ebulliunt tales ranæ, id est, viri detractores, & garruloſi adulatores, magniloqui & verbosi. Fluvius enim mundanæ prosperitatis ranas procreat, in quantum filios magniloquos, detractores, litigiosos & clamorosos generat. Ideò in lib. Sap. 19. dicitur, *quod pro piscibus eructavit fluvius ranarum multitudinem.*

De pulvere terræ percussæ nati sunt cimices in tanta quantitate, quod totam terram occupaverunt, & regem, & populum mirabiliter afflixerunt. Muscæ etiam alia vice in Ægypto in tanta quantate natæ sunt, quod domos Ægypti quasi penitus impleverunt.

Sic verè de pulvere ipso terræ, id est, de misero statu & humili plebe nascuntur quandoque cimices & aliæ muscæ, id est, parvi ballivi & procuratores, qui quamvis nullius sint valoris, solent tamen omne genus hominum infestare, & regem & populum, id est, majores & minores indebitè flagellare.

Viam trium dierum petebant filii Israel ire in desertum, ut sacrificarent domino in solitudine, quia, scilicet, sacrificium non audebant in Ægypto inter idololatras Deo immolare, & ideo volebant ad Deo dignè sacrificandum in solitudine se elongare.

Sic verè si tutè & dignè volumus sacrificare domino, & laudis & spiritus contribulati eidem sacrificium immolare, ante omnia debemus appetere, ut de Ægypto, id est, de peccato vel mundo mentaliter exeamus, & quod per viam trium dierum, id est, per cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem, desertum pœnitentiæ subintremus, & ibi Deo per bona opera immolemus; homo enim nunquam dignè domino immolat, qui se à Pharaonis, id est, diaboli dominio per dierum istorum trium spatium non elongat, & qui desertum pœnitentiæ non subintrat, dicendo illud Psal. 54. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine, &c.*

Vel dic, quod Ægyptus est mundus, desertum religio, trium dierum via, tria religionis vota, quia pro certo dum homo est in Ægypto, id est, in mundo, & mundi negotiis, Ægyptiis peccatoribus sociatus, vix potest per bona opera domino immolare, & ideò necesse est, quod Ægyptum, id est, mundum & sua negotia fugiat, & quod per viam trium dierum, id est, per tria religionis vota, per obedientiam contra superbiam, per paupertatem contra avaritiam, per castitatem contra luxuriam, ad religionis pœnitentiam & solitudinem se convertat. Unde dicitur Jonæ 3. *Cœpit Jonas introire in civitatem itinere trium dierum.*

Capitulum nonum. Textus. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingredere.

Capitulum decimum. Textus. Et dixit Dominus ad Moysen.

Moralitatum Cap. V.

Sicut ponitur Exod. 9. 10. 11. & 12. inter cæteras Ægypti plagas una fuit animalium per tempestatem occisio: altera fuit ulcerum & vesicarum per cineris aspersionem inductio, alia tonitruum, & grandinum emissio, alia locustarum omne viride consumentium introductio, alia tenebrarum oculos excœcantium per triduum obscuratio, alia tandem primogenitorum mors, & consumptio.

Sic verè Ægyptii, id est, peccatores plagâ multiplicium vitiorum læduntur, quia, scilicet, ante omnia tempestas tentationis occidit in eis animalia, id est, animalitatem spiritualem, scilicet, discretionis sensum, & motum bonæ operationis. Secundò cineris in ventum sparsio, id est, bonorum operum, si quæ habent, in ventum elatio, seu ventosa ostentatio, efficit in eis vesicas tumoris, id est, præsumptionis. Tertiò accidit in eis tonitruorum, ignium & grandinum, id est, discordiarum, invidiarum, injuriarum turbatio. Tandem per locustas, id est, per motus carnales, accidunt in eis omnis rei viridis, id est, omnium virtutum & viroris bonæ conversationis consumptiones. Quartò succedunt tenebræ, id est, mentis excœcationes & obstinationes. Ultimò moriuntur primogenita eorum, id est, animæ per æternas damnationes & afflictiones. Et sic patet, quod verùm est, quod in Ps. 31. scribitur: *Multa flagella peccatoris, sperantem autem,* &c. *Sic dicit Dominus,* Hier. 30. *Plagâ inimici percussi te castigatione crudeli.*

Vel dic, quod tenebræ factæ sunt in Ægypto tribus diebus, ita E ut nemo videret triduo fratrem suum. Triduum tenebrarum significat triplicem mentis excœcationem, illam, sc. qua homo non permittitur videre cœlestium fœlicitatem, terrestrium vanitatem & instabilitatem, infernorum periculum & acerbitatem. Quando enim in Ægypto, id est, in corde peccatoris, isti tres dies tenebrarum, id est, ista triplex excœcatio mentis præcedit, restat, quod primogenitus ejus, id est, anima per vitia moriatur, & ab angelo percutiente, id est, à Dei sententia æternaliter occidatur.

A plagis Ægypti, ut dum aqua conversa est in sanguinem, animalia mortua, tenebræ factæ, primogenita occisa, &c. terra Jessen ubi erant siti Israel, fuit immunis, quia, scilicet, ibi erat claritas, cum Ægyptus obtenebraretur, ibi erat tranquillitas, cum Ægyptus turbinibus premeretur, ibi erat sanitas, cum primogeniti Ægypti necarentur.

Terra Jessen potest significare Ecclesiam, vel statum Ecclesiæ, vel religionis, quæ revera ab Ægypti, id est, à mundi cladibus est immunis, quia propter filios Israel, id est, propter justos, qui ibi sunt, ista terra non patitur tribulationes, & tentationes, excœcationes & cordis obtenebrationes, nec non primogenitorum, id est, animarum mortem, & damnationes, quas patitur Ægyptus, id est, mundus: quinimò sæpè fit, quod isti habent quietem, cum alii tribulantur; scientiæ splendorem, cum alii habeant obstinationem, & ignorantiam; sanitatem, & pacem, cum alii tribulationibus infestantur.

Vel dic, quod per Ægyptum infernus, & per Jessen intelligitur Paradisus, ubi sunt filii, id est, Angeli & Sancti, qui Deum contemplantur, & vident, quæ, scilicet, nulla Ægypti tribulatione vel tentatione læduntur, imò in luce & prosperitate perpetua conversantur, ideò Ægyptiis, id est, mundanis, peccatoribus, & damnatis videtur Dominus dicere illud Esa. 65. *Ecce servi mei comedunt, & vos esurietis, & servi mei bibent, & vos sitietis, servi mei lætabuntur, & vos confundemini, servi mei laudabunt præ exultatione, & vos clamabitis præ dolore.* Et breviter, magna est divisio inter bonos & malos, inter salvos & damnatos. Unde dicitur Luc. 16. *Magnum chaos firmatum est inter nos & vos.*

Capitulum duodecimum, Textus. Dixit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti.

Moralitatum Cap. VI.

Cum Deus decrevisset primogenita Ægyptiorum tam hominum, quàm jumentorum occidere, primogenita verò filiorum Israel intacta dimittere, & à morte eripere, & salvare, ipsosque filios Israel de Ægypto ad terram promissionis educere, præcepit agnum seu hœdum occidi, & domus ipsorum Hebræorum in superliminaribus, & utroque poste signari. Sicque factum est, quod angelus domos signatas sanguine, non tetigit, nec in eis primogenita occidit, imò populum ibi habitantem de Pharaonis dominio per mare rubrum eduxit ad desertum, domos verò Ægyptiorum, quæ sanguine tactæ vel signatæ non fuerant, angelus invasit, & ibi primogenita interfecit. Ipsos verò tandem Ægyptios in mari rubro submersit. F

Sic verè cum à Deo sit ordinatum, & decretum, quod primogenita Ægyptiorum. 1. peccatores mortis æternæ debeant subire periculum, constat quod ab hac sententia illi solùm merebuntur salvari; qui sanguine agni immaculati Christi voluerunt per suæ passionis memoriam consignari. Solæ n.

Digitized by Google

personæ, quæ domos cordium suorum sanguine isto consignaverunt,& per mortis Christi recordationem super utrumque postem cordis & oris istum sanguinem habuerunt, à percutiente angelo, id est, à judicante Christo, per damnationem non tangentur, sed potius à mortis æternæ periculo salvabuntur. Ægypti verò, i. e. peccatores, qui nihil de isto sanguine habuerunt, & mortis,& sanguinis Christi memoriam,& devotionem, & consignationem non acceperunt,& ab isto angelo, id est, à dura Christi sententia ferientur, & mortis æternæ periculo supponentur. Deus enim illos solos à morte æterna salvabit, in quorum domibus, id est, cordibus sanguinem agni,id est,sanguinis Christi memoriam videbit. Unde dicitur Ezec. 16. *In sanguine tuo vive*, ipsosque de Pharaonis vel diaboli imperio liberabit, & ad terram promissionis, scilicet, Paradisum per desertum pœnitentiæ destinabit. Illos verò,qui isto carent sanguine, in mari rubro,i. e. in inferni amaritudine suffocabit. Unde
G dicitur 1. Petr. 1. *Pretioso sanguine agni redempti estis.*

Vel istud applica realiter ad passionem Christi, & dic, quod in Ægypto, id est,in mundo, agnus Christus de Dei mandato, & ordinatione occisus est,ut scilicet,virtute sui sanguinis, Hebræi,qui interpretantur transeuntes,qui, scilicet, manentem civitatem non habent, à percussione mortis æternæ salvarentur, & mediante mari rubro, id est, amara compunctione desertoque pœnitentiæ adjuvante,ad terram promissionis, id est, ad cœli gloriam ducerentur. Ægyptii,autem,id est,infideles,qui istius agni sanguinem, i. e. Christi passionis fidem nolunt recipere, necesse habebunt æternæ damnationis, & percussionis periculum sustinere. Unde Ezec. 12. quod *Angelus omnes percussit,quos non signatos invenit.*

Vel dic, quod Ægyptii sunt vitia, quæ tunc temporis submerguntur,quando filii Israel,id est, boni per mare rubrum, id est, per memoriam Dominicæ Passionis, vel per amaritudinem pœnitentiæ transducuntur. Filii Israel farinam de Ægypto tulerunt,& inde panes azymos confecerunt; sic verè Catholici de farina, & gentilium scientia veram doctrinam conficiunt, & panes azymos Theologiæ inde coquunt.

Cum filii Israel mare rubrum deberent transire, & ad terram promissionis venire,præcepit Dominus, quod domus, & familia insimul convenirent, quodque agnum paschalem comederent. Erant tamen in comedendo agnum multæ ceremoniæ necessariæ, quia scilicet non debebat comminui, nec aliquid usque ad mane servari. Igne debebat esse assatus, & cum lactucis agrestibus,accinctis renibus, manducatur, calceamenta in pedibus, & baculi in manibus debebant haberi, postes domûs sanguine debebant inungi, & ipse agnus cum intestinis,capite, & pedibus debebat festinantissimè manducari.

Ista omnia possunt applicari ad esum agni immaculati, id est, est, ad receptionem corporis Jesu Christi, quia revera nos, qui debemus esse veri Hebræi, id est, per mundum transeuntes,& non manentes,etiam debemus esse filii Israel,id est,Deum per fidem & contemplationem videntes, juxta illud, quod scribitur in epistola. *Dudum nos hujus mundi non sumus incolæ, sed advenæ; & ad hoc in mundum venimus, ut nobis ibidem non liceat*
H *persistere.* Ut possimus mare rubrum, id est, mortis amaritudinem securè transire, & per desertum purgatorii ad terram promissam, sc. ad Paradisum pertingere, necesse est, quod simul per charitatem & unitatem fidei communicemus, & quod agnum paschalem Christum in Sacramento altaris dignificè comedamus. Est igitur necessarium ad ipsius dignam sumptionem, quod ossa ipsius non comminuantur, & quod nihil de eo superfluum reservetur, seu quod nihil credatur de eo superfluum, nec aliquid diminutum. Ossa enim integra servantur, quando, quicquid est necessarium, creditur, nihil verò superfluum servatur, quando nullus error supervacuus admiscetur. Unde dicitur Ecclesiast. 42. *Neque adjectum est, neque minuitur.* Iste igitur debet manducari assatus in igne per fervorem dilectionis cum lactucis agrestibus, id est dolore contritionis, cum accinctis renibus, id est, cum moderatione continentiæ,& luxuriæ restrictione, cum pedibus calceatis, id est,cum mortis meditatione, cum baculis in manibus, id est, cum crucis spe, & devotione, cum sanguine in ostio, id est, mortis Christi, & suæ passionis, & sanguinis recordatione, & compassione. Calceamenta autem, quæ fiunt de pellibus animalium mortuorum, significant mortis memoriam, baculus significat crucem, sanguis crucem dominicæ passionis. Manducari etiam, & recipi debet iste agnus, id est, Sacramentum cum capite, id est, cum deitate. Unde Apostolus 1. Corint. 11. *Caput Christi Deus.* Cum intestinis, id est, cum humanitate, & cum pedibus, id est, cum Sacramentorum, & articulorum sequela & universitate. Iste enim agnus nunquam dignè recipitur, nisi humanitas, & articulorum veritas per fidem integrè comedatur. Unde Ecclesiast. 36. *Omnem escam manducabit venter.* Festinanter autem debet comedi, ad denotandum, quod circa inquisitionem istius Sacramenti non debeat homo immorari, nec etiam circa Missæ celebrationem, vel Eucharistiæ sumptionem, ne forte vanæ cogitationes, vel dubitationes possint insurgere, quibus possit fidei veritas vacillare;& sicut
A nullus, nisi esset circumcisus, debebat de isto agno comedere, sic nec de Sacramento altaris debemus gustare, nisi fuerimus per pœnitentiam à vitiorum superfluis circumcisi. Unde Joel. 2. *Scindite corda vestra,&c.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Locutus est autem Dominus ad Moysem.

Moralitatum Cap. VII.

CUm filii Israel, mari transacto, per desertum transirent, voluit eis Dominus contra omnia incommoda de remedio providere, & quia affligebantur æstu per diem, obscuritate per noctem, & quia etiam viam nesciebant, & poterant errare, panem non habebant, & poterant esurire, aquas non inveniebant & oportebat sitire. Cum,scilicet, illa patria talis esset,prout communiter dicitur, quod nec panis ibi cresceret, nec aqua flueret, nec etiam arbor viresceret, cum esset patria sterilis atque sicca, quatuor specialia remedia concessisse videtur, quia,scilicet, iste providit eis de columna nubis per diem, quæ æstum obscuritate sua temperet, & de columna ignis per noctem, quæ sua claritate totam illuminaret: sicut dicitur Exod. 13. Item providit eis de Manna, quæ famem relevaret, sicut dicitur infra 16. de aqua à petra fluente, quæ sitim temperaret, sicut Exod. 17. Item de angelo, qui eos conduceret, & ne errarent, caveret, sicut dicitur Exod. 14.

Sic verè cum filii Israel, id est, sancti, & probi viri in deserto hujus mundi, ad terram promissionis, id est, ad Paradisum peregrinando percurrentes, & multa, & plura, & magna habeant incommoda, id est, ardorem malæ concupiscentiæ, tenebras autem ignorantiæ,famem verò & sitim avaritiæ, necnon ignorantiam vitæ rectæ, id est, justitiæ, hinc providit eis Dominus de remediis opportunis, quia, scilicet,ipsis misit nubem, id est, Christum filium suum purum & nubeum, qui prædicando refrigeravit concupiscentiæ ardorem. Ignem,scilicet,Spiritum sanctum,qui illuminavit errorem, & tenebrarum horrorem: manna, id est, Sacramentum altaris, quo satiavit desideriorum amorem, aquam de petra sacræ scripturæ, quâ temperavit mali appetitûs fervorem, angelum ducem, id est, divinam gratiam, quâ demonstravit viæ veritatis splendorem.

Vel dic moraliter,quod nubes est rorifluum pietatis,ignis incendium charitatis, manna dulcedo devotionis, aqua donum lachrymosæ compunctionis, angelus intellectus claræ cognitionis. Unde B
dicitur Malach. 3. *Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.* Nubes, quæ præcedebat filios Israel in deserto, facta erat ad modum columnæ, unde ista dicebatur columna nubis de die,ad refrigerandum contra ardorem, columna ignis de nocte,ad illuminandum contra tenebrarum horrorem, sicut dicitur Exod. 13. Stabat autem ista nubes super populum, & quamdiu stabat, immobilis populus fixis tentoriis quiescebat. Cum autem nubes ista movebatur & elevabatur, populus similiter, tentoriis motis, nubem sequens proficiscebatur. Quo facto iterum, ubi ipsam videbant stare, ipsi similiter sistebantur, sicut dicitur Num. 9. *Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium Domini deponebantur, &c.* Per istam nubem intelligi potest Prælatus, quia pro certo iste datus est filiis Israel, id est, fidelibus subditis in principem, & in ducem, qui, scilicet, ipsos per desertum hujus mundi dirigat, & ad terram promissionis, id est, ad Paradisum verbis, & exemplis conducat, quia pro certo iste debet esse columna ratione stabilis firmitatis, nubes ratione rorifluæ pietatis, ignis illuminans ratione limpidissimæ scientiæ, & veritatis, ut columna debet alios spiritualiter & temporaliter sustentare, ut nubes debet alios doctrinis & beneficiis irrigare, ut ignis debet alios per charitatem incendere, & per sapientiam illuminare. Ideo de tali Prælato dicitur in Psalm. 104. *Expandit nubem in protectione eorum, & ignem,ut luceret eis per noctem.* Quid ergo? pro certo iste debet populo, id est, subditis superstare, & cum eis personaliter commanere, & per jurisdictionis eminentiam præeminere, & per exemplorum dationem super eos, & coram eis præsentialiter se monstrare. Populus verò subditorum se debet conformare penitus isti nubi, id est, bono Prælato discreto, & spirituali, & ideo cum ipso moto per bona opera debet moveri, cum ipso elevato debet levari per contemplationem, cum proficiscente debet virtutibus proficisci, cum ipso stante, & manente, scilicet, in bono proposito, debet similiter populus in fide & moribus stabiliri. Unde de sanctis animalibus, id est, de Prælatis, & de rotis, id est, de subditis dicitur
Ezech. 1. *Cum euntibus ibant, cum stantibus stabant, & cum elevatis à terra pariter elevabantur, &c. & cum ambularent animalia, &c.* C

Vel dic,quod columna est Christus, qui, scilicet, in die præsentis vitæ nubeus, pluviosus & misericors invenitur. In nocte verò, id est,in futuro judicio vel in morte igneus,id est, severus, & justus & rigidus. In nocte,id est, erga impios, & obscuros. Ipse est enim, qui secundùm diversas personas, & secundùm diversa tempora diversificat seipsum, & ita est nunc nubes misericordiam pluendo, nunc ignis justitiam exequendo, ita quod de eo propriè potest dici illud Eccl. 24. *Ecce ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.* De ipso etiam dicitur Deut. 4. *Deus noster ignis consumens est.*

Vel

Digitized by Google

Vel si vis, dic de malo Prælato, quod nubes est malus, qui dicitur columna nubea, propter instabilem vanitatem, columna ignea propter ardentem cupiditatem. Et dicitur sequi à populo propter facilem malorum suorum exemplorum conformitatem, populus enim nubem, id. est, Prælatum, qui sibi præmium promittit, solet sequi, & ejus malis moribus conformari. Quia sicut dicitur Ecclesiast. 10. *Qualis rector civitatis, talis populus, qui habitat in ea.* Tales enim Duces inveniuntur hodie multi, scilicet, qui hodie tenent præeminentiam hujus mundi, &c.

Cap. 13. Cum populus Domini in Ægyptum trans mare rubrum eductus, videlicet ad terram promissionis, Hierusalem procederet, licet per regionem Philistinorum brevius, & facilius, & plenius incedere posset, Dominus id tamē noluit, ne fortè populus Philistinorū sibi bella moveret, & tædio affectus iterū in Ægyptū rediret. Duxit igitur eos Dominus per desertum, quamvis difficilis esset via, pro eo, quod ibi non erant homines, nec timebantur prælia seu bella.

Sic verè populus novitiorum, & noviter de Ægypto, id est, de statu infidelitatis, vel de peccato seu de mundo egressorum, & ad finem seu pœnitentiam conversorum, debet à via Philistinorum, id est, à strepitu mundanorum & peccatorum submoveri, ne fortè per malorum ipsorum exempla, dicta, & facta, bella tentationum insurgant, quæ ilsos faciant ad Ægyptum, id est, ad vitia retroverti. Noviter enim ad fidem, ad religionem seu etiam ad pœnitentiam conversus, bellis tentationum insurgentibus, ad vomitum revertitur, si Philistæis, id est, peccatoribus & infidelibus misceatur. Et ideò necesse est, quod tales ad inferiora deserti ducantur, id est, in claustris, & conventibus, necnon cum aliis bonis & fidelibus, & in ipsis viis pœnitentiæ difficilibus teneantur, ut ad cœlestem Hierusalem sine periculo perducantur. Et inde est, quod religiosi soleant novitios suos de via Philistinorum, id est, sæcularium & carnalium amicorum tollere, & eos, quantum possunt, ab his abscondere, & elongare, ne fortè ipsis contingat ad Ægyptum, id est, ad sæculum retroire, scientes, quod secundum doctrinam Christi, Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Vel si vis dic, quod populus fidelium, qui per mare rubrum, id est, per Baptismum Pharaonis, id est, diaboli, evasit Dominium, debet Philistinorum, id est, mundanorum vel peccatorum consortia fugere, & per desertum religionis vel pœnitentiæ ad promissionem Paradisi venire, dicendo illud Ps. 54. *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

Capitulum decimum quartum. Textus. Persequentesque Ægyptii, ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equitatus.

Moralitatum Cap. VIII.

Ægyptii, ut filii Israël intraverunt mare rubrum, persequentes Hebræos, ipsos occidere voluerunt. Veruntamen sic actum est, quod Hebræi per mare sine periculo apertus aquis, & ab utroque latere restrictis & divisis transierunt, Ægyptii vero remanserunt.

Dic moraliter, quod Ægyptii, qui Hebræos nituntur in servitute tenere, sunt peccata, qui nituntur animas subjugare. Veruntamen isti Hebræi ad mare rubrum, id est, ad pœnitentiæ amaritudinem transeunt sic, quod isti liberi & salvi evadunt, aquis veræ compunctionis mediantibus; Ægyptii verò, id est, peccata ibidem pereunt & succumbunt.

Vel dic, quod mare rubrum est mundi prosperitas, vel etiam vita præsens, vel mundus, qui dicitur mare propter fluctuositatem; rubrum, propter carnalitatem. Hebræi igitur, id est, viri justi per istud mare possunt sine periculo transire, quia, scil. aqua voluptatum non solet istos, quantum ad affectionem, tangere, quinimò isti solent per siccitatem paupertatis & pœnitentiæ penetrare, & illæsi ad Hierusalem cœlestis felicitatis pertransire. Unde dicitur Exod. 15. *Filii autem Israël ambulaverunt per siccum in medio mari*, Ægyptii autem, id est, mali, non sic: quia isti mare rubrum vitæ præsentis sine periculo non transeunt, quia videlicet aquæ delitiarum & voluptatum ipsos involvunt, & sic per diversa vitia ipsos destruunt & confundunt. Ps. 77. *Inimicos autem eorum demersit in mare:* quia breviter illud est verum, quod boni & discreti viri solent quandoque per mundi fluxum, & temporalia negotia benè utendo, illæsi transire, ubi tamen mali, qui benè prosperis uti nesciunt, solent per vitia succumbere & perire. Soli autem filii Israël, id est, discreti viri solum Deum videntes, & per devotionem & contemplationem ad Deum mentaliter tendentes, à mari fluctuosi sæculi non læduntur, ubi tamen alii naufragantur in ipso actu persecutionis, quo Ægyptii filios Israël compellebant exire, dicentes: Exo. cap. 12. *Omnes moriemur.*

Immutavit Dominus Ægyptiorum voluntatem, deditque filiis Israël gratiam in conspectu eorum, ità, quod vasa aurea & argentea, quæ ab eis petierunt Hebræi, ipsis libenti animo Ægyptii concesserunt, & sic ultra mare rubrum, ipsis Ægyptiis compellentibus, cum Ægyptiorum spoliis recesserunt.

Istud potest exemplariter applicari ad occultam Dei providentiam, quæ occultè potest voluntatem hominum mutare & etiam contra propositum in contrarium applicare, quæ etiam bonos de bonis malorum solet aliquoties ditare, & mercedem, quam meruerant, ex alio latere, quàm sperabatur, eisdem provocare. Constat enim, quod filii Israël servierant Ægyptiis multis temporibus, nec receperant aliquid pro mercede, & ideò quando recesserunt, voluit Dominus, quod per talem modum ex vasis Ægyptiorum fieret eis satisfactio, ut haberent mercedem de servitio. Unde dicitur Sap. 10. *Justi tulerunt spolia impiorum.*

Vel dic, quod idcirco voluit Dominus spolia accipi, ut possent exindè sustentari. Sic verè quando spolia Ægypti, scilicet, scientiæ mundi, Philosophia, scilicet, & poetria, & alia similia ad compositionem Ecclesiæ sunt utiles, ideò vult Dominus, quod à fidelibus studeantur & in animo reportentur.

Vel dic, de bonis temporalibus, quæ quia pro vita præsenti sunt necessaria, ideò permittit Dominus, quod à filiis Israël, id est, religiosis & Ecclesiasticis requirantur.

Capitulum decimum quintum, Textus. Tulit autem Moyses Israël de mari rubro.

Moralitatum Cap. IX.

Egressi filii Israël de mari rubro ambulaverunt per desertum, F
& venerunt In Marath, ubi aquæ erant ita amaræ, quod ipsam bibere præ amaritudine non valebant, de quo cum populus murmuraret, oravit Moyses ad Dominum. Qui ostendit eis lignum, quod cum misissent in aquas, in dulcedinem sunt mutatæ. Exindè autem venerunt in Helim, ubi erant duodecim fontes & septuaginta palmæ.

Sic verè cum quis de mari, id est, de mundo vel de peccato egrediens, desertum religionis vel pœnitentiæ perambulat, constat, quod ibi invenit aquas amaras plurium tribulationum, & displicentiarum, quæ, scilicet, sunt sibi amaræ, id est, difficiles atque duræ, quod ipsas nequit bibere, id est, pœnitentiam sustinere, propter quod solet de statu illo conqueri, & quod desertum hoc intraverit, murmurare. Tali debet dari in consilio, quod lignum, scil. crucis Christi per considerationem accipiat, & quod tormenta & amaritudines tormentorum ipsius videat, ipsumque in aqua amara, quam bibit, id est, in tribulationum amaritudine, quam sentit, misceat, unumque cum alio recompenset, & sic pro certo hujus amaritudo in dulcedinem ei vertitur, & quicquid erat difficile, leve & facile reperitur. Unde dicitur, Jud. 5. *A ligno obdulcata est aqua amara.* Quia secundùm Greg. *Dulce est, quod toleramus, si consideramus, quid bibit ad patibulum Christus.* Quia nostræ amaritudines, quas in deserto pœnitentiæ vel religionis sustinemus, respectu amaritudinis crucis & passionis Christi nihil sunt, & si hoc lignum apponitur, dulces fiunt.

Sic de novitio legitur, cui asperitas ordinis dura fuit, volenti igitur recedere apparuit in cruce Christus ostendens plagam lateris, & G
dicens: Ex his falsa panem tuum hordeaceum, quem comedere non potes. Ex tunc recessit tentatio de recessu. Benedictum ergo lignum, per quod fit justitia. Sic ergo veniet homo finaliter in Helim, quod interpretatur fortis, id est, ad fortitudinem, & constantiam mentis, ubi sc. duodecim fontes, id est, duodecim Apostolos, septuaginta palmas, id est, septuaginta Christi discipulos poterat invenire, quorum virtus & soliditas suam inconstantiam poterit stabilire.

Vel dic, quod amara aqua est fortis tentatio, vel generaliter quæcunque tribulatio, quæ tunc faciliùs sustinetur, quando ad lignum, id est, ad crucis memoriam recurritur, & quando ad Christi passionem, & devotionem venitur.

Capitulum decimum sextum. Textus. Profectique sunt de Helim, & venit omnis multitudo.

Moralitatum Cap. X.

Populus adhuc carnalis videns, quod panes & carnes ad comedendum non habebat, cœpit contra Dominum murmurare, Ægyptique, quas jam dimiserat, delitias memorare dicens: Cur eduxisti nos in solitudinem, ut interficeres nos fame? Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panes in saturitate. Quod audiens Dominus, pluit illis & carnes, & panes. Coturnices enim super castra eorum per multitudinem ceciderunt, de quibus singuli, quantum voluerunt, acceperunt, Manna ad modum pruinæ de cælo cecidit, quod populus pro pane habuit, & collegit, & murmurare contra Deum cessavit.

Sic verè plerumque contingit, quod post aggressionem alicujus ardui propositi, postque ingressum deserti religionis populus adhuc carnalis dolet de esu carnium dimisso, & de panis defectu, i.e. de famis vel abstinentiæ infortunio aliquoties immisso, recordaturque carnem, & panem, id est, carnales delitias, & temporales, quas in Ægypto mundi dimisit, murmurat contra sterilitatem, paupertatem, & penuriam, quam intravit. Dominus igitur quandoque talibus ex sua ineffabili gratia mittit volatilia pro carnibus, id est, celsitudinem contemplationis, mittit etiam Manna H
dulcissimum pro panibus, i. e. dulcedinem devotionis, & sic isti filii Israël desertum pœnitentiæ assuescunt, desideriaque carnium, id est, delitiarum carnalium dissuescunt, & contenti statu suo, à deserto pœnitentiæ nullatenus respiciunt, sed ibidem pacificè

Digitized by Google

ex tunc vivunt. Psal. 77. *Pluit eis Manna ad manducandum, vibaria misit eis in abundantia.* Et ibidem. *Pluit illis sicut arenam maris volatilia pennata.*

Vel si vis, dic, quod carnes significant Eucharistiam, Manna verò sacram scripturam, quæ sunt cibi viventium in deserto. Manna, quod pluit Dominus filiis in deserto, erat quidam cibus, qui ad modum pruinæ albæ terram operiebat. Eratque quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi simila cum melle coloris videlicet bdelllii, sicut dicitur hic, & sicut dicitur Num. 11. Populus igitur istud colligens, in mortario conterebat, & panes, vel cibos inde faciebat, sive conficiebat. Erat autem cibus iste dulcissimus & mirabilis, quia, *ad quemcunque saporem volebat homo, convertebatur.* Sicut dicitur Sap. 16. Erat etiam in hoc mirabilis, quia cum singuli certam mensuram, Gomor dicta, quandoque aliqui plus, aliqui minus colligerent, sic fiebat, quod nec, qui magis paraverat, magis reperit, nec qui minus collegerat, reperit minus. Residuum igitur, quod remanebat in campo, oriente sole, dissolvebatur, quod usque manè servari non debebat, quicquid verò recollectum usque manè servabatur, scaturiens vermibus putrescebat. Præceptum est igitur Aaron, quod urnam auream Mannâ impleret, & quod eam ad perpetuæ rei memoriam in tabernaculo servaret. Sume, inquit, vas unum, & pone in mari. Istum igitur cibum in deserto filii Israël habuerunt, ipsum verò, quando in terram habitabilem eis promissam venerunt, & de terræ fructibus gustaverunt, continuò perdiderunt, sicut patet hic, & etiam. Jos. 5.

Sicut sancti doctores exponunt, iste cibus, scil. Manna, significat corpus Christi, in sacramento altaris, & hoc primò ratione nominis. Man enim, seu Manhu interpretatur, *quid est hoc*, quia, scilicet, sicut dicitur hic, *Hebræi videntes Manna de cœlo descendere, dixerunt, Manhu*, id est, *quid est hoc*, admirativè loquendo. Sic verè quicunque benè considerat cibum istum, scilic. Christum in sacramento altaris, meritò potest mirari, & dicere, Manhu, id est, *quid est hoc*, quia ibi sunt tot mirabilia, quod meritò potest fieri quæstio de eodem. Unde in Ps. 117. dicitur, quod à *Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris.*

Item per Manna intelligitur Eucharistia ratione loci, quia sursum de loco venit à potestate divina, non humana. Unde dicitur A Joannis 6. *Pater dat vobis panem de cœlo verum.*

Item ratione modi, quia tantum habebat, qui multum, sicut, qui parum colligebat, quia, scilicet, in qualibet particula est totum corpus Christi, & in omnibus non est nisi unum. Unde dicitur Eccles. 18. *Neque adjectum est, neque minuitur.* qui enim plures hostias consecratas recipit, non magis habet de Christo, quàm ille, qui solummodo sumit unam. Unus tantum recipit sicut centum, & e converso. Et ideò canitur: *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti tantum ille.*

Item ratione virtutis, quia, scilicet, Manna omnem saporem habebat, & quicquid volebat comedens, sapiebat. Sic Eucharistia omnem habet virtutem, & ad omnia, quæcunque homo voluerit, potest valere, dum tamen homo sciat ipsum debitè, & dignè recipere, & tractare. Undè dicitur Sapient. 7. *Omnem habens virtutem, omnia prospiciens.* Undè est illud, Simila cum melle, id est, caro cum divinitate, vel panis species cum Christi corpore, & humanitate. Undè Ezec. 16. *Simila & mel, & oleum comedisti.*

Item ratione finis, quia tantum duravit, quamdiu fuerunt in via, id est, in deserto, & defecit eis in termino. Sic etiam Sacramentum altaris est institutum pro via hujus vitæ, id est, prò transitu deserti hujus mundi, quia revera, quando veniemus ad terminum hujus viæ, id est, ad terminum promissionis, & ad habitaculum Paradisi, tunc deficiet nobis nubes & Manna, id est, ignorantiæ obscuritas, & Sacramenti hujus velata difficultas. Nam quia tunc comedemus de fructibus terræ promissionis, id est, quia tunc gustabimus suavitatem gloriæ Paradisi, incipiemus videre per speciem, quæ nunc videmus per fidem, & tunc amittemus umbram, quando plenè videbimus veram lucem. Undè Apostolus 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Item ratione similitudinis, quia, scilicet, Manna erat simile semini coriandri, quod est mors canibus, id est, malis; & medicina hominibus, id est, rationabilibus & bonis. Simile est bdellio, quod est gutta amara, propter contritionis amaritudinem, quam comedens debet habere, & simile pani oleatico, propter Dei misericordiam, quam recipiens debet habere, & sperare. Quid igitur? Pro certo duo erant circa istud Manna necessaria, scilicet, quod usque manè nihil reservaretur, & ad perpetuam memoriam in urna aurea poneretur. Sicque verè de isto Sacramento necesse est, quod ipsum usque manè pro comedendo non reservemus, id est, quod in spirituali masticatione, disputatione & perscrutatione ipsius non nimium immoremur, ne fortè vermes errorum & dubitationum circa istud in nostris cordibus oriantur. Apostolus. *Non plus sapere, quàm oportet sapere.* Et alibi. *Non remanebit de eo quicquam usque mane.* B Debet igitur veraciter comedi, id est, simplici fide suscipi, & in urna aurea, id est, in corde mundo, & sancto per fidem & devotionem reponi. Undè dicitur Matth. 27. *Joseph autem mercatus sindonem, involvit eum, & posuit in monumento.*

Vel si vis, dic, quod Manna est devotio, vel cœlestis gratia, quæ de cœlo venit, & quæ, si nimis diu sine comestione, id est, sine boni operis executione relinquatur, & putrescere, & vermibus, id est, vitiis & malis cogitationibus deficere consuevit.

Vel dic, quod tunc Manna devotionis & cœlestis dulcedinis filiis Israël, id est, Christi fidelibus deficit, quando fructus terræ, id est, quando bonorum terrenorum suavitas eis sapit, statimque spiritualium dulcedinem perdunt, quandocunque fructus terræ, id est, terrenarum delitiarum & divitiarum dulcedinem affectumve percipiunt, & attingunt. Undè in Prov. 28. *Anima satiata calcavit favum.*

Vel dic, quod Aaron, id est, Deus Pater in una aurea, id est, in utero Virginis, Manna de cœlo missum, id est, filium suum posuit, ipsumque in tabernaculo Ecclesiæ perpetuo per fidem custodiendum mandavit.

Vel dic, quod Manna est sacra scriptura, quæ per studium teritur, per disputationem & veram expositionem, per doctrinam, in torculari exponitur. Item ista est similis bdellio per asperitatem, & amaritudinem reprehensionis, similis pani oleatico propter dulcedinem consolationis. Ista est similis coriandro: propter hoc, quod ista est mors Judæis & hæreticis ipsam malè intelligentibus, & est etiam vita bonis, quia, scilicet, semen coriandri mors est canibus, & medicina hominibus. Ista de cœlo descendit, in quantum, scilicet, inspirata est à Deo & ab Angelis, Ps. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.*

Cum Deus constituisset Sabbathum custodire, & in eo requiescere decrevisset, voluit die Veneris duplicem portionem Mannæ filiis Israël in deserto mittere & pluere, & duplicem portionem mandavit eis colligere, ut sic possent in die Sabbathi quiescere, & à quocunque manuali exercitio cessare. Ipsâ verò die Sabbathi Manna cessabat. Quapropter in die Veneris in duplo populus colligebat. Ipsa etiam die Veneris, quicquid erat coquendum, coquebant, & quicquid fieri debuerat, faciebant, & post in die Sabbathi penitùs quiescebant, sicut ponitur hic. Potest illud applicari generaliter, quod bonum est, bonos labores præoccupare, antequam veniat tempus, quo laborandum non est, & bono labori fortiùs insudare. Quapropter ante Sabbathum, id est, ante festa debemus actus nostros accelerare, & etiamsi sit necesse duplicare labores, ut in festo possimus quiescere, & tranquilliter Deo servire. C

Vel dic, quod Sabbathum significat laborem & exercitium hujus mundi: juxta illud: *Sex diebus operaberis.* Igitur cum Sabbathum requiei mortis futuræ non sit tempus merendi vel operandi, quia etiam tunc Dominus cessabit Manna, id est, dulcedinem gratiæ nobis mittere, nosque ex tunc necesse habebimus, ab omni opere meritorio quiescere, & cessare; oportet, quod cum durat ista sexta dies, id est, tempus vitæ præsentis, cibos duplices colligamus, id est, quod gratiam pro præsenti, & gloriam pro futuro nobis per bona opera acquiramus, sic ut in isto Sabbatho, id est, in tempore post mortem habeamus, quo in patria vivere valeamus. Nunc enim est tempus, quo per contritionem & charitatem coquamus delicta, & faciamus bona opera: colligamusque Manna devotionis scilicet, in duplici mensura præsentis & futuræ salvationis. Quia verò nisi Manna cœlestis dulcedinis nunc per bona opera, & merita colligatur, certè tunc, cum Sabbathum mortis venerit, non invenietur. Ideo benè consulitur Eccles. 9. *Quodcunque potest manus tua, ante mortem operare, quia opus, nec ratio est apud inferos, quo tu properas.*

Capitulum decimum septimum. Textus. Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israël.

Moralitatum Cap. XI.

CUm populus Israël per desertum usque in Raphidim penetrasset, & præ aquæ penuria murmurare cœpisset, percussit Moyses de præcepto Domini petram Oreb, & egressæ sunt aquæ vivæ. Simile ponitur Num. 20. quod in deserto Syn indigens aqua populus murmurabat contra Moysen dicens: Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos, & jumenta nostra moriamur? Cur ascendere fecisti nos de Ægypto, & duxisti nos in locum pessimum istum, qui nec seri potest, nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, nec insuper aquam ad bibendum habet? Quod videns Dominus, præcepit, quod loqueretur ad petram, & populo daret aquam. Percussit igitur Moyses silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ, ità ut populus biberet & jumenta. D

Per desertum Raphidim, quod interpretatur tentatio, & per desertum Syn, quod interpretatur mendacium, potest commodè sumi mundus, ubi scilic. mendacia & tentationes abundant, & ubi ficus charitatis & delectationis, vinea consolationis, malogranata sacræ scripturæ, & lectionis, nec non aqua gratiæ & devotionis deficiunt atque cessant. Undè dicitur Ezech. 4. *Adulterium, mendacium, furtum, & perjurium inundaverunt super terram.* Petra Oreb, quod interpretatur ardor, & siccitas, & petra Syn, quod interpretatur odium, significat Christum, qui revera fuit petra ratione firmitatis, ardor ratione charitatis, siccitas ratione paupertatis: odium, scilicet, Judæorum ratione illorum invidiosæ pravi-

Digitized by Google

pravitatis. Unde Apoſtolus 1. Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus.* Igitur dico, quod ſi in deſerto hujus mundi ſitis ardorum malorum, & tentationum, penuriaque bonorum ſpiritualium nos affligant, non reſtat niſi, quod ad petram Oreb, id eſt, ad Chriſtum per devotionem curramus, ipſumque cum virga orationis, bis vel ter percutiamus, quia revera aquas gratiæ, & devotionis, aquamque beneficiorum temporalium, & ſpiritualium nobis fundet, ita quod homines & jumenta, id eſt, ſapientes & ſimplices, donis, & gratiis imbuet, & infundet, Pſal. 77. *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.*

Vel dic, quod quando tempus ſiccitatis & ſterilitatis abundat, illi, qui volunt aquam aut pluviam impetrare, debent ad petram, id eſt, ad Chriſtum vel Beatam Virginem recurrere, ipſoſque virgis, id eſt, orationibus percutere, & ſic ab ipſis poterimus aquam, & pluviam impetrare. Unde dicitur Jac. 5. *Oravit & cælum dedit pluviam.*

Vel per petram intelligo beatum Petrum, vel etiam quemlibet Sanctum, à quo pro certo aqua gratiæ ſpiritualis & temporalis extorquetur, quando cum virga affectionis, & orationis ſæpiùs ſtimulatur. Unde Act. 12. *Percuſſoque latere Petri, excitavit eum.*

Vel dic, quod petra eſt peccator durus & obſtinatus, quem quando Moyſes, id eſt, Deus, prælatus vel prædicator, virgâ tribulationis & correctionis percutit, ipſe aquam lacrymoſæ compunctionis, vel eleemoſynæ, vel ſubventionis emittere cogit. E Quandoque etiam eum aquam doctrinæ & eruditionis diſtillare compellit: ſicut apparuit in Paulo: ita quod homines & jumenta, i. e. bonos & malos inebriat & perfundit. Conſtat enim quod percuſſio tribulationis vel occultæ inſpirationis quantum ad Deum: percuſſio correctionis quantum ad prælatum: percuſſio redargutionis & monitionis quantum ad prædicatorem diſcretum: facit petram, id eſt, duros & obſtinatos peccatores aquis lacrymarum fluere, aquas eleemoſynarum emittere, & aquas ſcientiarum aliquoties diſtillare: & maximè quando bis, id eſt, pluries frequentatur percuſſio ante dicta: ita quod ab ipſo tam homines quàm jumenta potantur, id eſt, boni & mali divites eleemoſynis & ſcientiis recreantur, Pſ. 105. *Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: terram ſine aqua in exitus aquarum.*

Vel dic, quod petra eſt ſacra ſcriptura: cujus difficultas & duritia non ſtatim conſuevit aquam doctrinæ fundere, imò oportet bis vel pluries ſtudendo & exponendo ſudare. Ibid. ſupra.

Subjungitur hiſtoria quomodo Amalech venit ad pugnandum contra Iſraël in Raphidim. Moyſes autem & Aaron & Ur aſcenderunt ſuper verticem collis ad Dominum pro bellantibus deprecandum. Cumque levaret manus Moyſes, vincebat Iſrael: ſi verò manum paululum remiſiſſet, tunc Iſrael vincebatur. Quapropter Moyſen ſuper lapidem ſedere fecerunt: Ur verò & Aaron manus ejus (quia graves erant) uſque ad veſperam ſuſtentaverunt. Sic factum eſt, quod victis Amalechitis, filii Iſrael victoriam habuerunt.

Amalech, qui interpretatur, populus lambens ſanguinem: ſignificat dæmones: vel etiam quoslibet homines malos: vel etiam quoslibet motus carnis malos, & cordis: qui ſanguinem crudelitatis lambere, & affectare noſcuntur. Iſti etiam contra Iſrael, id eſt, contra populum, non ceſſant bellum facere, & ipſum in Raphidim, quod interpretatur tentatio, id eſt, in mundo tribulationis impugnare. Unde dicitur Eccl. 33. *Contra malum bonum, & contra vitam mors, & contra virum juſtum peccator.* Moyſes ſignificat bonum prælatum, Ur & Aaron ſignificant viros juſtos: qui, ſcilicet, ad verticē, id eſt, celſitudinem contemplationis aſcendunt, ut pro fideli populo deprecentur. Ideo iſtud eſt verum, quod multum proficit oratio Moyſi Iſraelitis, id eſt, oratio Prælati ſubF ditis, oratio juſti pugnantibus deſolatis. Unde dicitur Jac. 5. *Multum valet deprecatio juſti aſſidua.* Quia videlicet, quamdiu Prælatus & alii juſti orant, tamdiu alii contra inimicos ſpirituales victorizant. Si verò orare remittunt, tunc adverſarii ſuos vincunt. Stet igitur Moyſes, id eſt, prælatus, ſuper lapidem, id eſt, ſuper boni propoſiti firmitatem, juvent eum Ur & Aaron, id eſt, viri juſti per mutuam charitatem, & elevent manus inceſſanter per orationis continuitatem. Sic vincet populus ejus hoſtium ſpiritualium vanitatem. Bene igitur dicitur, *Orate pro invicem, ut ſalvemini.*

Vel dic, moraliter, quod quamdiu Moyſes, id eſt, ratio & voluntas: ad verticem montis, id eſt, ad deſiderium æternorum ſe erigunt, & manus per orationem ad Deum levant; Iſrael, id eſt, motus ſpirituales in corde carnales ſuperant: Si verò elevationem manuum, id eſt, orationem remittunt: tunc Amalechitæ, id eſt, motus carnales ſpirituales ſuperant atque vincunt. In cap. 18. non ponitur niſi de Jethro Moyſi Socero conſtitutionem plurium judicum conſulente: & hoc tamen talium, qui timeant Deum, & oderint avaritiam, &c. Quod magis videtur morale, quàm figurale. Ideo omitto, & inde tranſeo.

Capitulum decimum nonum. Textus. Menſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Ægypti.

Authoris Moralitatum Cap. XII.

Cap. 19. CUm dominus vellet dare legem ſuo populo ſcilicet in monte Synai ardente & fumante, vocibuſque & tonitruis, & voce tubæ paulatim creſcente: duo principaliter ſunt Judæis injuncta, ſcilicet quod Sanctificarentur, & veſtimenta ſua lavarent: & quod terminos ipſis circa montem aſſignatos nullatenus præterirent. Solis enim Moyſi & Aaron licitum fuit aſcendere, & in caligine cum domino ſurſum ſtare: populo verò in montis pede ſunt termini poſiti: quos tranſire nullatenus ſunt permiſſi. Conteſtare inquit populum, ne velit tranſcendere terminos ad videndum dominum & pereat. Sacerdotes autem, qui ad dominum accedunt, ſanctificentur: Sequitur: Retrahe ſacerdotes & populum: ne tranſeant terminos nec accedant ad Dominum, ne forte interficiat illos.

Mons ſignificat ſacram ſcripturam, vel etiam Eccleſiam, in qua ſcilicet dominus dat nobis legem, per quam incedere nos debemus. De qua dicitur Eſa. 2. *Venite aſcendamus in montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas.* Iſte enim eſt mons altus, per difficultatem; mons caliginoſus, per obſcuritatem: mons ardens, per aliorum inflammationem: mons fumans, per lacrymarum in oculis cordis inductionem: mons tonans, per comminationem: mons tubans, per doctrinæ eruditionem. Igitur dico, quod illi, qui de iſto monte Scripturæ volunt legere, & eruditionem accipere, duo debent principaliter facere: ſc. veſtimenta conſcientiæ lavare, & datos ſibi terminos non tranſire. Non eſt n. dignus homo montem divinæ ſcripturæ frequentare, niſi cujus munditia, & cujus caſtitas eſt probata. Unde dicitur Eſa. 1. *Lavamini, mundi eſtote.* Et Pſ. 15. *Quis aſcendet in montem domini: aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano,* &c. Sacerdotes, i. viri Eccleſiaſtici: qui aſcendunt ad dominum, id eſt, ad montem Eccleſiæ, vel Scripturæ, debent ſanctificari: ne forte puniri poſſent, vel argui. Iſti etiam terminos aſſignatos non debent tranſcendere: ne fortè poſſint periculum reportare. Circa montem Eccleſiæ habet quilibet terminum certum ſibi datum, id eſt, certum gradum, officium, ſeu ſtatum. Iſtos igitur terminos non licet quemquam tranſire: quia nec Eccleſiaſticus debet ſe majora ambire: nec ſimplex ſubditus debet fidei, & ſcripturæ montem, i. arduitatem per ſcrupuloſam indaginem tangere: nec ad videndum dominum, i. ad inquirendum ſecreta fidei plus debito ſe levare, juxta illud Apoſtoli Rom. 12. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Aliàs qui præſumptuoſè volunt montem aſcendere, i. ſcripturæ alta, & ſecreta inquirere: faciliter poſſunt per errorem, & hæreſim deperire. Illi etiam, qui per ambitionem terminos ſibi datos, & gradus, & ſtatus in mundo ſibi conceſſos tranſcendere quærunt: per mortē æternam pereunt, & ſuccumbunt. Solum. n. Moyſi, & Aaron, i. ſolis viris ſcientificis, juſtis, & dignis licitum eſt, montem iſtum aſcendere, Scripturæ difficultates, & Eccleſiæ dignitates tangere, & ſurſum cum Deo poſſidendo, vel contemplando perſiſtere. Alii v. qui ad iſta ſunt indigni, debent ad pedem montis, i. in infimis, in ſtatu ſubjectionis, vel infra terminos ſimplicis credulitatis humiliter remanere. Bene igitur dicitur Prov. 22. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* In Exod. 20. H ponuntur decem mandata: ſed iſta propriè moralia ſunt: & ideò non ſunt moralizanda.

In fine tamen iſtius capituli, præcepit ſibi dominus, altare de terra, & non ſectis, vel impolitis lapidibus fieri: qui ſcilicet ferreis inſtrumentis non ſunt ſecti, voluit etiam, quod ad aſcendendum ad altare, nulli gradus conſtituerentur: ne fortè turpitudo miniſtrantium, id eſt, ſua genitalia viderentur, cum iſti miniſtri, & fortè etiam alii tunc nullis femoralibus uterentur.

Per altare poſſum intelligere virum Eccleſiaſticum, & Prælatum in quo, ſc. debet ſacrificium laudis, & juſtitiæ præ cæteris immolari, quia revera iſte debet eſſe de terra per humilitatem: de lapide per conſtantiæ firmitatem: non ſectus, & impolitus per geſtus, & habitus ruditatem, & per bonæ fidei ſimplicitatem: ſine gradibus factus per acceſſus facilitatem. Ferrum enim crudelitatis non debet iſtum tangere: nec multi gradus, id eſt, multi intermedii familiares, janitores, vel cubicularii, debent acceſſum ipſius impedire: quinimò ſemper ſe debet ad audiendum competentibus, & ad ſubveniendum indigentibus promptum, & facilem, exhibere. Nam turpitudo miniſtrantium, ſcilicet, Simonia, & ſuperbia perſonarumque acceptio quotidiè conſpicitur, quando multi gradus januæ, & diverticula ſunt ante altare, id eſt, quando ad prælatum, & principem acceſſus difficilis invenitur. Quilibet enim iſtorum ſolet, pro dando ingreſſu aliquid extorquere: & ſic ſolent Simoniam, vel avaritiam committere, & ita neceſſe eſt, miniſtrantium turpitudinem videre, vel apparere.

Vel allega hic, quod altare de terra, & de non ſectis lapidibus, & de impolitis lapidibus ſolet fieri: ad denotandum, quod Deus in electionibus, vel aſſumptionibus ſuorum ſervitorum, vel clericorum generis nobilitatem, vel veſtium venuſtatem, ſeu alicujus curioſitatem nullatenus vult attendere. Illos enim, qui ſunt de terra, id eſt, de infimo ſtatu, & paupere, & illos, qui ſunt impoliti, & non ſecti, id eſt, rudes, ſimplices, & ignari: quandoque ad altaria ſua, id eſt, in prælatos vult eligi, & aliis aſtutioribus & nobilioribus anteponi. Sicut apparuit in Apoſtolis; & in Eccleſiæ fundatoribus primitivis. Illos etiam in Paradiſo ſibi vendicat: quos mundus amplius vilipendit, & calcat. Ideò dicit Apoſt. 1. Cor. 1. *Videte fratres*

Digitized by Google

A *tres vocationem veſtram , quia non multi ſapientes ſecundùm carnem : non multi potentes , non multi nobiles,ſed quæ ſtulta ſunt mundi , elegit dominus,ut confundat ſapientes , infirma elegit,ut,confundat fortia , contemptibilia , & ea,quæ non ſunt , &c.* Non enim vult Dominus quod tale altare, ſc. Prælatus gradus habeat , id eſt, quod gradus conſanguinitatis , vel mundanæ nobilitatis attendat, ſed ſine perſonarum acceptione & affectione ad juſtitiam & ad Eccleſiæ promotiones omnes faciliter & indifferenter admittat: Unde dicitur : Sive civis ſit ille , ſive peregrinus , nulla erit diſtinctio perſonarum.

Vel dic , quod altare ſignificat Eccleſiaſticas dignitates , ad quas ſc. non eſt per gradus conſanguinitatis aſcendendum , nec ad gradus nobilitatis , familiaritatis , vel temporalis poteſtatis attendendum , quamvis hodiè multis magis placet canticum graduum, quàm quodcunque aliquod divinum officium. Vel dic , quod altare ſignificat mentem humanam , ubi ſacrificium laudis & ſpiritus contribulati Domino immolatur ; lapides verò,qui illud altare conſtituunt,ſunt opera;Sectio autem ſeu politio ſignificat ea,quæ ſolùm ad hoc fiunt , ut videantur ; cujus ſignum eſt , quia fundamenti lapides,qui videri non habent,nullatenus poliuntur : & talis ſectio ſignificat appetitū humanæ laudis. Vult igitur Dominus, quod altare ſuum , id eſt , conſcientia viri juſti lapides ſectos non habeat,id eſt, quod opera oculis hominum placentia non requirat , ſed potiùs de terra,& de non ſectis lapidibus, id eſt,ide humilibus ſine curioſa vanitate operibus altare hujuſmodi ſibi fiat.Unde Matt.6. *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus,ut videamini ab eis.* Vel dic,quod altare eſt fides ; ad quam,ſc. non eſt per gradus aſcendendum , in quantum , ſcilicet , gradus majoritatis , & minoritatis non ſunt in Trinitate ponendi. Sicut fecit Arrius , qui poſuit patrem Deum , & filium creaturam. Cujus , ſcilicet , turpitudo apparuit,in quantum, ſcilicet, ſecundùm Hiſtoriam tripartitam, Conſtantinopolis in latrina venter ejus crepuit , vel prorupit. Vel cujus turpitudo genitalium,id eſt, hæreſis manifeſtatur, & eorum vituperium comprobatur.

Capitulum vigeſimum primum. Textus. Hæc ſunt judicia quæ propones eis.

Moralitatum Cap. XIII.

B PRæceptum fuit in lege , quod ſervi poſtquam ſex annis ſerviſſent , in ſeptimo liberi gratis dimitterentur , quodque, cum quali veſte intraverant , cum tali remitterentur. Et ſicut dicitur Deut. 15. Nequaquam vacuos ſed cum viatico , & benedictione domini eorum ipſos dimittere tenebantur. Uxorem autem ſi quam à principio habuerant,poterant ſecum ducere,& etiam liberos ſuos, quos uxor ſua ante ſervitutem poterat ſibi peperiſſe. In ſcriptura per numerum ſenarium intelligitur labor & opera. Unde Exod. 31. *Sex diebus operaberis.* Per ſeptenarium verò intelligitur quies , & conſolatio.Unde dicitur Gen. 2.*Requievit Deus die ſeptimo ab omni opere.*Per ſervitutem verò aſſignatur vel culpæ,vel miſeriæ ſubjugatio. Unde Apoſt. Rom. 8. *Vanitati ſubjecta eſt omnis creatura.*

Dicamus igitur , quod ſervus eſt homo in mortali miſeria conſtitutus : Dominus igitur ſuus eſt mundus , vel etiam proprium corpus , vel etiam temporalis Dominus, vel Prælatus. Iſtud eſt igitur verum , quod ſex annis , id eſt , quamdiu durat tempus laboris, & operationis , ſc. quamdiu durat miſera vita præſens,neceſſe eſt, quod ſervus , id eſt , homo mortalis ſerviat domino ſuo , i. Prælato ſuo proprio corpori , ſive mundo, in quantum , ſcilicet neceſſe eſt, quod corporis paſſionibus , & mundi tribulationibus , Prælatique temporalis juriſdictionibus ſe ſubmittat. Verum tamen, quando ſeptimus annus , id eſt , quies mortis, vel futuræ vitæ venerit ; tunc hujuſmodi ſervitus ceſſabit , & ſpiritus, & animus à cunctis paſſionibus carnis , & à cunctis mundi tribulationibus liber erit. Apoſtolus Rom. 8. *Creatura liberabitur à ſervitute corruptionis.* Talis igitur de ſervitute mundi , & corporis per mortem exiens duo debet attendere , ut ſc. viaticum , id eſt , divinam gratiam , ſeu Euchariſtiam ſecum habeat , & ut veſtem,qualem in mundo portavit poſt baptiſmum , & tulit , ſcilicet innocentiam ſecum tollat. Cum quali enim veſte innocentiæ,mediante baptiſmo,ipſum contigit ingredi , cum tali neceſſe eſt , eum,mediante pœnitentia,egredi,ut ſic egreſſus non deviet ab ingreſſu,& ut ad baptiſmalem innocentiam , quam in ingreſſu habebat , redeat per pœnitentiam in egreſſu. Unde dicitur Deut. 28. *Benedictus eris ingrediens , &*
C *egrediens.* Uxor autem ejus , id eſt , gratia,ſeu etiam culpa, ſc. cum filiis , id eſt , cum operibus , quos,cum in hac vita ſerviret , habuit, eum poſt mortem ſequantur , in quantum propter gratiam,vel culpam , vel propter bona , vel mala opera pœnam,vel præmium aſſequentur. Unde Ap. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos.*

Vel dic , quod ſeptimus annus eſt ſtatus quietis , & contemplationis. Sex verò anni deſignant ſtatum activæ vitæ , & laboris ſeu operationis. Sic igitur fit , quod hominis mens , de actionis ſervitute eripitur , quando ad contemplationis ſeptenarium pervenitur. Uxor tamen ſua ſecum remanet , quando priſtina gratia , & charitas cum ſuis filiis , id eſt , cum virtutibus & meritis ſecum manet. Servus Hebræus debebat eſſe liber anno ſeptimo , ut dictum eſt, uxoremque ſuam,quam habuerat , & liberos, cum ſervus factus fuerat , debebat ſecum ducere. Si verò Dominus ſuus ſibi uxorem dederat , illa cum ſuis liberis debebat Domino remanere. Sic verè cum homo de mundi & diaboli ſervitute , id eſt , de ſtatu peccati anno ſeptimo , id eſt , per ſeptem ſacramenta egreditur, debet primam uxorem,quam ante ſervitutem peccati habuerat, ſcilicet , gratiam & charitatem , & ejus liberos , ſcilicet bona opera ſecum trahere ad libertatem. Et illis , qui per ſervitutem peccati mortificati fuerant , revivificationis concedere dignitatem. Uxor ergo dum quam habuerat , liber erat, id eſt, gratia & bona opera, quæ habebat ante ſervitutem peccati, mortificata, fuerant non mortua ſed quantùm ad meritum. Et ideo iſta ſibi facto libero reſtituuntur,in quantum per pœnitentiam reviviſcere comprobantur. Uxorem verò quam ſibi dedit Dominus iſte , ſcilicet diabolus ſeu mundus,ſcilicet carnis concupiſcentiam cum operibus malis , debet iſtis Dominis dimittere , & liber egredi & exire , dicens diabolo vel mundo , *Tolle quod tuum eſt , & vade.*

Cum ſervus Hebræus poſſit liberè ſeptimo anno egredi , ſi vellet, ſi tamen ipſe diligens Dominū ſuum egredi nollet, ſed magis in ſervitute manere vellet , debebat ad oſtium tabernaculi coram diis adduci , & perforari auris ejus ſubulâ , & ſic fiebat ſervus ejus ſempiternus.

Sic verè cum religioſus qui ſervitutem domini intravit , poſſit poſt annum probationis exire liber , & veſtes & uxorem , quam prius habuerat , id eſt , libertatem & quæcunque bona,quæ ſecum apportaverat , reportare. Si tamen vult remanere in ſervitio Domini , nec velit ad mundum retroire , debet applicari ad Deos , id D
eſt , ſanctos Patres & Prælatos , qui debent eum ad oſtium tabernaculi ſiſtere , id eſt , ad conſiderationem & affectionem ingreſſus Paradiſi invitare , auremque ejus debent ſubulâ divini timoris per prædicationem ſuere , & ſic voto emiſſo profeſſionis , debet ſervus perpetuus Dei eſſe. Unde dicitur Exod. 29. *Erunt ſacerdotes Domini in religione perpetua.*

Hic videtur ſupponere , quod cum quis caſu vel ſine deliberatione occidit hominem , magis debet eſſe divinæ occultæ providentiæ adſcribendum,quàm malitiæ occidentis. Si quis percuſſerit hominem,volens occidere eum , morte moriatur. Si vero non eſt inſidiatus ei , ſed Deus tradidit eum in manibus ejus , conſtitutum locum habebit ubi fugere debeat. Ac ſi vere diceret , quod talis non debet capitaliter puniri. Unde videtur ſupponere , quod Deus eo tunc utatur tanquam inſtrumento , quapropter iſte debet carere : injuria vel tormento.

Hic præcipitur,quod ſi furatus fuerit homines, convictus noxæ morte moriatur. Præcipitur etiam , quod qui per induſtriam & per inſidias hominem occiderit , ab altari debebit, ut moreretur, avelli.

Sic verè hæretici & increduli , qui ſimplices Domino furantur, pro eo in ſervitutem peccati deprimentur , quod etiam de aliis malis ſuggeſtoribus poſſet dici , quales ſunt vetulæ ruſianæ, quæ verbis & inductionibus furantur juvenculas caſtitati , & ſubjiciunt voluptati, Apoſt. Rom. 16. *Per blandos ſermones decipiunt mentes innocentium.* Et Joan. 10. *Fur non venit, niſi ut furetur.* Altare etiam , id eſt , ſtatus Eccleſiaſticus, non debet à correctione ſeu à punitione hominem eripere , qui fratrem ſuum , id eſt , proprium ſpiritum vel proximum per mala exempla conſuevit perimere vel criminaliter necare. Criminoſi etiam debent ab altari, id eſt,à ſtatu Eccleſiæ ejici,& evelli, atque ab Eccleſiaſticis beneficiis deſtitui & deponi Luc. 1. *Depoſuit potentes de ſede , & exaltavit humiles.*

Si quis habebat bovem cornupetam , debebat eum recludere, alias ſi hominem occideret , tenebatur , bos verò lapidibus obrui merebatur.

Talis bos eſt malus ſubditus & diſcipulus , protervus & cervicoſus , quem pro certo Dominus ſuus , ſcilicet , Prælatus & Judex debet recludere infra clauſtrum laqueis ſtatutorum regularium : vel etiam ſi ſit neceſſe , in bono & forti carcere,ne noceat,coercere, aliàs , ſi quis exemplis & factis aliis nocuerit , vel ſpiritualiter vel temporaliter occiderit , ſcandalizaverit vel læſerit , Dominus ejus, E
ſcilicet, Judex vel Prælatus , de peccato tenebitur , & à Deo , quia ipſum non recluſit aut manu tenuit , punietur. Ipſe verò bos cornupeta , id eſt , malus ſubditus lapidibus obrui , id eſt , temporaliter & æternaliter caſtigari nihilominus promeretur , exemplo Heli, qui pro filiorum ſuorum criminibus eſt punitus. Unde tali Domino videtur Dominus loqui : *Ipſe iniquus ſi in iniquitate ſua moriatur , animam autem ejus de manu tua requiram.*

Vel dic , quod talis bos eſt mulier cornuta , cervicoſa & ornata, quæ vagari & diſcurrere delectatur , ut aſpicientes ejus pulchritudinem , malis tentationibus & complacentiis feriantur. Igitur talium parentes vel mariti debent tales recludere , & ne diſcurrat pro libitu ad feſta & convivia , vicos & plateas , & ſpectacula,coercere , aliàs ſi quos per ſuas tentationes ſpiritualiter occiderint , apud Deum tenebuntur. Ipſe verò bos,mala aut fatua mulier æternæ damnationis lapidibus obruetur.

Si quis mulierem prægnantem percutiebat , & abortiri faciebat , tenebatur noxæ , quantam maritus ipſius expetiſſet.

Sic verè ſi quis verbis vel factis percuſſerit conſcientiam mulieris prægnantis , i. e. alicujus ſimplicis fœtu , boni propoſiti

Digitized by Google

imprægnati, partumque boni operis impediverit, & abortum peccato procuraverit, tenebitur de facto, & juxta mariti, id est, Prælati vel Superioris arbitrium, tenebitur in foro conscientiæ solvere & satisfacere per pœnitentiam de delicto. Magnum enim peccatum est simplices scandalizare, & fœtum boni propositi, quod conceperint, enecare. Unde dicitur Matth. 18. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis minimis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & submergatur in mari*, id e. necesse est ei, quod molâ divini timoris prematur, & ut in mari, id est, in amaritudine pœnitentiæ submergatur.

Si quis foderit foveam, vel aperuerit cisternam, & non operuerit eam, si ceciderit bos vel asinus in eam; reddet, qui fecit foveam, pretium jumentorum.

Cisterna vel fovea est peccatum, quod nullus debet facere, sed cum fecerit: id est, ipsum debet abscondere & celare, F à conspectu hominum, ne scandalum vel malum exemplum pariat, operire; quia, si contrarium fecerit, foveamque propriî peccati publicè revelaverit, & cisternam alterius delicti diffamando & detrahendo aperuerit, & ejus occasione, & sui mali exempli ostensione aliquis bos vel asinus, id est, aliquis simplex intus ceciderit, id est, ejus exemplo deliquerit, mortis & damnationis ipsius reus erit. Ille enim, qui foveam apertam dimittit, id est, qui peccatum publicè facit, non solùm tenetur de peccato, quod committit, imo etiam de peccato, quod exemplo & occasione ipsius alius homo fecit. Utile igitur est non solum peccata non facere, sed etiam, si facta sunt, ipsa à conspectu hominum, ne forte scandalum pariant, operire: Unde dicitur Apoc. 16. *Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Quod tamen non faciunt multi, qui peccata sua non solùm non operiunt, neque celant, imo ipsa ex industria publicant atque jactant, Isa. 3. *Peccata sua sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.*

Vel dic, quod cisterna est sacra Scriptura, vel fides nostra, cujus scilic. interiora secreta non debent bobus & asinis, id est, simplicibus, manifestari & aperiri; sed potiùs per simplicem expositionem aliqualiter operiri, aliàs si per scrupulum erroris ibi periclitentur atque cadant, de morte & damnatione earum tenebitur, qui scilic. occasionem delinquendi ipsis dedisse videtur. Prædicator igitur vel doctor debet secundùm Psalm. 146. *Operire cœlum nubibus, & dare terræ pluviam.* Non est enim tuum, cisternam fidei talibus aperire, & de secretis Dei coram eis disputare: imo necesse est cum quodam operculo simplicis doctrinæ talibus prædicare; juxta illud Apostoli 1. Cor. 3. *Tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis edere, non escam.*

Si bos alicujus bovem alterius occiderit, vendetur bos vivus, & pretium ejus cum cadavere bovis mortui inter utrumque Dominum dividetur.

Sic verè, si subditus unius subditum alterius offenderit, debent duo Domini sine acceptione communiter ad faciendum justitiam intendere, cadaverque, id est, illum, qui læsus est, per compassionem inter se dividere; illum verò, qui læsit, debent vendere, id est, punitioni submittere, & etiam de communi assensu pretium mortis vel læsionis alterius inter se partiri, & in executione justitiæ comtmuniter consentire: quia revera duo Domini Principes vel Prælati, utrumque factum, scilicet compationem à parte patientis injuriam, & punitionem à parte facientis debent communiter prosequi, atque ad comunem executionem justitiæ communiter inclinari. Illeque, cujus est bos cornupeta, id id, subditus, qui fecit injuriam, non debet ipsum defendere, sed venditioni & punitioni exponere Unde Augustinus dicit, quod *justitia communis est virtus, &c.*

G *Capitulum vigesimum secundum. Textus.* Si quis furatus fuerit bovem aut ovem.

Moralitatum Cap. XIV.

CUm quis furati veniebat nocte, si deprehendebatur, & vulneratus moriebatur, percussor de homicidio non tenebatur. Si vero fur volebat de die furari, si quis eum occideret, debebat tanquam homicida puniri. Et sic apparet, quod minùs parcitur furi nocturno quàm diurno, & quod magis privilegiatur latro publicus, quàm occultus.

Sic vere etiam inter nos sunt multi spirituales fures, scilicet, detractores, qui furantur famam; homicidæ, qui furantur personam; raptores, qui furantur substantiam; hæretici, qui furantur fidem vel hominem. Istud est verum, quod magis sunt reprehensibiles, qui occulti sunt, quàm illi, qui sunt manifesti. Et sic dico, quod magis est vituperabilis detractor occultus, quàm injuriator manifestus. Quia dicitur Eccl. 10. *Quemadmodum si mordeat serpens in absconditio, nihil minus habet, qui occultè detrahit.* Item raptor absconditus, sicut est usurarius vel exactor, Dominus vel Prælatus, qui scilicet cautè, id est, sub specie justitiæ aliena rapit, magis est reprehensibilis, quàm raptor publicus. Item homicida occultus, sicut est ille, qui occidit veneno, quàm alius apertus. Item occultè, scilicet, nocens, ut hæreticus, quàm quicunque infidelis vel peccator notorius. Item prædicator incognitus, quàm quilibet notorius inimicus. Ii breviter, à quibus non potest caveri, & qui scilicet, nesciuntur esse inimici, & qui propriè de nocte furantur, non de die, id est, qui nocent absconditè, non apertè, sunt magis periculosi, & ideo debent esse Deo magis odiosi & hominibus. Et ideo dicitur de istis He. 9. *Pacem cum amico suo loquetur, & occultè ponet ei insidias.*

Item ibidem dicitur, quod si quis voluerit spinas comburere, & posuerit ibi ignem, & ignis egressus segetes seu spicas combusserit, damnum, qui ignem posuit, emendare debebit.

Sic verè, si Prælatus vel judex vult comburere spinas, id est, peccatores, summè debet cavere, ne ignis correctionis metas justitiæ transcendat, & quod segetes cum spinis, id est, justos cum peccatoribus involvat. Meliùs est enim malis parcere, quàm bonos cum malis involvere. Unde dicitur Matth. 13. *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* H

Vel dic, quod spinæ sunt vitia, quæ si evellere & comburere igne correctionis cupias, cave, ne correctionis terminos excedas, aliàs segetem virtutum posses in eo per desperationem comburere, & sic Dominus, ejus, id est, damnificationis suæ damnum posset à te repetere, & sic te oporteret, de damnatione ejus, per excessum correctionis tuæ factæ, in die judicii respondere, quinimò meliùs esset aliqua vitia in homine dimittere, quàm ipsum nimis asperè corrigendo ad deterius provocare. Allega ut supra.

Si quis alteri mutuaverat vel commodaverat, vel pretio conduxerat aliquid, & præsente Domino rei debilitatum fuerat, vel aliqualiter pejoratum, non tenebatur, qui mutuo acceperat, emendare. Si verò præsens non erat Dominus dictæ rei, tunc resarcire damnũ mutuatarius tenebatur. Istud potest allegari, quod cuilibet potest esse cura de re sua, & quod magis punitur ille, qui scienter & præsentialiter permittit rem suam damnificari, quàm qui absenter vel ignoranter.

Vel potest allegari, quod plus quandoque valet absentia quàm præsentia.

Vel istud à quibusdam exponitur moraliter. Sic enim Deus accommodat rem suam, scilicet, hominem subditum cuilibet Prælato sub tali pacto, quod eam debeat custodire, & de anima ipsius respondere, juxta illud 2. Cor. 20. *Custodi virum justum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* Veruntamen si iste commodatarius, id est, Prælatus facit tantum, quòd Dominus sit præsens, utpote quia timorem Domini incutit in cor ipsius peccatoris, & annuntiat ei vitia, & virtutes, & etiam ipsum admonet, ne delinquat, si tunc contingit ipsum subditum per vitia deteriorari; iste Prælatus, præsenti Domino, id est; dum Deus ipse fuit, sic malo subdito, præsentatus de anima ipsius non tenebitur respondere. Si verò ista res sit commissa, id est, subditi anima periclitatur per vitia, Domino non præsente, i.e. Deus per ipsum Prælatũ subdito non est præsentatus, vel timor ipsius non fuit incussus, utpote quia Prælatus eum non docuit, redarguit, nec correxit, tunc revera tenebitur; atuque ad emendandum, & ad pœnitendum vel hic vel in futuro cõgetur. Unde dicitur sic Eccl. 33. *Si, dicente me impio: morte morieris, non annuntiaveris ei, ipse in iniquitate sua morietur, animam autem ejus de manu tua requiram. Si verò annuntiaveris ei, ipse in iniquitate morietur, tu autem animam tuam liberasti* A

Dominus præcepit, quod primitiæ & decimæ omnium fructuum nostrorum eidem offerantur. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis offerre.* ibid. Decimam ergo partem debemus Domino dare, novem verò partes possumus nobis licitè retinere.

Primitiæ significant bonorum operum inchoationem, denarius, qui est numerus perfectus, designat operum complementum, & perfectionem. Novenarius autem, qui denarium non attingit, significat imperfectionem. Igitur d'co, quod primitiæ & decimæ rerum nostrarum, id est, inchoatio & perfectio bonorum operum, Deo sunt offerendæ, & eidem penitùs ascribendæ, quia revera nullus potest vel benè incipere vel bene perficere, nisi à Deo fuerit sibi datum. Unde Apostolus Phil. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Cujus contrarium credidit Pelagius, qui dicebat, quod homo possit inchoare, & Dominus consummare, ità quod iste quidem, Deo decimas, sed non primitias obtulerit, cùm tamen dicatur, quod *caput cum cauda hostiæ*, id est, principium, & finis operis *Deo debeat offerri.* Lev. 3. & Deo tribui & ascribi, quia sicut dicit Apostolus Rom. 9. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Et Phil. 1. *Qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet.* Novenarium numerum, id est, imperfectionem nostrorum nobis retineamus, & nobis asscribamus. Decimam verò, id est, complementum & perfectionem coram Domino offeramus. Unde dicitur Deut. 12. *Offeretis holocaustum Domino decimas & primitias.*

Præcepit Dominus offerri sibi omnia primogenita animalium, septem tamen diebus debebant esse cum matre sua: die autem octava debebant Domino offerri. Si verò esset animal immundum sicut asinus, debebat cum ove hujusmodi primogenitum commutari. Si verò ille, cujus est, primogenitum asini redimere vel commutare volebat, statim ipsum asini primogenitum interfici vel necari debebat. Unde Exod. 34. *Primogenitum asini mutabis ove, si non redemeris, interficies.*

Per

Digitized by Google

B Per primogenita noſtra poſſum intelligere bona opera, quæ pro ea primogenita noſtra dicuntur, quia hæreditas æternæ gloriæ talibus operibus, ſicut veris & primogenitis hæredibus debetur. Talia ergo primogenita, id eſt, bona opera noſtra Deo offerri, id eſt, ad Dei laudem & gloriam ordinari debent. Si autem contigerit, quod habeamus primogenitum aſini, id eſt, aliquod bonum opus, quod habet aliquam aſmitatem vel ſtoliditatem admixtam, utpote quia factum eſt indiſcretè, vel cum alicujus vanæ gloriæ intentione, proculdubio nos tenemur ipſum cum ove, id eſt cum bono & ſimplici opere commutare, & bonam ovinam & ſimplicem intentionem nobis apponere, & ſic poterit illud, quod aſininum fuerat, Domino complacere. Si vero ipſum commutare noluerimus, ipſum pro certo interficere, id eſt, penitus ſubmovere debemus. Verbi gratiâ. Si quis jejunat vel aliud bonum opus facit ad vanam gloriam, illud eſt primogenitum aſininum, ſi vero mala, & inanis intentio ſubmovetur, tunc aſini primogenitum cum ove ſpiritualiter commutatur. Si verò malam intentionem tollere renuit, tunc ſuum aſinum primogenitum, id eſt, bonum opus ſtolidè & inaniter factum redimere non dignatur. Quapropter iſtud opus tanquam in nullo meritorium, & penitus nihil valens debet interfici, id eſt, deſtrui, & confundi, & apud Deum & homines condemnari, quia revera aſinus non eſt offerendus, niſi mutatus cum ove, nec bonum opus mala intentione vel ſine diſcretione factum, Deo placere dignoſcitur, niſi ſuſciatur bona & ſimplici voluntate, quæ ſcil. per ovem in ſacra pagna deſignatur. Unde de amicis Job dicitur: Jobi 42. *Dederunt ſibi unuſquiſque ovem unam.*

Vel dic, quod primogeniti prælatorum ſunt illi, qui ſe debent per bona exempla, opera & documenta Deo offerre. Si verò habent aliquod primogenitum aſini, id eſt, aliquem malum ſubditum, ipſi pro certo debent eum pro viribus pro ove mutare, id eſt, bonum ſimplicem efficere. Quod ſi nequeant, debent eum interficere, id eſt, durè corrigere & punire. Vel etiam ſi crimina ipſius exigant, eum debent occidere, vel carceri mancipare. Unde ſupra eodem cap. *Maleficos non patieris vivere ſuper terram.*
C Dignus eſt enim de medio tolli, qui ſuâ ſtultitia & malitia noluerit commutari, ut poſſit ſpiritualiter Domino immolari, & dignè ad ipſius ſervitium applicari, ſicut de Chananæis dicitur Sap. 12. *nequam eſt natio illorum, & naturalis malitia eorum, ut non poſſit mutari in perpetuum.*

Vel dic, quod ſi aliquis Prior vel religioſus habeat primogenitum aſini, id, aliquem malum ſubditum vel ſocium, debet, ſi poteſt, ipſum mutare cum ove, id eſt, cum aliquo ſimplici vel honeſto; quod ſi prælatus ſuperior noluerit facere, tunc poteſt ad ejus interfectionem, id eſt, ad ejus rigoroſam punitionem & correctionem provocare. tutius enim eſt, ſi poteſt, quod de eo ſe expediat. Quod ſi non poſſit, neceſſe eſt, quod ſuam aſinitatem confundat.

Dominus præcepit non comedi carnem, quæ à beſtiis fuerit præguſtata, ſed canibus relinquendam. *Non comedetis* (inquit) *carnem, quæ à beſtiis fuerit præguſtata, ſed projicietis canibus.*

Per comedere in ſcriptura intelligitur imitatio. Ille enim alium comedere dicitur, qui vitam & exempla ejus ſibi mentaliter incorporat, & qui etiam mores ipſius imitatur. Per beſtias intelliguntur motus brutales & carnales. Per carnem verò intelligitur perſona luxurioſa. Igitur caro, id eſt, carnalis, vel luxurioſa perſona, quam beſtiæ, id eſt, motus carnales per luxuriam ſuffocaverunt, & ſpiritualiter occiderunt, non debet à nobis comedi, id eſt, per imitationem recipi, & aſſumi, quinimo talis perſona debet canibus, id eſt, aliis peccatoribus comedenda & imitanda relinqui, vel canibus etiam, id eſt, inferni dæmonibus condemnati. Et revera iſtud eſt verum, quod tales ſic carnales & immundi non ſunt digni manducari, id eſt, amari vel imitari ab hominibus, ſed potiùs à beſtiis & à canibus, quia ſcilicet mores eorum non ſunt rationabiles aut humani, ſed potiùs beſtiales, inules & canini. Unde dicitur 3. Reg. 22. *Canes comedent Jezabel in agro Iſrael.*

Vel dic, quod beſtiæ ſunt hæretici vel alii peccatores, qui ſi quem attrectaverint, & corruperint, non eſt dignus ab aliis manducari, &c. Sicut ſupra.

Cum omnia primogenita eſſent Domini, conceſſit Dominus, quod quodlibet animal primogenitum poſſit ſeptem diebus cum matre ſuâ eſſe, octava die præcepit ipſum ſibi adduci, & reddi.

Septem dies ſignificant vitam præſentem, quæ ſcilicet ſeptem
D dierum circulo volvitur, octava vero dies eſt tempus futuri ſæculi, ubi, ſcilicet, corporum reſurrectio celebratur, quæ in octava ætate complebitur, ſicut & Chriſtus octava die reſurrexiſſe probatur. Igitur cum omnia primogenita, id eſt, omnes juſti Deo debeant immolari, & ſibi ſpiritualiter dedicari, iſtud præcipuè fiet in octava die in reſurrectione, & quando ſcilicet, corpora & animæ ſimul glorificabuntur. Septem enim diebus, id eſt, per diſcurſum ſeptem ætatum cum matre noſtra, id eſt, cum mundo vivimus, in octava vero die, id eſt, in futura reſurrectione cum Domino erimus.

Vel dic, quod octava dies ſignificat circumciſionem vitiorum, ſcilicet, pœnitentiam, in qua ſcilicet, homo Deo offertur & redditur, qui per ſeptem dies, id eſt, per ſeptem peccata cum matre ſua, id eſt, cum mundo morabatur, quia ſcilicet, niſi homo ſeptem dies, quibus fuit cum matre ſua, id eſt, cum mundo, id eſt, in vita præſenti, & ſeptem peccata mortalia tranſierit, niſi ad octavâ diem, id eſt, ad circumciſionem pœnitentiæ attigerit, offerri Deo tam in Eccleſiaſticis promotionibus, quàm in cœli prælationibus non poterit nec debebit. Unde dicitur Levit. 22. *Septem diebus erunt ſub ubere, octava autem die offerri poterunt Deo.*

Vel dic contra nimis juvenes, qui non ſunt promovendi, vel in ſtatu Eccleſiæ, quouſque ſeptenarium virtutum compleverint, & octavam i. e. circumciſionem pœnitentiæ attigerint, offerendi, &c.

Capitulum vigeſimum tertium. Textus. Non ſuſcipies vocem mendacii.

Moralitatum Cap. XV.

PRæcepit Dominus, quod ſi quis inveniat aſinum vel bovem inimici ſui errantem, debet eum reducere. Si vero ipſum in foveam cecidiſſe reperit, debet eum ſublevare.

Inimicus noſter eſt diabolus vel peccatum. Unde dicitur Matt. 13. *Inimicus homo hoc fecit.* Bos vel aſinus ſignificat peccatorem, qui ſcilicet quandoque dicitur errare, quando E per ignorantiam vel infidelitatem peccat: quandoque dicitur eſſe in fovea, quando ſcilicet per profundam obſtinationem delinquit. Si quem ergo talem bovem vel aſinum, id eſt, ſi quem diaboli ſervum vel peccatorem erroneum vel in vitiis profundatum viderimus, ipſum pro certo expedire, ſublevare, & à vitiis liberare debemus, quia ſcilicet exemplis, monitis & inductionibus ipſum debemus de fovea vitiorum eruere, & adjuvare monitis & inductionibus, & ad viam reducere veritatis.

Vel dic, quod talis fovea eſt mala mulier. Unde dicitur Prov. 22. *Fovea profunda os alienæ, cui iratus eſt Dominus, incidet in illam.* Talibus ergo ſic infoveatis, & in peccato luxuriæ cavernatis & obſtinatis, debemus compati, & eos juvare pro viribus, quod poſſint, ad viam ſalutis reverti. Unde Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Multa particularia præcepta injuncta ſunt filiis Iſraël tam affirmativè quàm negativè, & ideo hic dicitur ſic.

Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo, tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis; non immolabis ſuper fermentum ſanguinem victimæ meæ, non coques hœdum in lacte matris ſuæ, non apparebis in conſpectu meo vacuus.

Revera talia mandata ſpiritualiter dantur nobis. Deus enim vult quod ter in anno coram ipſo compareamus, ſcilicet in contritione cordis, in confeſſione oris, in ſatisfactione operis, de quo dicitur ſupra Exod. 5. *Viam trium dierum ibimus, ut ſacrificemus Domino.* Item quod tribus vicibus ſibi feſta celebremus, ſcilicet in fidei ſinceritate, in charitatis veritate, & in ſpei jucunditate. Unde dicitur Eccl. 25. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo.* Item neceſſe eſt, quod ab hoſtia Domini, id eſt, ab immolatione bonorum operum noſtrorum fermentum hæreſis, malitiæ & hypocriſis deponamus, offeramuſque hœdum, id eſt, animum noſtrum non in lacte matris ſuæ, id eſt, in oblectatione carnalis concupiſcentiæ non coquamus, quod vacui virtutibus coram Domino non appareamus, ſed quod ſemper pleni & opulenti virtutibus & meritis perſiſtamus. Unde Ruth. 3. *Nolo te vacuam reverti ad ſocrum tuam.*

Vel dic, quod hœdus eſt Chriſtus, qui ſcilicet, in lacte matris ſuæ, id eſt, in juventute non debebat decoqui vel occidi, ſed tempus virilis ætatis potiùs exſpectari. Unde ipſemet dicit: *Nondum venit hora mea.*

Vel dic, quod hædi, id eſt, religioſi, non debent nimis juvenes ad religionem adduci, quouſque habeant diſcretionem.

Promiſit Dominus populo ſuo dare angelum ductorem, di- F cens ſic: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat, & introducat ad locum, quem paravi, obſerva eum, & audi vocem ejus. Nec contemnendum putes, quia non dimittet te, cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo. Si autem audieris cum, & feceris, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.*

Quamvis iſtud poſſit intelligi de Chriſto, qui eſt Angelus teſtamenti, pro eo quod à patre miſſus in mundum fideles cuſtodit, & eos ad Paradiſum præceſſit, & eos virtualiter ibi introducit; ad præſens tamen per Angelum intelligo Prælatum angelicum & devotum, qui ſcilicet à Deo datur & mittitur, ut per ipſum populus exemplariter præcedatur, virtualiter cuſtodiatur, & ad locum paratum, id eſt, ad Paradiſum finaliter introducatur, quia revera talis debet eſſe à Deo miſſus & datus, non affectione & ſimoniâ procreatus. Debet enim populum præcedere in omnibus virtuoſis operibus, & exemplariter anteire: Debet inſuper populum ab adverſariis, id eſt, à dæmonibus & hæreticis, & tyrannis defendere, & viam ſalutis omni populo præparare, & ſic ipſos ad Paradiſum

Digitized by Google

radiſum introducere, & ſuis monitis & prædicationibus, nec non ſuis devotis orationibus, cœleſte habitaculum procurare. Unde dicitur Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.* Et ideo pro certo iſte Angelus, id eſt, Prælatus Angelicus debet à populo obſervari, vox ejus cum reverentia audiri, & nullo modo contemni, ſed ſibi humiliter obediri. Nomen enim Dei in ipſo eſſe dicitur, in quantum perſonam Dei repræſentat, & in quantum ob Dei reverentiam eidem obeditur, & in quantum, cum quis peccat, ad puniendum crimina ordinatur. *Non dimittet*, inquit, *cum peccaveris.* Iſta eſt etiam concluſio, quod cum populus bene audit Angelum iſtum præceſſorem, id eſt, cum quis bene obedit & reveretur ſuum Prælatum & Rectorem, Deus efficitur inimicis ſuis inimicus, eumque ab afflictione liberat, & tuetur ab affligentibus & iniquis. Bene ergo dicit Apoſtolus Coloſſenſ. 3. *Filii obedite parentibus*, id eſt, Prælatis veſtris, *hoc enim juſtum eſt.*

Cum filiis Iſrael eſſet promiſſum, quod terras Evæi, Gergezæi, G & Chananæi, & aliorum infidelium adire & occupare poſſent, ſuper omnia præceptum eſt eis, quod Deos eorum non colerent, & quod fœdus cum eis non inirent, quodque opera eorum non facerent, ſed quod lucos, Deos & ſtatuas ipſorum Chananæorum infidelium deſtruerent & delerent.

Sic revera cum contingit, quod filii Iſrael, id eſt, boni Clerici vel Religioſi ad terras Chananæorum, id eſt, malorum hominum vel peccatorum deſtinantur, utpote quia ad aliquod officium vel aliquod beneficium inter ſæculares promoventur, in quo neceſſe eſt cum ſæcularibus vivere, & eorum negotia gerere, & ipſorum conſortia frequentare, ſummè cavere debent: ne Deos talium, id eſt, vitia, quæ colunt, velint colere, ac opera eorum facere vel fovere, & eis fœdera malæ ſocietatis jungere vel ligare, quinimo iſti debent Deos eorum, id eſt, vitia deſtruere, & eos, mediante juſtitia, ſubmovere. Quod tamen eſt contra multos prædicatores, qui mittuntur ad Chananæos, id eſt, ad peccatores delendos, & convertendos, & corrigendos, qui tamen Deos eorum adorant, id eſt, vitia eorum diſſimulant, opera eorum faciunt, ita quod, quantum ad avaritiam & adulationem, ipſis ſæcularibus deteriores fiunt. Fœdus cum eis ineunt, in quantum nihil aliud, quàm divitum familiaritatem quærunt. Unde dicitur Oſe. 12. *Fœdus cum Aſſyriis iniit, oleum in Ægypto ferebat.* Item dic de Prælatis, qui non curant Chananæos & tyrannos eradicare, imo ſtudent ſe eis confœderare, & eiſdem in omnibus complacere, per ſuorum nepotum matrimonia ſe cum eis familiariter colligare.

Dicit Dominus populo Iſraelitico, quod hoſtes ejus non intenderet ſtatim uno anno delere, ne forte terra in ſolitudinem redigeretur, & beſtiæ contra eum multiplicarentur, ſicut etiam dicitur Judic. 2. *Dominus totum populum Chananæum à facie filiorum Iſrael delere noluit, ut in ipſis filii Iſrael ad uſum armorum excitarentur, ſed tamen hoc præcepit, ſub tributo vivere, ut cogerentur.*

Per hoſtes tribulationes intelligo, quæ ſcilicet continuè nos moleſtant, per beſtias autem motus carnales aſſumo, qui brutaliter nos infeſtant. Iſtud eſt ergò verum, quod Deus de terra noſtra ſc. de corpore, hoſtes noſtros, ſc. mundi tribulationes penitus & ſubitò non evellit, quinimo ipſas nobiſcum vivere & manere permittit, quod utique facit, ne beſtiæ carnalium motuum & tentationum contra nos creſcant, & ne virtutum ſolitudo & H carentia in terra noſtri corporis invaleſcant. Conſtat enim, quod cum quis ſine tribulatione in proſperitate vivit, terra ſua, id eſt, perſona ſua ad ſolitudinem & ſterilitatem virtutum faciliter tendit, & beſtia devorans, i. e. carnis tentatio ipſum faciliter corrumpit & invadit, ita quod diabolus dicit illud Deuter. 32. *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium.* Utile eſt ergò viro juſto habere tales, ſc. mundi tribulationes, ut in eis exerceatur, & ne pejores hoſtes, ſc. beſtiæ, id eſt, carnis beſtialitates & immunditiæ contra eum augmententur. Ideò in Pſal. 33. dicitur: *Multæ tribulationes juſtorum.*

Vel iſta poſſunt allegari, quod melius eſt promoveri malos, quàm nullos in terra promiſſionis, id eſt, in Eccleſia; necnon Chananæos, id eſt, peccatores ad tempus dimittere, quàm beneficia vacua relinquere, quia ſc. beneficia in ſolitudinem rediguntur, quando ſine cultore diutiùs dimittuntur. Paulatim, & etiam ſucceſſivè debent mali de Eccleſia ejici, quia ſcil. melius eſt ibidem malos miniſtros ad tempus dimittere, & eorum vitia ſub diſſimulatione tranſire, quàm miniſtris Eccleſiam totaliter viduari. Quod utique eſt contra multos Prælatos, qui ſc. beneficia vacantia diu dimittunt, pro eo, ut ajunt, quia nullum dignum invenire poſſunt, ita quod propter defectum Rectoris ipſa beneficia deſtruuntur & pereunt.

Vel dic, quod cum filii Iſrael, id eſt, viri contemplativi & viri juſti vadunt ad occupandum terram ſuam, ad domandum & ſubjugandum carnem ſuam, Dominus hoſtes eorum, id eſt, carnis tentationes non ſtatim delere vult, ut ſic poſſint cum humilitate vivere, & virtutem ſuæ conſtantiæ contra eos exercere, quia ſc. nulla virtus ſine hoſte regnat, ipſos tamen hoſtes, id eſt, carnis tentationes vult cum eis ſub tributo & ſubjectione vivere & manere. Unde dicitur Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, tu dominaberis ipſius.* Quia aliàs beſtiæ, id eſt, peccata ſpiritualia, ſicut eſt ſuperbia, elatio, inanis gloria, contra tales multiplicarentur, & ſic in ſolitudinem ſpiritualem redigerentur, & virtutum opulentiâ privarentur; quia revera ſæpe fit, quod illi, qui carnis tribulationes non ſentiunt, de ſua caſtitate ſuperbiunt, & ſic multiplicatis in eis beſtiis, id eſt, ſpiritualibus vitiis, noviſſima eorum pejora prioribus fiunt. Utile eſt ergò hoſtes, id eſt, tribulationes & tentationes ſentire, ut diſcamus humiles fieri, & nullatenus ſuperbire. Juxta illud Apoſtoli Heb. 5. *Didicit ex his, quæ paſſus, obedientiam.* Et alibi: *Quos tradidit ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat.* 1. Cor. 5. A

Vel dic ad literam, quod divina providentia nunquam dimittit hominem ſine hoſte, ut ſemper habeat, quod timeat, & exercitatior & cautior inde fiat. Sicut etiam videmus de altis dominiis & regnis, quæ ut communiter ſemper habent aliquos perpetuos hoſtes, cum quibus quaſi perpetua gerunt bella. Sicut patet de Hiſpanis, qui pugnant cum Aphricis: de Latinis, qui pugnant cum Siculis; de Anglicis, qui pugnant cum Scotis; de Gallicis, qui pugnant cum Flamingis, & ſic de aliis. Vidit enim divina providentia, quod virtus torpeſceret, ſi populus hoſtes, contra quos vires exerceat, non haberet; quapropter hoſtes hominibus occultè ſuſcitat, & hoc regnis & perſonis bonum & utile putat fore, ſicut ponit Oroſius, de Carthagine urbe Romanis rebelliſſima, quam cum Romani poſt infinitas cædes & clades viciſſent & cepiſſent, diu deliberatum eſt à Senatu Romano, utrum illa urbs deleri deberet, aſſerentibus plurimis non eſſe utile, quod deleretur, ſed ut in urbe rebellionibus dedita, virtus Romana in bellis exercitaretur, quæ aliàs, ſi ſine hoſte & timore viveret, per torporem & deſidiam faciliter laxaretur. Quia ſicut dicit Vegetius: *Sine exercitio ingenia in artibus, & brachia in corporibus irrigeſcunt.*

Hic præcipitur populo Iſraelitico, quod cum Chananæis populis, ſcil. peccatoribus & iniquis fœdus non ineat, & quod in terra ſua eos manere nullatenus ſinat. *Non habitent*, inquit, *in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, ſi ſervieris Diis eorum.*

Sic verè & nos nunquam debemus infidelibus, ſcil. Judæis, Saracenis & hæreticis confœderari, vel cum eis amicitias contrahere, vel nobiſcum morari permittere, ne forte contingat ſimplices erroribus eorum decipi, & ad adorandum Deos eorum, id eſt, ad credendum eorum perfidiam inclinari. Idem dic de uſurariis, & aliis publicis peccatoribus Pſalm. 109. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.*

Capitulum vigeſimum quartum. Textus. Moyſi quoque dixit: Aſcende ad Dominum.

Moralitatum Cap. XVI. B

Cum Moyſes eſſet accepturus legem à Domino, aſcendit in montem ipſe & Aaron, & Nadab & Abihu filii Aaron ſacerdotis futuri, & ſeptuaginta ſeniores ex Iſrael. Sicque factum eſt, quod Moyſes ſurſum ad montis verticem aſcendit, prædicti verò in montis latere manſerunt, univerſus verò Iſrael procul in pede montis. Moyſes ergò ſolus aſcendit, ubi quadraginta diebus & noctibus jejunavit, & in duabus tabulis legem ſcriptam Dei digito reportavit. Prædicti autem Aaron, & filii, & ſeniores Deum Iſrael viderunt, & ſub ejus pedibus quaſi opus lapidis Saphiri ad modum cæli, dum ſerenum eſt, aſpexerunt, ſuper populum etiam facta eſt manus Domini, & viderunt Domini majeſtatem & cum lætitia comederunt.

Sic verè ad hoc, quod aliquis dignè mereatur accipere legem Dei, & fieri legifer, & Prælatus, inter Deum & populum ſequeſter & medius, multa ſunt neceſſaria, quia ſcilicet ipſe debet dici Moyſes, aſſumptus ex aquis, quia debet eſſe de aquis fluxibilium delectationum abſtractus, & per ipſarum abdicationem debet aſcendere in montem cœleſtium contemplationum, debet habere ſecum Aaron & ſeniores, id eſt, virorum prudentium aſſociationem. Debet intrare caliginem nubis, id eſt, cordis & conſcientiæ contritionem. Debet duas tabulas habere, intellectum & voluntatem, ſeu rationem & affectionem, ut ſcilicet poſſit ſibi Deus virtutes & ſcientias ſcribere per gratiam & inſpirationem. Debet quadraginta diebus & noctibus jejunare, per propriæ carnis maceration-em. Sic enim faciens legem Domini ſuſcipiet, in quantum divinam voluntatem agnoſcet, Deum etiam Iſrael videbit, & Saphirum, qui ſub pedibus ejus eſt, id eſt, ſcabellum pedum ſuorum, ſcilicet humanitatem beatificè contemplabitur & guſtabit. Nullus enim videre Deum in patria, nec cognoſcere legem in via merebitur, niſi qui abſtinentiam & contemplationem, & ſeniorum, id eſt, bonarum perſonarum aſſociationem ſectetur. Ezechielis C octavo capite. *Sedebam in domo mea, & ſenes Juda ſedebant coram me.*

Vel ſi vis, allega illud, quod tres ſunt principales gradus, & ſtatus Eccleſiæ, ſcilicet, ſupremus, medius, & infimus. Supremus

Digitized by Google

mus est Prælatorum, qui figuratur in Moyse sursum ascendente. Medius est Clericorum, & Religiosorum, qui figuratus est in Aaron in latere montis cum suis remanente. Infimus est laicorum, qui figuratus est in populo inferiùs residente. Unusquisque enim secundùm exigentiam debet Deo appropinquare, & montem perfectionis ascendere, & secundùm magis & minus visionem Dei Israel participare, & legis divinæ notitiam acquirere & habere. Perfecti enim sursum ad verticem contemplationis noverunt ascendere. Mediocribus verò sufficit lateraliter circumire. Infimis verò sæcularibus necesse est inferiùs circa temporalia residere, & parum de temporalibus degustare. Unusquisque tamen secundùm gradum suum solet consolationem suam à Domino percipere, & fidei notitiam possidere. Apost. 1. Corinth. 11. *Divisiones gratiarum sunt.*

Idem autem dic de sacra scriptura, sicut summum apicem soli scientifici in ipsa caligine mysteriorum intrent. Alii autem in latere, id est, literaliter circa corticem historiarum immorantur. Alii verò, sicut sæculares, de longè remanent & versantur, omnes tamen exinde consolationes plurimas consequuntur. Idem dic de monte Ecclesiæ dignitatum, in quibus scilicet alii sunt superiores, alii medii, alii inferiores.

Vel etiam idem dic de monte Paradisi, & de dignitatibus gloriæ sempiternæ. Unde dicitur Joan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.*

Moyses legem accepturus, fœdus inter Deum & populum inire voluit, & ideo duodecim vitulos immolari fecit, eorumque sanguine populum aspersit, & sic confœderatus est domino populus, & legem ejus suscepit, & quidquid Dominus præceperat, se facturum promisit. *Omnia*, inquit, *quæ locutus est Dominus, faciemus.*

Sic verè in Ecclesia primitiva Moyses, id est, Christus, volens legem à patre acceptam populo fidelium dare, fœdusque cum eis facere, duodecim vitulos, id est, duodecim Apostolos, vel generaliter multos Apostolicos viros occidi, & per Martyrium immolari voluit, in quantum scilicet ipsos duodecim Apostolos, loco Joannis, Paulo substituto, per Martyrium ad se vocavit. Sic ergo factum est, quod populus istorum sanguine perfusus, id est,
D Apostolorum & Martyrum morte & passione firmatus, fœdus & fidelitatem accepit, legem & fidelitatem credidit & suscepit, & voluntati Domini obedivit. Maximum enim fidei fundamentum fuit sanguis Apostolorum & Martyrum, quia revera ex hoc populus in fide formatur, & Deo fœderatur, quando videt & considerat, quod talium, tot & tantorum sanguis pro fide Domino immolatur, in quantum scilicet non est verisimile, imò nec possibile, quod tot homines pro fide voluntariè morerentur, nisi ipsa fides & lex Christi super veritatem solidam fundarentur. Unde dicitur Lucæ 22. *Hic est calix sanguinis mei novi testamenti, mysterium fidei, qui pro multis effundetur.*

Capitulum vigesimum quintum. Textus. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis.

Moralitatum Cap. XVII.

DOminus volens tabernaculum fœderis ædificare, primò voluit certas materias pro ædificatione sibi spiritualiter dedicari, præcepit ergo, quod filii Israel sibi ultro & voluntariè offerrent aurum & argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, byssum, pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas, ligna Sethim, oleum ad luminaria, aromata in unguenta, & thymiamata boni odoris, lapides autem onychinos & gemmas ad ornandum Ephod, & rationale, & superhumerale. De istis autem ultro oblatis promittit se Dominus velle sanctificationem sibi ædificare, ut sic possit inter homines habitare. Exemplar verò istius domûs ædificandæ Moysi Deus in monte Synai ostendit, quando Domini gloriam vidit.

Sic verè ad spiritualem ædificationem tabernaculi animæ conscientiæ vel Ecclesiæ, in quo scilicet Deus spiritualiter commoratur, necesse est plura concurrere, scilicet, plures virtutes, quas ipsi Deo ultro & voluntariè debemus offerre, & spiritualiter dedicare. Iste ergo à nobis petit aurum, id est, sapientiæ claritatem; argentum: id est, eloquentiæ suavitatem; æs: id est, prædica-
E tionis & orationis sonoritatem. Vel argentum, quod dulciter sonat, suavitatem monitionis; æs, quod asperè resonat, duritiam severæ reprehensionis; hyacinthum, id est, cœlestis conversationis & apparentiæ venustatem; purpuram, id est, verecundiæ grossitatem: coccum bis tinctum, id est, duplicem Dei & proximi charitatem: byssum retortam, id est, cordis & carnis candidam castitatem. Item debemus habere capillos caprarum, id est, exempla pœnitentium & Eremitarum: pelles rubricatas arietum, id est, exempla Christi Martyrum pro fide occisorum. Pelles hyacinthinas, qui scilicet coloris sunt cœlestis, id est, exempla Christi Confessorum & cœlestè viventium. Item nos debemus habere ligna Sethim, quæ erant incremabilia & imputribilia, id est, perseverantiæ stabilitatem, oleum olivarum, id est, sanitatem pietatis & clementiæ: aromata, id est, thymiamata fragrantia bonæ famæ & spiritualis redolentiæ; lapides onychinos, qui respecti oculos tremere faciunt, id est, considerationem mortis & divinæ justitiæ. His enim rebus & virtutibus tabernaculum fœderis, id est, sancta & munda conscientia constituitur, & inde rationale judicii, id est, vita rationalis ornatur, & sic ibi Deo gratissimè immolatur, dum tamen ista ultro & voluntariè à nobis Domino offerantur, quia scilicet nihil est meritorium, nisi quod est ultroneum & voluntarium. Ideo dicebat David in Psalm. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi.*

Præcepit Dominus fieri arcam de lignis Sethim: quæ secundùm sanctos erant ligna ad similitudinem albæ spinæ, quæ nec aquâ poterant putrefieri, nec igne cremari, quæ erant etiam alba & levia, & albæ spinæ similia. Erat ista arca quadrangularis, & sine pedibus, intus & exteriùs deaurata, secundùm Josephum, quadam corona seu quodam circulo seu labio aureo desuper circumcincta, quatuor circulos in quatuor angulis habebat, in quibus mittebantur & vectes, quando eam aliquis deportabat; quædam tabula aurea, quæ dicebatur propitiatorium, arcam tegebat, & hoc in longitudine duos cubitos cum dimidio, in latitudine cubitum cum dimidio possidebat, & infra se tabulas legis, urnam cum manna, librum Deuteronomii, virgam, quæ floruerat, continebat, duo vero Cherubin desuper sedebant, quæ alas alterius ad alterum extendebant, sicut dicitur hic, & infra 37. & Deuter. 10. Et sic patet, quod ista arca, quoad materiam, erat aurea & se-
F thinea; quoad formam, quadrangula, quadriarcula & coronata; quoad concomitantia, habebat propitiatorium & Cherubin; quoad contenta, habebat tabulas, Manna, & librum, & virgam. Ista autem arca infra altare Lateranense secundùm quosdam est inclusa.

Allegorice ista arca est Ecclesia, quæ pro tanto arca dicitur, quod intra eam cuncta, quæ ad salutem pertinent, reponuntur. Unde dicitur Genes. 6. *Facies tibi arcam de lignis lævigatis, ut salvetur universum semen.* Ista igitur de lignis Sethim, id est, de sanctis hominibus, quos scil. aqua voluptatum non corrumpat, & ignis cupiditatis non urat, & quos albedo castitatis, levitas pauperatis, & spinositas asperitatis induat, debet esse constructa & intus & exteriùs, id est, in affectione & conversatione debet esse per sapientiam & sanctimoniam deaurata, quia personæ Ecclesiam constituentes debent esse per sapientiam splendentes & aureæ, per indefectibilem firmitatem debent esse sethineæ, ut habetur in Cant. 3. *Relinatorium aureum fecit sibi rex Salomon.* Ista igitur debet esse quadrata per constantiam immutabilem, quadrangula per quatuor virtutes Cardinales, quatuor habet circulos, id est, quatuor Evangeliorum doctrinam, in quibus scilicet vectes, qui erant de lignis Sethim & spinosis, & qui erant exteriùs deaurati, id est, prædicatores & doctores, qui doctrinam habent auream & correctionem spineam, perseverantiam sethineam, jugiter debent inseri, in quantum scilicet ipsi habent in Evangeliorum doctrina continuè meditari. Istisque mediantibus arca portabatur, ad denotandum, quod per sanctos prædicatores Ecclesia in fide & in moribus sustentatur, quamvis de multis vectibus, id est, modernis prædicatoribus possit hodie dici, quod ipsi non sunt vectes fortes & sethinei, sed viles debiles & ferrei. De quibus Diabolus dicit Esa. 45. *Portas æreas conteram*, id est, malos Prælatos, vectes ferreos confringam, id est, prædicatores, &c. Item arca dicitur habere triplicem dimensionem, scilicet longitudinem fidei, altitudinem spei, & latitudinem charitatis. Veruntamen quælibet istarum habet aliquid perfectum, & aliquid imperfectum. Cubitus perfectionem significat, dimidius verò cubitus imperfectionem designat; quia revera longitudo fidei duos habet cubitos, id est, duplicem perfectionem, in quantum scilicet deitatem & humanitatem credit, unam tamen dimidietatem, id est, imperfectionem habet: in quantum scilicet non faciliter, sed ænigmaticè cognoscit. Cha- G
ritatis etiam latitudo imperfectionem importat, in quantum toto corde & totâ animâ Deum & proximum suum nunquam amat. Spes etiam cum sua latitudine dimidium cubitum, id est, imperfectionem patitur, in quantum scilicet spes nostra semper cum aliquo timore miscetur. Et breviter non est aliqua mensura perfectionis, quin habet aliquem defectum imperfectionis. In Paradiso verò nostra defectio supplebitur, quando per beatitudinem omnia complebuntur. Unde Apostolus 1. Cor. 13. *Ex parte cognoscimus, & ex parte Prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Item ista arca, id est, Ecclesia, habet supra se propitiatorium, in quantum in ipsa invenitur propitiatio & remissio peccatorum, habet etiam coronam auream, in quantum in ipsa invenitur corona meritorum: habet Cherubin, id est, societatem Sanctorum & Angelorum, & consortium sapientium & justorum. Cherubin, quæ secundùm Josephum erant formæ volatilium nulli alteri assimilantium, quas Moyses in sede Dei vidit, quæ scientiæ plenitudo interpretantur, significant viros justos scientificos, discretos, volatiles & contemplarios, & in sede Dei per contemplationem assuetos, quos revera arca Ecclesiæ & reli-

Digitized by Google

religionis debet ſuper ſe in ſtatu prælationis habere, & ſecum, ut eorum regatur conſilio, continere. Unde Ezech. 10. *Elevaverunt Cherubin alas ſuas, & exaltata ſunt.* Item iſta arca debet continere tabulas & librum, id eſt, legem divinam & ſcientiam, Manna dulciſſimum, quod de cœlo pluerat, id eſt, devotionem & clementiam, virgam Aaron, quæ floruerat, id eſt, ſeveram correctionem & juſtitiam: legem ſcilicet ad ſimplices erudiendum: Unde dicitur Hiere. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum.* Manna dulcedinis ad delinquentibus compatiendum, & indigentibus dulciter ſubveniendum. Pſal. 77. *Pluit illis Manna ad manducandum.* Virgam verò juſtitiæ ad protervos corrigendum, & ad oves divinæ paſcuæ corrigendum. Pſal. 44. *Virga diſcretionis virga regni tui.*

H Vel dic, quod arca iſta ſignificat animam bonam vel quamlibet bonam perſonam, & maximè Eccleſiaſticum vel Prælatum, quia ſcilicet talis debet eſſe ſethineus, vel imputribilis per conſtantiam & patientiam, debet eſſe aureus intus per divinam ſapientiam, & extra per honeſtatem, & per bonam apparentiam. Iſti debent habere quatuor angulos, id eſt, quatuor affectiones bonas, ſcilicet dolorem de præſentibus malis commiſſis, gaudium in Spiritu ſancto de præſentibus bonis factis, ſpem in Deo de futuris præmiis, timorem de futuris pœnis. Unde dicitur Eccleſ. 37. *Ex corde quatuor oriuntur, ſcilicet bonum & malum, & vita & mors.* Bonum, inquit, & malum, & virtus, & vitium, in præſenti quantum ad gaudium, & dolorem; vita, & mors, id eſt, præmium & tormentum, quantum ad ſpem & timorem. Item iſte debet habere quatuor circulos, id eſt, quadruplicem Cardinalem virtutem. Debet habere duos vectes deauratos, id eſt, duplicem fortitudinem & firmitatem ſcilicet in corde contra tentationes, & in corpore contra tribulationes. Etiam debet habere labium aureum, id eſt, verbum continens munditiam & veritatem, debet habere propitiatorium aureum, id eſt, clementiam & pietatem, & debet habere Cherubin aureum, id eſt, virorum ſapientium ſocietatem. Vel Cherubin, qui interpretatur plenitudo ſcientiæ, id eſt, ſcientiam & ſubtilitatem. Iſta enim omnia pertinent ad Prælatum, vel etiam ad quemlibet virum Eccleſiaſticum ſive juſtum, videlicet ut pœnitentibus faciliter propitietur, Pſal. 129. *Apud te propitiatio eſt.* Quod Cherubin, id eſt, viris contemplativis & ſcientificis concomitetur. Unde Eccleſ. 9. *Cum ſapientibus ambula.* Quod à quatuor virtutibus Cardinalibus dotetur. Ezech. 1. *Quatuor facies uni.* Et duobus vectibus, id eſt, duobus lateribus fortitudinis ſcilicet à dextris & à ſiniſtris, id eſt, in proſperis & aſperis roboretur. Unde dicitur Num. 13. *Palmitem portaverunt in vecte duo viri.* Item iſta arca Prælatus debet continere tria, ſcilicet tabulas cum libro, id eſt, divinæ legis eruditionem; manna dulce, id eſt, eleemoſynam & ſubventionem, vel benignitatem & conſolationem & compaſſionem; virgam floridam: id eſt, juſtitiam & correctionem. Juxta illud Apo. 1. Th. 5. *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos*, quia ſcilicet Prælatus debet rudes informare, inquietos corripere, puſillanimes conſolari, & afflictorum miſereri.

Vel ſi vis, allega de hoc ſicut ſupra eodem cap. de Eccleſia. Debet etiam habere triplicem dimenſionem, id eſt, tres virtutes Theologicas, ſcilicet longitudinem fidei, altitudinem ſpei, & latitudinem charitatis, quia dicit Apoſtolus 1. Cor. 13. *Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes & charitas, &c.* Dilata ut ſupra, &c.

A Vel dic, quod arca eſt Chriſtus, qui ex auro & ligno, id eſt, ex deitate & humanitate conſtat, qui ſcilicet ſecum habet Cherubin, id eſt, Angelos, quibus dominatur. Unde dicitur Luc. 2. *Facta eſt cum eo multitudo cœleſtis exercitûs, &c.* In ipſo eſt Propitiatorium pietatis, cum dixit adulteræ Joan. 8. *Dimittuntur tibi peccata tua.* Quatuor circulos habet, id eſt, quatuor Evangeliſtas, duos vectes, id eſt, duos populos pendentes in circulis, id eſt, in Evangeliis continuè commorantes, &c. Expone omnia alia ut ſupra.

Vel dic, quod arca eſt beata virgo, cujus lignum, id eſt, anima fuit imputribilis naturæ, in quantum nullam peccati ſenſit corruptelam, quæ ſcilicet in ſe continuit tria, id eſt, Chriſtum. Nam ſcilicet ibi fuit Manna de cœlo veniens, id eſt deitas, tabula, legem continens, id eſt, anima, virga de terra naſcens, id eſt, corpus. Iſta ergo fuit aurea, id eſt, ſancta intus & extra, id eſt, in corde & corpore, &c. Dic per omnia, ſicut ſupra.

Præcepit Dominus fieri duos Cherubin aureos perductiles, non fuſiles, ſed malleis factos, qui juxta arcam tegentes propitiatorium ex utroque latere ponerentur, & quod duæ alæ ſingulorum alterius ad alterum jungerentur, ita quod ipſis ſe mutuo tangentibus arca & propitiatorium tangerentur; præcipiebatur etiam, quod iſti mutuò ſe reſpicerent, & quod vultus ſuos ad propitiatorium verterent, quod ſcilicet alis duabus (ut dictum eſt) operirent. Alias verò duas alas exteriùs extenderent & levarent. Prout verò dicit Joſephus, Cherubin erant animalia quædam, quorum figura nunquam erat viſa, ſed à Moyſe in ſede agni conſpecta fuerat.

Per Cherubin Prælatos vel viros Eccleſiaſticos poſſumus intelligere, quia ſcilicet duo debent eſſe per charitatem & ſanctitatem, ſplendidi, perductiles, id eſt, malleis tribulationum perducti, ad malleationem per correctionem & patientiam aſſueti, & juxta arcam, id eſt, juxta religionem vel Eccleſiam ad ejus protectionem & regimen conſtituti. Unde dicitur. 3. Reg. 6. *Fecit* B *in oraculo duos Cherubin de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis, texit quoque auro*, quia revera tales debent eſſe in oraculo, ſcilicet in Eccleſia per devotionem, duo per dilectionem, Cherubin, qui interpretatur plenitudo ſcientiæ, per ſcientiam, & diſcretionem, de lignis olivarum per pietatem, & compaſſionem, decem cubitorum per decem mandatorum impletionem, cooperti auro per ſplendentem, & lucidam converſationem. Quid ultra? Revera dic, quod iſti Cherubin, videlicet, viri Eccleſiaſtici ſeu juſti, debent eſſe animalibus, id eſt, aliis hominibus diſſimiles per ſanctæ vitæ ſingularitatem, ipſorumque ſimilitudo in ſede agni debet inſpici & inveniri per Dei exemplarẽ ſimilitudinem & conformitatem. Alæ, id eſt, affectiones iſtorum ſe debent invicem tangere per amicitiam & ſocietatem, & alter alterum debet reſpicere per mutuam dilectionem & charitatem, vultuſque mentis ſuæ debent ad Propitiatorium, id eſt, ad Dei propitiationem & miſericordiam vertere per ſpem & intentionem bonam, & ordinatam ad Dei voluntatem. Apoſtolus Heb. 12. *Reſpiciamus in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum.* Ezechi. 1. *Duæ alæ ſingulorum jungebantur.* Pſal. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Iſti ergo quaſdam alas affectionum ſuarum ad propitiatorium, id eſt, ad Deum, & ad cooperiendum, id eſt, ad protegendum arcam Eccleſiæ debent extendere. Alias etiam ad exteriora, id eſt, ad regimen exteriorum negotiorum, necnon ad amorem & utilitatem proximorum debent ſimiliter dilatare, quia revera tales Cherubin, id eſt, viri ſcientifici & contemplativi non debent ſolum propitiatorium, id eſt, Deum per contemplationem reſpicere, non ſolum debet alter alterum per dilectionem tangere, nec non ad tangendum ipſum oraculum ſe protendere, ſed etiam ipſi debent alas ſuæ diſcretionis & affectionis exteriùs ad proximorum utilitatem extendere, & ad amorem ſubditorum, nec non ad temporalium negotiorum regimen dilatare, & ſic cuilibet dicetur illud Ezech. 28. *Tu Cherubin extentus & protegens, plenus ſapientiâ & perfectus decore, in deliciis Paradiſi Dei fuiſti*, &c.

Dic etiam, ſi vis, quod iſti duo Cherubin poſſunt ſignificare Petrum & Paulum, vel alios quoſcunque duos ſanctos, qui ductiles propter Martyrium poſſunt dici.

Vel dic, quod iſti Cherubin, id eſt, pleni ſcientiâ poſſunt dici, quia revera iſti alas contemplationis ſuæ ſuper propitiatorium, id eſt, ſuper ipſum Deum elevant, ipſaſque alas mutuò jungunt, in C quantum ad contemplationem Deitatis ſimul conveniunt & intendunt. Alas verò exteriùs dicuntur extendere, in quantum ad nos, & ad exteriorum Dei judiciorum regimen operationes ſuas protendunt. Vultus ſuæ cognitionis & affectionis in propitiatorium, i. e. in Deum vertunt, & ſe mutuò reſpiciunt, diligunt, atque volant.

Vel dic, ſi vis, quod propitiatorium fuit Chriſtus, qui ſecundùm Pſal. 102. *Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & ſanat omnes infirmitates tuas*, qui, ſcilicet, circa & ſupra ſe Cherubin, id eſt, Angelos habuit, quos ſc. Deus in cuſtodiam & miniſterium deputavit, Pſ. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

Præcepit Dominus, quod fieret menſa in tabernaculo, dicens ſic: *Facies menſam de lignis Sethim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem, & inaurabis eam auro puriſſimo, faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipſo labio coronam interraſilem*, id eſt, intercilatam, *quatuor digitorum, & ſuper illam aliam coronam dictam aureolam*, quatuor quoque circulos præcepit, & in angulis pedicas fieri, ut vectibus impoſitis poſſet menſa portari, vectes verò de lignis Sethim fieri voluit, quas auro puriſſimo deaurari mandavit. Poni autem voluit menſam in tabernaculo ad aquilonem, & panes propoſitionis cum thure imponi mandavit. Inſuper & vaſa libaminum, ſcilicet acetabula, phialas, thuribula, & cyathos ordinavit, & menſæ ſimiliter ſupponi.

Per menſam ſecundùm Doctores intelligitur ſacra Scriptura, quæ, ſcilicet, in tabernaculo Eccleſiæ ad aquilonem, id eſt, contra frigus tribulationum ponitur, ut ſcil. mundi tribulationes & miſeriæ per contemplationem, & converſationem ſcripturarum temperentur. Pſalmo 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me.* Iſta ergo eſt de lignis Sethim, quia eſt imputribilis per perpetuam durationem, Pſalm. 118. *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Auro puriſſimo dicitur deaurata, propter excellentem conditionem, quia, ſcilicet aurum artium liberalium eſt purum, aurum Ethicæ, ſeu Moralis Scientiæ eſt purius, aurum verò Sacræ Scripturæ eſt puriſſimum. Unde dicitur Prover. 3. *Primi & puriſſimi fructus ejus.* Labio aureo, id eſt, mundâ Doctorum & Prædicatorum eloquentiâ dicitur circumacta. Et alibi: *Labia mea deteſtabuntur impium.* Quatuor angulis, & quatuor pedibus, id eſt, quatuor exponendi generibus dicitur adornata, ſcilicet hiſtorico, myſtico, allegorico, & tropologico. Ezechiel. 1. *Quatuor* D

Digitized by Google

facies uni. Et quatuor circulis,id eſt, quatuor doctrinæ partibus invenitur diſtincta, quæ ſcilicet ſunt docere, quod pertinet ad veritatem: erudire, quod pertinet ad utilitatem: arguere, quod eſt malè dictum: corrigere, quod eſt malè factum. 2. Timoth. 3. Unde Apoſtolus dicit, quod *omnis doctrina divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum, & ad corrigendum*: ſed quid ultra? Revera iſta debet habere coronam auream, in quantum ipſam ſcientibus promittitur præmium eſſentiale. Dicitur etiam habere coronam aureolam, in quantum ipſam docentibus promittitur ultra hoc præmium accidentale. Unde Pſalm. 20. dicitur: *Corona aurea ſuper caput ejus.* Corona tamen iſta aurea, id eſt,præmium eſſentiale, & dignitas gloriæ Paradiſi, quatuor eſt digitorum, in quantum ſcilicet iſta habet, quatuor genera principalia præmiorum, quæ ſcilicet ſunt viſio, fruitio, tentio, & humanitatis Chriſti contemplatio. Unde Ezechiel, 1. *Quatuor pennæ uni.* Et iterum: *Per quatuor partes euntes ibant.* Quid ultra? Revera iſta menſa divinæ ſcripturæ habet ſuam menſuram, ſcilicet longitudinem duorum cubitorum, id eſt, ſcientiam novi, & veteris teſtamenti, & latitudinem unius cubiti,& ſemiſſem, id eſt, devotionem Sanctorum, quæ ſcilicet cubitum habet, in quantum veraciter credit: ſemiſſem tenet, in quantum, ſcilicet, de bonis futuris aliquid ulteriùs ſentit, quod tamen non eſt completum, ſed imperfectum exiſtit. Unde Apoſtolus 1. Cor. 13. *Ex parte cognoſcimus,& ex parte prophetamus.* Iſta eſt igitur, quæ continet duodecim panes duodecim articulorum fidei, qui pro vita fidelium ſunt neceſſarii. Habet etiam libamina ſcientiarum, & Sacramentorum, vaſa verò ſubſervientia habet multa, id eſt, multitudinem Doctorum(ſc. ad libamina Sacramentorum miniſtranda, & ad libamina doctrinarum fundenda) qui ſunt à Deo ſunt ordinati, etiam ibi erant acetabula, quæ dicuntur vaſa pro aceto ſervando, & iſti ſunt, qui docent cum acredine correctionis. Cyathi,qui ſunt vaſa ruſticorum, & ſignificant illos, qui docent infirmos cum quaE dam ſupportatione compaſſionis; phialæ, quæ erant vaſa vitrea, dicta à philim, quod eſt vitrum, & juſti ſunt illi, qui conſolantur puſillanimes,qui ſunt fragilis, & vitreæ conditionis: thuribula, quæ erant ad thurificandum aptata; & ſunt illi, qui docent alios, monendo eos officium orationis & devorionis. Ideo de iſtis quatuor generibus vaſorum, id eſt, Doctorum, videtur Apoſtolus dicere 1. Theſſalonicenſ. 5. *Rogamus vos, fratres, corripite inquietos, ſuſcipite infirmos,conſolamini puſillanimes. Patientes eſtote ad omnes,ſemper gaudete,ſine intermiſſione orate,&c.* Et ſic eſt menſa Domini,ubi devoti nutriuntur. Unde dicitur Mat. 15. *Quia catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum*, ubi ſuperbi Judæi eſuriem patientur. Pſ. 68. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.*

Vel ſi vis, dic, quod menſa iſta ſignificat, quatuor genera vaſorum,id eſt,quatuor genera doctrinarum, &c. ſicut ſupra.

Vel dic, quod in iſta menſa, quatuor vaſa, id eſt, libri Prophetarum minorum, quatuor pedes, id eſt, quatuor Prophetæ majores, duæ coronæ, id eſt, Job & Pſalmiſta, ſeu lex, & hiſtoriarum libri.

Vel dic, quod eſt fides noſtra, quæ eſt ſethinea, & incorruptibilis, quia nunquam deficiet. Unde dicitur Luc. 22. *Non deficiet fides tua.* Deaurata, quia ſemper miraculis ſplendet. Quatuor habet circulos, quia quatuor Evangelia continet cum vectibus impoſitis,id eſt, cum fortiſſimis cultoribus, quos habet. Iſta etiam duodecim habet panes,id eſt, univerſitatem articulorum fidei, vaſa libaminum, id eſt, univerſitatem Sacramentorum, coronam intercellatam, id eſt,multitudinem virtutum, & meritorum, coronulam reſplendentem, id eſt, certitudinem præmiorum. Unde etiam homini fideli dicitur Apocalyp. 2. c. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

F Vel dic, quod menſa tabernaculi ſignificat pietatem, quam debent habere viri Chriſti, & viri Eccleſiaſtici, quia ſc. iſti debent habere panes ad eſurientes cibandum, vaſa libaminum ad ſitientes potandum, thus odoriferum, id eſt, verba odorifera, & dulcia ad triſtes conſolandum,coronam auream,id eſt, beneficentiam ad dignos præmiandum, quæ ſc. in parte aquilonari, id eſt, in frigore tribulationis, & in ſterilitate paupertatis debet principaliter inveniri ad indigentibus ſubveniendum. Unde in Pſal. 77. *Nunquid poterit parare menſam in deſerto?* Vel dic, quod talis menſa eſt homo pius & miſericors,&c. ſicut ſupra.

Sicut præcipitur hic & Levit. 24. Duodecim panes de ſimila puriſſima,de duabus decimis debebant fieri,qui igne cocti ſuper menſam puriſſimam ſex, & ſex altrinſecus debebant ſtatui, & patena aurea cum thure limpidiſſimo ſuper quemlibet debebat poni, qualibet verò die ſabbathi debebant mutari, & novis ſubſtitutis panibus,& incenſo, primi panes à ſacerdotibus in loco ſancto debebant comedi,thus verò ſuper altare debebat incendi.

Duodecim panes ſunt duodecim Apoſtoli, qui ſc. fuerunt de ſimila, quæ eſt flos farinæ frumenti, in quantum ipſi fuerunt flos & electio totius mundi. Unde in Cant. 2. *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Et iterum Joan. 15. *Ego elegi vos de mundo.* Igne enim tribulationum cocti ſunt, in quantum tormenta & ſupplicia ſuſtulerunt. Unde dicitur Iſaiæ 44. *Calefactus ſum, & coxi panes.* In menſa etiam Eccleſiæ ſex & ſex alternatim ſunt poſiti, in quantum per charitatem ſemper erant conjuncti, & nunquam per hæreſin, aut ſchiſmata ab invicem ſunt disjuncti. Unde canitur: Hæc eſt vera fraternitas, quæ nullo potuit ſeparari certamine, &c. Igitur iſti ſunt, qui thus devotionis, & orationis habuerunt, & in menſa legis divinæ continuè perſeveraverunt,quouſque adveniente ſabbatho, id eſt, æternæ requiei præmio exinde per mortem ſubtrahi meruerunt, quando ſc. Sacerdotes, id eſt, ſancti Angeli, in loco, id eſt, in Paradiſo per charitatem eos comederunt, & ſibi victimaverunt, ipſoſque in ſuum beatum collegium receperunt. Alii verò panes, id eſt, alii viri Sancti,Martyres, & Donfeſſores, poſt eorum deceſſum loco eorum in menſa Eccleſiæ vel fidei ſucceſſerunt. Unde Apoſt. Heb. 10. *Aufert primum, ut ſequens ſtatuat.*

Vel dic, quod duodecim panes fuerunt Patres veteris teſtamenti, qui duodecim Patriarcharum ſucceſſores fuerunt. Alii G verò, qui ſubſtituebantur, ſignificant ſanctos novi teſtamenti, qui duodecim dicti ſunt, quia duodecim Apoſtolis ſucceſſerunt, vel quia duodecim articulos fidei crediderunt. Igitur iſtud eſt verum, quod in menſa ſacræ ſcripturæ, legis divinæ, & fidei orthodoxæ primi fuerunt duodecim primi panes, id eſt, patres veteris teſtamenti, qui ſc. ibi ſteterunt, & uſque ad ſabbathum, id eſt, ad requiem & libertatem novæ legis Chriſti inibi permanſerunt, & thus orationis habuerunt, igneque deſideriorum cocti & exuſti fuerunt. Sed verè adveniente ſabbatho novæ legis vel libertate gratiæ, tunc iſti panes, & eorum ſecta defecit, & aliorum novorum panum, id eſt, novi teſtamenti appoſitio & ordinatio mox ſucceſſit, quorum ſcil. ſecta & traditio uſque ad aliud ſabbathum,id eſt,uſque ad Paradiſi requiem eſt duratura, & tunc umbris ſublatis eſt gloriæ claritas ſucceſſura Pſalm. 44. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii.* Et Lev. 26. *Novis ſupervenientibus vetera projicietis.*

Vel ſi vis, dic quod iſti panes erant de ſimila excocti cum thure, &c. ſic iſti, &c. Sicut ſupra. Vel ſi vis, dic, quod panes primi ſunt doctrinæ,& ceremoniæ primorum patrum, qui duodecim dicuntur, quia à duodecim Patriarchis nati, dum, à Judæis obſervatæ, & eiſdem datæ fuerunt, & alii duodecim ſunt doctrinæ, & traditiones Apoſtolorum, & ſuorum ſequacium, qui ſcilicet, loco priorum ſucceſſerunt, & menſam ſacræ ſcripturæ, & fidei impleverunt, &c.

Præcepit Dominus fieri candelabrum ad tabernaculum illuminandum,productile de auro puriſſimo, cujus, ſcilicet figura erat erecta in parte auſtrali tabernaculi, & habebat unum haſtile in medio, & à quolibet latere tria brachia ſurſum reflexa, quæ à Moyſe calami ſunt vocata, eo quod de calamis aureis concavis ſimul junctis erant prædicta brachia fabricata. In quolibet verò brachio in tribus ſui partibus ſcyphi erant ad nucis modum, & ſphærulæ volubiles, & lilia, quæ in juncturis calamorum ad ornatum, & pulchritudinem erant poſita. In ipſo vero haſtili in quatuor locis ſcyphi, ſphærulæ, & lilia ſimiliter erant ſita. Iſtud ergo candelabrum ſeptem lucernas, ſeu lampades deſuper habebat, in quibus oleum continuè ardebat. Habebat etiam emunctoria, & vaſa ad extinguendum emuncta, quæ omnia ex auro puriſſimo facta.

Iſtud candelabrum, quod tabernaculum illuminat, ſignificat fidem, quæ Eccleſiam, ſeu mentem lumine veritatis illuſtrat, quæ ſcil. de auro puriſſimo facta dicitur, eo quod nihil inquinatum,aut erroneum, in ea reperitur. Ad auſtrum etiam poſita dicitur, ubi eſt claritas, pro eo, quod in hac nihil eſt præterquam veritas 2. Paralip. 13. *Eſt apud nos candelabrum aureum,& lucernæ* H *ejus.*Iſta enim duas habet partes,ſcilicet, divinitatem, & humanitatem, & ideò ab utraque parte tres habet calamos, ſeu brachia in ſtaſtili poſita, quia, ſcilicet, dextera divinitatis habet tres perſonas in una natura, ſiniſtra verò humanitatis habet tres naturas in una perſona. Et ſic benè dicitur 1. Joan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo,*id eſt,in divinitate, *Pater, Verbum,& Spiritus ſanctus,& hi tres unum ſunt. Et tres ſunt,qui teſtimonium dant in terra,*id eſt, in Chriſti humanitate, *Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Spiritus dico,id eſt,Deitas, aqua ſpeculans, id eſt, anima, ſanguis, id eſt,corpus, quia ſcilicet, in Chriſto ſunt in una perſona hæ tres naturæ ſcilicet, divinitas, anima & corpus. Iſta eſt etiam, quæ habet haſtile in medio, id eſt, certitudinem, & rectitudinem veritatis: habet ſcyphos in omni ſua parte, id eſt, plenitudinem juſtitiæ, & bonitatis: habet ſphærulas, id eſt, circulos aureos, id eſt, ſpem futuræ æternitatis, quæ ſcilicet, in circulo carente fine, & principio deſignatur. Habet etiam lilia, id eſt, candorem innocentiæ, & puritatis. Habet etiam ſeptem lampades, id eſt, ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta: Habet ſeptem lucernas, id eſt, ſeptem Spiritus ſancti dona: Habet oleum divinæ gratiæ: Habet emunctoria, id eſt, Doctores, qui ſuperfluitates errorum, & dubiorum, quæ poſſunt occurrere, ſo- A lent abſtergere: Habet etiam vaſa plena aquâ ſcientiæ, id eſt,ſanctos Apoſtolos, & Prophetas, vel eorum libros, in quibus ſuperfluitates iſtas errorum poſſumus extinguere, in quantum in ipſis poſſumus veritatem omnium reperire. Iſtud eſt ergo

Digitized by Google

go candelabrum de quo dicitur Zach.4. *Ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ejus, & ſeptem lucernæ ſuper illud.*

Vel dic, quod candelabrum illud ſignificat Chriſtum, quantum ad ſuum corpus myſticum, ſcilicet, Eccleſiam militantem. Et ſic dico, quod iſtud candelabrum habet haſtile, id eſt, ipſam perſonam Chriſti tanquam fundamentum & caput Eccleſiæ, quia ſecundùm Apoſtolum: *Caput Eccleſiæ Chriſtus:* Habet duas partes, ſcil. tempus ante legem & poſt. Et ſic dico, quod iſte habet tria brachia ab utraque parte, id eſt, Patres & fideles veteris & novi teſtamenti, quæ ſcilicet tres dicuntur, pro eo quod fidem Trinitatis habere noſcuntur, vel pro eo, quod tribus virtutibus Theologicis, ſcilicet, fide, ſpe & charitate ſuffulti fuerunt, Vel pro eo, quod de triplici ſtatu Eccleſiæ Doctorum, ſc. Continentium & Nubentium, qui ſc. figurantur in *Noe, Daniel, & Job,* conſtitiſſe merentur. Et Gen. 6. *Noe genuit tres filios.* Et ſic dico, quod ab utraque parte, ſc. & ante Incarnationem & poſt, tres calami, ſicut tria brachia, id eſt, fidelium tria genera ab iſto haſtili, ſc. à Chriſto per fidem proceſſerunt, qui ſurſum per ſpem, & deſiderium erecti, ſe ad ipſum Chriſtum per charitatem iterum reflexerunt, & ſic ſinguli calami, id eſt, ſancti, fidem, ſpem & charitatem ex ſuæ diſpoſitionis ordine habuerunt. Ideò de iſta reflexione, quâ ſc. ſancti ad haſtile ſuum Chriſtum, unde per creationem exierunt, reverturtur, & per devotionem & charitatem reflectuntur, poteſt dici illud Eccl. 1. *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Ez. 1. *Animalia ibant, & revertebantur.*

De iſtis brachiis candelabri, id eſt, de iſtis fidelibus, & ſanctis advertamus, quod iſti dicuntur tribus calamis confecti, tribus ſcyphis ornati, tribus ſphærulis volubilibus circumcincti, & in qualibet junctura repanſis liliis vallati.

Circa quod ſciendum, quod iſti tres calami, qui erant concavi, reſonantes & ſolidi, utpote quia aurei, ſignificant tres partes pœnitentiæ, ſcilicet, concavitatem interioris contritionis, hæc eſt enim, quæ cavat, & perforat cor humanum; reſonantiam confeſſionis, & duritiam aſperæ ſatisfactionis. Iſti enim ſunt illi tres dies, de quibus dicitur 2. Paral. 10. *Poſt tres dies revertimini.* Item tres ſcyphi, qui de ſua natura habent capere liquores, & effundere, ſignificant tres partes ſalutaris doctrinæ, Philoſophicæ, Moralis, & Theologicæ. Iſti enim ſunt tres ſcyphi, quibus boni ſtudendo inebriantur, & ſimplices potantur, dum loquitur Pſal. 22. *Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.* Scyphus enim doctrinam ſignificat, quæ ſcil. inebriat atque potat. Unde iſti ſunt illi tres panes, de quibus dicitur in perſona ſimplicis indigentis, Luc. 11. *Amice, accommoda mihi tres panes.* Tres ſphærulæ annuli, ſeu circuli, principio & fine carentes, & volubiliter calamos ambientes, ſignificant tres partes beatæ ſpei, quæ, ſcilicet, verſatur erga æternitatem principio, & fine carentem, ſcilicet, ſpem beatæ viſionis, ſpem beatæ fruitionis, ſpem beatæ tentionis. Iſta enim ſunt tria ſperanda, & in corde volvenda, & continuè meditanda Ezech. 10. *Ipſas rotas coram me vocavit volubiles.* Lilia, quæ ſunt pura & candida, ſignificant innocentiam, & caſtitatem, quam, ſcilicet, debent viri juſti in cunctis ſuis partibus habere, ut in omnibus, quæ dicunt, aut faciunt, poſſit caſtitas, ſeu munditia, quantum ad ſe, innocentia quantum ad proximum relucere. Unde Cant. 2. *En dilectus meus paſcitur inter lilia.* Et ſic ergò dico, quod brachia candelabri noſtri, id eſt, fideles tam veteris, quàm novi teſtamenti debent habere tres calamos, id eſt, tres partes pœnitentiæ, tres ſcyphos, id eſt, tres ſcientias ſalutares, tres ſphærulas, id eſt, tres ſpecies triplicis fœlicitatis, lilia, id eſt, candorem omnimodæ puritatis. Iſta debent habere juſti exemplo ſui haſtilis Chriſti, qui etiam calamos, ſcyphos, ſphærulas, id eſt, prædictas virtutes habuit exemplariter, ſicut iſti, dicens illud Joan. 13. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quid plura? Procul dubio dico, quod iſtud candelabrum, id eſt, Eccleſia, cum brachiis, id eſt, cum perſonis, & fidelibus ſuis debet lampades bonorum exemplorum, oleum compaſſionis, pietatis & eleemoſynarum, & beneficiorum, lucernas bonorum documentorum habere, quibus poſſint tabernaculum Eccleſiæ ſpiritualiter illuſtrare. Unde dicitur Matth. 25. *Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* Iſti etiam debent habere emunctoria, id eſt, largitatis, & miſericordiæ opera, quæ, ſcilicet, emundant, & abſtergunt ſuperflua divitiarum ſuarum, nec non vaſa aurea plena aquâ, id eſt, bonos pauperes plenos miſericordiâ ſecum debent habere, in quibus extinguantur, & expendantur divitiarum ſuperflua ſic emuncta, ne ſi inexpenſa ſerventur, poſſint coram Deo & hominibus fœtere, & cunctis hoc videntibus diſplicere; quia revera ſuperfluitas lucernarum iſtius candelabri, & ſuperfluæ divitiæ Eccleſiaſticorum fœtere in mentibus hominum noſcuntur, quando in aqua miſeriarum pauperum nullatenus extinguuntur. Unde illud Joan. 12. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, & cum volueritis, poteſtis eis benefacere.* Quamvis pro certo Eccleſiaſtici multi habeant hodie ſuarum ſuperfluitatum, & divitiarum alios emunctores, ſcilicet, malos officiales, & familiares, qui ſcilicet à ſuis Dominis, id eſt, ab eorum ſubditis emungunt, & rapiunt, quicquid poſſunt. Salomon: *qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.*

Proverb. 10. Qui etiam habent hodie alia vaſa, quàm pauperes, in quibus ſua ſuperflua extinguantur, ſc. nepotulos, & carnales amicos, malas etiam mulieres, & cætera ſimilia, in quibus bona ſua expenduntur. Sed non ſic bonæ lucernæ candelabri noſtri Chriſti, ſeu Eccleſiæ Corporis ſui myſtici. Ideò illud eſt candelabrum luminis, de quo ſupra dictum eſt.

Vel dic, quod candelabrum Eccleſia eſt pro eo, quod ductilis dicitur, quia diverſis concuſſionibus verberatur, & ducitur, & ſic perficitur, & formatur, cujus, ſcilicet, haſtile, id eſt, Prælatus debet eſſe in medio per juſtitiam, & æquitatem, & concordiam, & communitatem, cujus etiam diverſa brachia ſunt diverſa beneficia, dignitates, & officia, quia ſicut dicitur Jo. 14. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Et iſta pro certo habere debent calamos, id eſt, viros prudentes aliorum merita menſurantes, Ezech. 40. *Calamus menſuræ in manu ejus.* Scyphos, ſcilicet, doctores, alios doctrinis inebriantes Pſalm. 22. *Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.* Sphærulas volubiles, id eſt, viros diligentes, & obedientes. Eſa 11. *Filii Amon obedientes.* Lilia, id eſt, viros caſtos, & continentes. Unde dicitur Eccleſ. 50. *Quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ.* Oleum, id eſt, viros pios, & patientes. Eccleſiaſt. 9. *Oleum de capite tuo non deficiat.* Lucernas, id eſt, viros doctrinis, & exemplis alios illuminantes. Luc. 12. *Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Emunctoria, id eſt, viros aliorum vitia, & ſuperfluitates morales & emungentes, & corrigentes. Unde Apoſtolus 1. Theſſ. 5. *Corripite inquietos, &c.* Vaſa extinctoria, id eſt, ſacerdotes aliorum vitia in confeſſione extinguentes, & in aquis lachrymarum omnia ſubmergentes. Omnes autem iſti debent eſſe aurei per ſanctitatem, & ad Auſtrum claritatis poſiti per ſcientiam. Auſter enim eſt pars mundi clarior, & ſignificat luminis gratiæ, & ſcientiæ ſinceritatem. Unde Ezech. 40. *Vidi ædificium civitatis vergentis ad Auſtrum.*

Vel dic, quod candelabrum, loquendo moraliter, ſignificet virum juſtum, & maximè Eccleſiaſticum, vel Prælatum, quia revera iſte debet per prudentiæ luminoſitatem eſſe ad Auſtrum poſitus, quia Auſtralis pars eſt regio luminoſa; & aureus per ſanctitatem; ductilis per patientiæ firmitatem, & per tribulationem, & adverſitatem; habens haſtile in medio, id eſt, fidei ſtabilitatem, à dextris, & à ſiniſtris, id eſt, in proſperis, & adverſis; debet habere brachia, id eſt, bonorum operum probitatem, quæ, ſcilicet, ab utraque parte debent eſſe tria, in quantum debet tres virtutes Theologicas habere, ſcilicet, fidem, ſpem, & charitatem. Item iſte debet habere ſcyphos, id eſt, ſacræ ſcientiæ libros ad alios per doctrinam inebriandum. Debet habere ſphærulas volubiles, id eſt, diligentiam ad injunctum officium ſeduliter exercendum, & ad obedientiæ obſequium exequendum: calamos, quibus ſcilicet, canitur, id eſt, dicere laudes divinas ad gratias peragendum: lilia, id eſt, innocentiæ candorem, & continentiæ habeat, ad caſtè, & honeſtè converſandum: oleum pietatis, ad indigentibus compatiendum: lucernas ſapientiæ, & veritatis, ad alios illuminandum: emunctoria prudentiæ, pœnitentiæ, & largitatis, ad ſuperflua vitiorum, & divitiarum abſtergendum, & emungendum: vaſa extinctoria emunctorum, id eſt, temperantiam, paupertatem, vel confeſſionem ad ſuperfluitates hujuſmodi conſumendum. Confeſſio enim extinguit vitia, quæ à contritione, ſeu pœnitentia emunguntur. Paupertas extinguit divitias ſuperfluas, quæ per largitatem ſtringuntur. Temperantia verò extinguit ſuperfluos mores, qui per prudentiam avelluntur.

Vel etiam dic, quod emunctoria vitiorum, id eſt, ſuperbiæ, & avaritiæ, & luxuriæ ſunt auctoritates Scripturæ, vaſa verò, ubi emuncta extinguuntur, ſunt corpora noſtra conſiderata, ut fragilia, quia ſcilicet, quicquid ſcriptura emungit, & redarguit, conſideratio noſtræ fragilitatis extinguit, vitiumque ſuperbiæ, & luxuriæ, quod à Scriptura redarguitur, in conſideratione iſtius vaſis fictilis emungitur, extinguitur, & aufertur. Sic igitur erit homo candelabrum perfectionis, ubi lucerna gratiæ, & gloriæ conſtituetur, ut ſic in templo Domini, & in cœleſtis regis convivio collocetur. Exod. 40. *Poſuit candelabrum in tabernaculo teſtimonii, & è regione menſæ in parte Auſtrali*, locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini. Et bene dixit: *Candelabrum ſtabat è regione:* & hoc in textu dicitur, ut *luceat ex adverſo.* Ad denotandum, quod vir juſtus, maximè Prælatus, vel prædicator, debet ſtare ex adverſo aliorum, ſcilicet, vitia eorum corrigendo, arguendo, non, palpando, vel adulando. Unde dicitur Gen. 16. *E regione fratrum ſuorum figet tabernacula.*

Vel ſi vis, dic, quod ſeptem lucernæ, ſunt ſeptem Spiritus ſancti dona, vel ſeptem virtutes, &c. ſicut ſupra.

* * * * * * * *

Digitized by Google

Capitulum vigesimum sextum, Textus. Tabernaculum verò ita facies. Decem cortinas.

Moralitatum Cap. XVIII.

TAbernaculum præceptum est fieri à filiis Israel in deserto, in quo præcipuè Dominus coleretur. Factum est autem istud tabernaculum de tabulis de lignis Sethim factis, laminis aureis coopertis, sursum stantibus, & erectis, duobus vasis argenteis singulis sustentatis in lateribus incastratis, & ac si esset unus paries simul junctus, & vectibus immissis per longum tabernaculum, per annulos aureos, quos habebat, fortissimè roboratis. Et habebat tabula in longitudine decem cubitos, in latitudine cubitum, & semissem, in spissitudine quatuor digitos. Erant autem illæ tabulæ viginti à parte meridiei, & viginti à parte aquilonaris, & sex à parte occidentis. Et sic tabernaculum à Meridie, & ab Aquilone, & ab Occidente erat clausum. Ab Oriente verò, ubi lux subintrabat, erat apertum. Erat ergò longitudo tabernaculi cubitorum triginta, & latitudo, & altitudo cubitorum decem.

F Charissimi, per tabernaculum in deserto intelligitur Ecclesia, quæ militat in hoc mundo. Cujus, scil. longitudo fidei habet triginta cubitos, propter fidem Trinitatis, quàm credit: latitudo charitatis est decem cubitorum, propter decem mandata, quæ perficit, altitudo spei decem cubitorum, propter præmia pro complemento decem mandatorum, quæ expectat, & sentit. Ista etiam debet esse clausa, obstructa, & obfirmata, à parte austri, id est, contra prosperitates. A parte aquilonari contra adversitates. A parte occidentis contra iniquitates. Aperta verò debet esse à parte orientis, id est, ad divinas gratias, virtutes, & ad affectandas æternæ gloriæ firmitates. Istud autem potissimè habuit Ecclesia in principio sui status, quia, scil. tunc prospera contemnebat, tunc occasum virtutum, & statum vitiorum penitus nesciebat, sed respectu istorum omnium clausa erat. Ezech. 44. *Vidi portam in domo Domini clausam:* Supple: ne intraret terror adversitatum, dulcor prosperitatum, & fœtor iniquitatum. A parte verò orientis, id est, ad bona spiritualia, & ad ipsum Solem justitiæ per desiderium aperiebatur, & ad solum amorem cœlestium pandebatur. Ezech. Ibid. Porta hæc aperta erit principi. Igitur dico, quod tabernaculum Ecclesiæ, vel religionis debet constituí de tabulis imputribilibus, & Sethineis, i. e. de personis sufficientibus atque justis, quæ, scil. debent esse Sethineæ propter imputribilitatem perseverantiæ, & incremabilitatem patientiæ, deauratæ propter claritatem sapientiæ, erectæ propter elevationem conscientiæ, stantes propter fortitudinem permanentiæ, subtiliter incastratæ, & junctæ propter ligamen charitatis, & amicitiæ, & invicem in unum parietem ligatæ, propter unitatem pacis, amoris, & concordiæ, &c. Unde dicitur Ezech. 1. *Duæ pennæ singulorum jungebantur.* Apostolus: Rom. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo.* Item istæ tabulæ, id est, Ecclesiasticæ, vel Religiosæ personæ debent habere singulæ duas bases, id est, duo testamenta, quæ, scilicet, per doctrinam, & eloquentiam sunt argentea, pro fundamento: debent habere annulos aureos,
G id est, spem æternæ retributionis pro supplemento: vectes, id est, viros fortis constantiæ pro complemento. Annulus enim aureus æternam retributionem significat: caret enim principio & fine, & sic significat æternitatem, quia verò dicitur aureus: significat pretiositatem; & quia consistit in anima, & corpore, ideo continet duplicitatem. Et ideo tabulæ tabernaculi, id est, bonæ personæ, fortes contra impulsum tentationis, & tribulationis redduntur, quando basibus sacræ Scripturæ fulciuntur, & quando vectibus, id est, Sanctorum, & Doctorum exemplis, & auctoritatibus, etiam annulis impositis, id est, de æterna retributione mentionem facientibus statuuntur, qui, scil. vectes, id est, Sancti doctores, de lignis Sethim, id est, spinosi reprehendendo, albi castè vivendo, & imputribiles perseverando debent esse, & auro tecti, in quantum per sapientiam resplendere noscuntur. Supra dicitur Exod. 25. *Facies vectes de lignis Sethim, & cooperies eos auro.* Debent ergo istæ tabulæ, id est, viri justi habere decem cubitos in longitudine, id est, perseverantiam in decem mandatorum operibus, quatuor digitos in spissitudine, id est, quatuor Cardinales virtutes. In latitudine verò Charitatis debeant habere cubitum, id est, puram, & simplicem affectionem, & semissem, id est, aliquam cœlestium, quanquam imperfectam, degustationem. Debent etiam ab utraque parte esse viginti, qui constat ex quinario quaternario, id est, debent quatuor Evangeliorum, & quinque librorum legis habere spiritualem adimpletionem, super addendo sex tabulas, qui est numerus perfectus, id est, bonorum operum perfectionem. Unde de talibus tabulis dicitur Exod. cap. 34. *Fecit tabulas tabernaculi de lignis Sethim.*

Tabernaculum fœderis, quod factum fuit à filiis Israel in deserto, quantum ad formam erat oblongum, ab oriente apertum, & ab omnibus aliis partibus circumclusum, & desuper coopertum, in duas partes sc. in Sanctum, & in Sanctum sanctorum distinctum. Materia istius tabernaculi fuerunt tabulæ deauratæ, quæ sursum erigebantur, cortinæ mundissimæ, quæ circumquaque ducebantur: pelles arietum rubricatæ, & hyacinthinæ, quibus tabernaculum operiebatur, & desuper saga cilicina undecim, quibus tabernaculum tegebatur. Quatuor enim habebat operimenta, scil. cortinas byssinas, pelles rubeas, & hyacinthinas, & saga undecim. In tabernaculo verò quatuor erant principaliter, scil. arca cum suis adjacentibus, scil. propitiatorio, Cherubin, & contentis in ea, altare thymiamatis, quæ erant in H Sancto Sanctorum interiùs; mensa cum propositionis panibus, & candelabris, quæ erant in sancto exteriùs, velum verò quatuor colorum, quod è summo usque deorsum pendebat, & Sanctum Sanctorum, tanquam secretiorem cameram à sanctis, id est, à parte alia tabernaculi dividebat, ita quod spatium sancti Sanctorum in latum, & longum, & in altum decem cubitorum erat. Altera verò pars viginti cubitos in longitudine continebat.

Exponamus ista primò moraliter, & dicamus, quod istud tabernaculum significat animam virtuosam, vel generaliter quemlibet virum justum, ad habitationem Dei, quæ fit per gratiam per virtutes Dispositum Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt.* Debet igitur tabernaculum interioris hominis, scil. mens, vel conscientia esse oblonga per patientiæ longanimitatem, ad orientem, id est, ad Deum, & ad bona æterna, luminosa, clara, & aperta per affectionem, & charitatem. Aliunde verò undique clausa per discretam custodiam, & sedulitatem. Quia scilic. à meridie, id est, à parte carnalium amicorum, ab aquilone, id est, à parte temporalium bonorum, ab occidente, id est, à parte carnalium vitiorum se debet claudere per contemptum, à parte verò orientis, id est, ad bona spiritualia, & æterna debet aperiri per desiderium, & affectum, Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Esa. 26. *Intra cubiculum tuum, & claudi ostia tua super te.* Coopertum debet etiam esse quadruplici operimento, scilicet, cortinis byssinis, id est, castitatis candore, pellibus rubricatis, id est, charitatis ardore, quia, scilicet, *charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. Pellibus cœlestis coloris: scilicet, pellibus hyacinthinis, id est, honestæ conversationis splendoribus. Unde Hier. 10. *Hyacinthus & purpura indumentum eorum.* Sagis de pilis caprarum seu cilicinis, id est, pœnitentiæ duritia, vel rigore. Unde Job. 16. *Sagum consui super cutem meam.* Saga enim undecim pœnitentiam, quæ fit ob transgressionē decem A mandatorum, significant, eo quod decem saga legis decalogum, undecim verò transgressionem significant ipsius; Saga autem asperam pœnitentiam significant. Tali ergo quadruplici operimento, scilicet, castitatis, honestatis, charitatis, & asperitatis, se debet homo tegere, ne ventus elationis, pulvis terrenæ affectionis, & pluvia carnalis delectationis possit in eum subintrare. Ezech. 27. *Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum. Hyacinthus, & purpura de Insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.* Byssus enim significat castitatem, purpura significat charitatem, hyacinthus cœlestem conversationem, vel honestatem, Insula, quæ mari circumdatur, pœnitentiæ amaritudinem & asperitatem. Dico ergo, quod ad constitutionem moralis tabernaculi, id est, conscientiæ viri justi debent concurrere multa. Aurum, id est, sapientiæ limpitudo, ligna Sethim imputribilia, id est, patientiæ fortitudo, tabulæ sursum erectæ, id est, contemplationis altitudo, vectes recti, fortes, & longi, id est, justitiæ rectitudo, velum byssinum interius, id est, innocentiæ puritas, & sanctitudo; cortinæ, seu tentoria variata exterius, id est, continentiæ munditia, & pulchritudo, quæ, scil. debet esse quatuor colorum, id est, in quantum ibi debet apparere quatuor virtutum Cardinalium multitudo, & ideo animæ sic compositæ potest dici illud in persona domini dicentis sic: Ezech. 16. *Indui te byssō, calceavi te hyacintho. Indui te subtilibus, vestivi te discoloribus, similam, & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer.* Item intus in corde suo debet esse arca cum Cherubin, id est, Dei, & Angelorum species, memoria, & devotio; altare incensi, id est, fervens ad Deum oratio; candelabrum luminis, id est, scientia & discretio; mensa cum panibus, id est, pietatis eleemosyna, & compassio, ut sic de Deo, & de tali tabernaculo dicatur illud, quod dicitur Exod. 4. *Cum intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante ipsam velum, posuit & mensam, & candelabrum, & altare aureum sub tecto.*

Vel si vis, dic, quod tabernaculum est Beata Virgo, quæ arcam testamenti, id est, Christum continuit, & candelabrum cum septem lucernis, id est, Spiritum sanctum cum septem donis habuit, altare devotionis, mensamque compassionis, &c. sicut supra habetur. Vel dic allegoricè, quod istud tabernaculum est Ecclesia, vel religio, quod debet esse retro clausum, ante apertum, de tabulis deauratis factum, pellibus, & sagis opertum. Vide textum in capitulo præcedenti.

In hujus ergo compositione debent concurrere multa genera B rerum, id est, spiritualium personarum, scil. tabulæ planæ, rectæ, & deauratæ. Isti sunt illi, qui in rectitudine justitiæ, & in fulgore sapientiæ sunt splendentes. Item velum de byssō retorta. Isti sunt illi, qui in honesta conversatione, & exemplis sunt aliis pla-

Digitized by Google

plarentes. Aliud coopertorium de pellibus rubricatis. Isti sunt Martyres seipsos proprio sanguine rubricantes. Aliud opertorium de pellibus hyacinthinis, id est, confessores cœlestia tantummodò appetentes. Aliud de sagis, id est, de pilis caprinis. Isti sunt illi, qui de fœtore suorum peccatorum sunt pœnitentes. Item isti debent esse arca, id est, viri cœlestis gratiæ contentivi. Cherubin, id est, viri cœlestium contemplativi. Altare incensi, id est, viri orationum emissivi. Candelabrum, id est, viri lucentes, & aliorum eruditivi. Mensa, id est, viri pii, & aliorum nutritivi. Tales igitur res, id est, tales personæ debent tabernaculum Ecclesiæ constituere, & in eo habitare, Psal. 14. *Quis habitabit Domine in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam,* &c.

Vel dic, quod tabernaculum est Paradisus, ubi sunt tabulæ dolatæ, id est, Martyres, vela, & tentoria, id est, Virgines, quatuor opertoria, id est, multimodi Confessores, scil. byssini, id est, propriæ carnis mortificatores, rubricati, id est, charitativi, hyacinthini, id est, cœlestes, & contemplativi, de pilis caprarum, id est, pœnitentiæ perpessivi. Ibi est arca, id est, æterni thesauri infinitas; Cherubin, id est, Angelorum societas; altare, id est, devotionis Sanctitas; candelabrum, id est, Beatæ visionis claritas; mensa, id est, Beatæ fruitionis satietas, & ligna Sethim imputribilia, id est, in omnibus indefectibilis æternitas; & ideò istud est illud tabernaculum, de quo dicit Apostolus, quod illud est *peramplius, & perfectius tabernaculum non manu factum*, id est, non hujus creationis.

Tabernaculū fœderis duas habebat particulas, quàndā sc. ultimam, & interiorem à parte occidentis, quæ decem cubitos habebat in longū, & totidem in latum, & totidem in altum, & sic quadrata esse nocebatur, & ista Sanctum Sanctorum communiter vocabatur. In qua scil. arca cum Cherubin, & propitiatorio, Manna & Virga cum tabulis legis continebantur. Juxta quam etiam altare incensi statuebatur, ad quod solus summus Sacerdos, & indutus, & non sine thure, vel sanguine ingredi videbatur. Exterior verò, & prima pars, quæ in duplo longior erat, quàm ista, omnibus Sacerdotibus erat pervia, & per velum intermedium erat à Sancto Sanctorum distincta. Ibique erat candelabrum, cum suis lucernis à meridie, mensa verò cum suis panibus ab aquilone.

Per istud tabernaculum, potest etiam intelligi Sancta Dei Ecclesia, quæ procul dubio habet duas partes, scilicet, militantem, quæ est in ingressu, & oriente, quæ Sanctū debet dici, & Sancta esse; triumphantem verò, quæ est in egressu, & occidente, id est, post mortem, quæ sc. Sanctum Sanctorum per excellentiam potest dici. Istæ enim sunt duæ partes distinctæ, quarum prima in duplo major est, quàm secunda, pluribusque licitum erit ingredi Ecclesiam militantem, quàm Ecclesiam triumphantem, quia scilicet boni, & mali nunc intrant simul, ibi verò soli intrabunt boni, qui Sacerdotes, id est, Sacri duces dici possunt, & qui virtutibus erunt ornati, atque, sanguine, id est, Christi passionis memoria, & thure, id est, orationis fragrantiâ præmuniti, & ideò omnes Sacerdotes Sanctum poterant intrare, unus verò solus sine socio in Sanctum Sanctorum poterat introire, ad denotandum, quod *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. Istas enim duas habitationes velum depictum, id est, cœlum stellatum dividit, illucque nullus penetrat, nisi, qui istud velum transcendit: continet ergo illa interior, id est, domus Paradisi altare aureum, id est, divinitatem, arcam testamenti, id est, humanitatem, & duos Cherubin, id est, Angelorum, & Sanctorum societatem, propitiatorium, id est, peccatorum remissionem. Istud autem anterius oraculum continet candelabrum fidei cum septem lucernis donorum Spiritus Sancti, mensam Scripturæ cum duodecim panibus, id est, cum duodecim Apostolorum & articulorum fidei doctrinis, cum vasis libaminum, id est, cum omnibus Ecclesiasticis Sacramentis. Propitiatorium autem interiùs & non exteriùs servatur, ad denotandum, quod peccatorum propitiatio & remissio ab Ecclesia triumphante, quæ est interior principaliter derivatur. Quia sicut in Psalm. 129. dicitur. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*

Vel dic, quod tabernaculum est bonus dives, qui quantum ad D duas partes, id est, ad duos status potest considerari, videlicet quantum ad meridiem prosperitatis, vel quantum ad aquilonem adversitatis. Istud est verum, quod istud tabernaculum, id est, bonus dives debet habere ad meridiem, id est, quando viget prosperitatis & opulentiæ tempus, candelabrum, id est, virtutem prudentiæ, ad aquilonem verò, quando viget frigus paupertatis communis & caritatis tempus, debet habere mensam cum panibus, id est, virtutem pietatis & clementiæ, ut sic per prudentiam regatur in prosperis, per clementiam verò sustentet alios in adversis, ut sic de pietate talium dicat pauper istud Ps. 23. *Paratti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.*

Velum inter Sanctū Sanctorum & Sanctū appensum, factum est de quatuor pretiosis coloribus, scilicet byssо retorta, purpura, hyacintho & cocco bis tincto & contexto, & secundùm Josephum, cunctis florum & herbarum generibus, nullorumque tamen animalium imaginibus picturatum.

Velum istud significat virum justum & maximè Ecclesiasticum vel Prælatum, qui scilicet quatuor coloribus, id est, de quatuor Cardinalibus virtutibus, videlicet byssо temperantiæ, purpura justitiæ, & cocco bis tincto fortitudinis, hyacintho cœlestis prudentiæ debet esse compositus & ornatus, inter cœlum & terram per cœlestium contemplationem suspensus, inter sanctuarium & Sanctum, id est, inter Ecclesiam triumphantem & Ecclesiam militantem; vel inter Deum & populum medius, & quamvis est iste corporaliter sit in terris, tamen mentaliter in cœlis. Undè dicitur Sap. 18. *Usque ad cœlos attingebat stans in terra.* Et Deut. *Ego autem sequester & medius fui, &c.* Acubus, id est, compunctionibus timoris divini, vel cum mundi tribulationibus debet esse picturatus, quia sicut in Psalm. 33. dicitur: *Multæ tribulationes justorum.* Byssus enim seu linum, quod de terra nascitur, & cujus viror, id est, crudelitas per artificium temperatur, significat temperantiam, purpura, quæ decet Reges, significat justitiam, coccus coloris ignei, qui fortissimum est elementum, significat fortitudinem. Hyacinthus verò coloris cœlestis significat prudentiam, quæ scilicet inter alias virtutes magis appropinquat ad cœlestem & spiritualem naturam. Tales ergo colores debent velum E tabernaculi, id est, Prælatum vel quemlibet justum componere, acus divini timoris vel mundanæ tribulationis debet eum pungere & pingere, & in ipso flores virtutum inserere; animalia verò, id est, bestialia & carnalia vitia debet abdicare, contemplatio debet eum in altum suspendere, charitas verò & concordia debent eum medium inter Deum & populum collocare, & sic Ecclesiæ poterit dicere illud Ezech. 27. Ubi Dominus loquens Ecclesiæ dicit sic: *Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malo. Hyacinthus & purpura de Insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.* Velum enim hyacinthinum & byssinum in malo navis ponitur, quando justus ad prælationem erigitur, vel per contemplationem levatur.

Vel si vis, dic, quod byssus candida est castitas, coccum bis tinctum est charitas, quæ sc. debet esse bis tincta, in quantum ad Deum & proximum est extenta. Purpura rosacea est patientia, quæ more rosæ, quantò plus teritur, tantò magis fragrat. Hyacinthus cœlestis coloris, est cœlestis conversatio seu honesta apparentia, &c. per omnia sicut supra. Cortinæ, quæ & tentoria quandoque dicuntur, sunt decem factæ de quatuor dictis coloribus, quæ scilicet, simul cum ansulis hyacinthinis & annulis aureis invicem junctæ erant, ità quod se immediatè contingebant. Ista autem saga cilicina undecim immediatè supposita sequebantur, à quibus simul junctis tabernaculum iterum tegebatur. Sed quia de modo tegendi variè inter Doctores scribitur, igitur omitto, hoc solum addens, quod Cortinarum, quæ decem simul erant, quælibet fuit mensuræ decem, & octo cubitorum in longitudine, & quatuor in latitudine. Saga verò, quæ erant undecim numero, triginta cubitos longitudinis habebant, quatuor verò in latitudine continebant. Ista duo, scilicet Cortinæ & Saga significant vel significare possunt duos status hominum, qui sunt in tabernaculo Ecclesiæ militantis, videlicet, perfectos & imperfectos. Viri autem perfecti sunt quasi Cortinæ, qui scilicet de quatuor coloribus, id est, quatuor prædictis virtutibus componuntur. Vide supra capite præcedenti. Qui scilicet decem dicuntur, eò quod decem mandatorum opera prosequuntur. F Dicuntur etiam habere octodecim cubitos longitudinis, qui numerus constat ex duodecim & sex ad denotandum, quod duodecim articulos fidei debent credere, & sex misericordiæ opera facere. Quatuor etiam cubitos habent latitudinis, in quantum isti solent quatuor Evangeliorum consilia adimplere. Isti etiam ansulas hyacinthinas, id est, bonas & cœlestes affectiones habere noscuntur, quibus annulis aureis, id est, desideriis charitativis mediantibus sibi invicem per pacem & concordiam uniuntur, & per perfectam amicitiam conjunguntur. Undè Job. 41. *Una uni conjungitur, & nec spiraculum quidem incedit per eas.* Viri autem imperfecti, rudes & incompositi designantur per Saga hispida atque grossa, qui benè per numerum, qui transgreditur decalogum, id est, per undenarium designantur, pro eo, quod isti mandata plerumque transgrediuntur, triginta tamen habent cubitos longitudinis, pro eo, quod fidem credunt simpliciter Trinitatis, quatuor verò cubitos in latitudine habuisse dicuntur, pro eo, quod quatuor Evangeliorum doctrinam simpliciter profitentur. Isti ergo erant exterius opertorium, quod plus quàm Cortinæ ventis & pluviis erat expositum, pro eo, quod tales simplices agriculturis & laboribus exteriùs exponuntur. Cortinæ verò, id est, perfecti viri, scilicet, Religiosi & Clerici, intus ad contemplationis officium retinentur. Ista autem Saga simul juncta dicuntur esse, pro eo, quod tales per charitatis juncturam debent se invicem colligare. Quia breviter, sive sit Cortina, sive Sagum, id est, sive sit quis perfectus, sive imperfectus, vel laicus, vel Religiosus, vel Sæcularis, contemplativus vel activus, per charitatem debet simul jungi, & per pacem & concordiam copulari. Undè dicitur Lucæ 11. *Pueri mei mecum sunt in cubili.*

Vec dic, quod quatuor opertoria tabernaculi, sc. cortinæ, Saga, pelles rubeæ, pelles hyacinthinæ significant quatuor fide-

Digitized by Google

lium ſtatus. Cortinæ enim ſignificant Virgines & Innocentes, Saga deſignant Pœnitentes & Eremitas; pelles rubeæ Martyres, & pro Chriſto ſanguinem fundentes; pelles verò hiacynthinæ Confeſſores & Doctores, & cœleſtia contemplantes.

Præcepit Dominus fieri tentorium in introitu tabernaculi à parte orientis, id eſt, velum aliud de quatuor prædictis coloribus, ſcilic. purpura, cocco bis tincto, hyacintho, & byſſo retorta, præcepitque fieri quinque columnas de lignis Sethim, ipſaſque auro veſtiri atque ipſarum capita mandavit fieri aurea, baſes æneas, velumque ante columnas appendi & duci.

Dic, quod iſtud tentorium intelligitur lex divina, vel etiam ſa-
G cra ſcriptura, quæ ſcilic. ex quatuor conſtat coloribus, eo quod quatuor exponitur intellectibus, quinque verò columnæ Patres veteris teſtamenti, & omnes Judæos deſignant, qui quinque librorum Moyſis doctrinam confitentur, & tenent, qui ſcilic. de lignis Sethim, id eſt, fortes & imputribiles fuerunt, & auro tecti dicuntur, pro eo, quod per ſapientiam ſplenduerunt. Iſti ergo ſunt, qui in introitu tabernaculi, id eſt, in principio Eccleſiæ militantis fuerunt tentoria, id eſt, legis divinæ ſuſtentatores, ſed pro certo modo ſunt ipſius improbi deſertores, quia ſcilicet Judæi primitus fuerunt boni, nunc verò mali & obſtinati ſunt facti, & propter hoc benè dicitur, quod iſtæ columnæ habuerunt capita aurea, id eſt, bonum principium & ingreſſum, baſes autem habuerunt æneas, in quantum habent reprobum terminum & egreſſum. Caput enim aureum in baſes æneas terminatur, quando, qui benè incipit, minus benè finit. Ideò Judæis poteſt dici illud Apoſtoli: *Sic ſtulti eſtis inſenſati*, Galat. 3. *ut cum ſpiritu cœperitis, carne conſummamini.*

Vel dic, quod quinque columnæ ſignificant Prælatos, vel prædicatores, qui ſcilic. quinque ſenſus corporales benè cohibent & regunt, quinque libros Moyſis ſpiritualiter intelligunt & exponunt, Chriſti quinque vulnera devotè meditantur & recolunt. Undè de Matathia, qui Chriſtum deſignabat, dicitur, *quod ipſe habebat quinque filios.* 1. Machab. 2. Iſti etiam columnæ dicuntur, pro eo, quod ipſi ad modum columnæ per ſtabilitatem firmi, per veritatem pleni, per juſtitiam recti, per patientiam tribulationum ſcripti, per exempla Sanctorum imaginibus picti eſſe tenentur, ut per eos alii in fide & moribus firmiter ſuſtententur. Pſal. 74. *Ego confirmavi columnas ejus.* Igitur dico, quod ante tabernaculum Eccleſiæ debent quinque columnæ, id eſt, Prælati & prædica-
H tores ſtare, & tentorium ſcripturæ, legis, vel etiam Dei ſuſtinere, ità, quod capita eorum, id eſt, principia debent eſſe aurea, ſcilicet per ſapientiam, baſes verò, id eſt, fines debent eſſe ærei, per doctrinam & eloquentiam. In principio enim eſt ſapientia colligenda, tandem verò doctrina & eloquentia eſt habenda. Aurum enim ſapientiam ſignificat, æs verò, quod ſonorum eſt, eloquentiam ſignificat, ſicut de ſtatua Nabuchodonoſor Dan. 2. dicitur, quod *caput habuerat aureum, ventrem verò habebat æreum.* Velum ergo in talibus columnis debet dependere, id eſt, innocentia & munditia, pro eo ſcilicet, quia prædicator & Prælatus tenentur præ aliis mundi, caſti, & innocentes eſſe. Undè Ezech. 72. *Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum.* Contrarium tamen, proh dolor, poteſt hodie dici de multis, juxta illud Matth. 27. *Velum templi*, id eſt, caſtitas, *ſciſſum eſt à ſummo uſque ad deorſum.*

Capitulum vigeſimum ſeptimum. Textus. Facies & altare de lignis Sethim.

Moralitatum Cap. XIX.

PRæcepit Dominus fieri altare holocauſtorum, ſcilic. prope ingreſſum tabernaculi ad orientem, in tantum, prout dicit Comeſtor, quod ſacrificantes poterant videre ad exteriora tabernaculi, ſcilicet uſque ad velum. Erat enim iſtud altare ad modum unius arcæ quadratæ factum, & quatuor ligneis parietibus, ſcilicet de lignis Sethim compoſitum, laminis æreis circumquaque veſtitum. Erat etiam quinque cubitorum in longum, & quinque cubitorum in latum, trium verò cubitorum interius concavum, inane, & vacuum, & non ſolidum, in quatuor angulis quatuor recurvis cornibus ex ipſo procedentibus inſignitum, & quatuor circulis æreis ex utraque parte, quibus vectibus impoſitis portaretur, ornatum. Infra verò erat craticula ferrea, quæ in medio pendebat. A parte verò orientis erat in altari feneſtrula, per quam ligna imponebantur, & ignis fiebat: quæ ſcilicet ſacrificia, id eſt, carnes impoſitas comburebat. Ignis etiam ibi jugiter ardebat. Et ſicut dicitur Lev. 6. *Sacerdos ipſum de lignis impoſitis per dies ſingulos nutriebat.*

Igitur dicamus moraliter, quod altare ſignificat virum juſtum, vel etiam cor & mentem ſeu conſcientiam viri juſti. Et
A primò quidem illud debet eſſe ante tabernaculum Paradiſi per contemplationem & affectionem. Debet eſſe de lignis Sethim incremabilibus & imputtribilibus per patientiam, per perſeverantiam, & per durationem. Debet eſſe factus ad modum arcæ per charitatem, capacitatem, & contentionem, quia ſcilicet charitas continet intra ſe Deum & proximum. Debet eſſe concavum per profundam humilitatem & ſubjectionem. Debet eſſe vacuum per ſpiritualem paupertatem, & terrenorum abdicationem. Debet eſſe non ſolidum per ſanctitatis præſumptionem, ſed potiùs inane per timorem, & per ſui ipſius judicium, ſcilicet quantum ad propriam reputationem. Debet eſſe laminis æreis veſtitum per ſonoram aliorum reprehenſionem, ac bonorum vocationem & prædicationem. Ad iſtud enim ſonare pertinet alios ad juſtitiam prædicando trahere & vocare, exemplo Philippi, qui vocavit Nathanaëlem, & Marthæ, quæ vocavit Mariam. Joan. 11. Undè Hier. 48. *Cor meum ad Moab quaſi fiſtula ærea ſonabit.* Iſtud altare quatuor debet habere cornua, id eſt, quatuor virtutum cardinalium laudem & gloriam, quæ ſcilicet ex eo debent eſſe procedentia, in quantum cornua ſuæ virtutis & gloriæ inſunt ei propter propriam juſtitiam, non propter hypocriſim aut fallaciam. Recurva debent eſſe, id eſt, in ſe reflexa per ſui reductionem ad propriam conſcientiam, id eſt, per omnis elationis repreſſionem & temperantiam. Quatuor debet habere annulos, id eſt, quatuor Evangeliorum doctrinam & ſcientiam, & ſic quadratum debet eſſe per ſtabilitatem & conſtantiam, quia revera cornua juſtorum, id eſt, gloria & honor eorum, de quibus in Pſ. 74. dicitur: *Exaltabuntur cornua juſti*: debent ab ipſo & à propria virtute & juſtitia procedere, & nunquam ad mundi laudem ſe extendere, ſed in ſe ipſam ad conſcientiam reflectere, & in ſeipſo quieſcere, & abſcondendo ſuam juſtitiam ſe curvare: decor n. tabernaculi erat ſub ſagis, & omnis gloria filiæ Regis ab intus. Undè dicitur Pſ. 71. *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris.* Undè illud Aug. in ſer. *Tunc unuſquiſque tantum in ſeipſo habebit gloriam, & non in altero.* Item iſtud altare debet habere craticulam ferream ad modum retis, id eſt, dolorem contritionis, quæ tamen debet ſuſpendi catenulis ſpei, veniæ, & remiſſionis. Debet habere feneſtram ab oriente, id eſt, aperturam fidei & diſcretionis, ut ſcilicet ibi recipiantur ligna bonæ doctrinæ & exemplaris alienæ converſationis, & ut ſic ibi accendatur ignis divinæ charitatis & dilectionis, & ut ſic ibi crementur & caſtigentur carnes cujuſcunque carnalis delectationis, homoque in altari proprii cordis de ſeipſo faciat holocauſtum ſpiritualis oblationis, de quo in Pſ. 50. dicitur. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Craticula enim, ſupra quam carnes aſ- B
ſantur, dolorem contritionis deſignat, quæ ad modum retis oculata dicitur, eò quod Pœnitentes quaſi ſpirituales feras involvit, & diſtrictè venatur & ligat. Hanc catenæ ſpei & divinæ miſericordiæ ſuſtinent, ne per deſperationem cadant, exemplo S. Laurentii, qui dicebat in craticula: *Deum non negavi.* Item neceſſe eſt, quod iſtud altare cordis habeat debitas dimenſiones virtutum, ut ſcilicet habeat quinque cubitos in longitudine, id eſt, quinque plagarum Chriſti memoriam & compaſſionem; quinque cubitos in latitudine, id eſt, quinque ſenſuum corporalium debitum regimen & cohibitionem; tres verò cubitos in latitudine, id eſt, Sanctæ Trinitatis fidem, vel Trium virtutum Theologicarum ordinem & perfectionem. Talibus ergò circumſtantiis debet eſſe ædificatum altare cordis noſtri, & talibus virtutibus præparatum, ut ibi fiat ſacrificium bonorum operum Deo gratum. Undè Gen. 35. *Ædificavit Jacob altare ibi Domino, appellavit nomen loci illius domus Dei.* In iſto ergo altari, id eſt, in corde & conſcientia viri juſti debet ignis charitatis perpetuò vivere, & nunquam ibi deficere. Quod ut meliùs fiat, Sacerdotes, & Prælati, & prædicatores debent ligna, id eſt, exempla & documenta, vel etiam ſubventionis & eleemoſynarum beneficia continuè miniſtrare, ut ſcilicet poſſint iſtum charitatis ignem in malorum cordibus enutrire. Lev. 6. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubjiciens ligna per ſingulos dies.* Et ſic vectes recti immittebantur ab utraque parte in angulis altaris, quibus portabatur altare; ſic verè juſtus debet habere duplicem vectem, id eſt, duplicem juſtitiæ rectitudinem, unam ſcil. ad præmiandum bonos, aliam ad puniendum malos, & hoc à dextris, & à ſiniſtris, id eſt, indifferenter, reſpectu divitum, & reſpectu pauperum, ſine acceptione perſonarum, ut ſic à miniſtris, id eſt, Angelis in cœlum faciliùs deferatur, quia revera iſti duo vectes, id eſt, duplex juſtitia, quando in annulis affectionum cordis inſeritur & radicatur, facit hominem in cœlum portari, & coram Deo ab Angelis præſentari, & etiam in præſentia Principum & Magnatum per famam & opinionem deferri, & in ſtatu ſuo debi- C
to ſine offendiculo ſuſtineri. Pſ. 90. *In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Lapidem dico, id eſt, ad damnationis duritiam.

Circa altare holocauſtorum erant multa inſtrumenta neceſſaria, ſcilicet vectes ad altare portandum, forcipes ad ignem præparandum, & faciendum ignium receptacula, ad ignem ad altare thymiamatis deferendum, lebetes ad cineres colligendum, fuſcinulæ ſeu tridentes ad carnes ſacrificiorum ſuper ignem regendum, & ordinandum, nec non ad eas de caldario extrahendum.

Sic verè circa altare cordis noſtri multa inſtrumenta ſpiritualia, id eſt, multæ virtutes neceſſariæ eſſe probantur. Et primò quidem forcipes, quæ ſignificant dolorem contritionis, quæ ſcilicet duo habet more forcipis brachia, in quantum dolet de commiſſione mali, & de omiſſione boni. Unum ergo clavum in medio, id eſt, ſpem veniæ ſeu propoſitum non reiterandi Hier. 17. *Duplici*

cori-

Digitized by Google

contritione contere eos Domine. Secundò debent ibi esse receptacula ignium, quæ significant memoriam charitatis Sanctorum Martyrum, & maximè S. Laurentii, & aliorum igne pro Deo combustorum. Vel etiam memoriam ignis, id est, passionis Christi & aliorum. Dicitur ibi tertiò, fuscinulæ seu tridentes, quæ significant virtutem divini timoris, & etiam exterioris carnis afflictionem, qui scil. timor & pœnitentia carnes, id est, carnis voluptates solent pungere, & eas de caldario concupiscentiæ extrahere, & in igne spiritualis contritionis concremare. Et etiam tres dentes habere dicitur, in quantum pœnitentiæ tres partes tenere probatur, scilicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem, quibus sicut quibusdam dentibus carnes, id est, carnales de caldario diaboli extrahuntur. Quartò necessariæ sunt lebetes, quæ significant memoriam mortis, quia scilicet cineres nostræ resolutionis debent per memoriam recolligi, & in loco mundo, id est, munda conscientia reponi. Quintò ibi sunt necessarii vectes ad ipsum altare portandum, scilicet spes æternæ salvationis, quæ scilicet, duplex est, in quantum, scilicet, necesse est sperare evasionem pœnæ inferni, & acquisitionem gloriæ Paradisi. Et sic si altare cordis nostri habet ista quinque instrumenta, scilicet dolorem & contritionem passionis Christi, & Sanctorum recordationem, pœnitentiam seu carnis macerationem, mortis nostræ considerationem, salutis futuræ spem & affectionem, dignè poterunt ibi sacrificia Spiritus contribulati offerri, & bona
D opera Domino immolari, & igne charitatis & Sancti Spiritus concremari. Ità quod tunc poterimus Domino dicere illud Psal. 25. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.*

Vel si vis, dic, quod altare est vir justus, ad immolationem bonorum operum spiritualiter Domino dedicatus, &c. per omnia, sicut supra.

Vel si vis, dic in malo, quod altare potest significare malum Principem, vel Prælatum, in quo, vel per quem carnes aliorum cremantur, & pœnis & afflictionibus affliguntur. Isti ergo habent multos subservientes sibi, & primò quidem forcipes, id est, pravos ballivos, qui non conantur, nisi ignem rapinarum, id est, exactionum & accusationum succendere. Alii verò sunt ignium receptacula, id est, judices vel minores, qui accusationes acceptas solent audire & recipere, & ad majores referre. Alii verò sunt sicut fuscinulæ, id est, mali determinatores, qui carnem, id est, subditorum substantias habent extrahere & rapere. Alii sunt sicut lebetes, scilicet notarii vel consiliarii, qui cineres habent servare, id est, memoriam accusationum habent inregistrare, ut non obstante punitione jam facta, possint, si necesse sit, alios propter hoc iterum impugnare. Finaliter autem veniunt alii, qui sunt sicut vectes, qui portant eos, id est, adulatores & mali Confessores, qui scilicet istos non solent corrigere, sed potiùs supportare, & mala facta eorum vel dissimulare vel commendare, & sic solent eos suaviter transducere ad infernum & deportare. Undè Zach. 5. *Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me, ut ædificetur ei locus in terra Sennaar.* Et sic igitur istud altare diaboli multis malis instrumentis instruitur, & à multis ac malis familiaribus frequentatur. Istud est ergo altare cornutum per superbiam; inane per vanam gloriam; vacuum per virtutum carentiam, æreum & sonorum per jactantiam & per impatientiam, igne repletum per avaritiam, carnibus comburendis aptatum per carnalem luxuriam, &c. Vide textum cap. præcedenti. Ideò de templo & altaribus, id est, de multis modernis Ecclesiæ ministris & multis malis Principibus potest dici illud March. 6. *Templum luxuria plenum erat & comessationibus, & altare illicitis, quæ lege prohibebantur, plenum erat.*

Vel dic, quod altare significat Ecclesiam, quæ debet habere quatuor angulos, quatuor cornua, &c. Pone omnia, quæ sunt supra cap. præcedenti. Et circa se debet habere instrumenta, id est, multarum personarum genera, scilicet, forcipes, id est, prædicatores, qui ignem charitatis habent facere in aliis ardere & lucere, qui habent duo brachia, id est, scientiam utriusque testamenti cum uno clavo, id est, consonantiam utriusque. Ignium receptacula sunt illi, qui ignem tribulationis Christi & Martyrum, ignemque infernalium turmentorum recolunt. Lebetes sunt illi, qui cineres propriæ mortis accendunt. Fuscinulæ sunt boni judices, qui carnes, id est, carnales & pungunt & extrahunt de caldario peccati. Vectes verò, qui omnia supportant, sunt Prælati, qui altare Ecclesiæ sustinent atque portant. Omnes autem isti debent esse ærei, id est, firmi & solidi, in quantum in bono semper perseverare debent. Undè Job. 72. *Nunquid cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimo quasi ære fundati sunt.* Talia ergo instrumenta, id est, tales personæ, debent altare Domini, id est, Ecclesiam frequentare, dicentes illud Psal. 24. *Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.*

Cum Dominus duo altaria fieri mandasset, scilicet altare holocausti & thymiamatis, primum exterius, ubi carnes immolabantur & cremabantur; secundum, scilicet infra tabernaculum, ubi incensum & thymiamata adolebantur, sic tamen fiebant, ut de altari exteriori portaretur ignis ad interius, ut ibidem adoleretur incensū.

Sic verè cum Dominus ordinaverit duo altaria, id est, duplicem Ecclesiam, scilicet militantem, ubi carnes nostras habemus per pœnitentiam comburere & affligere; & interiorem, quæ est, in tabernaculo Paradisi, id est, Ecclesiam triumphantem, ubi thus orationis & thymiama odore devotionis Domino offeruntur. Istud tamen verum est, quod ignis charitatis & dilectionis de exteriori transfertur ad interiorem, & de altari holocaustorum ad altare thymiamatum & odorosorum; quia scilicet *charitas* secundùm Apostolum 1. Cor. 13. *nunquam excidit*, imò illa eadem, quæ hic in cordibus fidelium incipit, ibi durat & perficitur, & quæ in Ecclesia militante nascitur, in triumphante completur. Et nota, si vis, quod multa fuerunt, quæ istam duplicem Ecclesiam significant, scilicet. Primò desertum & terra promissionis. Secundò tabernaculum in deserto laboris, & templum tandem factum F
in loco pacis & quietis. Tertiò ipsum tabernaculum significat utramque, videlicet, quantum ad duas suas partes, scilicet, sanctum, & Sanctum Sanctorum. Quartò duo altaria, sicut hic. Quintò atrium exterius, & tabernaculum interius, sicut hic patebit, & multa alia, &c.

Vel dic, quod talis dualitas significat duplicem statum Ecclesiæ militantis, scilicet statum laicorum, qui est altare exterius; & statum clericorum, qui est interius. Vel etiam duplicem Clericorum statum scilicet Clericos Sæculares, & Clericos Regulares.

Vel, dic, quod ista sunt duo mandata charitatis, vel etiam duo testamenta, quorum scilicet, unum est altero præstantius, & unum se habet ad proximum, sicut exterius, aliud ad Deum, sicut interius. De testamento etiam, vetus se habet sicut exterius & præcedens, quantum ad sensum literalem. Novum verò sicut interius & dignius & succedens, quantum ad intelligentiam spiritualem. Ista sunt etiam duo Cherubin, &c. Et breviter, sicut dicitur, Matth. 22. *In his duobus pendet tota lex & Prophetæ.*

Præcepit Dominus fieri atrium juxta tabernaculum ad meridiem centum cubitorum in longitudine, quadraginta cubitorum in latitudine, compositum scilicet, de tentoriis & columnis: Erant autem tentoria per circuitum de bysso retorta, quæ scilicet per circuitum super columnas stabant, & à summo quinque cubitis dependebant. In circuitu verò ab utroque latere centum cubitis, & ab utroque capite quinquaginta circumibant. Ab utroque latere viginti columnæ laminis argenteis coopertæ, capitibus argenteis cum cælaturis variis adornatæ, basib. autem æreis sustentatæ, & in altum quinque cubitis mensuratæ. In latum verò decem columnæ statuebantur, quatuor in introitu orientali cæteris præeminebant, in quibus quoddam velum de prædictis quatuor coloribus ponebatur.

Dic, si vis, quod atrium juxta tabernaculum significat religionem juxta Ecclesiæ Sanctæ sedem. Columnæ ejus significant Prælatos. Cortinæ verò seu tentoria significant subditos. Debent ergo istæ Cortinæ esse de byssо retorta, propter candorem & nitorem duplicis castitatis. Debent circumdare atrium religionis per officium bonæ sedulitatis. Debent dependere à columnis, id est, à Prælato per subjectionem omnis humilitatis. Debent habere quinque cubitos in altum, per quinque sensuum custodiam. Debent habere centum cubitos in longum, id est, perfectam perseverantiam. Debent habere quinquaginta cubitos in latum, id est, Jubilæi seu æternæ quietis spem & lætitiam. Ante verò inter eos debet esse velum depictum, id est, pictura totius honestatis, quæ quatuor colorum, id est, quatuor virtutum Cardinalium habet pulchritudinem & decentiam, quod de istis religiosis possit dici illud supra cap. præcedenti, ubi dicitur: *Facies Cortinas de byssо retorta, hyacintho & purpura, coccoque bis tincto variatas.* Columnæ autem istæ, scilicet Prælati, vel perfectiores & firmiores religiosi debent esse vestiti laminâ argenteâ per puræ intentionis nitorem, basi verò ærea per constantis firmitatis vigorem, quinque cubitorum altitudinis per quinque sensuum custodiam & tenorem, cælaturas etiam virtutum debent habere per bonorum exemplorum ostensionem & splendorem. Inter ipsos etiam Prælatos debent esse quatuor altiores, id est, aliqui aliis eminentiores & perfectiores. In quibus scilicet velum variatum, diversarum virtutum, id est, regula, lex, vel disciplinæ observantia debet principaliter pendere per omnimodam justitiam & rigorem, ut sic cuilibet tali columnæ, id est, cuilibet Prælato vel Ecclesiastico solido vel firmo dicatur illud Hier. 2. *Dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, & præliabuntur adversus te, & prævalere non poterunt.* In tabernaculo erant columnæ in tribus locis, id est, quatuor interiùs in Sanctuario, quæ sustinebant velum. Item quinque exteriùs in tabernaculi ostio, quæ sustinebant tentorium. Item sexaginta foris in atrio, quæ sustinebant Cortinarum byssinarum ambitum. Istud tamen adverte, quod primæ quatuor columnæ Sanctuarii, quæ erant quatuor, erant deauratæ cum capitibus aureis, & bases habebant argenteas. Secundæ, quæ erant columnæ Tabernaculi, quæ erant quinque, erant deauratæ cum capitibus aureis, & bases habebant æneas. Tertiæ columnæ atrii erant vestitæ argenteis laminis cum capitibus argenteis, & bases habebant æreas. Ubi advertendum, quod colum-

Digitized by Google

columnæ quantò erant in loco digniori & ſecretiori, tantò erant numero pauciores, ſed & tanto erant pretioſiores, quod patet, quia primæ columnæ Sanctuarii non fuerunt plus quatuor, Tabernaculi quinque, Atrii ſexaginta. Primæ tamen aurea capita &
H baſes argenteas; ſecundæ aurea capita ſed baſes æneas; Tertiæ capita cum laminis ſolum argentea & baſes æneas habebant. Igitur dicamus, quod columnæ ſignificant viros juſtos. Unde Apoc. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Sed pro certo ſecundùm quod ſunt tres locorum diſtinctiones, ſecundùm hoc ſunt iſtarum columnarum, ſcilicet juſtorum diverſæ conditiones, & ideo cum tria ſunt præcipuè juſtorum loca, ſcilicet Sanctuarium, i.e. paradiſus; tabernaculum exterius, id eſt, religio; atrium, id eſt, Eccleſia ſæcularis, conſtat, quod pauciores ſunt in primo, quàm in ſecundo & tertio, & in ſecundo, quam in tertio, quia ſcilicet in ſanctuario Paradiſi non ſunt, niſi quatuor, id eſt, niſi illi, qui quatuor Evangeliorum doctrinam tenuerunt, qui quatuor virtutes Cardinales habuerunt, & qui quatuor dotes corporis meruerunt, in tabernaculo perfectionis ſeu perfectæ Religionis ſunt plures, ſcilicet quinque omnes illi, qui quinque ſenſus debitè cohibere noverunt, vel qui quinque libros Moyſis ſpiritualiter impleverunt. Vel qui Chriſti quinque vulnera in memoria tenuerunt. In atrio autem Eccleſiæ ſunt ſexaginta, id eſt, generaliter omnes illi, qui ſexies decem habent, id eſt, qui ſex pietatis opera habent. Vel qui ſex diebus bonos labores ſuſtinent, etiam qui denarium decalogi bene vivendo complent. Iſtud igitur eſt verum, quod primi ſunt pretioſiores ſecundis & tertiis, & ſecundi tertiis, licet plures ſint tertii quàm ſecundi, & ſecundi etiam quàm primi, quia ſcilicet plures continet Eccleſia, quàm continet patria, & plures habet ſæcularium conditio etiam quam perfectionis religio. Eſ. 54. *Multi filii deſertæ magis, quàm ejus, quæ habet virum.* Et Matth. 20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

Sicut patet hic & in cap. præcedenti, fuerunt tria vela de quatuor coloribus precioſis facta, ſcilicet byſſo retorta, coc-
A co bis tincto, purpura, & hyacintho, ſcilicet unum, quod pendebat ante arcam Sanctuarii. Secundum, quod pendebat retro menſam & candelabrum, ſcilicet ad tabernaculi introitum. Tertium pendebat ſuper quatuor altas columnas ad atrii exterioris ingreſſum.

Sic verè cum Eccleſia militans habeat tres partes ſcilicet, ſanctuarium, tabernaculum, & atrium, id eſt, religionem, quæ debet eſſe ſanctuarium ſanctitatis cum arca clauſæ humilitatis, & altari divini cultus; orationis & bonitatis. Item Eccleſiam, quæ debet eſſe tabernaculum, quæ debet continere menſam pietatis & candelabrum doctrinæ & veritatis. Item ſæcularium ſtatum, qui debet eſſe atrium exterius, qui ſcilicet, debet habere columnam, id eſt, fidei firmitatem, & tentoria byſſina, id eſt, conſcientiæ & munditiæ puritatem. Illud tamen eſt verum, quod in quovis ſtatu, gradu & loco inveniuntur vela picta & coloribus precioſis conſcripta, id eſt, viri perfecti, quatuor Cardinalibus virtutibus adornati, quia ſcilicet, & apud religioſos & apud clericos, & apud laicos poſſunt vera quadricoloria reperiri, & viri virtuoſi honeſti quotidiè, intueri, ſicut patet, quia de quolibet ſtatu fuerunt Martyres & etiam Confeſſores, ſicut dicit Apoſtolus Roman. 3. *Nunquid Judæorum tantùm eſt Deus? Nonne & gentilium? imo etiam gentilium*, quaſi diceret, non poteſt unus ſtatus contra alium præſumere, quia ubique potens eſt Deus ſuam gratiam influere, & ſua vela quadricoloria ſeminare.

Vel dic, quod iſta tria ſignificant tres ſalvandorum ſtatus ſcilicet Continentes, Prælatos & Conjugatos, vel religioſos, doctores & laicos, &c. ſicut ſupra.

Vel dic, quod iſta tria, ſcilicet, Tabernaculum, Sanctum, & Sanctum ſanctorum, ſignificant tres ſalvandorum ſtatus, ſcilicet, ſtatum pœnitentiæ, ſtatum juſtitiæ, & ſtatum gloriæ, exemplo civitatis Hieruſalem, quæ primò fuit dicta Jebus, id eſt, conculcatio, quoad Eccleſiæ pœnitentes: tandem Salem, id eſt, pax Eccleſiæ, quoad juſtos: tandem Hieruſalem, id eſt, viſio pacis Eccleſiæ, quoad beatos. Et ſic quo ad iſta tria ſumunt aliqui illud Eſaiæ c. 30. *Si revertamini & quieſcatis, ſalvi eritis.* Reverti enim ſignificat pœnitentiam, quieſcere juſtitiam, in qua ſcilicet homo quieſcit à vitiis in conſcientiæ tranquillitate, ſalvatio autem ſignificat gloriam, ſalvi, inquit, eritis. Et ſi vis, dilata ſicut ſupra eodem modo.

Vel dic, quod iſta vela, quæ in introitu ſuper columnas ſtabant, ſignificant Prælatos, qui cuſtodiunt Eccleſiarum ingreſſum, in quantum ſcire debent, qui ingreditur, vel qui exit. Iſti ergo ſive in religione ſive in mundo, ſive Eccleſia debent eſſe virtutibus Cardinalibus decorati.

Nota, quod tabernaculum nullum habebat oſtium, immo ab oriente erat apertum, ubi pendebat unum coloratum velum.

B Sic verè Eccleſia, quæ non claudit gremium pœnitenti, ſemper ſe debet & intrantibus & redeuntibus & indigentibus aperire, & nulli beneficium vel miſericordiam denegare.

Vel dic, quod juſtus debet eſſe apertus ſacerdoti per confeſſionem, & pauperi per Eleemoſynam, hoſpitalitatem & compaſſionem, omnibus dans per nullam fictitiam involutionem, dicens illud Job. 31. *Foris non manſit peregrinus, viatori oſtium meum manifeſtè patuit.*

† Hic dicitur, quod in atrio, quantus erat paries aquilonaris, tantus erat auſtralis, in quo notatur, quod in Eccleſia debet eſſe nulla perſonarum acceptio, & quod tantum debet reputari, & ita bene promoveri pauper ut dives, ruſticus ut nobilis, &c. Item ſicut omnes columnæ atrii ejuſdem erant fabricæ vel ſchematis, etiam omnes tabulæ vel cortinæ, quia ſcilicet omnia, quæ erant in tabernaculo, inter ſe erant ſimilia & conformia in genere ſuo. Sic verè in tabernaculo Eccleſiæ illi, qui ſunt ejuſdem profeſſionis & gradus, debent eſſe ejuſdem conformitatis & ſtatus, ut ſcilicet in moribus & habitibus inter ſe conveniant, & omnia in unum concurrant. Unde in cap. præcedenti dicitur, quod una menſura erat ſagorum omnium. Et in Apoc. 25. dicitur, quod *latera civitatis erant æqualia*, quod tamen eſt hodie contra multos, qui ſcilicet tam in Eccleſia, quàm in religione aliis non curant eſſe in bono ſimiles, ſed magis in moribus & in geſtibus ſunt ipſis diſſimiles & difformes, & potiſſimè bonis perſonis, quæ eos in ſuis ſtatibus præceſſerunt. Contra quos dicitur Daniel 7. *Beſtia, quam vidi, diſſimilis eſt beſtiis, quas ante videram.*

Paxilli & omnia vaſa altaris erant ærea, dicitur hic. In quo & omnes paxilli, qui tabernaculum Eccleſiæ mediantibus charitatis funibus per ſtabilitatem firmant, id eſt, Prælati, vaſaque alia, id eſt, religioſi vel clerici debent eſſe ærei per confeſſionem, per prædicationem, & gratiarum actionem ſonori, &c.

Et nota, quod paxilli in tabernaculo erant neceſſarii ad ſuſpendendum & dilatandum ſeu extendendum, ad ſtabiliendum ſeu figendum. Sic verè prædicatores vel Prælati debent alios per contemplationem & ſpem cœleſtium ſurſum ſuſpendere, dicentes illud Apoſtoli Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt, quærite.* Eccleſiam augere & extendere, & etiam per charitatem dilatare & diffundere, dicentes illud Iſai. 54. *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende.* Debent etiam & Eccleſiam & perſonam figere; & in fide & in moribus confirmare, & ſtatum eorum ſpiritualiter & temporaliter ſolidare, dicentes illud: *Longos fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida.* Et de tali paxillo dicitur illud Iſa. 22. *Figatur paxillus in loco fideli*, q. d. talis paxillus debet eſſe in fide & in fidelitate fixus, ut alios melius figat & firmet. C

Per dominum dictum eſt Moyſi ſic: *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant mihi oleum olivarum puriſſimum, pilóque contuſum, & ardeat lucerna in tabernaculo meo jugiter extra velum, & collocabunt eam Aaron & filii ejus per dies ſingulos uſque mane. In veſpere autem accendebatur lucerna in tabernaculo, & per totam noctem ardebat & tabernaculum illuſtrabat. In mane verò adveniente lumine extinguebatur.*

Per oleum in ſacra ſcriptura intelligitur Eleemoſyna vel quodlibet opus pietatis, quia ſicut oleum aliis liquoribus ſupernatat, lapſos confortat, eſurientes cibat, lumini pabulum præſtat, tumores ſedat, pugnatores inungit, & ex amara radice olivæ ſurgit. Sic Eleemoſyna aliis bonis operibus ſupernatat, & prævalet, lapſos & eſurientes reficit & refovet, lumen boni exempli aliis præbet, tumorem alienæ ſuperbiæ contra ſe ſedat, & ad pugnandum contra diabolum ſummè juvat: dum tamen ex radice amara, id eſt, ex cordis dolore & compaſſione procedat, ut ſic homo prius mentem ſuper pauperem effundat, quàm manum ad ſubveniendum extendat. Dico igitur, quod Moyſes, id eſt, Prælatus vel prædicator debet præcipere filiis Iſraël, id eſt, Chriſti fidelibus, quod ipſi offerant oleum domino, id eſt, opera pietatis, & quod inde fiat lucerna bonorum exemplorum in tabernaculo Eccleſiæ militantis, quam ſcilicet Aaron & ſubditi ejus, id eſt, Eccleſiaſtici viri debent præcipuè accendere, & per Eleemoſynarum ſubventionem, quam faciunt, debent totum tabernaculum Eccleſiæ, lumine bonorum exemplorum decorare, & aliorum oculos illuſtrare, quia ſcilicet tempore nocturno, id eſt, in tempore tribulationis & paupertatis debet præcipuè fieri, quia ſcilicet, quando dies proſperitatis vel fertilitatis evenit, tunc poteſt illa lucerna intercipi & ſecludi, quouſque iterum noctem, id eſt, tempus neceſſitatis contigerit ſubinferri, quia ſcilicet, juſti debent in nocte, id eſt, in neceſſitatis tempore Eleemoſynas facere, de die verò, id eſt, quando non eſt neceſſe, poſſunt ſine periculo abſtinere. Unde prov. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.*

Vel dic, quod lucerna ejus ſignificat fidem, quæ vero ſole oriente extinguitur, quia fides evacuabitur lumine pateſcente, & à ſplendore veritatis, quæ erit in gloria, abſorbebitur. In nocte enim hujus vitæ neceſſaria eſt lucerna fidei. Tunc verò, cum æterna dies effulſerit, non erit neceſſe credere, ſed cuncta clara luce poterimus cognoſcere & videre, Eſa. 60. *Non erit tibi ſol amplius ad lucendum, nec ſplendor ignis illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, &c. Non occidet ultra ſol tuus, & luna tua minuetur.*

Hic venit notandum, quod mons oliveti antiquitus mons trium luminum vocabatur, pro eo quod ibi naſcebatur oleum, quo luminaria nutriuntur, & pro eo quod ibi refulgent luminaria templi, & pro eo quod ille mons ratione altitudinis à ſole plus cæteris illuminabatur. Sic verè tria lumina ſunt animæ neceſſaria, ſcilicet lux ſcientiæ, quæ per oleum, lux gratiæ, quæ per lumen templi, lux gloriæ, quæ per lumen ſolis notatur.

Capi-

Digitized by Google

Capitulum vigesimum octavum. Textus. Applica quoque ad te Aaron fratrem.

Moralitatum Cap. XX.

PRæceptum est Moysi, quod applicaret ad se Aaron & filios ejus de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungerentur. Num. 6. præcipitur, ut Levitæ de medio aliorum separentur & oblati Domino consecrentur.

E Sic aliqui sacerdotio habent fungi, & in statu religionis vel Ecclesiæ domino consecrari, & sibi specialiter dedicari, sicut est Aaron & filii ejus, & etiam omnes Levitæ. Hoc est dictum, quod Episcopi & clerici, & quicunque religiosi & Ecclesiastici, debent ante omnia separari de medio aliorum, per sanctæ vitæ singularitatem, & per præstantiorem sanctitatem & bonitatem, & etiam ad litteram per statûs & morum, & etiam per habitûs & gestûs & societatis difformitatem, quia scilicet isti debent aliis meliores esse, & sic se debent à communi via & vita aliorum separare. Unde Petro dictum est Joan. 21. *Diligis me plus his.* Matth. 5. Apostolis etiam dictum est: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Munera autem, quæ misit Jacob, leguntur fuisse de optimis frugibus terræ. Cantic. 6. *Lectulum* etiam *Salomonis ambuisse* leguntur *fortissimi de fortibus.* Sic isti sicut separantur de sæcularibus in status professione, ita & separentur in morum perfectione. Unde dicitur Nehemiæ 16. *Separamini de medio multitudinis.* Isti debent ad Moysen, id est, ad Prælatum superiorem applicari per examinationem, ut scilicet cognoscat istorum scientiam, vitam, & discretionem, & si digni sunt ascendere ad hujusmodi prælationem, quia scilicet illi, si essent lusci, mutilati, & malè formati, à sacerdotio repellebantur, & ideo applicabantur & examinabantur. Sic viri Ecclesiastici, si sunt in moribus malè formati, à ministerio beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum debent repelli, & ideo necesse est eos ad superiores applicari, & diligenter examinari, sed de eo latiùs Exod. 29. Unde *Aaron & filios ejus applica ad tabernaculi ostium.* Hic enim agitur de vestibus sacerdotum.

Veruntamen sicut dicit Comestor, & sicut elicitur ab hoc loco, minores sacerdotes & majores, quædam habebant communia, & quædam differentia vestimenta. Unde ait generaliter, quod omnes sacerdotes quatuor vestimentis utebantur. Quicunque enim sacerdos primò & ante omnia aquâ manus lavabat, deinde femoralia linea induebat, quibus immissis pedibus & strictis circa renes pudibunda celabat, quod quidem indumentum solum usque ad genua descendebat. Tandem verò induebatur tunicâ lineâ longâ usque ad talos protensâ, & corpori & brachiis adaptatâ. Postea verò habebat baltheum seu cingulum quatuor digitis latum, floribus purpureis, coccineis & hyacinthinis intextum, quo scilicet sacerdos cingebatur, & quo tunica linea, ne defluereț, stringebatur. Quartum verò indumentum erat tiara, quæ quasi medietatem capitis operiens, vittis erat undique circumstricta, & quodam byssino velamine usque ad barbam desuper cooperta. Istis ergo quatuor ornamentis sacerdotes minores induebantur, & quando ministrabant in tabernaculo, parabantur.

Revera isti possunt communitatem sacerdotum nostrorum, & generaliter omnium Ecclesiasticorum significare, quia pro certo isti debent & ante omnia femoralia linea, quibus genitalia tegebantur, id est, virtutem purissimæ castitatis habere, quæ scilicet, & renes, & genua & omnes actus venereos debet tegere & stringere, & ne turpitudo alicujus inhonestatis appareat, ante omnia debet castitas operire. Item isti debent habere tunicam lineam F longam exterioris honestatis, quæ usque ad pedes, id est, usque ad finem vitæ protendatur per perseverantiam continentiæ & longanimitatis, ut sic de ista duplici veste linea, femoralibus, & tunica, id est, interiori castitate & exteriori honestate & munditia dicatur illud Lev. 6. *Tunicâ lineâ vestietur sacerdos, femoralibus lineis verenda celabit.* Item isti debent habere baltheum seu cingulum picturatum, de quatuor pretiosis coloribus factum, & quatuor virtutum Cardinalium ligaturam, quibus scilicet, tota morum compago cingitur & ornatur, & inde, quidquid est superfluum, cohibetur, sicut patet. Justitia stringit iniquitatem, & fortitudo stringit laxitatem, prudentia stringit levitatem, temperantia stringit voluptatem. Et vide, supra de velo cui applicabuntur, quatuor colores. Unde dicitur Exod. 29. *Indues lineis tunicis, cingesque baltheo Aaron & liberos ejus.* Iste etiam balthicus quatuor virtutum dicitur esse mensura quatuor digitorum, in quantum debet inniti veritati quatuor Evangeliorum, vel in quantum per istas virtutes quatuor mensurantur & stringuntur superfluitates quatuor affectionum. Tandem mitra linea istis omnibus superminens, id est, tremor Dei in capite cordis & intentionis ponitur, ibiqui vittis charitatis stringitur, ut sit timor filialis, non servilis, & velamento byssino, scilicet, innocentiâ seu cordis munditiâ desuper premuntur, à quo ipsum caput intentionis ornatur. Timor enim aliis virtutibus supereminet, & ipsum caput cum sensibus, id est, ipsam mentem cum affectibus velat & cohibet, capillosque & cogitationes ne superfluant, manu tenet. Unde dicitur Eccl. 25. *Timor domini super omnia se suppositit.* Et Prov. 15. Et sic ergo dico, quod Ecclesiastici debent habere quatuor ornamenta, scilicet, castitatem pro femoralibus, honestatem pro tunica, quatuor virtutes Cardinales pro zona, timorem domini pro G mitra. Unde dicitur Exod. 29. *Impones eis mitras, eruntque sacerdotes mihi religione perpetua.*

Ultra indumenta præmissa, scilicet, femoralia, tunicam lineam, & baltheum, Anabarchus, id est, Summus Sacerdos plura habebat alia ornamenta, scilicet, tunicam hyacinthinam, quæ corpus usque ad pedes tegebat, quæque desuper capitium & in fine limbum seu oram fortem & contextam, quemadmodum (ut ait textus) *fieri solet, in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur*, habebat, ubi scilicet, tintinnabula aurea cum malis punicis, auro, quatuor coloribus contextis undique dependebant, quæ, Pontifice tabernaculum intrante & domino ministrante, sonitum dare debebant; Pontifex enim mortis periculum incurrebat, si sonus non audiretur in tabernaculo cum intrabat.

Sic verè dico, quod Episcopus vel sacerdos, vel quicunque in gradu Ecclesiastico constitutus, ultra femoralia castitatis, tunicam lineam innocentiæ & puritatis, baltheum seu cingulum charitatis, tiaram divini timoris & humilitatis etiam, tunicam hyacinthinam, id est, colore fulgidam & cœlestem conversationem habere curet, quæ scilicet, cœlestem colorem habeat, ut inter homines cœlicam vitam ducat. Apostolus Phili. 3. *Conversatio nostra in cœlis.* Quam scilicet, tunicam conversationis honestæ plura debent concomitari, scilicet, ora seu limbus fortiter contextus in extremitate. Hæc est virtus perseverantiæ, quæ scilicet, debet esse fortis & solida, & usque ad extremum vitæ protensa, ne scilicet, rumpatur nostræ perfectionis tunica. Unde dicitur Sap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter.* Item in ista tunica bonæ conversationis debent esse malogranata, id est, bona opera & exempla, auro sapientiæ & quatuor coloribus, id est, quatuor virtutibus Cardinalibus circumstantionata & picta, ut sic iste sit illa terra frumenti, vini & olei, in qua ficus & malogranata nascantur. Deut. 8. Item debent esse aurea tintinnabula, id est, aurea documenta & verba ad eruditionem aliorum sonum per prædicationem dantia, & ad Dei laudem & gratiarum actionem dulcitur modulantia, quia pro certo quicunque Ecclesiasticus & maximè Prælatus indignè tabernaculum Ecclesiæ ingreditur, nisi sonitus divinæ laudis & prædicationis apud eum audiatur, quinimo necesse est, quod mortem culpæ & pœnæ incurrat, qui sine tali sonitu judicium Dei conspectibus hominum administrat, Psal. 25. *Ut audiam vocem laudis tuæ, & enarrem universa mirabilia tua.* Igitur patet, quod tunica hyacinthina conversationis cœlestis debet habere limbum perseverantiæ & durationis, malogranata seu fructus bonæ operationis, sonitum divinæ laudis & prædicationis. H

Ultra præmissa habebat summus Pontifex tria specialia ornamenta, scilicet, superhumerale, rationale judicii, & cidarim seu mitram. Erat autem superhumerale quoddam paramentum humerorum Pontificis de auro, byssò retorta, cocco bis tincto, purpura & hyacintho contextum, annulis & catenulis aureis circumquaque munitum, & cum rationali judicii, quod erat ornamentum pectoris, colligatum. In isto ergo superhumerali duo erant lapides onychini, in quibus duodecim filiorum Israël nomina erant sculpta, & ibi secundùm ordinem primogenituræ suæ appositа & conscripta. Hoc autem fiebat, ut summus Pontifex memoriam filiorum Israël semper secum gereret, & ut Patriarcharum exempla imitari studeret, & ut populus videns patrum suorum nomina in humeris Pontificis, ad ipsorum virtutes imitandas totis viribus inhiaret. Rationale verò judicii erat pannus quadratus ad ornamentum pectoris ordinatus, quatuor coloribus prædictis & auro textus, & duodecim preciosis lapidibus insignitus, in quibus per quatuor ordines nomina duodecim filiorum Israël erant sculpta. Illud etiam ista duo vocabula, Judicium & Veritas, continebat, & cum superhumerali, quod erat retro super humeros, cum catenis & annulis aureis junctum erat.

Charissimi, per humeros in scriptura, pro eo quod ab eis dependet fortitudo brachiorum, significatur fortitudo & virtus bene operandi. Pectus, ubi est cor, significat limpitudinem bene cogitandi. Igitur per superhumerale ornamentum humerorum potest intelligi bona vita, & patientia, per rationale verò, potest intelligi bona scientia & doctrina, quia pro certo Sacerdos seu Pontifex vel Ecclesiasticus debet habere principaliter ista duo ornamenta, scilicet, patientiam ad sustinendum, seu virtutem ad bene operandum: & scientiam ad bene judicandum, ut sic in pectore sit scientia, judicium seu ratio: in humeris verò patientia & bonorum operum executio. Unde dicitur Num. 7. *Onera portent in propriis humeris.* Igitur ista duo debent constare de quinque, scilicet, de auro divinæ sapientiæ, de purpura justitiæ, de byssò temperantiæ, de cocco vel igne fortitudinis, & de hya- A

cintho

Digitized by Google

cintho veræ prudentiæ, quia revera iſtis quinque virtutibus debet ornari pectus, id eſt, ſacerdotis vita & patientia. Debent etiam iſta duo catenis & annulis ſibi jungi, id eſt, communi conſonantia & concordia; quia ſcilicet tunc rationale pectoris cum ſuperhumerali jungitur: quando conſcientia & vita, cogitatio & operatio, ſenſus & actus invicem concordantur, & quando tale bonum, quod ſcilicet ſcitur & docetur, opere perficitur. Juxta illud quod canitur: *Mens à vita non diſcordet: nam ſi vitam mens remordet, non eſt conſonantia.* Et proculdubio in ſuperhumerali ſunt duo lapides onychini: quia ſcilicet, bona vita conſiſtit in duobus, ſcilicet, in declinando à malo, & faciendo bonum. Onychinus autem lapis eſt ad modum unguis, qui eſt corporum extremitas, habens vivacem colorem: ad denotandum, quod iſta duo ad extremitatem vitæ per perſeverantiam debent durare, & nunquam deſiſtere vel ceſſare. Vel etiam ad denotandum, quod ad unguem & diſtinctè debent iſta duo ſervari, ſcilicet, bonum fieri, & à malo caveri: advertendum etiam, quod iſti duo lapides debebant includi auro, & auro mediante cum ſuperhumerali firmiter ſtabiliri: quia aurum divinæ Scripturæ debet iſta duo tenaciter conſtringere: ne poſſint per peccatum cadere vel perire. Pſal. 33. *Declina à malo & fac bonum: inquire pacem & perſequere eam.* Pacem dico i. e. perſeverantiæ ſtabilitatem. In rationali ſeu in ornamento pectoris duodecim erant lapides pretioſi: quia ſcilicet, in mente & ratione Pontificis debent inveniri duodecim articuli fidei: ibidem ſcilicet, ſculpti & tenaciter incluſi. Unde in Apoc. 12. *In capite ejus*, id eſt, in corde, *corona ſtellarum duodecim.* Et ſic fiet, quod Sacerdos vel Prælatus debet ſecum in pectore ſeu in corde portare nomina Patriarcharum, & memoriam Sanctorum patrum, ut eos imitetur, nominaque filiorum Iſrael, id eſt, ſubditorum, ut de eorum regimine curet: & pro eis ad Deum inclinetur. In humeris etiam ſuis, id eſt, in vita & converſatione debet Patriarcharum portare nomina, ſcilicet Sanctorum opera & exempla: ut ſic populo ſubdito exemplariter demonſtrentur: &
B imitanda etiam præſententur. Unde dicitur Apoc. 21. *Habebat portas duodecim & duodecim nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael.* Iſte n. in ſuo pectore ſeu in ſui pectoris ratione, debet habere iſta duo nomina ſcripta, ſcilicet judicium & veritas: ut ſcilicet ſemper habeat in corde judicium quantum ad proximum, veritatem quantum ad ſeipſum: Judicium, juſtè judicando: veritatem, rectè diſcernendo. Judicium, quo malum puniat: veritatem, quâ bonum eligat: ut ſic de tali Pontifice poſſit dici illud Pſ. 110. *Opera manuum ejus veritas & judicium.* Et ſic ergo breviter recapitula, quod ſacerdos Pontifex vel Prælatus debet habere rationale judicii, id eſt, rationẽ & diſcretionẽ: ut ſint ſcripta in ejus pectore veritas & judicium, quod etiam duodecim lapides habeat, id eſt, duodecim articulorum fidem, veritatem & cognitionem: qui & quatuor ordinibus, & quatuor coloribus incluſa ſint, id eſt, ut habeat quatuor Virtutum Cardinalium perfectionem, quod etiam annulos & catenam, id eſt, Charitatem & dilectionem habeat. Item iſte debet habere ſuperhumerale, id eſt, onus bonæ vitæ, quod ſuper humeros portatur: ubi ſint duo onychini, id eſt, boni factio, & mali declinatio: quæ principaliter mandantur, cum nominibus filiorum Iſrael, id eſt, cum bonis Sanctorum patrum exemplis, quæ imitanda aliis demonſtrantur. Et ſic dicetur illud Sapientiæ 18. quod *in veſte ſacerdotis ſcriptus erat totus orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta.*

Vel dic, quod onychinus, qui facit oculos tremulos, eſt timor vel conſideratio: quæ ſcilicet duplex eſſe percipitur, ut ſcilicet de amiſſione gloriæ, incurſioneque miſeriæ timeatur. Rationale etiam diſcretionem ſignificat, quæ ſcilicet duplex eſſe debet, pro eo quod Prælatus diſcretus in ſpiritualibus & temporalibus debet eſſe.

Rationale judicii, quod ornabat ſacerdotis pectus, duodecim lapides habebat: qui quatuor diſtinguebantur ordinibus, ſcilicet, ut
C in primo verſu haberet ſardium, topazium, & ſmaragdum: in ſecundo carbunculum, jaſpidem & ſapphyrum: in tertio ligurium, achatem, & amethyſtum; in quarto chryſolitum, onychinum, & beryllum. In iſtis ergo lapidibus nomina duodecim filiorum Iſrael ſculpebantur: & ibi ordinatè ſecundùm ætatis ſuæ ordinem ponebantur, ita quod primogeniti in primo verſu, & in prioribus lapidibus per ordinem locabantur.

Sacerdos iſte poteſt ſignificare Prælatum, qui revera tot habet pretioſorum lapidum genera, quot habet officia vel beneficia, & tot habet ſecum filios Iſrael, quot habet bonos ſubditos, & perfectos. Igitur cum iſte habet in veſtimento poſſeſſionum ſuarum iſtos ſuos lapides pretioſos, id eſt, iſta ſua beneficia diverſimodè diſtincta, oportet, quod in quatuor verſibus, id eſt, variis ordinibus ſint diviſa. Veruntamẽ illud debet eſſe verum, quod primogeniti, id eſt, ſeniores, prudentiores, & meliores filiorum Iſrael, id eſt, ſubditorum, debent in ipſo pectore & affectione Prælati primi ſedere, & in primis lapidibus ſculpi, & primis officiis & beneficiis aſſignari, & in primis honorum & dignitatum verſibus & gradibus collocari, ibique ſecundùm ordinem ætatis, & perfectionis, & virtutis, quam habent, priùs vel poſteriùs collocari. Heſter 1. *Bibebant omnes in aureis poculis, unuſquiſque ſecundùm ordinem ætatis ſuæ*, ſcilicet, quia illud debet eſſe verum, quod Prælatus in affectione & mente ſua debet primò & principaliter habere & proponere meliores, & eos etiam in dignitatibus & gradibus conſtituere priores, & facere potentiores.

Vel dic, quod quatuor ordines ſeu verſus in rationali ſeu in Pontificis pectore ſunt quatuor affectiones in quolibet juſti corde, videlicet, gaudium de præſenti merito ſeu bono, & dolor de præſenti vitio ſeu malo, ſpes de futuro præmio, & timor de futuro tormento. Duodecim lapides pretioſi ſunt duodecim virtutes, quæ ſc. in pectore & in mente cujuslibet debent eſſe, quæ ſecundùm dictos quatuor verſus, id eſt, ſecundùm quatuor affectiones prædictas ab invicem ſunt diſtinctæ. Igitur primus verſus, ſc. gaudium & lætitia ſpiritualis habet tres lapides, id eſt, tres Theologicas Virtutes, ſcilicet, ſardium, qui eſt Spes, quia ſardius pellit timorem; ſmaragdum, qui eſt Fides, quia ſcilicet ſmaragdus acuit viſûs ſplendorem; topazion, qui eſt Charitas, quia topazion excedit omnem valorem. Pſalm. 118. *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* Quaſi diceret: *Nihil in theſauris regum* (ſecundùm Plinium) *pretioſius reperitur.* De charitate etiam dicit Apoſtolus 1. Cor. 13. quod D *charitas omnia poteſt.* Secundus verſus, ſcilicet, dolor vel triſtitia pœnitentialis ſimiliter habet tres pretioſos particulares lapides, vel virtutes, videlicet, carbunculum, qui igneum habet colorem, hæc eſt contritio. Saphirum, qui (ſecundùm Dioſcoridem) oſtia clauſa aperit, hæc eſt confeſſio. Jaſpidem, qui ſanguinem, hoc eſt, voluptatem ſtringit, hæc eſt ſatisfactio ſeu abſtinentiæ maceratio. Contritio enim ſicut ignis urit, confeſſio oſtium oris & cordis aperit, & ſatisfactio vel afflictio voluptatem conſtringit. Tertius verſus, ſcilicet, ſpes, habet ſimiliter tres virtutes, ſcilicet, ligurium, quod fluxum ventris ſtringit, hæc eſt caſtitas ſeu munditia. Achatem, qui tempeſtatem avertit, & pericula vincit, & hæc eſt ſtabilitas vel patientia. Amethiſtum, qui hominem vigilem facit, & malam cogitationem tollit, hæc eſt contemplationis ſublimitas, & cæleſtium ſapientia, quia revera virtutem Spei debent concomitari cordis munditia, patientia, & cœleſtium contemplatio & notitia. Quartus verſus, ſcilicet, timor tormentorum debet ſimiliter habere tres virtutes, videlicet, chryſolithum, qui dæmones terret, hæc eſt humilitas. Onychinum, qui imagines more ſpeculi repræſentet, hæc eſt veritas. Beryllum, qui quantò plus pallet, tantò eſt melior, hæc eſt abſtinentiæ ſobrietas. Iſtos ergo duodecim lapides, id eſt, iſtas duodecim virtutes debet continere veſtis Pontificis, id eſt, converſatio & perfectio cujuslibet ſacerdotis. Iſtoſque debet in ſuo pectore gerere, ut poſſit exemplariter relucere. Et ſi vis, applica nomina Patriarcharum ſecundùm interpretationes ſuas ad nomina lapidum & virtutum. Ideo de talibus duodecim lapidibus dicitur in Apocalypſi 21. quod *murus civitatis*, id eſt, vir juſtus, *habeat duodecim fundamenta.*

Cidaris erat ornamentum capitis Pontificis; & erat facta de byſſo, ad modum pyramidis ſurſum erecta, in fronte autem erat lamina aurea ad modum Lunæ mediæ figurata, cujus cornua erant ſuperiùs elevata, quæ ſcilicet ſuper frontem Pontificis pendebat, & nomen Dei Tetragrammaton continebat. Illud poteſt allegari, quod quicunque Eccleſiaſticus, Pontifex vel, Sacerdos debet in capite cordis ſui habere duo ſpiritualia ornamenta, ſcilicet, vitam byſſinam, id eſt, conſcientiæ puritatem, & laminam auream, id eſt, ſapientiæ claritatem. Iſta verò mitra munditiæ ſurſum de- E bet per contemplationem intendere, & ab ipſo debet ipſa divinæ ſapientiæ lamina dependere, quæ videlicet nomen Dei, id eſt, reverentiam & timorem ipſius debet perpetuò continere, cornuaque elationis & gloriæ, ſi quæ habet, debet ſurſum in Deum reducere & levare. Pſ. 75. *Exaltabuntur cornua juſti.*

Capitulum vigeſimum nonum, Textus. Sed & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur.

Moralitatum Cap. XXI.

QUando ſacerdotes conſecrari debuerunt, præceptum eſt, quod ad Moyſen applicarentur, aquâ lavarentur, prædictis indumentis omnibus veſtirentur, &c. Nomina veſtimenta, ſicut ſupra, ſicut patet hic cap. 28. & Levit. 8. Si vis, dic ad litteram vel hiſtoriam.

Sic verè viri Eccleſiaſtici, ſi volunt Domino conſecrari, debent primò ad tabernaculum applicari per majorum examinationem, debent lavari per lachrymationem, debent tunicâ lineâ indui per innocentiam interiorem, debent habere femoralia per continentiam exteriorem, debent habere baltheum & penulas & vittas, id eſt, concordiam & unionem, & charitatem & dilectionem, & debent habere tunicam hyacinthinam, id eſt, cæleſtem converſationem, qui ſcilicet habet tintinnabula, id eſt, divinam laudem & orationem, confeſſionem, & gratiarum actionem. Item habere debent rationale, id eſt, prudentiam & diſcretionem, ſcilicet, quod habeat quinque colores, id eſt, quinque ſenſuum correctionem, & ſit duplex per ſpiritualium & temporalium circumſpectionem, & quadrata ſit per juſtitiam, & æqualem ſui, & aliorum menſuram communem, & habeat duodecim lapi-

Digitized by Google

lapides pretiosos, id est, duodecim articulorum fidem & cognitionem, & nomina filiorum Israël, id est, Sanctorum Patrum exempla & dicta & imitationem, & contineant judicium, & veritatem, & rationem. Item debent habere Superhumerale, id est, virtutem fortitudinis & constantiæ cum duplici onychino, qui facit oculos tremere, id est, cum duplici timore, culpæ scilicet & miseriæ, & cum nominibus filiorum Israël, id est, cum recordatione & compassione alienæ & fraternæ indigentiæ. Tandem ungatur oleo lætitiæ & unguento divinæ gratiæ per lenitatem & devotionem, aspergaturque vituli sanguine per Christi passionis recordationem, & sic erit Domino consecratus per sanctitatem & perfectionem, eritque dignus portare mitram, id est, habere honorem & prælationem, & laminam nomen Dei continentem, id est, spiritualem dedicationem. Post quæ poterit Dominus dicere illud Ezech. 16. *Lavi te aquâ, cinxi te byssо, calceavi te hyacintho, indui te subtilibus, vestivi te discoloribus, &c.* Oleum etiam gratiæ, lætitiæ & misericordiæ super istorum capita debebat poni: & hoc ritu debebant consecrari Domino, & ad ministrandum in tabernaculo, id est, in officiis Ecclesiæ, offerendumque carnem, & sanguinem, scilicet in sacramento altaris, poterunt domino dedicari, nunc per sacramentorum ministrationem, & post in cælo per latum fruitionis & longum tentionis. Ideo bene dicitur Exod. 29. *Cum lavaris eos aquâ, indues eos, vestimentis suis, oleumque sanctum infundes super caput ejus, & hoc ritu consecrabitur.*

Volens Dominus dedicare & consecrare sibi sacerdotes suos, præcepit occidi unum vitulum & duos arietes, & altaris cornua ipsorum sanguine tingi, Aaronque & filiorum aurem dexteram pollicemque pedis & manûs dextræ sanguine perfundi, & vestes eorum sanguine aspergi, & reliquum sanguinem juxta basim altaris effundi: ipse verò vitulus foris extra castra debebat cremari.

Sic verè Deus pater, quando voluit sacerdotes, id est, fideles specialiter sibi dedicari, fecit occidi Christum per Moysen, id est, per populum Judæorum, qui, scilicet Christus, dicitur vitulus singulariter, propter unitatem personæ. Dicitur etiam duplex aries propter biformitatem naturæ. Istum etiam voluit Dominus corporaliter occidi, & extra castra, id est, extra Hierusalem immolari. Igitur si Domino consecrari spiritualiter voluerimus, necesse est, quod sanguine passionis suæ per compassionem tinganur, & quod pollex pedis, id est, affectio, pollex manus, id est, operatio, extremum auris, id est, attentio, vestis exterior, id est, conversatio inde spiritualiter aspergantur, & quod iste sanguis, id est, ista sanguinis compassio, super cornua altaris, id est, super affectiones & desideria cordis, vel super basim ipsius, id est, super subditos & inferiores generaliter effundatur. Sic enim erimus Domino consecrati, & ad ministrandum sibi in Ecclesia, seu ad immolationem bonorum operum digni facti. Ideo bene scribitur Hebr. 9. quod *sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.*

Capitulum trigesimum. Textus. Facies quoque altare ad adolendum thymiama.

Moralitatum Cap. XXII.

PRæcepit Dominus fieri altare thymiamatis seu incensi de lignis Sethim ex auro mundissimo: uno cubito longum latumque, & sic in omnem partem quadratum, in altitudine tamen duobus cubitis mensuratum. Habebat illud altare quatuor cornua, craticulam auream in medio, & in circuitu coronam auream seu labium possidebat. Illudque in sanctuario latebat, & desuper sacerdos thymiama seu thus singulis diebus mane & vespere offerebat, quandoque etiam cum sanguine ad hoc altare intrabat, & cornua ejus sanguine contingebat, scilicet, semel in anno, sicut dicitur Levit. 16. in fine.

Dic, quod istud altare est homo justus, & maximè religiosus, qui de lignis Sethim, id est, imputribilis per perseverantiam debet esse, & auro sapientiæ coopertus, sanctitateque & sapientiâ totus clarus. Igitur iste debet esse quadratus per constantiam, longus per fidem, latus per charitatem, & altus per spem, & quatuor habens cornua, scilicet, quatuor virtutum Cardinalium opulentiam, aureolam, scilicet, in medio, id est inflammatam, & ardentem conscientiam, coronam desuper, id est, futuræ retributionis confidentiam. Iste ergo debet esse in sanctuario paradisi per bonam affectionem & contemplationem, in seipso debet offerre thymiama & thus, id est, devotionem & orationem, & quandoque etiam sanguinem, id est, divini sanguinis compassionem, & suæ passionis recordationem. Sic enim erit altare Domini & ara spiritualis Domini Dei nostri. Si vis dilatare, vide supra de altari holocausti cap. 27. & dic si vis, quod altare significat cor, &c. Vide ibi.

Vel dic, quod istud altare, quod erat absconditum in sanctuario, significat beatos, qui sunt in paradiso: qui, scilicet, sunt ignei, clari & spectabiles, sethinei, imputribiles, immortales, qui habent triplicem dimensionem, seu, tres animæ dotes, scilicet, latum visionis, altum fruitionis, longum tentionis habent.

Item quatuor cornua, id est, quatuor corporis dotes, scilicet, agilitatem, claritatem, subtilitaem, impassibilitatem. Illud ergo altare thymiamatis dicitur, quia sancti æternæ gloriæ odoribus recreantur.

Præcepit Dominus hic & cap. 38. fieri lavacrũ seu lavatorium in ingressũ tabernaculi de speculis mulierum, quæ ante fores tabernaculi excubabant, quod intellexit Comestor, quod specula circumquaque illi lavatorio æreo erant inserta, ut dum sacerdotes se lavarent, possent videre, si forte haberent in facie aliquid inhonestum. Erat ergo illud labium æreum, in quo scilicet, sacerdotes sacrificia oblaturi, & manus pedesque ante tabernaculum fœderis ingressum lavabant.

Revera illud labium sacram scripturam significat, quia scilicet de speculis mulierum ante tabernaculum excubantium, id est, de sententiis sanctarum animarum seu personarum nunc in paradiso quiescentium constat: quia pro certo ista est quoddam lavatorium, ubi quilibet potest maculas defectuum suorum specialiter cognoscere, & eas mundare & abstergere, nullatenusque debet ad altare accedere, nec in Ecclesiæ tabernaculum subintrare, nisi primò ibi studuerit se lavare.

Vel dic, quod illud lavatorium significat pœnitentiam seu etiam lachrymationem, seu cordis compunctionem, quia scilicet quando quis intrare vult ad altare Dei, seu ad sacramentum altaris, aut etiam ad secretarium cordis sui per devotionem, vel etiam ad tabernaculum paradisi per contemplationem, vel ad tabernaculum Ecclesiæ per promotionem, pro certo lavacro lacrymarum ante omnia se debet lavare, & in speculis bonorum exemplorum se debet videre per compunctionem, & sui ipsius considerationem, juxta illud Psal. 25. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum domine*: Et, sicut secundùm Comestorem tria erant lavatoria ante tabernaculum, scilicet, unum sacerdotum, & aliud virorum, & aliud mulierum, sic verè etiam in Ecclesia tria sunt genera lacrymarum, scilicet unum, quod est mulierum, id est, imperfectorum & incipientium: quod fit ex timore pœnæ. Aliud quod est virorum, id est, proficientium, quod fit ex culpæ commissæ dolore. Aliud, quod est sacerdotum, id est, hominum perfectorum, quod fit ex sponsi amore, & ex præmii desiderio & ardore, nec non ex incolatus prolongatione & languore, Psal. 115. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Sicut etiam ponit: iste sacerdos tabernaculum ingrediens nudis & lotis pedibus subintrabat, ad denotandum, quod Ecclesiastici debent calceamenta temporalium bonorum de pedibus affectionum deponere, & se per pœnitentiam abluere, ut sic possint in isto tabernaculo dignè servire. Unde Jos. 5. *Tolle calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.*

Dominus præcepit ut populus (quando ipsum numerari contingit) daret precium pro animabus suis, scilicet medium sicli is, qui ad nomen transibat, & sic ipsos à plaga salvandos permittebat. vide Num. 3. Quod quia non fecit David, magna pars populi numerati periit.

Per numerum in scriptura intelligitur prædestinatio divina & suæ dispositio voluntatis. Unde dicitur Matt. 10. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Et vide, quod in scriptura mali non dicantur in numero contenti. Psal. 39. *Multiplicati sunt super numerum.* Eccl. 1. *Stultorum infinitus est numerus.* Econtra de justis dicitur Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt*, id est, nominati *inter filios Dei.* Igitur dico, quod omnes illi, qui à Deo sunt nominati, id est, electi & prædestinati, debent pretium bonorum operum pro animabus suis solvere, & dimidium sicli, quod constat ex decem obolis, quia siclus viginti obolos habet, id est, decem mandatorum legis impletionem debet pro pretio animæ suæ dare: ut sic ipsum velit Dominus à plaga damnationis perpetuæ liberare & salvare.

Sicut hic dicitur, Dominus præcepit Moysi oleum unctionis fieri ad sacerdotes unguendum, & tabernaculum consecrandum, scilicet de myrrha prima & electa, calamo, cinnamomo, cassia & oleo olivarum, & voluit, quod nullus alius tale unguentum faceret, quodque caro humana se tali unguento non ungeret, sed pro tabernaculo, arca vel altari, Aaron & filiis suis ungendis & consecrandis ipsum attentiùs custodiret.

Revera tale unguentum est devotio, quia scilicet constat ex myrrha amaræ contritionis, ex calamo affabilis orationis Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ.* Ex cinnamomo odorosæ, & famosæ vaporationis, & opinionis. Unde dicitur Eccli. 24. *Sicut cinnamomum aromatizans odorem dedi.* Ex cassia, quæ secundùm Plinium confert pectori ardorem charitatis & dilectionis, & ex oleo pietatis & compassionis, Ps. 44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis.* Qui enim istas species habuerit, scilicet, compassionem, dilectionem, & famosam opinionem, orationem & amaram contritionem, ipse pro certo poterit in corde suo unguentum devotionis conficere, quo tabernaculum mentis valebit, inungere, & sacerdotem cum suis filiis, id est, orationem cum operibus suis bonis potcrit domino consecrare. Unde dicitur. *Unguento & variis odoribus delectatur cor.*

Digitized by Google

Vel dic, quod unguentum illud significat perfectionem divinæ doctrinæ, quà pro certo caro humana, id est, carnalium vel sæcularium vita non est per adulationem ungenda, sed in usus Tabernaculi, in utilitatem Ecclesiæ, & laudem Dei & Sanctorum est solummodò exponenda.

Vel dic, quod unguentum devotionis & divinæ gratiæ non est cujuslibet volentis, sed quibus datum fuerit desuper. Sacerdotes enim, tabernaculum, & vasa, id est, viri sancti tali unguento unguntur, alii vero ad hoc nullatenus admittuntur.

Præcepit dominus fieri thymiama odoris suavissimi de diversis aromaticis speciebus, scilicet stacte, thure, onycha, galbano, mandans omnia in pulverem redigi, & exinde incensum sibi fieri, ipsumque sibi super altare aureum in sanctuario offerri, & noluit quod talis incensatio, talis pulvis, in usus humanos cederet, quinimo præcepit, quod quicunque tali odore delectari vellet, de suo populo deperiret.

Per incensum intelligitur oratio vel divini cultus exhibitio, quam scilicet sibi Dominus specialiter vult reservari, & nulli alteri communicari, Isa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* Non vult ergo, quod humana caro, id est, quicunque homo mortalis, tali incenso, id est, cultu divino sibi exhibito utatur, nec in eo quomodolibet delectetur, quemadmodum fecit Alexander, qui fecit se Deum adorari, & Cajus Cæsar, qui statuæ suæ fecit thurificari, quia revera omnis talis meritò perit, ipsumque Deus destruit & confundit, exemplo Herodis, de quo dicitur Act. 21. quod continuante populo, & sibi *voces Dei & non hominis* acclamante, id est, laudes divinas sibi dicente, & eo in talibus gloriante, percussit eum Angelus Domini, & consumptus à vermibus expiravit. Adverte autem, quod illud incensum orationis & Latriæ constare debet ex thure, cujus fumus sursum ascendit, id est, ex contemplatione, ex galbano, cujus gutta igneæ est naturæ, id est, ex ferventi delectatione, ex stacte, quæ idem est, quod myrrha electa, id est, ex amara consideratione & contritione, & onycha; quæ secundùm Comestorem est ostreola modica, ad similitudinem humani unguis, quæ scilicet est corporis extremitas, id est, ex perseverantiæ continuatione, juxta illud Apostoli 1. Thes. 5. *Semper & sine intermissione orate.* Et sic de tali thymiamate dicetur illud Ecclesiast. 38. *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis.* Et bene dicitur, Suavitatis, quia verè talis oratio Domino est suavis.

Capitulum trigesimum secundum. Textus. Videns autem populus, quod moram faceret Moyses.

Moralitatum Cap. XXIII.

CUm Moyses esset in monte à Domino legem accepturus, ibique quadraginta diebus & noctibus jejunasset, videns populus, quod non redibat, petiit ab Aaron, quod faceret sibi Deos, qui scilicet eos præcederent in deserto. Acceptis ergo inauribus mulierum & liberorum projecit in ignem, & secundùm quosdam opere diabolico, vitulus conflatilis, vel saltem caput vituli in igne formabatur. Quod videns populus, ipsum adorat, & lætatur, & lusibus & conviviis delectatur. *Sedit, inquit, populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Moyses ergo populum videns idololatrasse, & suis vestibus nudatum esse, vitulum in pulverem comminuit, & in aquis impositum ut populus bibere & præcepit. Et secundùm Comestorem statim in barbis virorum, qui principaliùs rei erant, signum suæ idololatriæ apparuit, propter quod Moyses vocatis Levitis, ipsos ad occidendos fratres suos, scilicet istos, qui miraculosè signum idololatriæ suæ portabant, misit: Ponat, inquit, vir gladium super femur, & transeat per medium castrorum, & occidat fratrem & amicum suum, &c. Isti ergo propriis amicis & fratribus non parcentes, eos occiderunt, & sic crimen idololatriæ vindicaverunt.

Per istum vitulum, moraliter loquendo, intelligitur peccarum luxuriæ, quia scilicet vitulus animal est lascivum. Per Moysen intelligitur Prælatus superior, per fornacem intelligitur diabolica tentatio, per inaures mulierum intelliguntur imaginationes & oblectamina fœminarum. Ergo dico, quod cum Moyses, id est, Prælatus bonus est absens, ita quod per quadraginta dies, id est, magna tempora moratur, quod non visitat plebem suam, revera sæpe fit, quod populus subditorum convertit se ad Deos alienos, id est, ad vitia & peccata, ipsosque adorat & diligit, & cultum Domini derelinquit. Constat enim, quod absentia bonorum Prælatorum, dato, quod ex causa legitima sint absentes, tamen est sæpissimè causa criminis subditorum, quia nec iste populus vitulum adorasset, si semper Moyses præsens fuisset. Tunc enim maxime diabolus in fornace tentationis ex inauribus, id est, mulierum tentationibus, vitulum, id est, peccatum luxuriæ eis conflat, quem scilicet populus libenter adorat, ita quod ludis & conviviis vacat, & virtutum vestibus se denudat. Quia revera, qui luxuriæ famulatur & servit, libenter conviviis & ludis intendit, & virtutum & honestatis vestimenta relinquit, suasque ignominias propalat, & faciliter etiam ostendit: unde ipsa luxuria potest ipsi dicere luxurioso illud Hieremiæ 13. *Nudavi femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua, adulteria, & hinnitus tuus, & scelus fornicationis tuæ.* Moyses ergo, id est, Prælatus rediens, & subditum in absentia deliquisse videns, solet vitulum, id est, peccatum luxuriæ vilipendere, pulverizare, & etiam viliùs pulvere demonstrare, populumque debet ad aquam, id est, ad potum lacrymarum invitare, & sic facere, quod in barbis eorum, id est, in exteriori apparentia possit eorum peccatum, scilicet per pœnitentiam & displicentiam apparere, & sic debet Levitas, id est, prædicatores mittere, qui fratres suos, qui deliquerunt, gladio verbi Dei percutiant, & carnem, id est, carnalitatem in eis occidant, ut possint spiritum suscitare. Isti etiam Levitæ, id est, prædicatores, nulli omnino debent parcere, nec fratrem aut amicum palpare, sed omnes, in quibus signum peccari viderunt, debent arguere vel punire. Unde Ezechiel. 9. *Transite per civitatem sequentes eum, & percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentem, virginem, parvulum, & mulieres interficite.*

Vel dic, quod ubi de fide agitur, nullus etiam debet propinquis indulgere, sed pro fide zelare, & pro justitia dimicare.

Vel dic, quod aqua significat mundi scientias, quæ scilicet pulverem vituli, id est, avaritiam, & elationem superbiæ secum portant. Pulvis enim avaritiam, vitulus verò superbiam significat. Illi ergo, qui talibus aquis, id est, mundi scientiis inebriantur, statim eorum barbæ, id est, eorum prudentia signo superbiæ consignatur, quapropter à fratribus suis, id est, ab Angelis in judicio finaliter occidentur.

Capitulum trigesimum quartum. Textus. Ac deinceps, præcide, ait, tibi duas tabulas.

Moralitatum Cap. XXIV.

CUm Moyses ascendisset in montem ad Dominum, & legem ab eo suscepisset, & tandem ad populum descenderet, tanta gloria in vultu suo apparuit, quod populus ipsum respicere non valebat, quinimo facies ejus cornuta erat ex consortio Domini, quod tamen ipse Moyses ignorabat. Radii enim splendoris de vultu ipsius emicabant, qui cornutam similitudinem prætendebant. Quapropter Moyses velamen ante faciem suam posuit, cum populo loquebatur, ne scilicet tam mirabili claritate intuentium facies læderentur, sicut dicitur Exod. 34.

Si vis, dic, quod illud accidit quandoque, loquendo spiritualiter, Moysi, qui interpretatur assumptus de aqua, id est, illis, qui de aquis mundanæ fluxibilitatis ad religionem vel Ecclesiam assumuntur, scilicet viris perfectis & religiosis. Quia revera sæpe fit, quod montem contemplationis ascendunt, & cum Deo consortium & familiaritatem contrahunt, & quendam splendorem altæ & honestæ conversationis exinde suscipiunt, & acquirunt, propter quod ita fit, quod populi, id est, sæculares in valle sæculi remanentes, talem splendorem insolitæ conversationis respicere non possunt, sed potiùs ipsos cornutos, id est, superbos & elatos, hypocritas & superstitiosos esse credunt, quamvis in veritate ipsi cornua superbiæ non habeant, nec se cornutos æstiment seu credant, imo sine superbia radios virtutum de se ejiciant & emittant. Quia pro certo illud est verum, quod bonus religiosus & humilis quandoque superbus creditur, quando virtuosè & singulariter conversatur, sicut de Joanne Baptista dicebatur, ubi dicitur Matth. 11. *Venit Joannes non manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet.* Quid ergo? Pro certo talis Moyses, id est, talis vir perfectus ad evitandum mala, & malorum judicia, debet splendorem conversationis & virtutum suarum abscondere, seque pallio cujusdam affabilis exterioris vitæ induere, ut sic possit se aliis conformare, & splendorem suæ sanctitatis abscondere vel velare, dicens de talibus malè judicantibus illud Deut. 32. *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo eorum novissima.*

Vel dic, quod multi sunt sicut Moyses, qui scilicet, quando ascendunt in montem contemplationis, & divinum consortium se sentiunt per devotionem habuisse, solent cornuti effici, & superbi, in tantum, quod alios solent contemnere, & se sanctos præ aliis reputare, & pallio pompæ exterioris vultum suum operire. Alii igitur tales non solent libenter respicere, sed eos potius abhorrere.

Vel dic, quod Moyses significat legem, quæ scilicet, duo cornua, id est, duo testamenta continet, quæ tamen populus Judæorum non videt, quinimo gloriam & ministerium legis videre non potuit, sed potiùs incredulitatis velamine se vestivit. Unde Apostolus: *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super corda eorum.* 2. Cor. 3.

Moyses legitur habuisse faciem splendidam, & præ splendore cornutam, manum tamen legitur habuisse leprosam Exod. 4.

Sic verè hypocritæ faciem conversationis habent splendidam & honestam, & præ splendore conversationis, quam habent

Digitized by Google

bent,cornua ſuperbiæ prætendentem, & alios etiam ſuperbè contemnentem,alios verò protervè cornibus ferientem,& tamen conſtat,quod manum operationis habent leproſam, & impiam, & immundam, ſicut patet ad literam de multis malis Eccleſiaſticis, & aliis,qui quantò ſunt in facie, id eſt, in apparentia pulchriores, vel in mente, quoad ſcientiam, clariores, tantò ſunt in manibus, id eſt,in operationibus turpiores. Unde dicitur Geneſis 27. *Vox quidem vox Jacob eſt,ſed manus, manus ſunt Eſau.*

Capitulum quadrageſimum. Textus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Menſe primo.

Moralitatum Cap. XXV.

EXod. 40. dicitur, quod tabernaculum erigeretur, quodque unctionis oleo ungeretur. Poſuit ergo Moyſes in erecto tabernaculo arcam cum propitiatorio, & duobus Cherubin, & altare incenſi,velum & candelabrum luminis,& menſam propoſitionis. Ante tabernaculum verò poſuit labium cum aqua, altare cum igne, atrium cum tentoriis & columnis. Quibus factis, operuit nubes tabernaculum, & gloria Domini implevit illud.

Dic, quod tabernaculum eſt anima beata, quam ſcilicet, poſtquam eſt completa virtutibus, Moyſes,id eſt, Deus ipſam in cœlo erigit, & oleo perpetuæ conſolationis inungit. Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Igitur iſti adjungitur altare, id eſt, Chriſtus: arca,id eſt, Beata Virgo; Cherubin, id eſt,Angeli: propitiatorium,id eſt,Dei miſeratio: velum, id eſt, Dei protectio: candelabrum,id eſt, Dei cognitio: menſa, id eſt, beata fruitio: lavatorium, id eſt, perpetua refrigeratio: altare cum igne, id eſt, fervens dilectio: tentorium ſeu atrium, id eſt, æterna manſio & habitatio.

Vel dic, quod tabernaculum eſt homo juſtus, ubi eſt arca profundæ humilitatis, propitiatorium pietatis, altare incenſi orationis, Cherubin contemplationis; candelabrum diſcretionis; menſa eleemoſynæ & fraternæ compaſſionis, lavatorium contritionis & confeſſionis, atrium hoſpitalitatis, columna conſtantiæ & firmitatis,&c. ſicut ſupra.

Vel dic, quod tabernaculum eſt Eccleſia, ubi ſcilicet eſt arca, id eſt,boni Prælati,tabulis legis, virgâ juſtitiæ, & Manna devotio-
H nis repleti, & propitiatorio miſerationis operti. Altare incenſi homines devoti, Cherubin homines ſcientifici, candelabrum viri luminoſi, & menſa viri pii pauperum nutritivi, lavatorium, id eſt, confeſſores,altare holocauſti, ubi carnes cremabantur, id eſt, pœnitentes, atrium, id eſt, alios hoſpitantes. Tale ergo tabernaculum,id eſt, talis perſona ſancta & perfecta à Moyſe, id eſt, à Deo vel Prælato meretur per promotionem temporalem & æternam erigi, & oleo conſolationis ungi, & per honorem & reverentiam coli, ita quod gloria Domini talem implebit, & iſta mediante aliis apparebit, ita quod de eodem dici poterit illud Apocal. 12. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.*

Libri Exodi Moralitatum finis.

MORALITATUM LIBER TERtius ſuper Leviticum.

Capitulum Primum. Textus. Vocavit autem Moyſen,& locutus eſt ei Dominus de tabernaculo teſtimonii dicens: Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus.

Moralitatum Cap. I.

LIBER Leviticus agit de ſacrificiis & holocauſtis. Holocauſtum autem dicebatur antiquitus ſacrificium illud, quod totum offerebatur, ita quod nihil ſacerdotibus relinquebatur, aut dividebatur. Debebat ergo eſſe animal mundum, &
A ſine macula corporis qualicunque, ſcilicet non cœcum, non fractum, non impetiginoſum &c. ſicut infra. Debebatque ante omnia Sacerdoti offerri, pelle ſua excoriari, per membra debebat dividi, & ipſa membra cum capite, pedibus, cauda, & inteſtinis debebant lavari, & tandem ſuper altari cremari.

Per tale holocauſtum, quod dicitur ab ὅλον, quod eſt totum, & καῦμα incendium, quaſi totum incenſum, poſſunt intelligi illi, qui ſe Deo totos offerunt, & qui de propria voluntate ſua nihil ſibi retinent, ſed totum cor & corpus Deo tribuunt,& committunt, ſicut ad literam ſunt boni religioſi, & perfecti, qui revera primò debent eſſe mundi per puram intentionem, nullam prorſus ſub vellere converſationis habentes maculam, id eſt, hypocriſim vel infectionem, & tales debent offerri ſacerdoti per peccatorum ſuorum confeſſionem. Pellem debent deponere, id eſt,omnem malam præcedentem converſationem; & membra ſua, id eſt,membra ſuæ vitæ debent concidere & dividere per conſiderationem & contritionem, & per omnium membrorum ſuorum occupationem, omnia debent lavare, & putificare per lachrymoſam compunctionem, caput cogitationis, pedes affectionis, inteſtina delectationis, caudam mali propoſiti & durationis debent adjungere, & omnia à peccati ſorde lavare & abſtergere, & cuncta ſuper cordis altare per charitatem Domino concremare. Holocauſtum enim Domino in odorem ſuavitatis redditur, quando tota vita hominis in altari religionis per pœnitentiam Domino dedicatur,& quando ſibi nihil retinet, ſed per manum ſacerdotis, id eſt,Prælati, ſe Deo totaliter dedicat, Pſalm. 65. *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boves cum hircis.*

Vel dic, ſicut hic dicitur, oblato animali ſacerdotibus, ipſi Sacerdotes debent manum ſuper caput hoſtiæ imponere, ſanguinem fundere, pellem detrahere, artus in fruſta concidere, & ſuper ſtruem lignorum omnia Domino concremare, &c. ſicut ſupra. Sic verè quando quis ſe offert Sacerdoti, ut manum per abſtentionem ſibi imponat, utpote quando venit ad confeſſionem, procul dubio Sacerdos ante omnia debet facere, quod ſanguis, id eſt, peccatum per confeſſionem fundatur, quod pellis, id eſt, omnis excuſatio tollatur, quod omnia membra peccati ſcindantur & dividantur, & diſtinctim inveſtigentur, quod ſuper ligna, id eſt, ſuper crucis memoriam, vel ſuper ſanctorum exempla homo conſtituatur, & quod caput intentionis, pedes affectionis, inteſtinum interioris delectationis emundetur, & hic totus Domino totaliter offeratur, & per charitatis incendium comburatur.

Vel dic, quod Sacerdos ſanguinem hoſtiæ debet ſuper altare fundere, in quantum pro peccato confitentis debet coram altari per devotionem & orationem intercedere & inſtare. Infra cap. 4. *Hauriet Sacerdos de ſanguine, inferens illum in tabernaculum,* quando de capris & ovibus fiebat holocauſtum, neceſſe erat, quod fiebat de animali maſculo & anniculo. Sic verè quando ſimplices in religione ſe holocauſtum Deo volunt facere, ipſi debent anniculi, id eſt, juvenculi ſe Domino offerre, & religionem intrare,vel ad quæcunque bona opera ab juventutis primordiis ſe donare. Unde Eccleſiaſt. 11. c. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua.* B

Quando de avibus fiebat oblatio ſeu holocauſtum Domino, ſemper debebat fieri vel de turturibus, vel de pullis columbarum, quæ ſunt aves gemibundæ. Nulla enim altera avis divinis ſacrificiis erat apta, nullaque alia inter ſacrificia nominatur.

Sic verè nulla avis volans, id eſt, nulla perſona in altitudine ſcientiæ vel mundi eminentiæ eſt Deo grata, nec ſibi offerri ſeu præſentari digna, niſi ſit columba per ſimplicitatem, turtur per caſtitatem, gemebunda per contritionis & timoris acerbitatem. Solæ enim aves gemebundæ Domino ſunt acceptæ, quia ſcilicet ſoli illi, qui de peccatis libenter gemunt, Domino fiunt grati. Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c.* Ezech. c. 9. *Signa Thau ſuper frontem virorum gementium, &c.*

Quando de avibus fiebat holocauſtum, ſeu etiam quodcunque ſacrificium, ſacerdos debebat avem ad altare referre, caput ad collum retorquere, pellem pro parte rumpere, & ſanguinem ſupra crepidinem altaris effundere, & plumas & veſicam extra projicere, & in loco, ubi reponebantur cineres, juxta altare reponere. Axillas etiam avis debebat confringere & caſſare, ferrumque ſuper avem non debebat levare,nec eam dividere vel ſecare, ſed magis integram Domino immolare.

Per aves, chariſſimi, intelliguntur viri ſpirituales, ſurſum per contemplationem volantes, quia pro certo in oblatione, quâ ipſi ſeipſos offerunt Domino, multa ſunt attendenda, quia videlicet iſti primò caput cordis ſui retorquent, & reflectunt per ſui ipſius G conſiderationem & diſcuſſionem, pellem corporis ſui rumpunt per pœnitentiam & afflictionem, ſanguinem delitiarum & peccati defluere faciunt per abſtinentiam, vel per compaſſionem, plumas divitiarum deponunt per eleemoſynam & affectionem, vel per contemptum & abdicationem. Veſiculam ſuperbiæ projiciunt & per humilitatem, & per ſubjectionem. Et hæc omnia in loco cineris deponunt per ſuæ mortis & incinerationis meditationem, axillas & brachia affectuum ſuorum confringunt per temperantiam & mortificationem, ſeipſos non dividunt per affectionum ſuarum ad diverſa appetibilia diffuſionem, nec per amoris ſui ad mundum,carnem & amicos, diſpeſionem, ſed magis ſemetipſos integros immolant per totalem ſui Deo factam oblationem,& per generalem cordis & corporis ad divinum ſervitium dedicationem Pſal. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.*

Capitulum tertium. Textus. Quod ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre marem ſive fœminam, immaculata offeret coram Domino.

Moralitatum Cap. II.

DE ſacrificiis votivis quædam Domino dabantur, quædam ſacerdotibus aſſignabantur, quædam vero ipſis ſacrificanti-

Digitized by Google

bus dimittebantur. Dominus habebat renes, sanguinem, & adipem, Sacerdos habebat armum, & pectusculum, sacrificans verò pro se, & suis habebat residuum, sicut patet Levit. 3. & 7.

Sic verè de omnibus bonis nostris debemus generaliter facere tres partes, quia scilicet, unam partem debemus Deo offerre & in usus altaris sui, seu ad sublevandum paupertatem suorum expendere. Partem debemus sacerdotibus tribuere, & Christi ministris decimas & primitias erogare. Partem verò debemus nobis retinere, & nostris, & famulis nostris reservare. D

Vel dic, quod ista hostia, id est, illa persona, quæ Domino vult offerri & specialiter dedicari, debet in tria dividi, quia scilicet, Deus debet habere renes ipsius per castitatem, & sanguinem crudelitatis suæ per benignitatem, & pinguedinem delectationis & voluptatis suæ per abstinentiam & macerationem. Sacerdotes verò & ministri Dei debent de eo habere armum dextrum, id est, subsidium & sustentationem, & pectusculum, ubi est cor, id est, amorem & dilectionem. Residuum debent habere Domini & amici sui per servitium & subventionem, quia pro certo quilibet homo debet se in tria dividere, id est, labores, & obsequia sua in tria distinguere, & de se ipso debet partem Deo, partem sacerdoti, id est, Prælato, & partem sibi vel proximo erogare. Unde de talibus dicitur Eccles. 2. *In tribus beneplacitum est spiritui meo.*

Cauda non præcipitur offerri, nisi quando de ovibus erat hostia. Non enim fit mentio, quod deberet offerri cauda boum vel hircorum, sed solummodo arietum vel agnorum, sicut appareret Levit. 3.

Boves possunt significare tardos & negligentes, hirci verò fœtidos & peccatores. Oves verò simplices significant & innocentes. Item dicas, quod cauda, quæ est finis, communiter significat perseverantiam operis, quæ pro certo tunc à Domino acceptatur, quando circa opus virtuosum versatur, & propter hoc caudam bovis & hirci, id est, perseverantiam negligentium, & immundorum reprobat. Ovium verò, id est, simplicium & innocentium perseverantiam approbat & acceptat, quia videlicet Deus perseverantiam in bono diligit, perseverantiam autem in malo odit.

Vel dic, quod bos significat negligentiam, hircus immunditiam, quorum perseverantiæ non sunt bonæ, ovis significat innocentiam, cujus perseverantia est optima. Unde Exod. 29. *Tolles de ariete adipem, & caudam, & armum.*

Deus specialiter omnem adipem hostiarum sibi voluit retinere, & potissimè tria genera adipum, scilicet adipem vitalium, adipem jecorum, & renum. Istos enim adipes voluit Deus de sacrificio omni sibi dari, & inde ignem suum in altari nutriri. Renes etiam, ilia & sanguinem sibi retinuit; & hæc omnia sibi concremari mandavit, cuncta verò alia aliis dereliquit. Et sic patet quod Deus in sacrificio eligebat hostiarum interiora, & aliis dimittebat exteriora. E

Sic revera Deus in homine interiora eligit, exteriora verò faciliter prætermittit, quia si interiora nostra domino concedimus, satis de exterioribus nostris voluntatem nostram facere possumus. Nec indignatur Dominus, si exteriùs recipimus aliquam consolationem, dum tamen ordinemus ad Deum omnem interiorem affectionem. Iste ergo vult, quod illi offeramus omnem adipem vitalium, id est, amorem vitæ propriæ, adipem renum, id est, amorem filiorum à nobis generatorum. Virtus enim generativa consistit in renibus. Adipem jecoris, quod scilicet amare cogit, id est, affectionem & amorem suorum amicorum. Et breviter quicquid interiùs amamus, totum domino offerre, & ad eum ordinare debemus. Renes etiam, id est, carnis delectatio, sanguis insuper, id est, quicunque iracundiæ motus & inflammatio, debent per pœnitentiam cremari, & igne divini timoris, & contritionis & doloris, ac ardore divinæ dilectionis comburi, & domino offerri, & ad eum ordinari. Adeps enim bonæ affectionis ignem charitatis in altari cordis solet nutrire, & ideo ipsum sibi vult Dominus specialiter reservare. Unde dicitur Levit. 3. *Omnis adeps domini erit jure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem nec adipem comedetis.*

Vel dic, quod triplex pinguedo triplicem concupiscentiam denotat, quam scilicet domino immolat, quicunque eam amore Dei dimittit, & inde per charitatis incendium sese privat.

In Levitic. & aliis pluribus locis dicitur, quod sacerdos, qui offert sacrificium, debet habere pellem ejus. Et supra etiam dicitur c. 2., quod panes, qui offeruntur, sive fuerint in sartagine, sive in craticula, sive in clibano cocti, sacerdotis erunt, à quo offeruntur.

Pellis est substantia temporalis. Unde dicitur Mich. 3. *Violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum.* Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. Ergo quando aliquis sacerdos, id est, aliquis sacra dans, suis prædicationibus & inductionibus, Deo offert aliquod sacrificium, F id est, convertit ad Deum aliquem peccatorem, revera ipse debet habere & ab eo percipere pellem substantiæ temporalis, quia secundùm Apostolum 1. Cor. 9. *Qui spiritualia seminat, non est magnum, quod pro sustentatione sua temporalia metat.*

Cap. 4. Cum sacerdos peccabat, & Deum placare volebat, accipiebat vitulum & eum immolabat, sanguine ejus intincto digito velum septies aspergebat, & eadem cornua altaris incensi interiùs intingebat, reliquum verò sanguinis super altare holocausti fundebat, & una cum renibus & adipibus comburebat, carnem verò cum pelle & fimo extra castra portabat, & ea ibi in loco mundo, ubi infundebantur cineres, incendebat. Idem autem per omnia fiebat, quando synagoga vel populus delinquebat, & sic quoties sanguis hostiæ in sanctuarium inferebatur, nihil de hostia relinquebatur, sed totum domino cremabatur.

Allegoricè per sacerdotem potest intelligi Adam, per synagogam omnis ab eo derivatus, per vitulum verò intelligitur Christus. Istud igitur certum est, quod pro delendo peccato sacerdotis & synagogæ, id est, Adæ & populi necesse fuit occidi vitulum, id est, Christum, sanguinemq; ejus super altare crucis fundi, & ibi adipem & renes suæ interioris affectionis igne charitatis accendi. Nulla enim charitas fuit major, quàm quod vellet pati Deus pro homine, innocens pro peccatore, justus pro injustis, bonus pro malis. Unde dicitur Joan. 15. *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Velum etiam tabernaculi, id est, ipsum tabernaculum Paradisi isto sanguine septies fuit aspersum, in quantum ipsum cœlum per Christi sanguinem mediante spiritu septemplici fuit à ruina Angelica reparatum. Inde etiam altare incensi, id est, Deus Pater tangitur, in quantum, isto mediante sanguine, peccatoribus complacatur. Unde dicit Apostolus Col. 1. *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis.* Iste ergo extra castra, id est, extra civitatem fuit per passionem crematus, & ibi igne, id est, amoris sui fuit aflatus. Et quia in omnibus membris passus est, ideo dicitur fuisse totus incensus, & combustus. Unde dicit Isa. 1. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

Vel dic moraliter, quod quando quis vult peccatum suum redimere & dominum placare, ipse pro certo debet vitulum, id est, abstinentiam carnis suæ Deo per pœnitentiam immolare: sanguinem suum; id est, peccatum per confessionem fundere.

Velum, id est, cor suum, septies, id est, per septem misericordiæ opera, isto sanguine, id est, pro isto peccato aspergere, & altare incensi, id est, orationem isto sanguine intingere debet, in quantum pro suo peccato orationis locum, & officium frequentat, quia sc. iste altare incensi pro sanguine tangit, qui pro peccato suo altare accedit, & orationem facit. Igitur talis debet renes totius voluptatis, adipem totius affectionis, & sanguinem peccati, & infectionis super altare holocausti, id est, super cor suum per considerationem ponere, id est, totum ibi per contritionem incendere. Pellem verò, fimum & carnes, id est, malam priorem conversationem, quæ est pellis, malam primam infamiam, quæ est fimus, malam primam vitam, quæ est caro, debet extra castra Ecclesiæ projicere, & totum igne pœnitentiæ ibi concremare, & sic peccatum suum poterit expiare & se Domino concordare. G

Vel dic, quod tunc sacerdos peccatum suum & populi expiat, quando sanguinem vituli, id est, memoriam sanguinis & passionis Dominicæ, id est, sacramentum Eucharistiæ Domino immolat, & in altari cordis sui per compassionem cremat, & quando carnem, & pelles extra castra portat, id est, quando ipsum extra civitatem fuisse passum memorat Apostolus Heb. 13. *Exeamus ad Deum extra castra, improperium ejus portantes.*

Ubi fit mentio de peccato sacerdotis. Dicitur, si sic sacerdos, qui inunctus est, peccaverit, faciens delinquere populum, &c. Item ibidem non ponitur, si peccavérit per ignorantiam, sicut fit, quando agitur de peccato Synagogæ. Item ibi non ponitur, quando aliquis pro eo orare debeat, de Synagoga verò dicitur, quod sacerdos pro ea orare debeat. In istis ergo notatur gravitas peccati sacerdotis. Primò quia peccare facit populum, in quantum peccatum Sacerdotum à populo faciliter trahitur in exemplum. Secundò, quia ignorantia non potest eum excusare, in quantum, scilicet, iste tenetur legem Dei scire, & inter lepram distinguere, quod tamen non est sic de populo, quem quandoque potest ignorantia excusare. Tertiò, quia pro ipso non est, qui orationem vel oblationem faciat, quando ipse qui pro aliis orare debebat, peccat. Unde Eccles. 12. *Quis medebitur incantatori à serpente percusso?*

Unum videtur hic supponere, quod in hostia pro peccato non debebat poni nec thus nec oleum. Sic verè ipse, qui seipsum Deo pro peccatis immolat, id est, ille, qui pœnitet pro peccato, non debet habere oleum, id est, lætitiam, sed magis dolorem, & contritionem, nec thus, id est, spem suavitatis æternæ, sed potiùs tormenti timorem, & considerationem, videlicet, quod pœnitens magis debet tristari quàm lætari, id est, magis timere tormenta, quàm sperare præmia. Unde dicitur Roman. 13. *Si male feceris, time.* H

Unum satis notabile scribitur hic, & etiam infra cap. 7. quia, sc. ubi holocaustum solebat immolari, potuit etiam immolari victima pro delicto.

Holocaustum autem totum combustum, justum significat, hostia vero pro peccato pœnitentes designat. Idem ergo dicitur esse locus immolationis amborum ad denotandum, quod ad eundem gra-

Digitized by Google

gradum gratiæ vel gloriæ potest pœnitens post lapsum pervenire sicut justus, qui nunquam inventus est enormiter peccasse. Et ista est expositio interlinearis. De peccato autem principis, & animæ omitto propter prolixitatem.

Hic ponitur, quod vas, in quo coquitur hostia pro peccato, scilicet pars, quæ sacerdotibus debebatur, si erat fictile, debebat confringi, si vero erat æreum, debebat lavari, & fricari.

Sic verè cum carnes, quæ sunt pro peccato, id est, carnis delectationem, duo genera vasorum, id est, duo genera hominum contineant, & per concupiscentiam decoquant, ut quidam fictiles, hoc est dictum: homo malus, obstinatus, fragilis; alii ærei, scilicet, ille qui est magis fortis, & ad cadendum difficilis homo istud debet fieri, quod fictilis, id est, ille, qui per fragilitatem solet quotidie recidivare, debet frangi per tribulationem, & asperè castigari; æreus verò, id est, bonus, si ipsum extra consuetudinem peccare contingat, debet lavari per confessionem, & fricari per moderationem & correctionem. Plus enim est puniendus fictilis, id est, assuetus, quàm æreus, qui est alias solidus, & post lotionem pœnitentiæ erit fortis, & bonus.

A *Capitulum sextum. Textus.* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens, Anima quæ peccaverit.

Moralitatum Cap. III.

Dominus volens habere in altari suo ignem perpetuum, præcepit sic: Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos ligna subjiciens per singulos dies. Ipse etiam ignis de altari debebat esse, non aliunde venire, sed semper de illo continuari debebat, qui de cœlo debebat eis dari, sicut ponitur infra. Nam in ministerio altaris nullus ignis poni debebat, nisi qui desuper datus erat. Unde Nadab & Abiu filii Aaron, qui ignem alienum, id est, ignem communem in thuribulo continuè posuerunt, statim percussi fuerunt, & igne egrediente à Domino perierunt.

Ignis de cœlo datus, est charitas. Altare verò, est cor hominis seu Ecclesiæ integritas, quia revera Dominus vult, quod in altari suo, id est, in Ecclesia vel in hominis conscientia, semper iste ignis ardeat, & quod sacerdos, id est, Prælatus vel prædicator ipsum lignis, id est, exemplis & documentis foveat. Alienum verò ignem mundanum, qui magis venit de inferno quàm de cœlo, hoc est dictum: ardorem avaritiæ, iracundiæ, discordiæ, invidiæ & luxuriæ, non vult in hoc altari poni, sed potiùs inde penitus abdicari; quapropter sacerdos, id est, Ecclesiastici, qui in thuribulo cordis sui vel in altari Ecclesiæ studeant ignem alienum prædictum, scilicet, mundi & carnis concupiscentias ponere, necesse habent à Domino percuti, & mala morte finaliter per ignis infernalis incendium perire, Ezech. 15. *De igne egredientur, & ignis consumet eos.* Ignis enim inferni egressus à Domino, id est, à divina sententia, illum devorat, qui in thuribulo cordis sui ignem alienum portat, & quem ignis concupiscentiarum inflammat.

Quando cineres in altari abundant, unus de sacerdotibus se sacris vestibus induebat, & cineribus collectis prædictas vestes deponebat, & extra castra cineres deportabat, ipsosque in loco mundo reponebat.

B Dic, quod ligna, quæ in altari cordis cremabantur in pabulum ignis charitatis, sunt bona opera, quorū cinis est ipsorum memoria. Sacerdos, id est, quicunque justus, se debet vestibus sacris, id est, virtutibus induere, & de altari cordis sui cineres, id est, bonorum operum suorum memoriam recolligere, & ne inde superbiat, depositis sanctis vestibus, id est, amota omni exhibitione sanctitatis suæ, debet tales cineres, id est, talem bonorum operum suorum memoriam extra ferre, & de corde penitus abdicare. Juxta illud Luc. 17. *Cum omnia bene feceritis, dicite, inutiles servi sumus.*

Si sanguis hostiæ ceciderit super vestem sacerdotis, debebat eam lavare, & à tactu & immunditia sanguinis depurare.

Sic verè quando hostia, id est, peccator coram sacerdote fundit, & confitetur sanguinem suum, id est, peccatum suum, quandoque contingit, quod vestis suæ conscientiæ, id est, affectionis, tali sanguine per aliquam malam delectationem & imaginationem tangitur & inficitur, quapropter ipse se lavare per confessionem tenetur.

Hic facit mentionem de libamentis sacrificiorum. Circa quod notà, quod in omni animali sacrificato offerebatur libamen, id est, aliquid liquidum cum eodem, sc. oleum, & farina, & vinum, vel farina oleo distemperata, & in sartagine durata, sicut etiam supra. Secundò, in omni sacrificio erat ponendum sal, thus etiam quandoque cum sacrificio offerebatur. Nunquam autem fermentum aut mel in Dei sacrificio ponebatur, sed inde amoveri penitus jubebatur. Quia etiam, sicut dicitur Exod. 12. Quando comedebatur agnus paschalis, per septem dies fermentum non debebat in Hebræorū tabernaculis inveniri, sed solum de pane azymo debebat populus tunc nutriri.

Revera sic debet esse in omni sacrificio boni operis, quod patramus, vel quando nosipsos in Ecclesia vel in Religione Domino immolamus, multa nos debent concomitari, scilicet, sal discretionis, oleum charitatis & dilectionis, farina divinæ legis & suæ meditationis, vinum spiritualis gaudii & consolationis, nec non thus orationis & devotionis. Sacrificium enim cujusque boni operis ineptum redditur & inacceptum efficitur, nisi cum sale, id est, cum discretione, & sapientia condiatur, & nisi oleo charitatis ungatur; quinimo omne opus, quamvis de se sit bonum & virtuosum, si tamen sal & oleum, id est, discretio & charitas defecerint, efficitur insipidum & insulsum. Unde dicitur: *Si* C *sal evanuerit in quo salietur? ad nihilum valet ultra, &c.* Duo autem principaliter nobis interdicuntur, scilicet, fermentum malitiæ, & mel adulationis & blanditiæ, quia revera, quicquid boni fecerimus, ab istis duobus præcavere debemus, ut scilicet, sacrificio, id est, operi nostro fermentum malitiæ interiùs, vel adulationis mel exteriùs nullatenus misceamus, sed verè & simpliciter, & sine adulatione & mala intentione, quicquid fecerimus, faciamus. Unde Apostolus 1. Cori. 5. *Non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

Vel dic, quod mel significat dulcedinem favoris humani, fermentum intentionem alicujus mali erroris. Ista enim duo sunt ab omni opere bono propellenda, &c.

Vel dic, quod quando quis seipsum Deo offert in altari per pœnitentiam concremandum, debet adjungere sal mordacis contritionis, similam bonæ & mundæ affectionis, oleum compassionis, & thus orationis.

Sicut hic patet, hæc tria genera panum Domino præcipiebantur offerri, scil. cocti in clibano, cocti in sartagine, cocti in craticula.

Dic, si vis, quod tres isti panes sunt tres Theologicæ virtutes, scilicet, fides, quæ est panis coctus in craticula, quia ibi sunt multi oculi, id est, multi articuli, spes, quæ est panis coctus in sartagine, quia scilicet ibi est ardor desiderii, & oleum consolationis; charitas, qui est panis coctus in clibano, quia scilicet ibi est ardor perfectæ & generalis dilectionis, & sic isti sunt tres panes, de quibus Dominus dicit cuilibet nostrum illud Luc. 11. *Amice accommoda mihi tres panes.*

Vel dic, quod panis in clibano est dolorosa contritio, in craticula, ubi sunt foramina & aperturæ, est adaperiens vulnera confessio; sartago verò, ubi est oleum operum pietatis, est satisfactio. Istos ergo tres panes Deo offeramus. Allega, ut supra.

Volens Dominus consecrare Aaron & filios ejus præcepit eos lavari, indui, &c. Vide Ex. 29. Ubi inveniuntur omnia posita à Deo mandata, & competenter exposita, quæ hic Levit. 8. & 9. fuerunt per Moysen excusa. De Nadab & Abiu igne combustis vide cap. 16. Num.

Capitulum undecimum. Textus. Locutus est Dominus ad D Moysen & Aaron, dicens.

Moralitatum Cap. IV.

Animal non reputabatur immundum in lege Moysis, nisi ruminabat, & ungulam dividebat. Animalia verò, quæ non ruminabant, nec ungulas scissas habebant, non debebant à filiis Israël comedi, nec eorum cadavera tangi, sicut sus & lepus erant immunda, pro eo quod unum licet ruminet, ungulas tamen non dividit; aliud verò, quia dato, quod etiam ungulas scindat, ruminare tamen non novit.

Charissimi, per ruminationem intelligitur circumspectio, deliberatio, peccatorum contritio; ungula autem, quæ ornatus est & extremitas pedum & manuum, est bona operatio & affectio. Divisio verò ipsius operatio, sagax discretio, & distinctio. Igitur istud est verum, quod nullus debet reputari mundus, nec ab alio comedi per imitationem, vel tangi per associationem est dignus, nisi qui per deliberationem posset ruminare, & per discretionem opera sua dividere, distinguere, & tractare. Ad hoc enim, quod quis à filiis Israël, id est, à personis bonis comedi, incorporari, tangi, & frequentari dignus habeatur, necesse est, quod sit homo deliberativus & ruminans, & quod ungues sui, id est, opera per discretionem distinguantur debitam. Alias si unum istorum duorum deficiat, dignum est, quod ipsum homo spiritualiter non comedat, nec tangat, sed, tanquam immundum fugiat & dimittat, & talis pro certo debet reputari sus seu porcus, id est, quilibet luxuriosus & immundus, & lepus & cuniculus, id est, quilibet timidus, & in terris per avaritiam tumulatus. Unde Apostolus 1. Cor. 15. *Si quis inter vos nominatur fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, maledicus, ebriosus, cum hujusmodi nec cibum sumere.*

Vel dic, quod ruminatio significat contritionem, & propriè peccati masticationem; ungulæ vero divisio, apertio, & distinctio significant malorum operum confessionem, & distinctam sacerdoti factam revelationem, quia revera, qui istis duobus caruerit, nunquam mundus apud Deum erit, &c. sicut supra.

Vel dic, quod ungula, quæ est extremitas, & perseverantiam significat, &c. sicut supra.

Piscis, qui pinnas & squammas non habebat, immundus erat in lege reputatus, & sic tanquam immundus nec tangi, nec comedi merebatur. Pisces vero viscosi & longi, sicut sunt anguillæ

Digitized by Google

& congri, erant prohibiti, ita quod nullo modo debebant comedi. Morticinium verò eorum non debebat tangi, sed magis abominabile, & tanquam execrandum haberi.

Pennulæ, charissimi, quibus scilicet piscis vel saltat, vel natat, significant virtutem contemplationis, quæ scilicet animam per quietem mentis facit natare, & ipsam spiritualiter saltare, & usque ad cælestem celsitudinem transvolare. Squamæ, quæ duritiam & fortitudinem majorem habere videntur, & quibus mediantibus corpus defenditur & fovetur, patientiam possunt significare, quia scilicet corpus interioris animi hominis, ne lædatur à tribulationibus, solet defensare, quia secundùm Senecam: Doloris remedium est patientia. Pisces igitur, id est, homines, qui in aqua dulcis devotionis, vel in mari amaræ contritionis vel Religionis habent vivere, tunc propriè judicantur mundi: quando pennulis contemplationis & squamis patientiæ sunt muniti, ut scilicet possint ad cœlestia interiùs volare, & adversa terrestria exteriùs fortiter ac tranquillo corde tolerare, quia revera pisces, id est, Religiosi vel Clerici, qui per voluptatem sunt viscosi, fragiles, flexibiles, & ignavi, qui pennulis contemplationis, & squamis fortitudinis & patientiæ sunt privati, non debent ab aliis per imitationem comedi, nec per frequentationem tangi, & ideo de squamis fortitudinis & patientiæ boni Religiosi potest exponi illudi Jobi quadragesimo primo. *Corpus ejus quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus.* Hic videtur supponere, quod animalia immunda, sive essent gressibilia, sive natatilia, sive volatilia, dum dicitur, quod non debebant comedi, nec morticinia eorum tangi, dupliciter considerantur, in quantum viva, vel in quantum mortua, quod dum viva erant, tangi quidem poterant, manducati
F vero non debebant, imò etiam nec manu tangi. Illa possunt applicari ad virum justum, quia scilicet animal significat hominem, qui debet esse per gratiam animatus, per bonam actionem gressibilis, per contemplationem volatilis, per devotionem natatilis. Et sic dico, quod animal immundum significat peccatorem, animal vero mundum significat virum justum. Veruntamen animalia immunda, scilicet, peccatores, in duplici sunt differentia, quia scilicet aliqui adhuc vivunt, qui scilicet communioni fidelium adhuc conjuncti sunt, & vitam, id est, Ecclesiastica sacramenta participare possunt. Alii verò jam sunt mortui, id est, per excommunicationem à corpore Ecclesiæ divisi, & à sacramentorum vita per Censuram Ecclesiasticam separati. Igitur istud præcipitur nobis, quod scilicet animalia immunda, viva tamen, id est, peccatores, fideles tamen & Ecclesiæ participes bene tangere, id est, associare, & cum eis participare possumus, ipsos tamen comedere, id est, eorum vitam nobis per malam complacentiam & imitationem incorporare aliqualiter non debemus. Ex quo tamen nobis constat, quod qui mortui sunt, ipsos omnino debemus fugere, ipsosque per associationem aut frequentationem, præterquam in casibus licitis, declinare, eosque viles & abominabiles reputare. Unde dicitur Num. 16. *Separamini de tabernaculis hominum impiorum.*

Vel dic, quod animal immundum vivens est peccator, adhuc vitam, id est, famam suam retinens. Animal verò immundum mortuum significat peccatorem, & vitâ, id est, bonâ famâ privatum. Priorum ergo non prohibemur tactum, id est, societatem vitare, ipsos tamen jubemur non comedere, id est, ab eorum imitatione cavere, non tamen colloquium aut consortium sine injuria denegare; secundorum verò debemus & vitam fugere, & colloquia & consortia declinare.

Vel dic, quod morticinium, quod per se erat mortuum, significat illos, qui voluntariè, & quasi ex proposito peccant, qui scilicet summè sunt cavendi. Alii verò, qui aliter moriuntur, & qui per violentiam tentationis vel tribulationis vitâ gratiæ spoliantur, non sunt ita execrandi, sed potius supportandi. Unde Apostolus Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit frater tuus in aliquo delicto, supportare debes, &c.* Sequitur: *Considerans temetipsum, ne & tu tenteris.*

Volatilia omnia erant munda, præter has viginti species, scilicet præter aquilam, gryphonem, haliætum, milvum, vulturem, juxta genus suum, & omne animal corvini generis, struthionem, noctuam, larum, accipitrem in genere suo, bubonem, mergulum, ibira, cygnum, onocrotalum, porphyrionem, herodionem, caradrion, juxta genus suum, upupam, & vespertilionem. Et nota, quod multæ ponuntur hic species avium, quibus subjungitur *juxta genus suum*, in quo notatur, quod in uno eodem-
G que avium genere multæ sunt species subalternæ, sicut exemplificat Plinius de accipitre & vulture, quæ tamen omnes generaliter sunt immundæ.

Dic si vis, quod per istas viginti avium species intelliguntur diversæ conditiones hominum peccatorum. Aquilæ enim, qui altè volant, & Gryphones, qui homines devorant, sunt mali Reges & Superiores, qui scilicet dum altiori præeminent dignitate, etiam excelluntur in superbia & crudelitate. Haliætus, qui alaudas rapit, & Milvus, qui pullos invadit, significant malos Ballivos & raptores inferiores, qui scilicet magnos non audent invadere, pullos tamen, id est, innocentes & pauperes solent continuè lacessere. Accipiter, qui columbas odit. Herodius, qui pectore lædit. Onocrotalus, qui rostro corrodit, significat invidos atque detractores, qui scilicet pectore, id est, animo solent alios lædere, columbas, id est, simplices odisse, & omnes dentibus & labiis comedere. Vultur, qui cadavera sentit. Upupa, qui in stercoribus nidum facit, significat luxuriæ & immunditiæ sectatores. Bubo, Noctua, & Vespertilio, qui de nocte volant, significant hæreticos, & latrones, & occultos criminum operatores. Ibis, Larus, & Mergulus, qui aquas frequentant, significant delitiarum & gastrimargiæ professores, cujus exempla extra candida, intus nigra. Et Struthio alas habens, & nunquam volans significat Hypocritas & simulatores. Et omne, quod est corvini generis, quod semper dicit cras, significat pigros, procrastinantes, & pœnitentiæ dilatores. Porphyrio, id est, Pelicanus, qui pro filiis suis se vulnerat, significat nepotum, filiorum, & amicorum carnalium immoderatos dilectores. Caradrion, quæ ad sanandum dicta, homini non morituro faciem vertit, à morituro verò vultum avertit, significat falsos homines, qui in prosperitate sunt hominum amatores, sed in adversitatibus desertores. Omnes igitur tales aves sunt immundæ, quæ tangi & imitari à sanctis hominibus non sunt dignæ.

Omne volatile, quod quatuor pedibus graditur, immundum erat, nisi fortè pedes posteriores, per quos salit, essent anterioribus longiores, sicut habet locusta, tunc enim erat animal comestibile, & non abominabile.

Quatuor pedes, quatuor sunt cordis affectiones, scilicet dolor & gaudium, qui sunt anteriores, quia concernunt præsentia; spes H
& timor, qui sunt posteriores, quia concernunt futura. Apostolus 1. Cor. 15. *Prius quod animale, deinde quod spirituale est.* Igitur dico, quod omne volatile, id est, omnis homo contemplationi deditus, & ad volandum mentaliter ad cœlestia electus, sicut est Religiosus vel Clericus, immundus debet judicari, qui quatuor pedibus graditur, id est, quatuor cordis affectionibus circa terram videtur occupari. Non debent in Religiosis, & Clericis magis abundare pedes quàm alæ, id est, affectio quàm contemplatio, nec debent circa terram, & terrena negotia currere, sed sursum circa cælestia volare, & ideo illi Clerici immundi meritò judicantur, qui plus gradiuntur quàm volant, & plus in terrenis negotiis quàm in cœlestibus desideriis occupantur. Veruntamen ne omnino contemnamus activos, & circa terrena negotia occupatos, sciendum, quod si pedes, id est, affectiones posteriores, & desideria futurorum anterioribus pedibus, id est, præsentium terrenorum affectionibus præferuntur, & amplius per perseverantiam prolongantur, & per excellentiam exaltantur, tunc isti immundi non judicabuntur, sed apud Deum & homines comestibiles, id est, imitabiles, & tangibiles, id est, frequentabiles decernuntur, quia revera animus circa terrena gradiens, tunc novus, & mundus existit, quando in eo amor futurorum amorem præsentium superat, & quando, saliendo superiùs per desiderium æternorum, ratio sensualitatem præcedit. Apoc. 2. *Novissima tua plura prioribus.*

Vel dic, quod pars prior significat sensualitatem, posterior rationem. Ista est ergo, quæ debet præcellere, ad hoc quod homo mundus possit apud Deum esse. Majora enim debent esse in nobis posteriora prioribus, & spiritualia temporalibus, Apocal. 2. *Posteriora tua plura prioribus.*

Vel dic, quod posteriora significant senectutem, anteriora significant juventutem, quia si volumus mundi esse, bona opera senectutis debent juventutis operibus præpollere.

Omne animal quadrupes, quod super manus ambulat, immundum erit. Ubi nota, quod ille, qui super manus vult ambulare, necesse habet se ad terram incurvare, & manus ad terram inferiùs inclinare.

Sic ergo, dic moraliter, quod ille qui manus, id est, opera- A
tiones suas ad terram, id est, solum ad lutum terrenum applicat, & qui terram, id est, terrena amplexatur, diligit seu tractat, & ad terrena se extendit totaliter & inclinat, immundus apud Deum dicitur, & bonorum tactu & consortio indignus judicatur.

Qui tangebat animalia immunda, vel qui ea mortua deportabat, &c. immundus erat, & extra castra ire debebat.

Charissimi, iste videtur immundus seu morticinum comedit, qui impium & ipsius vitam sibi incorporat imitando. Ille verò tangit, qui talem frequentat, sibi associando. Ille portat, qui ipsum sustinet defendendo, vel qui sibi favet, seu eum fovet, ipsius iniquitatem non reprobando, vel excusando, vel non puniendo, vel arguendo. Sicut ad literam faciunt adulatores, qui malos & morticinos divites portant. Sicut etiam faciunt mali Judices & Superiores, qui suos morticinos familiares & amicos defendunt contra justitiam & adjuvant, ipsosque non puniunt, sed iniquitatem eorum supportant, exemplo Heli, qui filios suos non corrigebat, sed eos potiùs sustinebat 1. Reg. 2. Omnes ergo tales comestores, tactores seu portatores immundorum & iniquorum, sunt immundi, & bonorum tactu, frequentia & consortio sunt indigni. Unde Num. 19. *Quicquid tetigerit immundum, immundum fiet.* Talis igitur, qui tactu alienæ societatis vel alieni

Digitized by Google

alieni mali, verbi & exempli, immundus & peccator factus est, debet extra castra, id est, extra civitatem spei aliquamdiu manere, & aquâ lachrymarum, id est, pœnitentiæ se lavare, & sic in vespere, id est, in obscuritate timoris poterit castra, scilicet, Paradisi intrare, & conscientiæ munditiam rehabere. Nullus enim, qui immundus existit per morticinum, id est, per peccatum mortale perpetratum, vel per malum & morticinum consortium, debet statim castra intrare, id est, se dignum intrandi castra Paradisi sperare, imo priùs se tenetur per confessionem lavare, & sic manere usque in vesperum, id est, in aliqua timoris & contritionis caligine, antequam ad castra, id est, ad cælestium spem audeat se transferre Ezech. 12. *Perfode tibi parietem. In humeris portaberis, in caligine effereris.*

Vel dic, quod vesper significat finem vitæ, quia scilicet usque ad vesperam debemus immundi esse, id est, usque ad mortem debemus nos immundos reputare, & intrandi tabernacula Paradisi indignos esse. Quod contingit, quoties nos immundum comedere, id est, aliquam immunditiam facere, vel morticinium peccati mortalis tangere consuevit.

Vel ista possunt applicari ad excommunicationem majorem vel minorem. Animal immundum vel morticinum significat
B illum, qui majori excommunicatione ligatur, & vitâ gratiæ & Sacramentorum communione privatur. Ille verò, qui est cum talibus in participatione, immundus, id est, excommunicatus minori excommunicatione efficitur, & una cum alio extra castra, id est, extra communionem fidelium judicatur. Quia istud est verum, quod immundi se tangentes immundos faciunt, & quod excommunicati alios excommunicatos reddunt. Ideo bene dicitur hic: *Ne tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis.*

Aliqua animalia immunda numerantur hic, scilicet, mustela, mus, crocodilus, mygale, chamæleon, stellio, lacerta, talpa. Ista enim immunda erant, & morticinia eorum immunda, in tantum, quod quicquid morticinum de istis animalibus super quodcunque vas ligneum vel fictile, sive etiam super vestem vel pelles vel cilicia cadebat, totum immundum faciebat, quinimo etiam quicunque liquor vel cibus in talibus vasis ponebatur, antequam aqua lota usque ad vesperam steterisset, totum immundum reddebatur. Terrea autem vasa, ubi talia cadebant, frangi & destrui jubebantur. Illa verò, quæ erant lignea, una cum vestibus dictis & pellibus, aquâ lavari mandabantur, & sic munda ad vesperam reddebantur.

Sic verè dico, quod in hoc mundo inveniuntur multa animalia immunda, id est, multa genera peccatorum, videlicet, mustela, quæ valde flexibilis est naturæ, & fraudulenter rapit, quæ significat dolosos. Mus, qui semper comedit, significat gulosos. Crocodilus, quem jaculum non lædit, significat obstinatos & cervicosos. Mygale, quod est crudele, & mite se fingit, significat fallaces & proditiosos. Chamæleon, qui vento vivit, significat superbos & inaniter glorioſos. Stellio, qui pellem habet pictam, significat lascivos & curiosos. Lacerta, quæ sepulchra inhabitat, significat immundos & luxuriosos. Talpa, quæ sub terra manet, significat avaros & terrenorum ambitiosos. Omnes isti sunt immundi & ab hominibus execrandi, & mores eorum vilipendendi & fugiendi. Quia breviter qui tales imitando comedit, vel morticinium eorum, id est, eorum vitam mortiferam per associationem vel per affectionem tangit, statim eorum immunditiam in se sentit, & immundum & peccatorem eorum exemplo & verbo faciliter sese facit. Igitur sive sit vas ligneum, id est, spiritualiter levis per voluntariam paupertatem, sive sit vas terreum, id est, spiritualiter gravis per timorem & humilitatem, sive sit vestis, id est, homo alios vestiens, vel pellis, id est, homo alios calceans per eleemosynam & pietatem, sivè sit cilicium, id est, homo alios pungens per justitiam & severitatem, vel seipsum aculeans per pœnitentiæ austeritatem, cum tamen tangit morticinium, & frequentat peccatorem corruptum & infectum & maximè hæreticum, faciliter immundus efficitur. Et quamvis à principio bonus esset, ejus tamen tactu, societate & auditu de facili maculatur Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Quinetiam liquor interioris affectionis seu scientiæ vel locutionis talium vasorum, id est, talium hominum, qui simili tactu morticinorum, id est, hæreticorum & peccatorum quandoque corrupti fuerint, tam immundi fiunt, ita quod non est dignum à nobis recipi, nec audiendo gustari.

Morticinium enim vas, quod tangit, fœdat, vas verò liquorem, postea potatorem, & sic talis immunditia per multas successiones, & de uno ad alium transfunditur, & de uno immundo multi alii immundi constituuntur.

Sic unus infectus hæreticus vel peccator corruptus multos alios corrumpit, & immunditiam successivè ad plurimos transmittit. Unde Apostolus Roman. 5. *Ex uno homine peccatores constituti sunt multi.*

Illud etiam potest applicari ad peccatum originale, quod scilicet Adam in alios successivè transmittitur, ita quod natura filii per vitium naturæ paternæ, & per successionem generis vitiatur. Ista docent ergo lavari per compunctionem & lachrymationem, si contraxerint immunditiam peccati actualis, & etiam per baptismi ablutionem, si sit tantum immunditia peccati originalis, & sic in vespere mortis munda reputabuntur, & in castris Paradisi in usus filiorum Israel, id est, sanctorum & angelorum purificata prædicabuntur.

Vel dic, quod liquor vel cibus immundi vasis, significat scientiam vel eloquentiam peccatoris, quæ scilicet immunda, & abominabilis redditur, quando ab immundo vase profertur. Quia secundum Gregor. *Cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur, &c.*

Vas fictile, in quod morticinum cadebat, polluebatur, & ideo frangi, quàm citò jubebatur. Vas verò ligneum lavabatur, & mundum efficiebatur, & in usus filiorum Israel iterum vertebatur.

Vas terreum, quod est sine humore & firmitate, significat hominem in peccato obstinatum, nullo humore compunctionis contritum, sed in clibano concupiscentiarum decoctum, fragilitati obnoxium & subjectum. Vas verò ligneum significat hominem magis firmum, quodam naturali humore humectatum. Igitur si in vas terreum, id est, in hominem obstinatū & impœnitentem cadat morticinum peccati alicujus mortalis, & maximè hæresis, illud procul dubio debet frangi, & per punitionem de medio tolli, vel etiam fortiter castigari. Si verò istud vas ligneum, id est, pœnitens, si contritus fuerit, tunc per confessionem, eruditionem, & lachrymationem purificari debebit, & factâ pœnitentiâ, iterato, sicut prius, mundus erit. D

Omne etiam, quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. Quicquid etiam super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, sive per humeros trahitur, non comedetur, sed abominabile erit vobis.

Talia reptilia significant avaros, qui scilicet & corpore & pectore tangunt terram, terrenaque tractant & diligunt tam corpore, quàm affectu. Quia revera tales, qui non cessant per avaritiam circa terram, id est, circa terrena repere, & pectore cordisque affectu terram & ipsa terrena tangere, & per humum terrenæ cupiditatis pedes suos multiplices, id est, suos filios & famulos post se ducere, erudire, & trahere, non sunt comestibiles & tangibiles, id est, imitabiles & frequentabiles, sed pro certo ipsi debent esse abominabiles & detestabiles, sicut ad literam patet de usurariis & avaris, quos quilibet abominatur, & quos Deus & populus detestatur. Ut habetur in Prov. 8. *Labia mea detestabuntur impium.*

Quando morticinum cadebat super sementem, si erat sementis, non polluebatur ex morticino. Si verò aquâ erat madida, tunc ex tactu morticini efficiebatur immundum.

Sic verè si semen affectionis nostræ humore delitiarum aspergitur & imbibitur, restat, si morticinum, id est, aliqua mortifera tentatio, locutio, vel exempli mali datio, vel alicujus malæ personæ aut societatis delectatio ipsum tetigerit, quod per malum consensum faciliter polluatur. Si verò ista humectatio deficiat, & siccitas abstinentiæ vel paupertatis abundat, tunc immunditia tentationis, & mali consensus ità faciliter non subintrat, sed mundum E
& sine macula perseverat. Constat enim, quod ille, qui divitiis aspergitur, tactu mortuæ tentationis faciliùs inficitur, quàm ille, qui in siccitate paupertatis & abstinentiæ commoratur.

Vel dic, quod morticinum significat peccatum, aqua verò significat delectationem in peccato, quia scilicet morticinum, id est, actus peccati mentem non inficit, nisi aqua, id est, delectatio, consensus, & complacentia subsit. Peccatum enim adeo est voluntarium, *quod si non est voluntarium, non est peccatum*, secundùm Augustinum.

Vel dic, secundum gloss. quod aqua est baptismus, quia si illi, qui aquâ baptismatis non sunt loti, sc. infideles, tangunt morticina, id est, si committunt peccata mortalia, non in tantum polluuntur, nec ita profundè delinquunt, seu tanto peccato inficiuntur, sicut illi, qui aquâ baptismatis abluuntur, quia scil. in eodem peccati genere plus peccat fidelis, quàm infidelis; baptizatus, quàm gentilis, quia scilicet infideles pro parte excusat ignorantia, fideles verò accusat conscientia.

Fontes, & cisternæ, & omnis aquarum congregatio non polluebatur, dato quod à morticino tangeretur. Sic verè fontes Sacræ Scripturæ, cisternæ Philosophiæ, aquarum congregatio Moralis Sapientiæ non inficitur, nec mala aut immunda redditur, si à morticino, id est, à malo doctore vel prædicatore tangatur. Constat enim, quod iste fons sapientiæ & sacrarum scripturarum, quantum de se, non potest pollui vel infici, quamvis contingat eam per hæreticum malè exponi, vel per malum hominem prædicari.

Vel dic, quod fons talis significat gratiam Sacramentalem, quam procul dubio morticinum tangens, id est, malus minister administrans, nunquam potest inficere, quinimo solet semper munda & sincera manere. Virtus enim Sacramentorum dependet à Deo, non à ministro, & ideo nunquam minuitur, aut inficitur ministri immunditiâ vel delicto.

Digitized by Google

Capitulum duodecimum. Textus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere.

Moralitatum Cap. V.

MUlier, quæ peperit, ſeptem diebus immunda manebat, & ſi fuit partus maſculus, ipſum in die octava circumcidebat, & per quadraginta dies in domo ſtans, tandem ex toto ad communionem redibat, & atrium cum aliis ſubintrabat, & pro purificatione ſua ſacrificium, ſcil. agnum, aut columbarum pullos, aut turtures offerebat.

Sic verè, quando mulier, id eſt, anima peperit aliquod bonum opus, exinde ſolet immunditiam ſuperbiæ vel inanis gloriæ contrahere, quapropter non ſtatim eſt munda, id eſt, non ſtatim debet ſe mundam, id eſt, ſanctam reputare, ſicut Phariſæus, dicens Luc. 18. *Jejuno bis in Sabbatho, &c.* Quinimo ipſa debet partum ſuum circumcidere, & examinare, & omnem inanem gloriam abinde præſcindere vel fugare, & ſic per ſeptem dies, id eſt, per totius hujus vitæ circulum, vel per ſeptem peccata mortalia ſemper ſe debet vilem, id eſt, immundam reputare, juxta illud Luc. 17. *Cum omnia bene feceritis, dicite: Servi inutiles ſumus;* quouſque ſcil. per quadraginta dies, id eſt, per ſtatum pœnitentiæ in domo propriæ conſcientiæ recluſa, agnum innocentiæ, turturem caſtimoniæ, & columbam ſimplicitatis & modeſtiæ Deo poterit immolare. Quod cum fecerit, tunc purificata, & munda poterit atrium Paradiſi feliciter introire. Ideo dicitur Jacob. 4. *Purificate corda duplices animo.*

Vel dic, quod partus poteſt ſignificare malorum operum facinora, à quibus ſi purificari volumus, quadraginta dies ſcil. per tempus pœnitentiæ vel quadrageſimæ nos recludere debemus in domo conſcientiæ, & tandem oblatis agno, turture, & columba, id eſt, innocentia, & caſtitate, & ſimplicitate, mundi, & purificati eſſe poterimus, & templum ſeu atrium Paradiſi cum mundis, id eſt, Sanctis, & Angelis introire.

G Per tantum ſpatium ſtabat mulier, antequam purificaretur, per quantum partus in ventre ſteterat, antequam vivificaretur, ſcil. ſi eſſet maſculus, per quadraginta dies, & ſi eſſet fœmina, per octoginta dies. Majuſque tempus requirebatur ad purificandum pro partu fœmineo, quàm pro puero maſculo.

Partus, qui cum libidine concipitur, & cum immunditia naſcitur, ſignificat peccatum, quod ſcil. facit concipi libido delectationis, & quod facit compleri & perfici immunditia operationis. Igitur iſtud eſt verum, quod quantò ſtetit iſte fœtus in ventre malæ voluntatis, & malæ complacentiæ diutiùs, tantò pro certo purgatio pœnitentiæ debet durare longiùs. Et quantò mater, id eſt, anima plus voluit fœtum peccati ſecum retinere, tantò debet diutiùs per pœnitentiam affligere, & purgationem pœnitentiæ diutiùs tolerare, quia revera, quantò major eſt mora & obſtinatio, tardiorque confeſſionis parturitio, tantò difficilior eſt purgatio & mundatio, ut ſic de proportione culpæ & pœnæ dicatur de anima pœnitente illud Apocalyp. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum:* de vivificatione & tardiore & citiore vide ſupra cap. 3. de puero.

Vel dic, quod puer hic eſt homo, qui octo dierum, id eſt, in tempore reſurrectionis ultimæ à cunctis mortalitatis defectibus circumcidetur & mundabitur, & ſic quadragenario inde tranſacto ad templum Paradiſi perducetur, ubi immundus non offertur.

Capitulum decimum tertium. Textus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: Homo in cujus cute.

Moralitatum Cap. VI.

LEpra multiplex nobis in ſcriptura manifeſtatur, ſcil. lepra in capillis, lepra in cute, lepra in carne, lepra in veſte, lepra in domo. Quælibet iſtarum leprarum erat immunda, & à tactu, & à frequentia hominum evitanda.

Poteſt lepra ſignificare quodcunque peccatum, & maximè peccatum luxuriæ, quæ quidem luxuria inficit non ſolùm proprium ſubjectum, verùm etiam alios circumſtantes. Sed revera lepra luxuriæ, peccati, vel infamiæ quandoque in capillis, id eſt, in cogitatione, quandoque in carne, id eſt, in delectatione, quandoque in cute, id eſt, in exteriori operatione invenitur. Quandoque inficit veſtem, id eſt, exteriorem converſationem, quandoque etiam corrumpit domum, id eſt, totam viciniam, & regionem.

H Tunc enim lepra noſtra eſſe in veſte, vel in domo dicitur, quando luxuria noſtra, vel avaritia, vel peccatum in exteriori converſatione manifeſtatur, & quando in domo Religionis vel Eccleſiæ per infamiam divulgatur, & per mali exempli dationem in alios dilatatur.

Vel dic, quod lepra eſt ſuperbia, quæ ad modum lepræ tumorem, & mentis indignationem, id eſt, inflaturam parit. Iſta ergo quandoque in capillis, quando ſcilicet homo ſuperbit & gloriatur in crinibus, quandoque in carne, quando gloriatur in deliciis carnalibus, quandoque in cute, quando gloriatur in cutis pulchritudine, quandoque in veſte, quando gloriatur in habitus ſplendore, quandoque in domo reperitur, quando gloriatur in generis valore.

Vel dic, quod capilli ſignificant ſcientiæ ſubtilitatem, caro ſanguinis nobilitatem, cutis corporis formoſitatem, veſtes virtutum amœnitatem, ſeu etiam bonorum temporalium fœcunditatem, domus ſtatûs ſeu dignitatis, quam obtinet, ſublimitatem. In iſtis enim omnibus poteſt lepra creſcere, & pro his omnibus poteſt ſuperbia vel inanis gloria provenire, & mentem inficere & fœdare.

Proceſſus, qui fit contra hæreticos, videtur habuiſſe ortum à proceſſu, qui fiebat antiquitus contra leproſos. Dicitur enim, quod ſi ſuſpicio lepræ appareat in aliquo, fortè, quia eſt ſcabioſus, vel quia cutis apparebat humilior, & pilus albior, debebat eum Sacerdos recludere ſeptem diebus; & ſi videret, quod hujuſmodi lepra non creſceret, ſed etiam, quod poſt incluſionem aliis ſeptem diebus ſeſe nullatenus augmentaret, debebat eum dimittere, & mundum, bonamque carnem habere prædicare. *Lavabit, inquit, homo veſtimenta ſua & mundus erit, quia ſcabies eſt.* Quod ſi forte lepra creſcebat, ipſum leproſum reputare & eum extra caſtra pellere tunc debebat.

Sic verè audita ſuſpicione lepræ, id eſt, hæreſis contra aliquem, debet eum Sacerdos, id eſt, judex diligenter inveſtigare, & etiam, ſi ſit neceſſe, capere & includere. Si verò videt, quod non perſeverat, ſed ceſſat, ipſum tanquam mundum debet abſolvere, & inde liberare, & eſſe potiùs ſcabiem quàm lepram, id eſt, aliquem levem errorem, quàm hæreſim judicare. Quemlibet enim ſcabies non facit leproſum. nec quilibet error facit hæreticum. Sed procul dubio, ſi viderit hujuſmodi maculam creſcere, ipſumque in errore perſiſtere, tunc debet eùm leproſum vel hæreticum judicare, & à conſortio fidelium ſegregare. Unde dicitur Matth. A 25. *Separabit malos de medio juſtorum.*

Vel dic, quod ſcabies vel lepra ſunt duæ ſpecies excommunicationis, ſcilicet minor, & major. Propter ſcabiem ergo, id eſt, propter minorem excommunicationem, non debet quis à canonica fidelium communione ſegregari, ſed tantùm veſtem conſcientiæ ſuæ debet lavare per confeſſionem, & à ſacerdote mundari. Per lepram verò, id eſt, per majorem excommunicationem, homo debet ab aliorum conſortio dividi, & ab ipſis tanquam leproſus neceſſariò reputari Iſa. 33. *Nos autem reputavimus eum quaſi leproſum.*

Vir, de cujus capite pili fluunt, calvus & mundus eſt, & ſi etiam à fronte ceciderunt, mundus & recalvaſter eſt. Si verò in calvitio lepra oritur, immundus judicabitur.

Calvitium, quod nihil aliud eſt, quàm caſus, & nuditas capillorum, poteſt ſignificare voluntariam paupertatem, quam pro certo, qui debitè amplectitur, mundus, & ſanctus apud Deum efficitur, in tantum, quod quantò quis plures capillos divitiarum ſuarum in pauperes per Eleemoſynas dimittit fluere, ita quod calvitium paupertatis ipſum ex hoc contingit incurrere, nunquam propter hoc debet vilis & immundus reputari, ſed magis mundus & honorabilis apud Deum, & homines credi. Veruntamen quandoque contingit, quod in calvitio oritur lepra, quia ſcil. de paupertate quandoque oritur ſuperbia, & inanis gloria, quia illi, qui divitias dimittendo vel pauperibus erogando ſunt pauperes, exinde quandoque ſuperbiunt, & fiunt arrogantes, & alios contemnentes, & perperam judicantes, contra illud Apoſtoli Roman. 14. *Is, qui non manducat, manducantem non judicet.* Et ſic in calvitio eorum lepra naſcitur, in quantum de paupertate ſua gloriari, & alios contemnere comprobantur. Et tamen ſicut apparet, Eccleſ. 25. Pauper ſuperbus inter ea, quæ Deo diſplicent, numeratur. B

Vel dic, ſi vis, quod calvitium eſt fluxus & abraſio vitiorum, qui ſcil. per confeſſionem, & pœnitentiam efficitur, ita quod homo mundus, & ſanctus creditur, & habetur. Veruntamen, quia quandoque de tali munditia ſuperbit & gloriatur, ideò leproſus dici meretur, ſuaque munditia in lepram, & ſua ſanctitas in culpam convertitur. Unde dicitur Num. 12. *Maria apparuit candens lepra quaſi nix.*

Sicut hic ſupponitur, lepræ ſigna erant color rufus & albus per corpus diffuſus, & cutis humilior, in capillis flavus. Unde etiam, ſicut hic patet, in capite, & in barba, & in fronte lepra generabatur, & ibi cognoſcibilis videbatur.

Sic verè, quando in homine apparet albedo fictæ caſtitatis, rubedo malitioſæ voluntatis, flavedo duplicitatis, & depreſſio exceſſivæ humilitatis, ſignum eſt, quod ille, qui habet talia, non eſt bonus, ſed magis eſt leproſus ſpiritualiter & corruptus, quia revera illi, qui ſunt leproſi, aut peccatores, & corrupti, ut communiter fingunt ſe eſſe cæteris magis humiles atque caſtos, & ampliùs apparent ſubtiles, ſcientifici, & aſtuti. Unde dicitur Eccleſiaſt. 19. *Eſt, qui nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo.* Et ſic dico, quod iſti habent lepram fictæ humilitatis in capite, in quantum ſe aliis inclinant, lepram malitiæ in barba, in quantum

Digitized by Google

ti se habere divinam sapientiam simulant. Barba enim sapientiam significat, lepram fictæ castitatis in fronte, id est, apparentia honesta, quam omnibus manifestant, sicut de Osia, de quo dicitur. 2. Paralipomen. 26. quod *statim orta est lepra in facie ejus.*

Sunt etiam hic dicitur, vestis sive pellis supponebatur subire lepram, & erat talis lepra quædam alba macula vel rufa, humili superficie cætera corrodens, & inficiens ipsam vestem. Ista ergò si manifesta erat, Sacerdos debebat eam videre, & ipsam vestem comburere. Si verò dubia esset lepra, debebat eam includere, & si non cresceret, dimittere. Si verò crevisse reputabatur, ipsam quàm citò concremare.

Sic verè si aliqua vestis, id est, aliqua persona lepram hæresis incurrerit, & clarum perspicuumque fuerit, proculdubio per sententiam Sacerdotis, id est, Prælati vel judicis concremari debet. Si verò fuerit aliquod dubium, debet intra clausuram abjurationis recludi, & si ultra non creverit, sic dimitti. Si verò post reclusionem, id est, post hæresis abjurationem inventa est lepra crevisse, & talis vestis, id est, talis persona in hæresim relapsa fuisse, tunc debet comburi & sæculari potestati demandari vel committi. Unde dicitur Lucæ. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.*

Vel dic, de punitione malorum, quia judex vel Prælatus si videt aliquam vestem, id est, aliquam personam vitiosam, si sit talis lepra, id est, crimen, quod non possit nec celari, nec emendari, debet istam vestem comburere, id est, personam ipsam per aliquam pœnam corporis condemnare. Si verò sit non adeò evidens lepra criminis, utpote quia nullum scandalum fuit ibi, vel quia spes est, quod delinquens se corriget, & quod lepra ipsius criminis ad deterius non procedet, debet in loco pœnitentiæ, vel in bono carcere eum recludere, & usque ad tempus præfinitum ab eo, ipsum debet pœnitentiæ vinculis alligare, ita quod si videt lepram ipsius criminis non procedere, sed cessare, debet talem patientem mundum judicare, & de clausura carceris liberare. Si verò videt, quod talis clausura seu talis injuncta pœnitentia non proficit, tunc ipsum comburere, id est, sententialiter condemnare debet. Istum etiam modum servat Deus, quia illos, qui ex toto sunt leprosi, obstinati, incorrigibiles atque mali, de quorum salute desperat, sæpe per mortem subitaneam interficit, in inferno comburit, alios verò, de quorum salute sperat, solet in carcere tribulationum includere, & eos castigandos mundare, & mundi prosperitati restituere. Si verò ipsos per clausuram tribulationum videt non posse corrigi, solet eos finaliter in inferno cremare, ut sic de quolibet tali dicatur, Joan. 15. *Omnem palmitem non afferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, &c.*

Si lepra apparebat in aliqua parte vestis, debebat illa vestis includi, & si non crescceret, debebat aquâ lavari; si verò locus ipsius maculæ adhuc obscurior apparebat, debebat ipsa macula à soliditate vestis abrumpi. Quod si tunc adhuc in aliqua parte vestis alia similis macula nascebatur, tunc quia lepra volatilis, tota vestis ignibus mancipari jubebatur.

Vestis est peccator, quâ scilicet diabolus se induit, quando ipsum sibi conglutinat & adjungit, macula est peccatum, quod lepra dicitur, pro eo quod per ipsum homo corrumpitur & fœdatur. Igitur si contingit lepram seu maculam peccati in aliqua persona generari & nasci, procul dubio Sacerdos, id est, Prælatus debet ipsum primò benigniter corrigere, & in clausuram & in statutorum obedientiam ponere, & per confessionem & pœnitentiam emendare. Si verò post loturam pœnitentiæ adhuc appareat in ista veste, id est, in ista persona vestigium maculæ præcedentis in aliqua mala consuetudine, vel etiam aliqua mala conditione, & reliquiis præmissorum criminum, statim debet Sacerdos illam maculam abrumpere, & illud vitium penitus ab eo separare. Sed si iste recidivando talem maculam iterat, ita quod iterum similis culpa in eo appareat, ita quod spem correctionis de ipso amplius non habeat, tunc verè igne tribulationis & asperæ punitionis debet comburi. Vel etiam ad litteram, si crimen hoc requisierit, debet ignibus concremari, sicut si est hæreticus & relapsus, quia revera, qui per benignam locutionem, monitionem & castigationem non corrigitur, sed recidivat, seu quotidie in similia relabitur, necesse est, ut asperiùs corrigatur, quia ubi non proficit correctio, in facto fidei ignis incendium apponatur. Unde dicit dominus Joan. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & in ignem mittetur, & ardet.*

Leprosus mandabatur extra castra ejici, & à mundorum consortio ad Sacerdotis arbitrium separari. Os ejus debebat veste contegi, ne ipsius anhelitu possent alii infici vel corrumpi, caput ejus debebat esse nudum, vestimentum ejus dissutum, & ipse se ipsum debebat clamare vilem, sordidum & immundum. Solus extra solebat manere, & à mundorum consortio jubebatur penitus abstinere.

Revera talis leprosus videtur esse peccator, & maximè ille, qui majoribus criminibus est infectus, & fœtoribus infamiæ maculatus, & potissimè hæreticus & excommunicatus, quia revera talis à consortio charitatis dividitur per invidiam, solus, & sine bonæ societatis copula sejungitur per discordiam, caput suæ intentionis nudum efficitur per jactantiam, vestis conversationis tota dissuitur per insolentiam. Os vero suæ locutionis est ità fœtidum, & immundum, quod alios corrumpit, & inficit per detractoriam infamiam, quare propter hoc contegi meretur, & reprimi, ne anhelitus suarum malarum locutionum alios corrumpat per nequitiam. Vilem ergò, & immundum se potest dicere per universalem corruptionem & spurcitiam, dicens illud quod scribitur Lev. 14. *Quasi plaga lepræ videtur esse in domo.* Quia verò leprosi, id est, peccatores solent singularitatis solitudinem diligere, & societates bonorum fugere, intentionis caput per jactantiam mundare, os suum per versutias locutionis contegere, & vestes conversationis propriæ laniare contra illud supra 10. *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta vestra nolite scindere.*

In domo quando oriebatur lepra? R. Dummacula corrosiva lapidi vel parieti erat impressâ cæteris partibus parietis magis pressâ. Igitur si talis lepra apparebat in domo, lapides, quibus adhærebat, debebant de pariete submoveri, tota domus debebat radi, & domus alio luto liniri: lapidesque & pulvis abrasus debebant extra civitatem projici & portari. Quod si ex post talis lepra in aliqua parte domus oriebatur, alia lepra perseverans judicabatur, & ideo tota domus destruebatur, & ligna & lapides extra oppidum in locum immudum ilico portabantur.

Sic verè si lepra alicujus hæresis vel proditionis in aliquà domo vel in aliqua villa vel collegio nascitur, statim submovendi & è medio tollendi sunt lapides, id est, personæ, quæ maculâ hujusmodi corroduntur, ne fortè per alios alii lapsu temporis macula simili corrumpantur. Secundùm enim beatum Bernardum, *Melius est quod pereat unus, quàm unitas tota.* Et domus ista debet per correptionem radi, & pulvis malæ & hæreticæ doctrinæ abinde abjici, & luto alio, id est, aliâ bonâ doctrinâ ipsa domus instrui vel liniri. Aliique lapides, id est, aliæ bonæ personæ loco primorum, scilicet in officiis, dignitatibus, & beneficiis substitui & reponi. Unde Job 34. *Conteret multos & innumerabiles, & regnare faciet alios pro eis.*

Quod si talis lepra nec sic velit cessare, imo ad alios inveniatur transire, & iterum in aliis lapidibus, id est, personis subcrescere, & venire, tunc non pigeat Sacerdotem vel Prælatum talem domum, id est, talem villam vel collegium de medio tollere, & extra oppidum, id est, extra communionem fidelium excommunicando dejicere, & etiam ex toto, si sit necesse, invocato brachio sæculari subvertere, & delere, sicut factum est de ordine Templariorum.

Vel si vis, dic, quod lepra est vitium proditionis, quam si judex aliqua in domo vel villa reperit, statim ipsos lapides, quibus adhæret, id est, ipsos proditores destruere & evellere, & in loco, & officio, quod tenebant, alios substituere debet, & alio luto scilicet cæmento charitatis, reconciliationis & amoris debet talem domum seu patriam ungere, ut sic in fidelitate domini sui possit de cætero permanere. Quod si contingat talem domum, villam vel patriam ex toto corruptam esse, & lepram istam, scilicet, proditionem per omnes partes ejus venire, tunc tota ipsa domus seu villa ruinæ seu periculo debet penitús subjacere, ut sic quos aliorum pœna non terruit, possit propria sua pœna coercere. Lepra enim, id est, hæresis vel proditio perseverans alio modo non tollitur, nisi tota domus leprosa, id est, tota villa vel patria proditrix vel hæretica destruatur.

Quando domus leprosa examinabatur, solebat claudi, & introitus habitatoribus denegari, quam qui tunc temporis intrabat, vel ibi dormiebat, immundus efficiebatur, & lavare vestimenta sua tenebatur.

Domus leprosa & infecta est mundus, qui tunc temporis à Domino fuit clausus, quando ejus ingressus & amor fuit nobis per Dominum interdictus. Undè dicit Joan. 2. *Nolite diligere mundum, &c.* Qui ergo in ista domo leprosa, id est, in mundo per malam complacentiam intrat, & ibi dormit, & temporaliter se delectat, pro certo faciliter immunditiam culpæ & maximè avaritiæ, & luxuriæ solet incurrere, quapropter necesse habet per confessionem, & pœnitentiam se lavare. Undè Isai. 1. *Lavamini, & mundi estote.*

Vel dic, quod ista domus significat excommunicatum, qui tunc aliis clauditur, quando occasione istius lepræ communicatio ejus aliis denegatur. Si igitur tunc aliquis talem domum introierit, & cum tali participaverit, immundus, id est, excommunicatus, scilicet, minori excommunicatione, & ipse erit. Unde dicitur Num. 19. *Quicunque tetigerit immundum, immundus fiet.*

Vel dic, quod, sicut patet ex præmissis, quatuor genera leprarum inveniebantur, videlicet lepra in veste, lepra in cute, lepra in carne, & lepra in domo seu in æde. Sic verè dico in hominibus inveniuntur quatuor genera vitiorum, scilicet, lepra in veste, hoc est, curiositas vestium seu lascivioritas, lepra in cute, hoc est, gulæ ingluvies seu gastrimargia, lepra in carne, hoc est, carnalis delectatio seu luxuria; lepra in domo seu in æde, hoc est, rumor malus seu infamia, quæ scilicet, apparet in domo, & in lapidibus

Digitized by Google

bus, id est, in exteriori vicinia. Unde videtur, quod istæ quatuor lepræ possunt significari in istis leprosis, de quibus dicitur 4. Reg. 7. *Quatuor viri erant leprosi juxta introitum portæ.*

Capitulum decimum quartum. Textus. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Hic est ritus.

Moralitatum Cap. VII.

QUando leprosus cum aliquo mundabatur, ad restitutionem ipsius multa requirebantur. Debebat enim ante omnia ad ostia castrorum venire, & Sacerdoti se ostendere, sacrificia offerre, & sanguine passeris occisi debebat eum Sacerdos aspergere, extra proprium tabernaculum debebat aliquamdiu manere, & omnes pilos corporis ad barbam & supercilia radere, vestes, & corpus lavare, & sic oblatis duobus agnis poterat mundus castra mundorum intrare.

Sic verè peccator, quando vult à lepra mundari, & fidelium restitui communioni, tunc debet ante omnia per confessionem Sacerdotibus ostendi. Unde Luc. 17. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Et oblato sacrificio spiritus contribulati, sanguine passeris, id est, Christi, debet per suæ passionis memoriam aspergi, capillos malarum cogitationum & affectionum à se radere & evellere, barbam fatuæ sapientiæ & supercilia superbiæ deponere, & lachrymis contritionis se lavare, & abstergere, extra proprium domicilium aliquamdiu peregrinando manere, & tandem duos agnos, id est, duplicem ignorantiam cordis, & corporis Domino offerre, & sic mundus poterit fieri, & ad sanitatem gratiæ revenire. Ideo dicitur Matth. 11. *Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur.* H

Ad mundationem leprosi requirebantur duo passeres in aqua viva, in vase fictili, lignum cedrinum, hyssopus, vermiculus, id est, filus coccineus. Unus verò istorum passerum occidebatur, & sanguis ejus super illas aquas in vase illo fictili stillare permittebatur, & tandem passer alius vivus & hyssopus in ligno cedrino cum filo coccineo per modum aspersorii ligabatur, quibus in aquis rubricatis intinctis, leprosus septies intingebatur, & sic passer ille vivus abire in campum permittebatur, rasisque pilis & lotis corpore, & vestibus, homo etiam per septem dies extra proprium tabernaculum morabatur. Octava verò die duos agnos Sacerdotibus offerebat, & mundus effectus castra ingrediebatur.

Leprosus significat genus humanum, quod scilicet, in Adam fuit infectum, de castris, id est, de Paradiso ejectum, ita quod vestimentum suæ mortalitatis fuit dissutum. Caput vero sui cordis fuit crinibus virtutum nudatum. Unde Job. 1. *Nudus egressus sum de utero matris.* Ad hoc ergo, quod ille leprosus mundaretur & in castra Paradisi reduceretur, plura necessaria concurrerunt. Necesse enim fuit, quod interverirent duo passeres, id est, duplices Christi naturæ, humanitas & Divinitas Aqua viva, id est, baptismi puritas. Vas fictile, id est, Christi naturæ mortalitas. Hyssopus, qui tumores sedat, id est, ipsius Christi humilitas. Coccus seu vermiculus, filum scilicet, ignei coloris, id est, ipsius Christi ardens amor & charitas. Lignum cedrinum, id est, ipsius Christi crux & suæ passionis austeritas. Sanguis passeris occisi, id est, sanguinis effusi utilitas. Ista enim omnia humanum genus leprosum purificaverunt, & castrorum Paradisi eidem aditum reddiderunt. De istis enim duobus passeribus, id est, de ista duplici Christi natura humana & divina una sola fuit occisa, scilicet, natura humana, in vase fictili humanæ mortalitatis mortua. Nihil passus fuit homo secundùm divinitatem. In desertum evolare dictus est, in quantum semper illæsus permansit, & in quantum passionis acerbitas ipsum aliqualiter non afflixit. Divinitas tamen ista in sanguine passeris mortui intincta dicitur fuisse, in quantum per passionem ipsius Christi hominis noscitur ejus divinitas consensisse. Cedro etiam cum coccino charitatis & hyssopo humilitatis alligata dicitur, in quantum ipsius Deitatis charitas & humilitas in ipso cedro, id est, in ipso ligno crucis summè apparuisse monstratur. Ideò Apostolus dicit, quod *propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos Deus, filium suum tradidit.* Et alibi dicit, *quod humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Omnia tamen ista scilicet, passer vivus, & sanguis passeris occisi, & lignum cedrinum, in aqua immersa dicuntur, in quantum, scilicet, ipsæ aquæ baptismi à sanguine & passione Christi & ipsius Deitate & cruce virtutem propriam sortiuntur. Istæ ergo aquæ mixtæ cum sanguine, id est, baptismus, Christi passio, junctæ simul, septies, id est, mediantibus septem donis Spiritus S. leprosum istum, scilicet, genus humanum asperserunt, & à lepra peccati laverunt, sic ut post septem dies, id est, curriculum vitæ hujus, scil. in octava futuræ resurrectionis ex toto mundum efficitur, quando rasis & abstersis omnibus mortalitatis superfluitatibus castra Paradisi ingredietur, & ad illos, de quorum societate ceciderat, id est, ad filios Israel, id est, ad beatos angelos adjungetur. Post mundationem enim leprosi, & ipsius mundificationem præmissam, septem diebus debebant extra proprium tabernaculum manere, qui, scilicet, dato, quod humanum genus per Christi passionem, baptismum & crucem à lepra peccati originalis mundetur, non tamen propter hoc statim tabernaculum Paradisi ingreditur, imo extra, scilicet, in hac valle miseriæ septem diebus, id est, per totam vitam istam, quæ per septenarium dierum fluit, permanere jubetur, usquequo veniat octava, id est, futura resurrectio, ubi inter mundos (ut præmissum est) in corpore & anima cœleste habitaculum sortietur, ut sic de homine videatur dictum illud Exod. 22. *Septem diebus sit cum matre sua*, id est, cum mortali vita, *die verò octava dabit eum domino.*

Vel si vis, dic, quod ad hoc, quod leprosus, id est, homo peccator mundetur, necesse est, quod sacerdoti per confessionem se ostendat, & quod Deo duos passeres, scilicet, corpus & animam offerat, & quod lignum cedrinum, id est, crucis memoriam, coccum charitatis, & hyssopum humilitatis, nec non vas fictile, cum aqua, id est, cor contritum cum lachrymis secum ferat, ut sic dum unus passerum suorum scilicet, corpus per pœnitentiam immolatur, alius passer, scilicet anima, liber evolet & recedat. Nam cum sanguis, id est, peccatum in aqua viva lachrymarum, etiam ni vase fictili, id est, corde humili per confessionem funditur, & tali lachrymarum aqua delictis propriis rubricata, mediante humilitatis hyssopo, leprosus peccator aspergitur & lavatur, ab omni contagio mundatur, & ad castra Christi, scilicet, ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro tanquam mundus & innocens acceptatur, Psalmo 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lavabis, &c.*

Hic ponitur, quod leprosus mundatus debebat duos agnos offerre Sacerdoti, qui de sanguine debebat aurem dexteram, pollices manus & pedis dextri ipsius leprosi tingere, &c.

Et simile habes Exodi 30. Vide & expone, sicut ibi.

Hic ponitur de illo, qui à lepra; & infra c. sequenti de illo, qui à fluxu immundi seminis mundabatur, quod ingredi statim non debebat præsumere, sed per septem dies indignum se propter præcedentem immunditiam reputare, & à castrorum ingressu cessare.

In quo figurativè notatur, quod quando notabilem immunditiam & infamiam, incurrit, quis adhoc ut inde mundetur & emendetur, & ad gratiam suique munditiam pristinam reparetur, semper debet quadam naturali verecundia sibi ipsi timere, & non præsumptuosè in castra, id est, in societates mundorum seu majorum se jungere, sed inde aliquam diu se retrahere, quousque perfecta munditia seu fama ipsum permittat subintrare, exemplo illius publicani, qui non audebat oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, & dicebat Luc. 18. *Domine propitius esto mihi peccatori.* Dato enim, quod lepra culpæ tollatur, læsâ tamen opinionem necesse est, quod aliquamdiu retrahatur, & præsumptio & audacia reprimatur.

Vel dic contra infames, qui dato, quod culpa transierit, remanet tamen infamia, quæ ipsos ad castra Ecclesiæ, beneficia, dignitates Ecclesiæ sine speciali dispensatione egredi non permittit. Unde in Canone dicitur, quod *portæ dignitatum infamibus non pateant.*

Capitulum decimum quintum. Textus. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens. B

Moralitatum Cap. VIII.

ILle, qui fluebat semine, immundus erat, & extra castra ejici debebat, omnia, quæcunque contingebat, immunda erant, quinimo omnes, qui carnem ejus, salivam ejus, vestimenta ejus, sagma, super quod sederat, & lectum ejus tangebant, protinus immunditiam contrahebant, & ideò se lavare debebant. Si etiam tangebat vas fictile, frangebatur. Si verò vas ligneum, lavabatur, talis erat fluens semine. Idem judicium per omnia erat de muliere, quæ menstrua patiebatur.

Talis semine fluens significat luxuriosum & de se vilem, abominabilem & immundum, per menstruosam etiam mulierem intelligo fœminam luxuriosam, quia verè talium carnes, id est, carnalis vita, saliva defluens, id est, carnalis secta, lectus, id est, carnalis delectatio, vestis, id est, inhonesta conversatio penitus sunt immunda in tantum: quod, qui talia tangunt, id est, qui talia frequentant, & imitantur, immunditiam luxuriæ, & infamiæ contrahere dignoscuntur. Quapropter, lotura confessionis, & pœnitentiæ se abluere tenebuntur, & ideo tutum est, quod tales viles personæ non tangantur aut frequententur, sed potius dè aliorum consortiis expellantur. Unde dicitur Gen. 21. *Ejice ancillam & filium ejus.* 4. Reg. 5. Et alibi. *Vade lavare septies in Jordane, &c.* De vase verò ligneo & fictili dic ut supra cap. 14.

Vel si vis, dic, quod semine fluens est hæreticus, qui quia semen immundum, id est, malam doctrinam seminat, ideo sancta Ecclesia ipsum repudiat, & de societatibus aliorum fugat. Igitur caro, id est, carnalis vita, saliva, id est, immunda doctrina, lectus, id est, iniqua secta talium non debet tangi, nec aliqualiter frequentari, sed magis effugi & vitari. Unde Apostolus ad Titum 3. *Hæreticum hominem post tertiam monitionem devita, sciens quoniam corruptus est.*

Talis

Digitized by Google

Talis immundus quando mundabatur, debebat septem diebus exspectare, tandem scipsum in aquis vivis lavare, & postea turtures & pullos columbarum offerre, & sic castra in vespere poterat subintrare.

Sic verè ille, qui à fœdo humore carnalitatis sanatur, debet septem diebus expectare, id est, de septem peccatis mortalibus se liberare per contritionem, se totum lavare per confessionem, columbas offerre, id est, simplicitatem, turtures id est, castitatem, & sic
D mundus erit per sanctitatem, & tabernaculum Paradisi intrare poterit per beatam felicitatem.

Capitulum decimum sextum. Textus. Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum.

Moralitatum Cap. IX.

INter cætera sacrificia unum magnum, & solemne fiebat in festo expiationis, in quo scilicet, cineres fiebant, de quibus aquam expiationis faciebant, & per totum annum immundos purificabant; accipiebantur enim quatuor animalia, scilicet, unus aries, una vitula triennis rufa, & duo hirci, quæ omnia ad ostium tabernaculi offerebantur, & ritu mirabili immolabantur. Mittebantur enim sortes super hircos, ut, scilicet, unus Deo, alius populo assignaretur, & quod ille, qui in sortem Domino cadebat, immolabatur. Ille verò, qui populo assignabatur, in præscriptis omnis populi super caput ejus per nuntium ad hoc deputatum in desertum emittebatur, & ibi liber abire permittebatur, & lupis, & leonibus exponebatur. Aliùs verò hircus una cum vitula rufa mandabatur per Sacerdotem occidi, & sanguine ipsius ipsum tabernaculum interius, & exterius expiari, & hoc scilicet per Sacerdotem lineâ tunicâ, femoralibus lineis, Zona linea, & cidari linea indutum, & tam propitiatorium quàm altare aureum, uti etiam velum cum digito tincto sanguine septies aspergi, cornu altaris sanguine tangi, & utrumque pavimentum interius, & exterius jubebatur sanguine cum digito aspergi. Sacerdos enim illa die cum sanguine solus Sancta sanctorum intrabat, & ne visa Majestate Domini moreretur, magnam copiam thuris in thuribulo secum portabat, quod totum sanctuarium obnubilabat. Quibus completis Sacerdos egrediebatur, & depositis dictis vestibus, vestimentis sacerdotalibus induebatur, arietemque cum adipibus, sanguine, & renunculis hirci occisi, & vituli Domino super altare immolabat, & sic ipsum altare ab immunditiis filiorum Israel expiabat, vitulæ verò, & hirci carnes, fimus, & pelles extra portari faciebat, & usque ad cineres comburebat, & in ignem lignum cedrinum, hyssopum, & coccum bis tinctum comburenda cum carnibus immittebat. Et sic populus à suis peccatis expiabatur, tabernaculum emundabatur, cinis pro facienda aqua expiationis efficiebatur, quæ per totum annum servabatur.

Dicamus allegoricè, quod ista animalia Christum figurare videntur, quia, scil. hircus emissarius, qui illæsus dimittebatur, Deitatem significat, quæ scil. impassibilis perseverat; alia verò tria animalia denotant ipsius humanitatem, pro eo scil. quod tres naturas continet, sc. animam, sanguinem, & carnem, unde etiam, & bene dicitur aries nempe propter ductor gregis. Dicitur hircus propterea, quia in similitudinem carnis fuit factus. Dicitur vitula rufa triennis, fragilitatem mortalitatis suæ, quâ sexus fœmineus designatur, 30. annis priùs vixit, & pòst trib. annis, & amplius prædicavit quoque Sanguis igitur istius effusus, id est, virtus sui sanguinis, & passionis interioris, id est, cœlestis, exteriora, id est, terrestria tetigit, & expiavit, in quantum secundùm Apostolum Coloss. 1. illa, quæ in cœlis sunt & in terris, per sanguinem suum pacificavit, quando, scilicet, secundùm Apostolum ipse, qui est Sacerdos & hostia, *per proprium sanguinem semel in sancta intravit*, Hebr. 9. Propitiatorium enim, id est, divina propitiatio, & misericordia isto sanguine aspergitur, in quantum ipse Deus per Christi sanguinem humano generi placatur. Altare etiam, id est, ipse amor patris, isto sanguine fuit tactus, in quantum ad pacem humani generis inclinatus: velum quoque, id est ipsum cœlum, sanguine isto videtur tactum, in quantum ejus virtute hominibus fuit apertum: pavimentum interius, id est, natura humana, isto sanguine fuit tacta, in quantum una natura fuit alteri reconciliata, & mediante Christi sanguine concordata, & ruina angelica per homines reformata.
F Unde Apostolus Ephes. 2. *Vos qui eratis aliquando longe, facti estis prope in sanguine Christi,* Ipse enim est pax nostra, qui facit utraque unum. Ista enim aspersio mense septimo facta dicitur, pro eo, quod ipsam spiritus septuplex nobis impartitur. Igitur istud est verum, quod corpus istius hirci atque vitulæ, scil. Christi, extra castra, id est, extra civitatem Hierusalem fuit positum, & ibi cum appositione ligni cedrini, id est, crucis passione crematum, id est afflictum, & usque ad cinerem, id est, usque ad summam humilitatem seu corporis deformitatem redactum, Isa. 53. *Vidimus eum, & non est ei aspectus:* in ipso enim passionis igne intervenit cedrus, id est, crucis Christi asperitas, hyssopus, id est, humilitas, coccus bis tinctus, id est, ipsius Christi clementia, & perfecta charitas. Cinis ergò, id est, ipsius Christi virtus cum aqua baptismi miscetur, & sic in Ecclesia servatur, & inde quotidie populus purificatur, & ab originali crimine expiatur. Unde Apostolus Hebr. 9. *Sanguis taurorum aut hircorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos mundificat.*

Vel dic aliter, quod istæ tres species animalium, significare possunt tria genera personarum. Aries enim dux gregis significat Prælatos. Vitula jugo subdita significat Religiosos & Clericos. Duo hirci significant sæculares, bonos & malos. Iste enim aries in holocaustum oblatus dicitur, quia, scilicet, Prælati toti Deo offerri tenentur. Holocaustum enim erat illa species sacrificii, de quo non licebat retinere aliquid, sed totum oportebat Deo offerri, nec populus nec Sacerdos poterant sibi aliquid retinere vel reservare. Et ideo dicitur ab ὅλος, quod est totum, & καυσὸν, quod est incendium, pro eo, quod totum Domino cremabatur. Quia revera Prælatus debet esse ita Deo dedicatus, quod totus sit per charitatem Domino associatus, & nulli alteri, scil. nec mundo, nec diabolo mancipatus. Vitula verò, id est, Clerici, & Religiosi, jugo obedientiæ debent more vitulæ subjici, & Deo per pœnitentiam concremari. Et dato, quod corpus eorum extra castra, scil. exteriùs in mundi negotiis cremetur aliquoties per vitam activam, adeps tamen & renunculus suæ interioris affectionis in tabernaculo, scil. super altare Paradisi crematur, & incenditur per contemplationem, quia scil. tam de vitula, quàm de G
hirco bono, Deo retento, id est, tam de bonis Ecclesiasticis, quàm laicis, illud debet esse verum, quod interiora Deus per affectionem & contemplationem habeat, dato quod carnes, pellem & fimum, id est, dato quod corpora mundus exterius in negotiis detineat. Hirci verò, id est; Christiani sæculares in duo dividuntur, quia secundùm sortem occultæ Dei dispositionis aliqui Deo reservantur, & sibi per pœnitentiam concremantur, alii verò cum peccatis & iniquitatibus suis, & aliorum per desertum mundi vagari permittuntur, id est, aliqui uti præsentibus sinuntur, & lupis, & canibus exponuntur, Psal. 80. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis.* Quia breviter ista est sors occultæ Dei justitiæ, ut de hircis, id est, de mundi fœtibus peccatoribus aliquos habeat Deus, qui, scil. se per pœnitentiam sibi offerunt, alios habeat populus sive mundus, qui, sc. mundi deserta circumeunt, & intenti præsentibus æterna prætermittunt. Unde dicitur Lucæ 17. *Erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur.* Igitur sive agamus de hirco, id est, de pœnitente, vel de vitula, id est, de religioso, & clerico se divino jugo subjugante, istud est verum, quod sanguis, id est, pœna, sudor, & labor, vel etiam martyrium talium usque ad interiora velaminis, & usque ad Paradisum transit, velum cœli penetrat, & transcendit, pavimentum Ecclesiæ ornat, & colorat, & aspergit ipsum altare divinæ charitatis, & ipsum propitiatorium divinæ pietatis tangit, in quantum pro se, & pro aliis veniam impetrat, & attingit; sicut ad literam apparuit in sanguine Martyrum, qui, scil. Deo placuit, & ipsos, & alios à criminibus expiavit. Apost. Heb. 9. *Omnia penè in sanguine mundantur.* Quicunque ergo Sacerdos, id est, quicunque justus sacra docens, intrare vult tabernaculum mentis suæ, & penetrare cupit per contemplationem usque ad sanctuarium Paradisi, semper debet talem sanguinem, id est, memoriam pœnæ Martyrum, & sanctorum secum habere, ut sic possit sibi & populo Deum placare. Thus etiam orationis portare tenetur, ut sic propitiatorium divinæ misericordiæ obnubiletur, & adoretur, & quidquid petitur, impetretur. Apostolus: *Tabernaculum non sine sanguine dedicatum est, & absque effusione sanguinis non fit remissio.*

Ad unum tamen advertendum est, quia quando animalia ista, H
scil. vitula & hircus extra castra comburebantur, lignum cedri, coccus bis tinctus, & hyssopus in igne ponebantur.

Ad denotandum, quod quando justi in pœnitentiæ vel tribulationis cremantur incendio, tria principaliter debent eos concomitari, scil. cedrus alta, id est, spei celsitudo, coccus coloris ignei, id est, charitatis fervor, & amplitudo, & hyssopus mundificans, id est, fidei certitudo. Ista enim tria, scil. fides, spes, & charitas sunt illis, qui cremantur per tribulationem & pœnitentiam, necessaria, ut scil. per fidem fortiùs, per spem faciliùs, & per charitatem libentiùs sustineant pro Christo gravia, quibus factis, cinis id est, memoria mortis, talium erit mundificativus, & si aqua lachrymarum affuerit, totius immunditiæ abstersivus, Psal. 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Vel dic, quod cinis est memoria mortis, qui, scil. si aquæ lachymarum adjungitur, mens immunda & peccatrix expiatur, & ab omni reatus macula liberatur.

Vel dic, quod Sacerdos facilius populum expiat, quando sanguinem Christi in altari per missæ celebrationem libat. Omnia tamen vestimenta linea debet habere, ad denotandum, quod puritatem in capite intentionis, in tunica conversationis, & femoribus carnis, & in zona justitiæ summæ profiteri jubetur.

Vel dic, quod dominus nebulam in sanctuario suo vult abundare, ne Majestas sua nuda possit homini apparere, ne, scil. præ terro-

Digitized by Google

terrore ipsum oporteret perire, sicut etiam supra Exod. 9. & 33. & in multis aliis locis ostenditur Dominus in caligine apparuisse, & & in fumo gloriæ,& nebula legem dedisse, ad denotandum, quod Deus vult,ut in sanctuario mentis semper aliquam nebulam ignorantiæ habeamus. Nec vult tempore hujus vitæ majestatem ejus intuitivè videamus, aut quod secreta Deitatis & rerum plenariè cognoscamus, quia scil. tunc fides nostra meritum non haberet, & mens nostra per præsumptionem forsitan interiret. Dominus ergò & in nebula loqui, & in nebula habitare dicitur, pro eo, quod Dominus mentem sanctam contritam, & obscuram diligit, & ibi habitare spiritualiter delectatur, 3. Reg. 8. Dominus dicit, quod *habitaret in nebula*, Psal. 17. *Caligo sub pedibus ejus.* Illa,quæ ad salutem pertinent, in tali nebula cordis contriti meliùs à Deo revelantur. Unde dicitur Exod. 24. *Vocavit Dominus Moysen de medio caliginis,&c.* De modo verò purificandi cum cinere, vide Num. 18.

Capitulum decimum septimum. Textus. Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron.

Moralitatum Cap. X.

Hic supponit Moyses animum omnis carnis in sanguine esse, & ideò sanguinis esum omninò prohibet, sed ipsum Domino mandat offerri, ut sic anima, quæ vivit in sanguine, possit à peccatis suis per sanguinem expiari.

Dic, quod sanguis spiritualis est affectio seu amor, quia revera talis sanguis est propriè animæ nostræ vita. Augustin. *Scio,anima mea,quam amo, est vita.* Ideo sanguinem non debemus comedere, id est, amorem, & affectionem nostram non debemus in nos ipsos reducere, nec ad nutrimentum carnis nostræ convertere, sed soli Deo offerre, & ad Deum ordinare, quia revera sanguis affectionis animam naturaliter vivificat, & delectat, & ideo si Deo offeratur, ipsam spiritualiter purificat atque mundat. Unde Ezech. 16. *In sanguine tuo vive.*

Vel dic, quod sanguis iste est sanguis Christi in Sacramento altaris, vel etiam memoria & compassio passionis & sanguinis Jesu Christi, quia revera in isto & ex illo constat spiritualis vita animæ nostræ,& ideò talem sanguinem non debemus comedere, id est, non recolendo absorbere, & abscondere, sed ipsum Missas celebrando, & passionem ejus recordando offerre, ut sic possimus animas nostras expiare. Unde Job. 16. *Terra non operies sanguinem meum.*

A *Capitulum decimum nonum. Textus.* Locutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad omnem.

Moralitatum Cap. XI.

Hic præcipiuntur homini multa præcepta, & dicit. Non maledices surdo,& coram cœco non pones offendiculum. Non observabitis somnia. Non facietis vobis figuras aut stigmata. Non radetis barbam,nec in rotundo attondebitis comam, nec super mortuo incidetis carnem. Non prostitues filiam tuam, &c.

Ista nobis omnia spiritualiter inhibentur. Et primò quidem Surdos & cœcos, id est, personas simplices & ignorantes, quia, scil. verbum Dei nec audiunt, nec intelligunt, non debemus maledicere,vel offendiculum alicujus mali scandali vel exempli coram eis ponere vel facere, ne forte occasione accepta possint ruinam peccati incurrere, tales enim simplices, qui nesciunt præcavere, facillimè cadunt, quando offendiculum, id est, occasionem mali in verbis aut factis nostris inveniunt. Ideò benè dicitur Matth. 18. *Quia qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei,quod submergatur in mare.* Item somnia, id est, falsas opiniones non debemus credere, nec frivola pro veris recipere, nec Ariolis nec Divinis, id est, Hæreticis aut adulatoribus fidem dare,nec etiam ad auguria seu garritus avium, id est, ad verba,& gratulationes personarum attendere vel vacare, sicut fecit Manasses,de quo dicitur, quod *observabat somnia,& sectabatur auguria, &c.* 4. Reg. 21. Item non debemus barbam,id est, virilitatem animi radere, nec comam capitis, id est, virtutem cordis aliqualiter B decurtare, quia scil. virtus animi, quam barba significat, nec est abjicienda, nec coma virtutum aliqualiter detondenda. Unde dicitur Num. 6. *Novacula non ascendet super caput ejus.* Rotunditas autem, quæ figura est valde mobilis, instabilitatem mentis denotat, quia tunc coma in rotundum tondetur, cum inconstantia mentis virtutum cæsariem in nobis truncat. Item figuras & stigmata non debemus nobis facere, id est, malas malorum imagines & exempla non debemus accipere, nec in nostris cordibus aut moribus per imitationem imprimere, nec per retinentiam aut complacentiam adorare.

Vel dic etiam, quod ista dicuntur contra quosdam familiares, qui constituunt, sic quod eos quasi pro diis colunt, in quantum eis plus debito credunt. Tales ergo figuras statuere & stigmata nobis prohibetur, & eorum adorationes vetantur. Item carnem nostram non debemus super mortuo, id est, super peccato luxuriæ vili & fœtido incidere & dividere, nec de sanguine delectationis carnalis aliquid sibi dare. Nec filiam nostram, scil. animam diabolo prostituere, nec sibi eam per diversa vitia maculatam offerre. Caro enim per luxuriam non est incidenda, sed integra & casta servanda. Anima etiam non debet prostitui nec per peccatum diabolo subjugari, ne fortè possimus de ea dicere illud Matth. 15. *Filia mea male vexatur à dæmonio.*

Hic præcipitur, quod animalia diversi generis simul convenire vel cohabitare non facient, & quod vestimenta ex lana & lino non texant, & quod agrum suum diverso semine non seminent seu serant: quod etiam præcipitur Deut. 22.

In verbis istis,Charissimi, videtur tangi, quod illi, qui ejusdem conditionis sunt & status, sicut pauperes & divites, sicut clerici C vel laici, debent simul cohabitare, & societatem alter alterius frequentare, copulam verò & societatem personarum dissimilium fugere, & istorum, qui sunt diversæ conditionis & status,consortia non amare. Unde dicit Sapiens Eccles. 13. *Quia pondus super se tollit,qui altiori se communicat. Quid communicabit cacabus ad ollam, quoniam si se collisserint, confringentur.* Sequitur. *Omne animal diligit sibi simile.* Istud potissimè debet servari in conjugiis, ubi pro certo paritas conditionum summè debet attendi, quia, scil. diversæ conditionis animalia non debent invicem copulari, nec rusticus nobili mulieri, nec rustica cum nobili conjugari. Facile est enim,quod quando ager, id est, lectus tali diverso semine seritur, quod alter ab altero faciliter condemnatur. Unde ibidem: *Quæ communicatio homini sancto ad canem, aut quæ pars bona diviti ad pauperem:* Et ad idem per omnia potest applicari illud, quod dicitur Deut. 2. *Non arabis in bove & Asino.*

Vel si vis, applica contra quosdam, qui ita fidem Evangelicam assumebant, quod cæremonias legis nullatenus relinquebant, sed utrumque servare volebant: Bos enim jugo subditus significat legem, asinus verò quem Christus equitavit, significat Evangelicam disciplinam. Talis ergo communicatio repellitur & duplex ritus à Deo reprobatur. Allega, ut infra.

Vel dic,quod boni non debent cum malis, fideles cum infidelibus,& hæreticis,Religiosi cum laicis communicare, ne eos contingat malos eorum mores discere vel habere, Psal. 17. *Cum sancto sanctus eris,&c.*

Vel dic,quod ager est cor,quod scil.diverso semine seritur,quando diversis contrariis negotiis occupatur, & quando Deo, & mundo vacare conatur, quod utique prohibitum est. Deus enim in corde nostro non vult habere participem, nec socium, sed illud in solidum possidere.Tanti emit,ut solus possideret,quia,sc.sicut dicitur in Evangelio Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire,&c.* Ideo de tali cordis divisione dicitur Eccles. 11. *Fili mi,non in multis sint actus tui.* Et Eccles. 2. *Væ duplici corde, & peccatori ingredienti terram duabus viis.* Igitur in hoc reprobatur omnis duplicitas, commendatur unitas & simplicitas, quod quando, scil. cor diverso semine,id est, duplici vel multiplici intentione vel fictione, una scil. apparenti, & alia existenti seritur, tunc istud mandatum præteritur.

Vel dic,quod vestis ex lana, & lino contexta significat proditoriam, & hypocriticam falsitatem,quæ,scil. lanam,id est,simplicitatem ostendit exteriùs, linum verò subtile, id est, malitiam, interiùs celat. Tali ergò veste,id est, talis hypocrisis duplicitate non debemus indui, sed potius vel corporaliter uno vel alio debemus vestiri. Melius enim est, vel quod simus ex toto lanei, vel ex toto linei, id est,ex toto boni, vel ex toto mali, quàm quod per hypocrisim boni exteriùs appareamus, & interiùs mali simus. Sicut enim dicit Comestor. *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Unde Chrysost: *Hypocrita appare,quod es,aut esto,quod appares.* D

Domino fuit maxima cura de peregrinis, & advenis fovendis & non vituperandis,aut non contristandis,& ideò præcipit,quod, scil. segetes usque ad solum non tonderentur, nec grana racemorum decidentia colligerentur, sed peregrinis, & advenis dimitterentur. Præcipitur etiam ipsis non exprobrari, sed sicut seipsos diligi & foveri. Quod scil. potissimè præcipitur filiis Israël, quia advenæ & peregrini in Ægypto fuerunt, ideò advenarum miserias cognoscebant. Quare concludit,quod amplius misereri debebant.

Ista omnia possunt exemplariter adduci ad inducendum ad pietatem, & miserationem egenorum, & pauperum, & peregrinorum, quia, scil. istis est compatiendum, & de suis bonis tribuendum. Et maximè hoc debent facere illi, qui quandoque pauperes fuerunt,& qui alienas terras perambulaverunt, & qui per experientiam,quid patiantur alii,didicerunt. Unde dicitur Exod. 23. *Peregrinis molestus non eris, scitis enim advenarum animas, nam & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.* Quod tamen est contra multos divites,qui quamvis aliquando fuerunt egeni, & pauperes, ipsi tamen peregrinis,& pauperibus præ cæteris sunt crudeles.

Vel dic, quod pauper vel peregrinus est peccator, cui pro certo non est detrahendum, sed potiùs miserendum. Quandoque enim à Deo peregrini, id est, peccatores fuimus, & ideò humanam fragilitatem cogitare debemus, juxta illud Eccles. 31. Disce ex te ipso, qui sunt proximi tui. Quod tamen est contra multos, quia,

Digitized by Google

quia, ſcilicet illi, qui præ aliis fuerunt pauperes & peregrini, & qui aliundè fuerunt nati, vel qui etiam per peccatum à Deo fuerunt alieni, ſolent, quando ad proſperitatem veniunt, eſſe advenis, & alienis magis duri, & contra delinquentes plus ſeveri.

Item ibidem præcipitur ſic. *Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaveritis ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec comedetis ex eis.* Nam, ut dicit Scholaſtica hiſtoria, omnes fructus, qui in primis tribus annis creſcebant, immundi erant, fructus verò quarti anni, & deinde, Domino conſecrabant, & fructus quinti anni, & deinceps, ad uſus proprios reſervabant.

Arbor pomifera ſignificat hominem, qui bonorum operũ initia vel
G germina boni propoſiti producit. Unde propriè pomorum præputia ſeu germina, ſunt bonorum operum initia, quæ pro certo immunda cenſere debemus, eò, quod bona noſtra initia non ſtatim approbare, ſed potius vilipendere & immunda eſſe, & inutilia reputare tenemur. In uſus enim noſtros non debent ſtatim cedere, nec ea, quouſque ſolida, & vivificata ſint, debemus noſtris uſibus, id eſt, noſtris approbationibus applicare. Primò n. ſunt omnia quaſi immunda vilipendenda, & tandem ſi perſeverant in bono, Domino conſecranda, & attribuenda, & finaliter in noſtros uſus, id eſt, in noſtram complacentiam ſunt vertenda. Nimia n. approbatio reprobatur, & ideò multi ſunt doctores juvenes etiam novitii, qui in bonis ſuis primordiis plus debito gloriantur, ità quod ſe magis ſcire, vel plus bonorum operum poſſe facere, quàm cæteri, arbitrantur, contra illud Prov. 20. *Subſtantia, ad quam feſtinatur in principio, in fine Benedictione carebit.* Vel adverte, quod, ut dicit Scholaſtica hiſtoria ſuper Levit. 20. poma trium annorum vineæ immunda erant, pro eo, quod natura nimis præceps vim videbatur feciſſe. Quod ad hoc poteſt applicari, quod poma, id eſt, opera Neophytorum, & novitiorum, qui, ſcilicet indiſcretè contra naturam quandoque aggrediuntur opera valdè ardua, & miranda, debent immunda reputari, id eſt, non approbari, quia, ſcilicet faciliter ſolent perire, & apud Deum, & homines reprobari. Sicut enim dicit Philoſophus, Acres in principio, franguntur in fine. Tales enim vineæ, id eſt, tales perſonæ, quæ in juventute alios vituperare in bonis operibus videntur, ante tempus deſiſtere, & deficere comprobantur. Undè dicitur Luc. 14. *Iſte homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Et ideò talia poma, id eſt, talia juvenum opera non ſunt multùm approbanda, ſed potiùs immunda & inutilia reputanda.

H *Capitulum vigeſimum. Textus.* Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Hæc loqueris.

Moralitatum Cap. XII.

PRæcepit Dominus ſupra 18. cap. multa genera immunditiarum vitari, hic autem ſub pœna mortis illa mandat totaliter declinari. Dicitur enim, quod homo non debebat turpitudinem Patris, aut matris, fratris, aut ſororis revelare, aliàs merebatur mortem incurrere, & ſubire. Qui etiam Patri, & Matri maledicebat, ſine remedio mori debebat. Aliæ etiam carnis immunditiæ multiplices reprobantur, & ſub mortis periculo prohibentur. Vide, ſi vis, textum, & allega contra diverſas ſpecies luxuriæ.

Vel dic, quod Pater noſter eſt Prælatus, Mater noſtra eſt Eccleſia, vel Religio, fratres, & ſorores ſunt ſocii, & vicini, & maximè illi, qui nobis per profeſſionem, & familiaritatem ſunt juncti. Igitur talium turpitudines, id eſt, vilitates, infamias, vel enormia crimina, ſi quæ ſcimus, nullo modo detrahendo revelare debemus, quia pro certo, qui tales amicos ſuos, quibus ſcilicet fidelitatem, & reverentiam exhibere tenetur, diffamaverit, & eorum turpitudines revelaverit, mortis æternæ periculum ſuſtinere debebit. Non debet enim Eccleſiaſticus Patri, vel Matri maledicere, ſeu detrahere, vel turpitudines Prælati, vel Eccleſiæ ſuæ, nec non ſociorum ſuorum apud laicos revelare, nec ſecreta ſuorum aliis publicare, ſed potiùs ipſe tenetur abſcondere, & celare, niſi fortè propter correctionem ſit neceſſe ipſa Majoribus declarare. Undè dicitur Prov. 25. *Quæ viderunt oculi tui, ne citò proferas in jurgio, ne emendare non poſſis, cum deboneſtaveris amicum tuum.*

Capitulum vigeſimum primum. Textus. Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Loquere ad Sacerdotes.

Moralitatum Cap. XIII.

SAcerdotes nullum mortuum debebant tangere, nec in alicujus mortui exequiis intereſſe, etiam dato, quod eſſet Princeps populi ſui, niſi duntaxat Pater, vel Mater, filius, & filia frater & ſoror virgo. Et huc iſta conceſſio non fiebat, niſi Sacerdotibus minoribus, quia, ad-
A ſcil. Sacerdos, qui mundus erat, ad nullum prorſus mortuum accedere, nec alicujus exequiis intereſſe debebat.

Ex iſto poſſumus oſtendere, quantò quis eſt major in Eccleſia, tantò magis debet mortuos, id eſt, excommunicatos, & peccatores, & tactum, & ſocietatem malorum ſuimmopere declinare. Soli enim conjuncti, & conſanguinei excipiuntur, quia, ſcilicet viri Chriſtiani, & Eccleſiaſtici tangere, & ſociare ſe permittuntur. Summi verò Sacerdotes, id eſt, illi, qui ſpecialiter Deo ſunt juncti, & conſecrati, ſicut ſunt viri religioſi, & perfecti, ex toto debent mortuos, id eſt, peccatores, imperfectos, excommunicatos, & hæreticos abhorrere, & dato, quod ſint Principes, ſeu magni & conſanguinei, etiam & propinqui, ipſos tamen debent fugere, & vitare. Quamvis talis tactus, & acceſſus ſit generaliter omnibus prohibitus; iſte tamen ſtrictiùs eſt Sacerdotibus, id eſt, Eccleſiaſticis, & maximè ſummis Sacerdotibus, id eſt, Prælatis majoribus interdictus, & maximè hoc debet eſſe in religioſis, & perfectis, qui de parentibus carnalibus, maximè quando ſunt peccatores, non debent curare, ſed eos pro Chriſto dimittere, & horrere. Quod tamen eſt contra multos Eccleſiaſticos, qui plus debito diligunt conſanguineos, & amicos, quibus dicitur in Evangelio Luc. 14. *Qui non odit Patrem, & Matrem, aut uxorem, & filium, & fratres, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Multi ſunt Eccleſiaſtici, qui dum malos parentes plus debito dilexerunt, proprias animas perdiderunt. Ideò dicitur ſupra Levit. 11. *Nolite contaminare animas veſtras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi ſitis.*

Sacerdos non debet accipere aliquam vilem, aut inhoneſtam uxorem, ſcortum, captivam ancillam, viduam, repudiatam, ſordidam, aut meretricem, ſed potiùs virginem, aut puellam de populo ſuo natam. Quia breviter, ſicut hic dicitur, Sacerdos, ſeu Pontifex, ſuper cujus caput fuſum eſt oleum unctionis, & cujus manus in Sacerdotium conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt Sanctis veſtibus, non debet caput ſuum diſcooperire, veſtimenta ſua ſcindere, ad mortuum intrare, & inhoneſtam mulierem in uxorem accipere; ſed puellæ virgini de ſuo populo nubere, & ſtirpem generis ſui vulgo gentis ſuæ non miſcere.

Sacerdos Dux, & Pontifex, ſeu pontem faciens, eſt Prælatus, qui, ſcilicet pontem ad cœlum debet facere, & illuc ſubditos verbo, & exemplo ducere. Uxor ipſius eſt vita ſua, & morum ſuorum compago, quia, ſcilicet iſte tunc alicui uxori ſpiritualiter nubit, B
quando aliquam vitam ſpiritualem accipit, & cuſtodit. Igitur ſicut hic dicitur, Sacerdos, id eſt, Prælati, & Clerici, ſummè debent dici Sancti, & Sanctitatem moribus obſervare. *Sancti*, inquit textus, *erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus.* Et iſti, quorum manus ſacratæ & ordinatæ ſunt ad actus bonæ operationis, & qui induti ſunt veſtibus ſacris honeſtæ converſationis, non debent barbam radere, id eſt, dimittere animi virilitatem, caput mentis diſcooperire, id eſt, deponere humilitatem, humilitas enim velat, & celat interiores virtutes mentis, nec veſtimenta ſcindere, id eſt, deſtruere exteriorem humilitatem, ad mortuum intrare, id eſt, frequentare malam ſocietatem: vilem uxorem ducere, id eſt, profiteri, vel ſectari alicujus malæ vitæ ſordidam vilitatem. Uxor enim ſua, id eſt, vita, & conditio ſtatus ſui, debet eſſe virgo, id eſt, pura, & munda, quæ, ſcilicet non ſit vidua, nec à populo repudiata, aut contempta, nec captivitati timoris ſervilis ſubjecta, vel ſervituti peccati aliqualiter ſubjugata, nec in ſe vilis meretrix, aut immunda, nec etiam de alieno populo, id eſt, per nimiam ſingularitatem ſubditis totaliter aliena. Sic enim erit Sanctus, & mundus, & Sancto Dei ſervitio ſanctè, & mundè deditus, & ſacratus, ſupra eodem *c. 21. Incenſum, & panes offerunt Deo ſuo, & ideò Sancti erunt.*

Vel dic, allegoricè, quod Sacerdos eſt Chriſtus ſpiritu lætitiæ unctus, & ſacra veſte, id eſt, puriſſima humanitate veſtitus, quia revera iſte pro ſpeciali conjuge, cum, ſcilicet in beata Incarnatione ſe C
nobis conjunxit, non accepit mulierem vilem, ſed nobilem, non corruptam, ſed virginem, non hominum ancillam, ſed virtutum dominam, non ſub peccato captivam, ſed liberam elegit virginem glorioſam, cui ſe carnem aſſumendo, conjunxit, quæ etiam de populo Dei Iſraelitico nata fuit.

Vel dic, quod uxor, Chriſti eſt, mens, ſive anima, quam, ſcilicet ſi ſit virgo, id eſt, pura, Sancta, & immaculata de populo ſuo, id eſt, de Chriſtianitate, & fide ejus nata, libenter Chriſtus ducit. Si verò vilis, reproba, & immunda fuerit, ipſam non accepit, ſed contemnit.

Vel dic, quod uxor hominis eſt dignitas, officium, vel beneficium, ſeu diœceſis, vel Eccleſia, cui conjungitur, & ad quod in hoc ſæculo promovetur, ſive ſit Eccleſiaſtica, ſive Sæcularis. Sed verè de talibus uxoribus aliquæ ſunt virgines, id eſt, illæ Eccleſiaſticæ dignitates, quæ mundæ, & ſanctæ, nullo Simoniæ vitio, vel nullo carnali affectu ſũt vitiatæ, vel corruptæ. Aliquæ verò ſunt corruptæ, & imundæ, & ſemper aliquo adjuncto vitio maculante fœdatæ, ſicut ſunt multæ ſæculi dignitates, quarum quædam ſunt, quæ magis danti annuatim venduntur, aliæ ſunt ſicut repudiatæ, quia, ſcilicet ab omnibus bonis hominibus refutantur. Aliæ ſunt ſicut captivæ, & ancillæ, quæ ſcilic. ſervituti, & periculo ſubmittuntur, ſicut ſunt generaliter illæ, quæ hodie ſunt altiores, &c. Igitur iſtud eſt verum, quod Sacerdos, id eſt, quicunque Eccleſiaſticus bonus nunquam talia publica officia debet petere, nec tales immundas, & immunditiâ vitiorum permixtas uxores, ſeu ſæculi dignitates diligere, ſed magis virginem, id eſt, aliquam mundam, quamvis pauperem, & ſterilem præeligere, cum qua poſſit mundè, & ſanctè vivere, & manere. Unde dicitur 3. Eſd. 9. *Diſcedite à gentibus terræ, & ab uxoribus quandoque alienigenis*, quamvis aliqui hodie non curant, qualem uxorem habeant, quinimò uxorem fornicariam, id eſt, beneficium, vel dignitatem fornicariè, id eſt, ſimoniacè acquiſitam libenter accipiunt, & procurant. Ideò dicitur

Digitized by Google

Oseæ 1. *Accipe tibi uxorem fornicariam, & fac filios fornicationum.*

Vel dic, quod non licet alicui Ecclesiastico uxorem alterius gentis, id est, dignitatem, vel beneficium alterius sectæ, vel Ecclesiæ assumere, vel concupiscere, sed de populo suo, id est, de Papa, Ecclesia, vel Patriarcha debet sibi uxorem, seu beneficium procurare. Undè dicitur Marc. 6. *Non licet habere uxorem alienam*, i.e. dignitates, seu officium Sæculare, scilicet non licet Sacerdoti, & Ecclesiastico accipere, vel ad ea anhelare, sed solum de populo suo, id est, de statu Ecclesiastico uxorem, & promotionem acquirere, vel habere: quod est contra multos Clericos in curiis Regum, & Sæcularibus officiis constitutos, de quibus dicitur: *Inveni Judæos ducentes uxores Moabitas.*

Vel dic, quod Sacerdos non debet commiscere stirpem generis sui cum vulgo gentis suæ, quia illos, qui sunt de genere suo, Patria, & consanguinitate, non debet sibi commiscere, nec in beneficiis, nec officiis Ecclesiæ suæ ponere, nec etiam eos ibidem cum divitibus, & nobilibus Patriæ conjugare, sicut quotidiè faciunt multi Prælati, qui aliundè venientes totam Ecclesiam suam, & Patriam sibi commissam de suis consanguineis implent, & stirpem generis sui cum vulgo populi sui miscent.

Item dicitur, quod omnis, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo, nec accedat ad ministerium ejus: ut si non sit cœcus, si claudus; si habuerit parvum nasum, vel grandem, vel tortum, si fractum pedem, vel fractam manum, si gib-
C bosus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem habens in corpore, si hernioſus. Istæ enim sunt tredecim maculæ, seu impedimenta, quæ hominem reddebant indignum, ne ministraret in tabernaculo in Sacerdotali officio. Veruntamen dato, quod panes, & incensum non permitteretur offerre, de panibus tamen, quæ offerebantur in Sacrificio, permittebantur comedere.

Sic verè moderni Sacerdotes, & Clerici à Dei ministerio reduntur indigni, quando spiritualibus maculis sunt fœdati. Teste enim B. Gregorio: Istæ tredecim maculæ peccata designant. Undè dico, quod cœcus est, qui non videt per contemplationem. Claudus, qui vacillando incedit, & per malitiam, & cavillationem. Parvi nasi est, qui nasum, id est, sensum diminutum habet per sublatam debitam discretionem. Nasi grandis, qui sensu nimis abundant per præsumptionem. Apost. Rom. 12. *Non plus sapere, quàm oportet sapere.* Torti nasi, qui tortum, & perversum sensum habet per hæresim, vel per invidiæ machinationem. Contra quos Apost. 1. Corinth. 14. *Nolite pueri effici sensibus*, quantum ad nasum parvum, sed malitiâ parvuli estote, quantum ad nasum tortum, & magnum. Pedem etiam habet fractum ille, qui debilem, & fragilem habet affectionem. Fractam verò manum ille, qui habet remissam, & laxam operationem, ut sic de tali sic excœcato, claudo, & pedibus manibusque contracto, dicatur illud Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, &c.* Item lippus est ille, qui licet clarus per scientiam, & discretionem videat, oculis tamen cordis sui infectus est per immunditiam Simoniæ. Albuginem habet ille, qui mente, & affectu habet candorem mundanæ gloriæ. Gibbosus est, qui patitur tumorem, seu gibbum superbiæ. Scabiem habet jugem, qui quotidiè versatur in immunditia luxuriæ. Impetiginem patitur, qui pruritum, & ardorem sustinet libidinis. Hernioſus, seu ponderoſus est, cujus humor interioris affectionis ad genitalia fluit per desideria carnis. Breviter ergò istud est verum, quod illi, qui talia patiuntur, indigni Sacerdotio, vel quocunque Ecclesiæ ministerio reputantur. Homines enim benè formatos, id est, bonis moribus instructos, non vitioſos vel maculatos vult Dominus ministros suos habere, malos verò informes, vitioſos, &
D incompositos solet abjicere, & horrere. Undè dicitur Lev. 22. *Animal cicatricem, papulas, scabiem, aut impetiginem habens, non offeretis Domino.* Sed pro certo unum restat de isto capitulo: quia, scil. dato, quod isti propter indignitatem non debebant panes offerre, vel in Ecclesia ministrare, tamen oblatos non vetabantur cum aliis manducare. Sic verè, proh dolor! hodie multos videmus Ecclesiasticos, qui, scil. licet Ecclesiæ non deserviant, aut ministrent, nec digni sunt etiam ministrare propter vitiorum maculas, quas continent, panes tamen oblatos ab aliis, id est, fructus Ecclesiasticorum beneficiorum, & aliorum labores percipere nunquam cessant, quinimò tales habent abundantiùs Ecclesiæ panes, quàm illi, qui quotidie in Dei servitio, & ministerio offerunt, & laborant, ità quod istis propriè potest dici istud Joan. 4. *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.*

Vel dic, quod ille, qui habet maculam, est ille, qui non debet ad altare accedere, nec in Sacerdotis officio ministrare, quousque à tali macula voluerit per pœnitentiam se purgare, quando se sentit talibus vitiis, seu vinculis irretitum. Et maximè quando se scit per excommunicationem maculatum, tunc debet se ab introitu Tabernaculi, id est, Ecclesiæ retrahere, & in officiis Ecclesiasticis nullatenus ministrare, sed indignum se reputans, debet & à ministerio cessare. Undè Lev. 12. *Omnis homo, in quo fuerit immunditia, & accesserit ad ea, quæ sanctificata sunt, peribit de populo suo.*

Capitulum Vigesimum secundum. Textus. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere.

Moralitatum Cap. XIV.

TRia genera panum erant apud Judæos, scilicet panes propositionis, quos soli Sacerdotes, qui erant sine macula, debebant comedere, & in loco Sancto. Item panes alii, qui à populo offerebantur, & in Sacerdotum partem cedebant, & de istis licebat co- E
medere omnibus, qui erant Levitici generis, etiamsi haberent maculam, etiamsi esset filia Sacerdotis vidua, vel repudiata, & domum Patris reversa. Veruntamen quicunque alienigena, vel etiam filia Sacerdotis, dum tamen adhuc alicui alieno de populo actualiter esset nupta, de talibus panibus non comedebant, sed tanquam extranei à talibus abstinebant. Item panes laici, qui populo, & Clero communes erant, & de quibus omnes generaliter comedebant.

Per istas tres species panum possunt intelligi tria genera bonorum Ecclesiasticorum, scilicet panes propositionis, & ista sunt bona spiritualia, scilicet virtutes, & merita, quæ, scilicet nullus potest accipere maculosus. Item panes oblati à populo, & isti significant beneficia Ecclesiastica, quæ etiam multi maculati, & repudiati, id est, multæ malæ personæ possunt habere, dum tamen de genere Sacerdotali, id est, personas Ecclesiasticas contigerit eas esse. Item panes laici, id est, bona mundana, & Sæcularia, qui, scil. bonis, & malis, mundis, & maculatis, laicis, & Clericis communes esse censentur, in quantum ab ipsorum perceptione nulla generatio hominum impeditur.

Vel dic, quod dato, quod homines habeant maculas diversorum vitiorum, & nomina eas, si vis, sicut in cap. præcedenti: dato etiam, quod sint personæ repudiatæ à Deo, & à mundo, nihilominus, si sint de genere Sacerdotali, id est, si sint de consanguinitate Prælatorum, non solent à comestione panum, id est, à perceptione Ecclesiasticarum præbendarum, & beneficiorum repelli, sed inde amplius satiari Psalm. 72. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in Sæculo, obtinuerunt divitias.* Dato etiam, quod ipsi non ministrent, nec serviant, bona tamen Ecclesiæ participant, & abundant.

Vel tres panum species sunt tres virtutes Theologicæ. Undè dicitur Luc. 11. *Amice accommoda mihi tres panes.* Sed de istis unus est solis bonis personis concessus, scil. charitas, Nullus enim maculosus, aut peccator potest comedere panem istum. *Charitas* enim *est fons vivus, quem non participat alienus*, secundùm August. Alius enim est, non solum mundis, & immaculatis, sed etiam ma- F
culosis concessus, & repudiatis, dum tamen sint de genere Sacerdotum, id est, Christianorum, & iste est fides, quæ scilicet bonis, & malis conceditur, dum tamen Sacerdotum, id est, Christianorum propago habeatur. Alius autem omnibus est communis generaliter, scilicet, spes, quia fideles, & infideles, boni, & mali aliquid sperant post hanc vitam. Et sic dico, quod charitas sola est bonorum Christianorum, bonorum tamen, & maculatorum est fides, spes verò est communis universorum.

Vel dic, quod primi sunt virtutes, secundi sunt scientiæ, tertii sunt temporalia.

Vel dic, quod tres panes sunt tres scientiæ, Moralis, Physica, & Civilis, &c. Dilata, si vis.

Hic ponitur, quod filia Sacerdotis nupta alteri populo, non poterat comedere de Sanctificatis, quamdiu extra maneret, & quamdiu cum viro esset. Verùm, quando repudiabatur, vel viro mortuo viduabatur, & ad domum Patris revertebatur, tunc poterat Sanctificatos comedere, ut prius.

Sacerdos est Christus, filia ejus est anima, de qua scil. supra præcipitur, quod, *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, flammis exuretur.* Lev. 21. quia, scilicet anima filia Dei, si in morte deprehensa fuerit in peccato, flammis perpetuis incendetur. Undè Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ista ergò quandoque exit domum Patris sui, Christi Ecclesiam, vel statum gratiæ, & nubit per desiderium, & amorem uni extraneo de populo, scilicet diabolo, carni, vel mundo, undè dicitur Luc. 16. *Adhæsit uni de civibus regionis.* Et tunc pro certo, quamdiu stat tale nefandum matrimonium, ista filia non debet comedere de Sanctificatis, & non est digna percipere bona spiritualia, & æterna, sed terrena. Si verò tale matrimonium cessaverit, & ista vidua facta, vel à mundo & ejus prosperitate per infortunium ità repudiata, quod ad domum Patris, id est, ad gratiam, vel Ecclesiam per pœnitentiam redierit, tunc verò cibis cœlestibus & spiritualibus digna erit. Filia ergò, id est, anima vel fragilis persona, quæ à viro suo, id est, à mundo repudiatur, utpote quia per paupertatem, & infortunia omni prosperitate privatur, debet in domum Patris sui, id est, ad conscientiam, seu Ecclesiam revenire, fortunæ instabilitatem cognoscere, & se Patri suo Christo reddere, ut sic de Sanctificatis, id est, de bonis spiritualibus, & æternis partem suam possit percipere, & habere, exemplo filii prodigi, qui à mundo repudiatus, & infortuniis compulsus ad Patrem rediit, & vitulum saginatum comedit. Et ideò tali filiæ loquitur Dominus in Can. 6. *Revertere, revertere, Sunamitis,*

Digitized by Google

namitis, revertere, revertere, ut intueamur te. Et istud Hier. 31. *Revertere ad civitates tuas. Usquequo delitiis dissolveris filia vaga?*

Alienigena nunquam debebat comedere de Sanctificatis, dato, quod in domo Sacerdotis maneret, nisi fortè esset servus perpetuus Sacerdotis, & ejus vernaculus emptitius constitutus. De manu etiam alienigenæ non debebant sacrificia accipi, & Domino immolari, sed omnia corrupta, & inutilia judicari. *De manu, inquam, alienigenæ non offeretis panes Domino Deo vestro, nec quicquam aliud, quod dare voluerit, quia corrupta, & maculata sunt omnia.*

G Alienigena significat hæreticum, vel quemlibet infidelem à fide Christi alienum. Iste ergò non debet de Sanctificatis comedere, id est, Ecclesiastica Sacramenta percipere, nisi fortè vernaculum, seu perpetuum Ecclesiæ servum ipsum per fidem, & pœnitentiam contigerit factum esse. Panes etiam, id est, doctrinæ, & alia opera, & exempla, quæ tales offerunt, à fidelibus non debent recipi, neque credi, sed magis omnia debent hæretica, & corrupta reputari. Et simplices etiam summè debent cavere ab illis, quæ ab hæreticis, & infidelibus prædicantur, & offeruntur, ne fortè per errorem aliquem corrumpantur. Undè Levit. 11. *Non tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis.*

Vel si vis, dic, quod panes alienigenæ sunt scientiæ Sæculares, quæ scilic. à Sacerdotibus non debent recipi, vel sectari, & maximè leges, & medicina, &c.

Animalia, quæ offerebantur Deo, debebant esse integra, sana, & nullâ maculâ vitiata, aliàs à Sacerdote debebant repudiari, & nunquam Domino immolari. Undè hic dicitur Levit. 22. *quod omnis macula non erit in eo: si cœcum, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, scabiem, vel impetiginem, non offeretis eum, sed repudiabitur.* Etiam animal, quod testiculos tonsos, & fractos, sectos, & ablatos haberet, si linguâ careret, & si aurem vel caudam eidem aliquis amputasset.

Sic verè illi, qui offeruntur Domino, ut eidem in ipsius servitio, scilicet, in statu Ecclesiastico præsententur, mundi, Sancti, & immaculati esse jubentur. Igitur non debent esse cœci per ignorantiam, non fracti per inconstantiam, non cicatricem malorum exemplorum, & malorum morum habentes per insolentiam, non papulas, scabiem, seu impetiginem, id est, pruritum, & immunditiam carnis
H sentientes per luxuriam, & non scissi vestibus, seu testiculis per virilitatis amissionem, seu per mentis effœminationem, non perditâ linguâ per bonæ locutionis laudem, & Confessionis perditionem, non truncatâ caudâ per finalis perseverantiæ depositionem: quia pro certo viri Ecclesiastici debent per discretionem clarè videre, debent per constantiam, & fortitudinem integrè manere, debent sine cicatrice, id est, sine malæ consuetudinis vulnere, vel sine invidiæ ulcere mentem habere, debent in suæ conversationis pelle, scabie, id est, vitiis majoribus, & impetigine, seu papulis, id est, vitiis minoribus semper carere: testiculos, id est, virtutem bonorum generativam: Aurem, id est, promptitudinem auditivam, & obeditivam, Caudam, i.e. virtutem perseverativam, & completivam, Linguam, i.e. gratiâ prædicativam, vel divinæ laudis, & Confessionis depromptivam, debent jugiter continere. Si verò omnibus istis, vel aliquibus istorum caruerint, non sunt digni coram Domino comparere, nec in Ecclesia triumphante locum debent aliqualiter obtinere. Undè dicitur Mat. 22. *Qui vocati fuerant, non erant digni.* & Luc. 14. De illis enim, qui testiculos, id est, generationem bonorum operum, vel etiam generationem fidelium, quæ per prædicationem efficitur, & quæ, scil. à duobus testiculis prædicatorum procedit, sc. à vita, & doctrina, non obtinêt, potest dici illud Deut. 23. *Non intrabit Eunuchus amputatis testiculis abscisso veretro in Ecclesiam Dei.* De aliis verò dicitur Malach. 1. *Si offertis Domino claudum, & languidum, novum malum est*, quia breviter illi, qui Domino offeruntur, sine peccati macula esse tenentur. Apoc. 14. *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Undè Deuter. 17. *Non immolabis Domino bovem, & ovem, in quo est macula, aut quippiam vitii.* Vel si vis, allega hæc omnia contra Sæculares, qui filios cœcos, claudos, & malè morigeratos, & formatos offerunt Deo, faciendo eos Religiosos, & Clericos, benè autem formatos retinent sibi, ut serviant mundo, & ut eos faciant cupidos, & mundanos. Contra quos dicitur, Malach. 1. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debilem Domino.* Adverte hic, quod quando quis offerebat sacrificium ex voto oblatum, debebat esse sine quacunque macula, sicut præmittitur in cap. præcedenti. Quando verò quis offerebat voluntariè, scilicet, oblationem pacificorum, vel hujusmodi, tunc potuit offerre animal, dato, quod haberet aliquam de maculis supradictis, scilicet, & maximè aurem, vel caudam amputatam.

Undè ibidem dicitur sic: *Ovem, & bovem, aure, & caudâ amputatis, voluntariè offerre quis potest.*

A Sic cum in mundo sunt duo genera personarum, quæ Deo offeruntur, scilicet boni Ecclesiastici, qui tenentur ex voto, vel tacito, vel expressò, & boni laici, qui videntur tantum voluntariè teneri, istud est verum, quia illa animalia, id est, istæ personæ, quæ pro voto solvendo, & complendo Domino immolantur, & in ejus servitium deputantur, sicut sunt Religiosi, & Clerici, debent esse perfectiores, & ab omni macula criminum mundiores, quàm illi, qui voluntariè offeruntur, id est, quàm Sæculares, qui supererogationis opera voluntariè exequuntur. In istis enim multæ maculæ, & multi defectus solent sustineri, quæ in Religiosis, & Clericis esset necessarium reprobari. Et multa sunt vitia, quæ apud Deum Religiosos, & Clericos indignos facerent, quæ Sæcularibus non nocerent, quia scilicet illi tenentur esse perfecti ex voto & necessitate, isti autem ex voluntate. Ideò Clericis dicitur Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Hic præcipitur, quod nullum animal sibi offerri debeat, quousque septem dierũ in ætate transeat spatium, &c. præcipit etiam Dominus, quod sive ille bos sit, sive illa ovis, non immolabitur una cum fœtibus suis.

Istud exponunt aliqui sic, quod Mater est misericordia, fœtus ejus sunt bona opera. Ista ergò Mater, & fœtus sui non debent Domino offerri, in quantum, scilicet statim, quod à pœnitentia incipitur, opera ejus non debent perfecta putari, nec digna gratiâ divinâ adhuc putari, nec ante conspectum Domini offerenda tanquam perfecta, & digna judicare debemus.

Vel istud expone allegoricè de Christo, qui est Mater misericordiæ, de quo dicitur, quod propter nimiam charitatem, quâ diligit universos, passus est, &c. Undè dicitur 2. Reg. 1. *Sicut Mater unicum amat filium, ità te diligebam.* Principales ergò fœtus istius Matris fuerunt Apostoli. Igitur istud fuit verum, quod eadem die non fuerunt immolati nec passi, Mater, & filii, id est, Christus, & Discipuli. Quinimò Judæis, quando & discipulos cum Christo apprehendere voluerunt, ipse dixisse legitur Joan. 18. *Si me quæritis, sinite hos abire.*

Capitulum vigesimum quartum. Textus. Et Locutus est Dominus ad B
Moysen, dicens: Præcipe filiis Israël, &c.

MORALITATUM CAP. XV.

CAp. 23. Ponuntur festivitates legis, sed ad præsens omitto, quia fortè Numerorum libro aliquid de his dicam cap. 29.

Sed hic cap. 24. Mulier Israelitica conceperat filium de viro Ægyptio, qui filius jurgatus cum viro Israelitico, blasphemavit nomen Domini, maledicens ei, ergò ipse inclusus à Moyse, fuit à populo lapidatus.

Allega exemplariter contra spurios, qui nati de Ægypto, id est, de adulterio, vel fornicatione, fiunt quandoque blasphemi, & rixosi, & malè morigerati, & injuriati, quapropter aliquando incarcerantur, & etiam suppliciis exponuntur.

Vel dic moraliter, quod mulier Hebræa est voluntas, vel anima, vir Ægyptius est corpus, de quo tunc pro certo blasphemum concepit, quando in affectum malum, seu malum desiderium per corporis suggestionem, & tentationem incurrit, malus enim affectus Deum videtur maledicere, in quantum semper nititur suis jussionibus contraire, & ideò talis blasphemus, id est, talis malus affectus debet in carcere timoris includi, & lapidibus, id est, divinæ scripturæ sententiis, & reprehensionibus reprehendi. Undè supra Levit. 20. *Lapidibus obruetur & mœchus, & adultera.*

Capitulum vigesimum quintum. Textus. Locutusque est Dominus
ad Moysen in monte Synai.

MORALITATUM CAP. XVI.

ANnus Jubilæus apud Hebræos præcipitur observari. Erat autem iste annus quinquagesimus ab egressu filiorum Israël ex C
Ægypto, & ex tunc de quinquagesimo in quinquagesimum observabatur, quia scilicet Judæi omnia septenaria observare voluerunt, & sic septimum diem & septimum annum servaverunt, & tandem Jubilæum tanquam ultimum annum in fine septem hebdomadarum annorum. erat ergò ille annus privilegiatus, quia, scilicet, tunc omnis servus liber efficiebatur, omne debitum tunc dimittebatur, & omnis hæreditas vendita ad pristinum Dominum revertebatur, & ideò annus Jubilæus à jubilando dicebatur, pro eo, quod ibi tubis canebatur, summisque lætitiis annus hujusmodi colebatur.

Per istum annum potest intelligi tempus gloriæ Paradisi, quod scilicet, per numerum quinquagesimum intelligitur, pro eo, quod in fine septem hebdomadarum annorum, id est, in fine hujus vitæ, quæ fluit per septenarium dierum, & ætatum, annus ille Jubilæus, id est, æterna gloria cum suis æternis jubilis celebratur. Psal. 99. *Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia.* In isto enim anno, & tempore, sc. in Paradiso omnia debita humanæ naturæ, sc. timor, languor, & mors, & cætera similia erunt soluta, servitus corruptionis erit dimissa, & hæreditas gloriæ, quæ dudum per Adam vendita, & perdita fuerat, erit plenariè humano generi restituta. Ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* In isto ergò anno, & in isto Festo summa jubilatio, summa laudatio, gratiarum actionis exultatio. Undè cuilibet animæ dicitur Zach. c. 9. *Exulta satis filia Hierusalem, jubila filia Sion.*

Vel dic, quod iste annus significat Festum Pentecostes, quod, scilicet, à tempore, quo nos eximus de Ægypto, scilicet, à tempore Paschæ, quo Sancti Patres sunt egressi de inferno, die quinquagesimo celebratur. Et revera istud est tempus, & Festum

Digitized by Google

valdè privilegiatum, quia, scilicet, ibi est remissio debitorum, id est, peccatorum, ibi est hæreditatis restitutio, id est, reparatio gratiarum, & meritorum, ibi servitutis abolitio, ibi libertas spiritualis charismatum, & donorum, ibi jubilationis decantatio; id est, exultatio laudis, vel prædicationis, & confessionis, & quorumcunque spiritualium Canticorum. Sanctus enim Spiritus, qui isto die fuit emissus, habet debita peccatorum dimittere, hæreditatem virtutum restituere, libertatem donorum distribuere, & jubilum laudis, prædicationis, & gratiarum actionis inspirare, & influere. Iste est ergò Jubilæus, à jubilando dictus, quia, scilicet ista die
D bemus jubilare, & laudes Domino decantare. Ps. 80. *Jubilate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.*

Vel, si vis, dic omnia de pœnitentia, vel divina misericordia, vel de Christi passione, seu etiam de gratia; quia scilicet, quælibet istarum peccata solvit, libertatem animæ concedit, & hæreditatem gratiæ, & gloriæ restituit, &c.

Quia Dominus præcepit, quod Hebræi anno septimo requiescerent, & quod non seminarent, nec etiam sponte nascentia colligerent, ordinavit, quod anno sexto fructus duplices provenirent, de quibus anno septimo, & octavo vivere possent. Voluit etiam, quod veteres fruges comederent, usquequo anno 9. fruges novæ procederent, & provenirent. *Donec*, inquit, *nova nascantur, edetis veterà.*

Ista expone sicut supra de Manna, Exod. 16. cujus duplex portio sexta die descendebat.

Vel si vis, dic quod fruges veteres sunt præcepta, & ceremoniæ veteris legis, quæ edi, recipi, & teneri debebant, quousque novæ fruges, id est, nova lex, & nova præcepta venirent. Et quia jam novum testamentum veniisse videmus, ideò vetustatè legis abjicere, & antiquas fruges non comedere, seu recipere, sed abdicare debemus. Undè dicitur Levitic. 26. *Novis supervenientibus vetera projicietis.* Et Apostolus dicit Rom. 7. *Non ambulemus in vetustate literæ, sed in novitate spiritus.*

Hic præcipitur, quod terra non vendatur ad perpetuitatem. Terra, inquit, non vendetur in perpetuum, quia mea est. Item si aliquis vendebat possessionem suam, semper vel ipse, vel proximus ejus poterat ipsam infra annum redimere. Alioquin si nequiret, oportebat, quod tandem in Jubilæo, & una cum liberis suis liber exiret. Sic igitur erat, quod gentiles hæreditatem suam, & seipsos absolutè, & sine conditione vendebant, filii verò Israël annexam conditionem habebant, & nec se, nec hæreditatem suam ad perpetuitatem vendere poterant, aut debebant. Vide supra Exod. 21.

E Vel dic, quod iste annus significat vitam præsentem, in quo quamdiu datur, licitum est cuilibet, si peccando se ante diabolo vendiderat, se ipsum per pœnitentiam redimere, & hæreditatem Paradisi, vel gratiæ quam perdiderat, vel obligaverat, recuperare. Quod si ipse facere noluerit, proximus ejus, scilicet Prælatus, vel prædicator, aut quilibet homo justus debet ipsum prædicando, vel orando, redimere, & à peccati servitio liberare exemplo Christi, qui, quia proximus noster erat per Incarnationem, ideò nos redemit, & hæreditatem Paradisi nobis restituit, & emit. Psal. 15. *Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Et si vis, dic, quod Hebræi significant bonos, gentiles verò significant malos, hæreditas est gratia, seu gloria, venditio est peccati commissio seu culpa. Igitur illud est verum, quod & Hebræi, & Pagani, id est, boni, & mali quandoque hæreditatem gratiæ, & gloriæ, id est, illud jus, quod ad illam hæreditatem habebant, diabolo peccando vendunt, & à se alienant atque perdunt. Diversi tamen diversimodè, quia scilicet Hebræi, id est, boni, si eos quandoque peccare, & hujusmodi venditionem celebrare contingat, illud non fit ad perpetuitatem, quia scilicet isti non desperant, sed potiùs de restitutione, & de pœnitentia cogitantes sperant. Terra enim cordis humani Domini est, & ideò ipsam ad perpetuitatem non debemus desperando vendere, sed quicquid acciderit, semper debemus de Jubilæo, id est, de divina misericordia sperare, & de pœnitentia cogitare, dicentes illud 1. Reg. 21. *Absit à me, ut vendam tibi hæreditatem Patrum meorum.* Sed revera contrarium est de malis, quia scilicet illi, quando vendunt, id est, quando delinquunt, sine conditione ad perpetuitatem solent vendere, quia, scilicet, per desperationem solent se ex toto diabolo exponere, & de restitutione pœnitentiæ nullatenus cogitare, & ideò hæreditatem istam nullo modo possunt ampliùs rehabere. Undè dicitur Ezech. 7. *Unusquisque ad illud, quod vendidit, non revertetur ampliùs.*

Vel si vis, dic, quod Christiani, & infideles in hoc differunt, quia Christiani, si peccant, spem certam, quod restitui poterunt per pœnitentiam, semper gerunt; infideles autem non sic, quia isti hæreditatem gratiæ, & gloriæ continuè delinquendo vendunt, & perdunt, & cum ratione infidelitatis, in qua sunt, ipsum recuperare non possunt; hinc isti sine conditione, & absolutè videntur Paradisum perdere, mali verò Christiani semper, dum sunt in via, habent conditionem annexam, in quantum possunt per pœnitentiam ad statum gratiæ revenire.

* * * * *
* * * *
*

Capitulum Vigesimum septimum. Textus. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens.

Authoris Moralitatum Cap. XVII.

DE maledictionibus, & benedictionibus, quæ ponuntur hic cap. 26. omitto gratiâ brevitatis, quia fortè Deut. 28. aliquid F
de his dicã. In isto ult. cap. agitur de votis & decimis. Et dicitur hic, quod decimum animal eo ordine, quo venit, pro decima debet dari, ità, quod illud sive esset bonum sive malum, non poterat cum alio commutari. Idem etiam fiebat de voto, quia, scilicet, si quis Domino aliquod animal vel rem aliam devoverat sine mutatione, illud cum alio sive deteriori sive meliori permutari nequibat, sed illud idem, quod voverat, sine mutatione reddebat, quinimo sicut ibidem dicitur, quicquid de votis Domino consecrabatur, & illud, scilic. quod mutatum est, & illud cum quo mutabatur. Et ideò subdit. *Omne inquit, quod consecratur, sive homo, sive animal, sive ager fuerit, non vendetur, nec redimi poterit, quicquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.*

Illud si vis, applica ad literam de illis animalibus, id est, de illis personis, quæ per votum obedientiæ in religione Deo devoventur, & consecrantur, quia, scilic. necesse est, quod ipsi in propriis personis, non autem per substitutos Domino famulentur. Qui enim Domino ad religionem, vel ad Sacerdotium est astrictus, non potest alium loco sui, ut communiter, substituere, sed ipse in propria persona tenetur beneficio deservire. Homo enim, sive debilis, sive totus fuerit, non debet mutari, sed unusquisque secundùm vires suas debet Domino famulari, juxta illud Apostoli Galat. 6. *Unusquisque onus suum portabit.* Qui ergò consecratus est Domino, & in ordine vel religione devotus, non potest ampliùs non consecratus fieri, nec ad mundum redire, seu à Clericali statu retrahi; sed ibi debet perpetuò, ex quo semel se devoverit, vel tacitè, vel expressè, & professionem fecerit, Deo consecrari.

Vel dic, quod quicquid est decimum, id est, quicunque servat G
decem mandata, Domino consecratur, & sibi spiritualiter dedicatur. Quando aliquis agrum, vel aliquid aliud devoverat Deo, si illud volebat redimere, quintam partem ultra commune pretium adhibere debebat. Undè in finem, ut offerens rei oblatæ affectionem deponeret, & ne pœnitentiâ ductus à promissione, quam spoponderat, resiliret, ordinavit Dominus, quod extraneus in emendo præferretur, & quod ampliùs solveret ipse, qui obtulerat, quàm alius teneretur. Hoc potest allegari contra illos, qui faciliter de illis, quæ Domino facere promittunt, solent pœnitere, utpote quando pœnitentiam, vel peregrinationem promittunt facere; sed si redimere, vel mutare oportuerit, debent aliquid amplius addere, & votum non in deterius, sed in melius commutare.

Moralitatum super Leviticum Finis.

MORALITATUM LIBER QUARTUS
Libri Numerorum.

Capitulum secundum. Textus. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: Singuli per turmas.

Moralitatum Cap. I.

CIrca ordinationem Tabernaculi, sciendum, quod Tabernaculum in deserto constitutum, præcepit Dominus, quod populus in quatuor partibus circumiret, & quod circa ipsum excubaret. Undè præcepit, quod tribus Juda, Issachar, & Zabulon excubarent ad orientem. Ruben, Simeon, & Gad ad meridiem, Dan, Aser, & Nephthalim ad Aquilonem, Ephraim, Benjamin, & Manassen ad occidentem. H

Sicut jam multoties dixi per Tabernaculum moraliter intelligitur cor humanum. Quatuor verò mundi partes significant quatuor Cardinales virtutes, quia scilicet oriens lucens, est prudentia, meridies fervens est justitia, occidens humidus, est temperantia, Aquilo gelidus, seu solidus, est fortitudo, & constantia. Igitur dico, quod circa Tabernaculum cordis debent excubare, & vigilare per istas quatuor partes duodecim tribus Israël, id est, duodecim speciales virtutes, quia scilicet pars orientalis, id est, prudentia, debet habere secum Judam, Issachar, & Zabulon, id est, veritatem in affectu, memoriam in intellectu, firmitatem in opere, vel in actu. Judas enim interpretatur Confessio, & significat verbi veritatem. Issachar interpretatur memorans, vel memoratio, & significat illorum, quæ ad salutem pertinent, notitiam, & sagacitatem. Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis, & significat operum firmitatem, & promissorum stabilitatem. Quia procul dubio oriens, id est, homo prudens debet habere veritatem in ore, memoriam, seu notitiam in mente, stabilitatem, & firmitatem in opere, & sic de ista claritate orientali, id est, de prudentia cum sua triplicitate, poterimus dicere illud Matt.

Digitized by Google

Matt. 2. *Et vidimus ſtellam ejus in oriente.* Item dico, quòd pars meridionalis, id eſt, fervens juſtitia, debet ſimiliter habere tres alios Patriarchas, ſeu trium Patriarcharum tribus, ſcilicet Ruben, Simeon, & Gad, & iſti nihil aliud ſignificant, niſi tres ſpeciales virtutes, quæ debent juſtitiam concomitari, id eſt, ſcientia in examinando, benignitas in audiendo, ſeveritas in exequendo. Scientia enim intelligitur per Ruben, qui interpretatur videns per medium, quia, ſcilicet juſtus Judex debet ſe in fine intellectus ſui per medium negotiorum fingere, ut ſic poſſet veritatem, & merita cauſarum ſentire. Interpretatur etiam Ruben videns filium, quia ſemper debet Judex filium Dei præ oculis habere, & ad ipſum ſicut ad juſtitiæ regulam reſpicere, & videre, & timor ejus ab infantia debet in eo ſemper eſſe. Undè Job. 31. *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus Deum timui, & pondus ejus ferre non potui.* Interpretatur etiam videns in medio, quia, ſcilicet juſtus Judex debet in medio per æquitatem ſedere, & non plus ad unam partem, quàm ad aliam pendere, & ſe etiam medium, & mediatorem inter Deum, & populum cognoſcere, & inter partes debet ſicut mediator concordiam generare, dicens illud Luc. 22. *Ego autem in medio veſtrum ſum.* Benignitas per Simeonem intelligitur, qui, ſcilicet audiens mœrorem, ſeu auditio interpretatur, quia videlicet ad juſtitiam pertinet, quod & querimoniæ partium audiantur, & quod Judex ad audiendum cauſas, & negotia benignus, & affabilis habeatur. Pſ. 2. *Audite omnes, qui judicatis terram.* Undè tam de ſcientia, quàm de audientia ipſorum dicitur, Sap. 6. *Audite Reges, & intelligite Judices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines.* Severitas per Gad ſignificatur, quia ſcilicet Gad interpretatur accinctus, ſignificans juſtum Judicem, qui ſe debet armare, & accingere, ut malos poſſit punire, & innocentes liberare. Undè dicitur Gen. 49. *Gad accinctus præliabitur.* Item dico, quod pars Occidentis eſt temperantia. Occidens enim, temperatus eſt in frigore, & calore. Et iſta pars ſimiliter debet habere tres Patriarchas, ſcilicet Ephraim, Benjamin, & Manaſſen, & iſti ſunt, pietas, pauperes nutriendo, humilitas, à faſtu abſtinendo, patientia, quæ ſit, injurias remittendo. Ephraim enim, qui interpretatur fertilitas, ſignificat clementiam, cujus fertilitas pauperes habet nutrire. Benjamin interpretatur filius aſininus, ſignificans humilitatem, quæ more aſini ſolet obedire. Manaſſes interpretatur obliviosus, & ſignificat patientiam, quæ aliorum injurias ſolet obliviſci, & non ſervare. Virtus enim temperantiæ ſolet non ſolùm à ſuperfluitatibus abſtinere, ut pauperibus providcat, ſed etiam humilitatem, & patientiam tenere, ut à ſuperbia, & ab ira temperet, & ſe reſtringat. Undè de iſto Occidente dicitur Ezech. 48. *Ad plagam occidentalem partes tres.* Item dico, quod pars aquilonaris, quæ dura eſt, & ſolida, ſignificat ſolitudinem, quæ etiam habet tres Patriarchas, ſc. Dan, & Aſer, & Nepthalim, qui, ſcilicet, ſignificant tria, quæ fortitudinem noſtram juvant, ſcilic. cauſæ rectitudo, lucri magnitudo, & amoris amplitudo. Cauſæ rectitudo in Dan, quod interpretatur judicium, lucrum denotatur in Aſer, qui interpretatur beatitudo ejus, ſcilic. ſpes, quæ facit hominem magis fortem. Amor deſignatur in Nepthalim, qui dilatatio interpretatur, quia ſcil. latitudo charitatis fortificat propugnantem. Iſti ergò duodecim Patriarchæ per iſtas partes quatuor debent Tabernaculum cordis circumire, & circa ipſum fortiter excubare. Undè dicitur: *Per quatuor partes erant oſtiarii.*

B *Capitulum quartum. Textus.* Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: Tolle ſummam filiorum.

Moralitatum Cap. II.

PRæcepit Dominus, quod populus Levitarum portare onera Tabernaculi deberet, &c. Veruntamen ſic erat, quod præter Sacerdotes nullus audebat illa, quæ erant infra velum in Sanctuario videre, & ideò Sacerdos omnia, quæ erant in Sanctuario, ſcil. arcam, propitiatorium, Cherubin, & altare, velo, & pallis involvebat, & ſic Levitæ propriis humeris deferebant. Nullus ergò præter Sacerdotes iſta nuda videre debebat, quinimò ſi antequam involverentur, ab aliquo non Sacerdote videbantur, mortem quàm citiùs incurrebat. Igitur Levitæ omnia onera Tabernaculi transferebant, alia in humeris, alia in vehiculis tranſigebant.

Iſta, ſi vis applica, quod nos, qui ſumus Levitæ, id eſt, viri Eccleſiaſtici, & in Eccleſiæ beneficiis & officiis conſtituti, debemus onera Tabernaculi, id eſt, onera Eccleſiæ, officiorumque & beneficiorum noſtrorum in propriis humeris portare, & in propriis perſonis noſtris principaliter exercere, & non ſubſtitutis aut Vicariis commendare. Undè Apoſtol. Gal. 6. *Unuſquiſque onus ſuum portabit.*

Vel dic, quod illa, quæ in Sanctuario erant abſcondita, ſignificant Chriſtianæ fidei ſecreta, ſcripturæ Sacræ ſeu Deitatis Sacramenta. Sacerdotes, qui dicuntur, quaſi ſacri duces, vel quaſi ſacra docentes, ſignificant viros ſcientificos. Alii verò Levitæ populares, ſignificant homines ſimplices, & indoctos. Iſtud ergò verum eſt, quod Sacerdotibus ſolis, id eſt, ſolis viris ſcientificis, & ſapientibus licitũ eſt vaſa Sanctuarii interioris, vel fidei noſtræ ſecreta inveſtigare, tractare, tangere, vel videre. Aliis autem non licet iſta nude conſiderare, nec perſcrutando cernere, ne fortè errores, & hæreſes incurrant, & ſic mori habeant neceſſe ſpiritualiter. Sacerdotes ergò, id eſt, Sacri Doctores, & prædicatores ſemper debent iſta fidei miniſteria pallio, & velo alicujus figuræ, vel verbi diſſimulatim involvere, & nunquam nuda ſimplicibus portanda, vel credenda tradere, alioqui ſæpè fit, quod conceptis erroribus, morte culpæ, & pœnæ ſolent faciliter deperire, & ideò hic dicitur, quod alii nulla curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario, priuſquam involvantur, alioquin morientur.

Vel dic, quod iſta ſignificant Eccleſiæ Sacramenta vel etiam beneficia, quia ſcilicet horum tractatio, & adminiſtratio ſolis Sacerdotibus, id eſt, ſolis ſacris ducibus dignis, ſcilicet perſonis, & ſufficientibus debet committi, aliis verò indignis, & ignorantibus interdici, quia, ſcil. boni, iſta adminiſtrando non læduntur, mali verò, & indigni iſta tractando, mortis æternæ periculum conſequentur. Undè ſupra dicitur, *quod extraneus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.*

Capitulum quintum. Textus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Præcipe filiis Iſraël.

Moralitatum Cap. III.

HIc ponitur, quod uxor Hebræa, ſi culpabilis erat de adulterio, & bibebat aquas maledictas & amaras, ubi pulvis pavimenti miſcebatur, & ſcriptura nominis Domini delebatur, venter ejus tumeſcebat, & femur ipſius putreſcebat, & ſic ipſius adulterium clarum erat. Si autem adulterii rea non erat, tunc potus ipſius aquæ eidem penitus non nocebat. D

Aquæ iſtæ maledictæ ſignificant mundi ſcientias, delitias, & proſperitates, quæ dicuntur maledictæ, quia maledictionem æternæ damnationis procurant. Dicuntur amaræ, quia plura amara quàm dulcia continent. Dicuntur pulverem pavimenti continere, quia tranſitoria bona, & pulverem ſolum habent, ſcripturam verò nominis Domini, & ipſius Dei memoriam de arca cordis deſtruunt atque delent. Et breviter iſtæ ſunt aquæ, de quibus dicitur Apocal. 8. *Homines mortui ſunt ex aquis, quia amaræ factæ ſunt.* Igitur dico, quod mulier, id eſt, anima, quæ erga virum ſuum, id eſt, erga Chriſtum fidelis eſt, & caſta, nec cum adultero diabolo per mortale peccatum adulterata, ſi contingat ipſam aquas hujus mundi, id eſt, divitias, & alias proſperitates guſtare, & bibere, ipſa pro certo cum ipſis benè uti ſciat, nocere ei non poterunt. Si verò peccatrix, & adultera eſt, tunc ſi tales aquas biberit, & mundi proſpera, ſcil. delitias corporales, divitias temporales, eminentias mundanas, & ſcientias ſæculares habuerit, & obtinuerit, tunc verè culpæ, & pœnæ periculum mox ſubibit, quia ſanctæ perſonæ ex mundi proſperis non læduntur pro eo, ſcil. quod ipſis diſcretè, & temperatè utuntur, ut habetur Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Mali verò cum ipſis temperatè uti neſciant, per ea ſpiritualiter occiduntur, quia ſcilicet ventres ſuorum cordium per ſuperbiam tumeſcunt, & femora eorum per luxuriam faciliter corrumpuntur. Undè Prov. 1. *Proſperitas ſtultorum perdet eos.* Undè rectè iſtæ ſunt aquæ, quibus boni, & mali probantur, quia ſcilicet, mali ibidem pereunt, boni verò immunes, & liberi permittuntur. Undè dicitur Judic. 7. *Duc populum ad aquas, ut probem eos, &c.*

Capitulum ſextum. Textus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere.

Moralitatum Cap. IV.

APud Judæos antiquitus erat quædam religio virorum & mulierum, qui Nazaræi vocabantur, & erat, quando vir vel mulier ſe Domino devovebant, & perpetuò vel ad tempus ſe à communi ritu, & vita populi ſeparabant, & Domino conſecrabant: Erat enim ritus devotionis, ſeu conſecrationis, quia ſcil. quamdiu ad tempus durabat ſtatutum non debebat novacula ſuper ejus capita aſcendere, nec barbam radere; vinum, acetum, aut ſiceram, aut omne, quod inebriare poteſt, non bibere, uvas recentes, ſeu etiam ſiccas non comedere, nec aliquid, quod de uva naſcitur, deguſtare. Non debebat tangere mortuum, nec ad Patrem, vel Matrem, fratrem, aut ſororem, ſi moriebantur, accedere, & ſic uſque ad tempus finitum debebat ſanctificationem ſuam ſervare, & ſe Domino conſecrare, & à cunctis, quæ ſupra diximus, abſtinere, & tandem finito tempore, raſis capillis, oblato ſacrificio templum poterat introire. E

Revera tales Nazaræi poſſunt mihi ſignificare religioſos & quoslibet viros perfectos, qui, ſcil. Deo ſunt conſecrati, & devoti, & eidem ſpecialiter dedicati, quia pro certo iſti nunquam debent de capite mentis ſuæ capillos bonarum cogitationum vel affectionum radere, nec barbam virilitatis, & virtutis perdere, nec novaculam fraudis, & doli in capite mentis admittere, vel habere. Et hoc: ne fortè dicatur nobis illud, Pſ. 51. *Sicut novacula acuta feciſti dolum.* Item iſti non debent mortuos, id eſt, peccatores,

Digitized by Google

tores, & homines corruptos, & luxurioſos, hæreticos, & infectos ſibi aſſociare, vel tangere, quinimo dato, quod ſint parentes, amici, & conſanguinei, non debent ſe ſuper eos inquinare, nec eorum malam vitam diligere, nec eorum conſortium frequentare. Undè dicitur, Levit. 21. *Non contaminetur Sacerdos in mortibus civium ſuorum.* Conſtat enim, quod multi Nazaræi, id eſt, multi viri Sancti, & juſti, immundi, & peccatores efficiuntur, quando mortuorum, & peccatorum tactus, & ſocietates ſectantur. Undè Eccleſiaſt. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Item iſti non debent comedere, vel bibere, id eſt, ſibi per complacentiam incorporare aliquid, quod poſſit inebriare, id eſt, quod poſſit ſenſum, rationem, & diſcretionem auferre. Et ideò iſti non debent diligere vinum delitiarum corporalium, ſiceram ſcientiarum ſæcularium, uvas ſeu grana divitiarum temporalium. Iſta enim ſunt, quæ ſenſum, & diſcretionem tollunt, & ebrietatem oblivionis, & inſipientiæ inducunt. Quapropter viri ſpirituales debent ità fugere, & à cunctis mundi bonis, quæ hujuſmodi ebrietatem poſſunt inducere, ſe abſcindere. Ideò dicitur, Luc. 1. *Vinum & ſiceram non bibet, ſed Nazaræus erit omnibus diebus vitæ ſuæ.* Iſta igitur, ſi uſque ad ſtatutum tempus, id eſt, uſque ad mortem ſervaverit, mox templum Paradiſi ſanctificatus intrare poterit, ſibi dicens illud, Pſal. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum.*

F Vel dic, quod novacula eſt adulator, qui inſenſibiliter pilos divitiarum ſecum rapit. Pſal. 51. *Sicut novacula acuta feciſti dolum.* A quo ſcilicet vir juſtus debet abſtinere, ſi verus Nazaræus, id eſt, Sanctus, & floridus cupit eſſe. Undè dicitur, Jud. 13. *Novacula non aſcendet ſuper caput ejus.*

Cap. 6. Quando Nazaræus erat in abſtinentia, in voto & conſecratione ſua, ſi contingebat coram eo aliquem mori, vel ipſum aliquem mortuum tangere, tota ſua ſanctificatio polluebatur, & ideò pilos ſuos radere, & ſanctificationem reincipere denuò tenebatur.

Sic verè, cum quis eſt in ſua abſtinentia, voto, religione, vel pœnitentia, ſi mortuum tangat, id eſt, peccatum mortale faciat, vel ipſum per complacentiam videat, conſtat, quod tota ſua ſanctificatio præcedens, id eſt, omnis virtus, & bona operatio mortificatur, & polluitur, & apud Deum inutilis reputatur. Undè dicitur Ezech. 18. *Si converſus juſtus fecerit iniquitatem, omnium juſtitiarum, quas fecerat, non recordabor.* Talis ergò tenetur de novo reincipere pilos veteres, id eſt, ſuperfluitates & peccata per Confeſſionem radere, & alios pilos novos, ſcilicet virtutes, nasci procurare, & permittere. Et ſic poterit, ſi ſine interruptione continuaverit, templum Paradiſi intrare, & ſacrificium laudis Domino offerre, & Sanctus, & conſecratus Domino ſemper eſſe. Interruptio enim bonorum operum quando per peccatum fit, virtutes vitia mortificant. Perſeverantia verò ſanctitatem augmentat. Undè dicitur Matt. 24. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit, &c.*

Capitulum octavum. Textus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: loquere.

Moralitatum Cap. V.

LEvitarum conſecratio ſic fiebat. Aſpergebantur enim aquâ expiationis, radebant corporis ſui pilos, lavabant veſtimenta ſua, offerebantur in conſpectu Domini Aaron Sacerdoti. Ipſi verò offerebant bovem cum oleo in farina, & ſic fiebant Domino conſecrati, & in tabernaculo à viginti quinque annis uſque ad quinquageſimum annum ſerviebant, & tandem completo quinquagenario quieſcebant.

Revera talis conſecratio ſpiritualiter intellecta, debet eſſe in omnibus Levitis, id eſt, in viris omnibus Eccleſiaſticis, & perG fectis quotidiè fieri, & compleri. Igitur dico, quod ante omnia aquâ expiationis, id eſt, compunctionis, nos debemus aſpergere, & ex poſt pilos noſtros, id eſt, ſuperfluitates, & vitia debemus radere per contritionem ſeu diſcuſſionem. Tandem veſtes noſtras debemus lavare, & mundare per Confeſſionem, & coram Deo, id eſt, in Confeſſionis ſecreto, Sacerdoti nos præſentare, & oſtendere, etiam per vitiorum noſtrorum revelationem. Undè dicitur Luc. 17. *Ite, & oſtendite vos Sacerdotibus.* Et tandem debemus offerre Deo bovem, id eſt, carnem noſtram per pœnitentiæ macerationem, & adhibere oleum, & farinam, id eſt, Eleemoſynam, & compaſſionem, & ſic erimus Domino conſecrati per Sanctitatem, & perfectionem, & in tabernaculo Eccleſiæ miniſtrare poterimus per Prælationem. Undè Exod. 29. *Hoc ritu conſecrabitur Aaron.* Tales igitur perſonæ ſic conſecratæ, & ſic ſanctificatæ, cum viginti quinque annos, qui conſtant ex quinario quinquies ducto, id eſt, quinque ſenſuum cohibitionem, & cuſtodiam habent, digni ſunt Domino miniſtrare, & per alios viginti quinque annos, id eſt, per librorum legis ſpiritualem adimpletionem Domino deſervire. Quod cum fecerint, digni ſunt quinquagenarium numerum, & Jubilæum perpetuæ quietis attingere, & à cunctis hujus mundi laboribus quieſcere & ceſſare. Apocal. 14. *Amodo enim jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.*

Capitulum nonum. Textus. Locutus eſt Dominus Moyſi in deſerto Sinai.

Moralitatum Cap. VI.

HIc dicitur, quod cum Paſcha celebraretur, inventi ſunt plures, qui fuerant immundi, nec ita citò poterant mundari, quia, ſcilicet in eorum mundatione tempus ſeptem dierum aliquoties requirebatur. Igitur cum iſti propter immunditiam Paſcha celebrare nequirent, & iſtis tunc caſtra ingredi non liceret, mandatum eſt eis ex parte Domini, quod tunc quidem à celebratione Paſchatis abſtinerent, ſed quod ipſum in ſequente menſe ritu ſuo celebrarent. H

Iſta poſſunt applicari, quod quando quis ſe ſentit immundum, id eſt, aliquo peccato pollutum, non debet ad celebrationem Paſchæ, ſcilicet, ad Sacramentum Altaris accedere, ſed niſi ſit ſcandalum, poteſt diſſimulare, & differre, & tandem recuperatâ munditiâ per Confeſſionem, & pœnitentiam debet iſtum Agnum Paſchalem dignè manducare. Quod etiam de immunditia pollutionis nocturnæ poteſt intelligi, propter quam celebratio poteſt aliquando differri. Undè Job. 14. *Exſpecto, donec veniat immutatio mea.*

Hic inveni notatum per quendam Doctorem, quod filii Iſraël leguntur Paſcha quadruplex celebraſſe. Exod. 12. Unum in Ægypto, hic aliud in deſerto, Joſ. 5. aliud in Galgalis in deſerti exitu, aliud Hieruſalem tempore Joſiæ, quod fuit ſolemniſſimum Paſcha. 3 Eſd. 1.

Sic verè cum Paſcha ſeu phaſe interpretatur tranſitus, ſciendum eſt, quod juſti quadruplicem tranſitum celebrare noſcuntur. Eſt enim Paſcha in Ægypto, & iſte eſt tranſitus de vitiis ad pœnitentiam. Eſt Paſcha in deſerto, id eſt, in pœnitentiæ ſtatu, quod fit, cum tranſitur de virtute in virtutem, vel de bono in melius. Eſt Paſcha in Galgalis, quæ interpretatur revelatio, & eſt tranſitus de vita hac ad ſtolam animæ, quod fit in morte. Eſt Paſcha in Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis, & eſt tranſitus, qui fiet ad ſtolam corporis, & de morte ad vitam in reſurrectione. In Ægypto, id eſt, in peccati ſtatu, peccati ſtatum dimittimus. In ſecundo per deſertum, id eſt, per profectionis, & pœnitentiæ ſtatum proficiſcimur, & incedimus. In tertio æterna beatitudo nobis revelatur, & Deum facie ad faciem cernimus. In quarto jam reſumpto corpore, in cœleſti Hieruſalem pacificè quieſcimus: Itaque tranſeamus uſque in Bethleem. Exod. 12. *Phaſe enim eſt tranſitus Domini.* Hic ponitur, quomodo nube mota tabernaculum movebatur, & populus proficiſcebatur, &c. Sed de hoc vide ſupra, Exod. 14. ubi poſui.

Capitulum decimum. Textus. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Fac tibi duas tubas.

Moralitatum Cap. VII.

PRæceptum eſt Moyſi, ut faceret duas tubas albas argenteas, & ductiles, quibus convocaret multitudinem. Et erat uſus tubarum (ſicut hic dicitur) ad populum convocandum ad bella, & ad convivia, & ad feſta Domini. Tubis enim populi convocabantur, bellantes excitabantur, feſta Domini denuntiabantur, convivæ lætificabantur. A

Tubæ iſtæ ſignificant prædicatores, qui ideò duo dicuntur, quia duo teſtamenta ſcire debere noſcuntur, vel quia duplici charitate invicem combinantur. Iſti ergò debent eſſe argentei per eloquentiam. Ductiles, hoc eſt, malleis facti per patientiam, vel per malleorum, id eſt, tribulationum tolerantiam. Qui, ſcilicet, ad quatuor dicuntur in Eccleſia valere, videlicet, ad populum ad fidem convocandum, ad feſtum Paradiſi nuntiandum, ad bella contra vitia præparandum, ſeu ad bellatores contra vitia excitandum, & ad convivas, id eſt, fideles Eccleſiæ per ſpem conſolandum, & lætificandum. Tubæ enim noſtræ, id eſt, prædicatores, populum ad fidem, & ad juſtitiam convocant. Undè dicitur Joel. 1. *Vocate populum, coadunate cœtum, canite tubâ in Sion, &c.* Item milites, id eſt, fideles ad bellandum contra vitia, & contra tribulationes excitant. Undè Amos 2. *Morietur in ſonitu Moab in clangore tubæ.* Item feſtum præparari prænuntiant. Pſal. 80. *Buccinate in neomenia tuba.* Item convivas Eccleſiæ per ſpem, & conſolationem lætificant. 3. Eſd. 5. *Clamaverunt multi cum tubis, & gaudio magno.* Vide infra lib. 4. cap. 29. ubi multa invenies.

Hic adverte unum notabile, quod quando Principes, & capita multitudinis erant convocandi, tubæ unico ſonitu pulſabantur. Quando populus convocabatur; vel ad proficiſcendum excitabatur, tunc tubarum ſonitus in longum protendebatur, & quandoque planus, quandoque interciſus fieri jubebatur. B

In

Digitized by Google

In quo potest notari, quòd Principes & capita multitudinum, scilicet, Principes, Judices, & Prælati faciliùs debent tubis, id est, prædicationibus obedire, quàm alii, quia, scil. unica vox debet sufficere ad tales vocandum, ubi tamen vox prolixior, seu prædicatio, vel monitio interciti, & gravior, & diuturnior est necessaria ad populum excitandum, eumq; ad virtutes, vel ad bona opera provocandum. Quia revera boni Superiores citò, & faciliter obediunt, ubi populus, id est, duri, & rustici, ac rurales difficiliùs, & tardiùs ad bona opera ire velint. Et de Petro, & Andrea, Apostolis, & Prælatis dicitur Matth. 4. quòd cùm à Christo vocati essent, quòd *statim relictis retibus, & Patre, secuti sunt eum.* De difficultate conversionis popularium dicitur, Proverb. 2. *Vocavi, & renuistis, extendi manus meas, & non fuit, qui aspiceret.*

Capitulum undecimum. Textus. Interea ortum est murmur populi, &c.

Moralitatum Cap. VIII.

ORtum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominũ. Quod cùm audisset dominus, iratus est, & accensus est in eos ignis domini, & devoravit extremam partem castrorum. Sed orante Moyse absorptus est ignis.

Illud potest allegari, quòd Deus summè odit vitium impatientiæ, & murmurationis, & maximè, quando quis de labore, quem pro Deo sustinet, murmurat, & tristatur; ignem, id est, majorem tribulationem solet in talibus accendere, & eos temporaliter, & æternaliter concremare: & sic de dolore murmurationis ad ignem tribulationis necesse est, eos pertransire. Unde dicitur Ezech. 13. *De igne egredientur, & ignis consumet eos.*

C Vel, si vis, allega, quomodo oratio justi proficit tribulatis. Unde dicitur Jacob. 5. *Multum valet deprecatio justi assidua.*

Vel dic, quòd illi, qui erant in castris ultimi, vel extremi, fuerunt igne accensi. In quo potest notari, quòd ignes, id est, tribulationes, non invadunt hodie illos, qui in exitu Ecclesiæ sunt primi, id est, principales domini, & magistri, sed solùm illos, qui sunt extremi, id est, pauperes, miserabiles, & mendici, quia hodie mundi tribulationes illos solent involvere, quos extremos in mundi gradibus vident esse. Primi verò, id est, Superiores, & divites tribulationum ignibus non tanguntur, sed potiùs honoribus, & divitiis extolluntur, ita, quòd generaliter miseriæ, & tribulationes ad illos, qui sunt tribulati, & miseri, devolvuntur. Unde dicitur: *Pepercerunt pinguioribus Amalech, quicquid verò vile, & reprobum fuit, demoliti sunt.* 1. Reg. 15.

Vel dic, quòd extremi sunt negligentes, qui scilicet in omnibus suis factis tardi, & ultimi volunt esse. Istos ergò solet ignis tribulationis invadere. Primos verò, id est, diligentes, & celeres solet non tangere.

Vulgus promiscuum dicitur flagrare desiderio carnium, cœpítque Manna cibum dulcissimum abhorrere, & Ægypti cibos appetere, & præ aliorum ciborum desideriis taliter proclamare. *Quis dabit,* (inquiunt) *nobis carnes? recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto. In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, & porri, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, oculi nostri non vident, nisi Manna.*

Revera Charissimi, iste populus, qui erat in deserto, & exierat de Ægypto ad terram promissionis, & in tabernaculis habitabat, & de cœlo Manna dulcissimum manducabat, significat viros religiosos, & perfectos, qui, scil. Ægyptum, id est, mundum, vel peccatum exierunt, & ut terram promissionis, id est, paradisum haberent, desertum pœnitentiæ, vel religionis subintrarunt, ubi scil. Manna devotionis, & scripturæ possunt comedere, & cùm sint peregrini, & hospites, hìcque manentem civitatem non habebant, debent in isto sæculo transitoriè habitare. Sed quid est? Pro certo multi sunt, qui istam vitam contemnunt, & Ægypti, id est, mundi, quem dimiserant, recordantes, carnes, id est, carnis delicias concupiscunt. In mentem enim eis veniunt carnes, & pisces, id est, deliciæ carnales, cucumeres, & pepones, qui frigiditatem indevotionis inducunt, id est, eminentiæ sæculares: porri, cæpe, & allia, quæ choleram, id est, avaritiæ ardorem generant, & quæ lacrimari faciunt, curæ sæculi, seu negotia, & divitiæ temporales. Et breviter: isti animas suas aridas, id est, consumptas repræsentant, Manna sacræ Scripturæ, & devotionis, dulcedinem bonorum spiritualium abominantur, & refutant, illa verò, quæ nihil valent, scil. mundi bona, desiderant, & affectant. Unde Sap. 27. *Anima satiata calcabit favum.* Et Job. 30. *Et esse sub sentibus deliciis computabant.*

Cùm filii Israel in deserto Manna contemnerent, & Ægypti carnes, & cibos appeterent, iratus dominus dedit eis carnes multas, & eorum ingluviem satiavit. Fecit enim volare cothurnices circa eorum castra, ad duos cubitos propè terram in tanta abundantia, quòd populus per mensem de ipsis, quantum volebat, accipiebat, & in abundantia manducabat. Sed dum adhuc carnes essent in dentibus eorum, percussit eos dominus plagâ magnâ, & vocatus est locus ille, sepultura concupiscentiæ. Ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverunt carnes.

Ista possunt applicari, quòd interdum dominus in malum hominis malam ejus petitionem exaudit, & malis ejus desideriis condescendit. Unde sæpè fit, quòd cùm videt hominem, Manna, id est, cibos spirituales comedere, & carnes, & Ægypti fructus, id est, carnis delitias, & mundi divitias appetere, solet ei omnia ad votum concedere, & eum mundi prosperis ampliare, omniaque mala sua desideria solent pro libitu provenire ei. Ps. 80. *Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis,* & eidem talia commodare. Sed revera, dum isti adhuc carnibus utuntur, id est, delitiis, & prosperis sibi concessis à domino delectantur, sæpè accidit, quòd subitò à Deo per mortem & infortunia percutiuntur, & plagâ damnationis perpetuæ feriuntur, & sic mundus sepultura concupiscentiæ dicitur, pro eo, scilicet, quòd ibi carnes, id est, delitiæ carnales concupiscuntur, propter quas homines finaliter sepulturæ traduntur, Ps. 105. *Concupierunt concupiscentias in deserto, pluit eis sicut pulverem carnes. Adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.*

Ad finem, quòd Moyses posset meliùs onera populi supportare, elegit dominus septuaginta viros seniores de populo, quibus dedit de spiritu suo, ut possent ad gubernandum populum Moysen adjuvare, qui, scilicet, statim cœperunt virtute susceptí spiritus prophetare. Accidit autem, quòd ex illis septuaginta descriptis, E duo, scilicet, Heldad, & Medad deerant, qui ad tabernaculum non venerant, & sic in castris resederant, qui etiam in ipsa datione spiritus prophetare cœperunt; & sic absentes sicut præsentes spiritum domini receperunt.

Illa possunt allegari, quòd *spiritus, ubi vult, spirat*, Joan. 3. & non præsentiam pluspuam absentiam requirit, quinimò ita bene fluit super absentes, qui in domibus suis, & in castris hujus sæculi remanserunt, quia scilicet fieri potest, quod boni sæculares, qui in sæculo remanent, aliquando tantam portionem spiritus recipiunt, & ita benè de futuris prophetant, & prognosticant, id est dictum, ita benè ad bona, vel mala futura, vel ad occulta Dei judicia invigilant, & attendunt, sicut Religiosi, & Clerici, qui Deo in Ecclesia specialiter se dederunt. Rom. 3. *Apud Deum enim non est distinctio Judæi, & Græci: unus enim dominus est omnium.*

Vel dic, quòd illi duo non remanserunt in contemptu, sed quia indignos se ad populi regimen judicabant. Et ideò dico, quòd isti ità benè inventi sunt prophetâsse, sicut alii, ad denotandum, quòd qui se indignos reputant, non sunt repudiandi ex hoc, sed una cum aliis spiritu, scilicet per ordinationem, & promotionem implendi. Quia, scilicet secundùm Gregor. ad Ecclesiasticas promotiones sunt illi, qui se ingerunt, repellendi.

Vel, si vis, potest illud dici pro illis, qui à tabernaculo, id est, à propris beneficiis se ex causa legitima absentant, & in castris, id est, aliis mundi negotiis, seu etiam in studiis, vel in propriis matrimoniis se occupant, quia, scil. si causam justam habeant, Spiritum Sanctum ac divinam gratiam recipere nunquam cessant.

Hic ponitur, quòd cùm Josue videret Heldad, & Medad prophetare in castris, visus fuit exinde dolere, ita, quòd præ invidia, quam habebat super supernam gratiam, dicit Moysi per hæc verba: *Domine mi Moyses, prohibe eos.* Quod tamen non fecit, sed ipsum potiùs de invidia, quam habebat super supernam gratiam, reprehendit.

Sic verè multi sunt, qui dolent, si vident alios aliqua spirituali gratia præpollere, qui revera sunt reprehendendi, & ad considerationem divinæ misericordiæ inducendi. Unde Moyses ait: *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & tribuat ei dominus Spiritum suum?* Quasi diceret: Omnibus placeret, quòd sic fiat, &c. F

Capitulum duodecimum. Textus: Locutáque est Maria ad Aaron contra Moysen propter uxorem.

Moralitatum Cap. IX.

HIc ponitur, quòd Aaron, & Maria invidebant Moysi fratri suo, & locuti sunt contra eum propter uxorem ejus Æthiopissam, dixerúntque: *Per solum Moysen locutus est dominus. Nonne, & nobis similiter locutus est?* Ac si rectè viderentur sibi invidere, de hoc, quòd sibi dominus loquebatur, & quòd Princeps & rector populi habebatur. Quapropter Maria leprâ percussa fuit, & per septem dies inclusa, & tandem ad preces Moysis, qui erat mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra, & in tota domo domini fidelissimus reputatus, post septem dies est sanata.

Istud applica, quod invidia non parcit fratribus, aut propinquis, quia, scilicet, frater, vel soror, si viderit fratrem suum in aliquo prosperari, vel in honore, vel in gradu ipsos præcellere, vel eis anteferri, solet invidere ei, & quandoque contra Deum murmurare.

Vel, secundùm Origenem, istud potest allegari, quòd detractor,

Digitized by Google

unde nocere credit, aliquando proficit, & ubi famam alterius obnubilare intendit, ipsam potius augmentat, & extendit, sicut hìc patet, quia nunquam dominus invenitur laudâsse Moysen, sicut hìc, ubi contra eum murmurabatur, ac nunquam talis servus fuit, sicut Moyses, qui in tota domo mea ità fidelis est.

Vel potest allegari, quòd murmuratio sit magnum crimen, & maximè, quando detrahitur Moysi, & fratri, amico fideli pariter atque miti, propter quod, scilicet, tanta punitio, scilicet, lepræ percussio est secuta.

G Vel allega, quomodo mulieres sunt multoties causa rixæ, propter uxorem enim ejus locuti sunt contra eum.

Vel, si vis, dic, quòd Moyses est Prælatus, qui revera non debet curare, si fratres, socios suos, & vicinos videt contra se murmurare, sed omnia debet benigniter supportare, & si infortunium accidat, debet pro eis exorare, exemplo Tyberii Cæsaris, cui, cùm quidam adulator diceret, quòd multi de eo obloquebantur, Non curo, (inquit) quia in libera civitate liberæ debent esse mentes, & linguæ. Benè ergò dicitur Levit. 19. *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

Capitulum decimum tertium. Textus : Profectúsque est populus de Asareth fixis tentoriis.

Moralitatum Cap. X.

CUm Caleph, & Josue terram promissionis explorâssent, & ad illam occupandam filios Israël inducere decrevissent, palmitem cum uva sua collegerunt, & eum in vecte pendentem per duos homines in desertum portari fecerunt, & ut populum sic allicerent, sibi fructum ejus demonstraverunt : Veruntamen sicut ibi dicitur Num. 13. quidam de exploratoribus turbaverunt populum, & acquisitionem terræ impossibilem esse dixerunt, propter quod ad retroducendum populum in Ægyptum commoverunt, dixerúntque : Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum. De quo indignatus dominus ipsos exploratores percussit : populum verò ad moriendum in solitudine condemnavit.

Sic verè duo beati exploratores terræ sanctæ paradisi, scil. Pater, & Spiritus S. volentes, quòd populus fidelium, qui in deserto hujus mundi vacabat, ad istam terram, & possessionem acquirendam invitaretur, & non obstantibus gigantibus, qui impediebant, id est, dæmonibus ordinaverunt, quòd duo homines, seu personæ, scil. Gabriel, & Maria, palmitem cum uva, id est, Dei filium, cum humanitate in hoc desertum deferrent, ut per hujus benedicti fructus
H præsentiam, corda populi ad concupiscentiam istius patriæ commoverentur, & maximè, cùm illum fructum in vecte, id est, cruce, pro redemptione sua pendentem conspicerent, & viderent, juxta illud, quod hic dicitur. Ista revera fluxit lacte, & melle, sicut ex his fructibus cognoscitur.

Vel dic, quòd palmes abscissus cum uva, pendens in vecte, est Christus, & ejus sanguis, abscissus, & mortuus pendens in cruce. Duo portantes sunt populi. Judaicus scil. & gentilis, & illi, scil. qui de duobus populis crediderunt, maximè sancti Patres. Increduli significant Judæos, & gentiles, qui credere noluerunt, quia revevera sic factum est, quod isti baculi, id est, Apostoli, & prædicatores utriusq; populi, scil. professores duplicis testamenti, palmitem, seu botrum, id est, Christum pendentem & crucifixum, id est, Christi crucifixi fidem prædicaverunt, portando usque ad desertum hujus mundi, ut, scil. populum inducerent ad credendum, & ad terram promissionis, id est, paradisum appetendum, & concupiscendum. Sed revera mediantibus aliquibus exploratoribus, id est, contradicentibus aliquibus Judæorum, Pharisæis; & aliquibus gentilium Philosophis multi in incredulitatis vitio remanserunt, & Ægyptum, id est, mundum potius elegerunt. Quapropter in deserto inferni cum suis exploratoribus, id est, cum suis malis, & hæreticis doctoribus perierunt. Psal. 105. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Non crediderunt verbo ejus, & murmuraverunt in habitationibus suis.*

Vel dic, quòd exploratores boni fuerunt Apostoli, mali fuerunt Pharisæi, & hæretici. Isti ergò populum ad terram promissionis, id est, ad paradisum inducunt, illi verò totis viribus contradicunt. Sed quia magis malis, quàm bonis creditur, igitur increduli peccatores morte perpetua in inferni solitudine condemnantur. Illi enim, qui prælia filiorum Enachim gigantum, id est, dœmonum tentationes metuunt, & pro terra promissionis, & pro Paradiso laborare, & militare renuunt in deserto pœnitentiæ, vel religionis, sed potiùs ad Ægyptum, id est, ad mundum, vel ad peccatum retroverti contendunt, non sunt digni dictam terram promissionis ingredi, vel videre, sed potius temporaliter necesse habent, ex divino judicio deperire. Unde hic dicitur Levit. 22. *Non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quisque ex illis, qui detraxerunt mihi, intuebitur eam.* Et alibi : *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati fuerant, non fuerunt digni, &c.* Ut patet ibidem.

Capitulum decimum quartum. Textus : Igitur vociferans omnis turba, flevit nocte illa.

Moralitatum Cap. XI.

VIdens dominus populum murmurantem, voluit ipsum desere- A
re, & percutere, Moysen verò divitem, & potentem facere, & alteri populo majori præficere. Moyses verò noluit, sed fusâ oratione pro populo intercessit, & iram Dei, ne deleret populum, temperavit.

Sic verè Prælatus non debet populum propter quodcunque delictum dimittere, nec in eorum damnatione consentire, sed potius pro ipsis dominum exorare, quinimò quamcunque utilitatem temporalem debet contemnere, ut possit salutem populo procurare, populique salutem, & utilitatem debet propriæ, & privatæ suæ utilitati præponere, & præferre. Unde iste debet dicere illud Apost. 1. Cor. 10. *Omnibus per omnia placeo, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, &c.*

Filii Israël contenebrati voluerunt contra voluntatem Moysi Cananæum invadere, dato, quod Moyses diceret eis, quòd dominus cum eis nunquam esset, & ideò, quia tunc propriis viribus confidere videbantur, victi fuerunt, & multi ex eis ceciderunt.

Quod ad hoc allegari potest, quod ille, qui in propriis viribus plus debito confidit, & se contra hostes suos diabolum, & carnem prævalere credit, faciliter à tentationibus vincitur, & ab hostibus spiritualibus superatur, maximè quando dominus non est cum eo, id est, quando ipsum divina gratia nullatenus comitatur. Unde dicitur Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et Apost. 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes aliquid boni cogitare à nobis, tanquam ex* B *nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, &c.*

Capitulum decimum quintum. Textus : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad filios.

Moralitatum Cap. XII.

HIc ponitur, quòd quidam inventus est, qui sabbatho ligna cædebat, & colligebat, qui inclusus est in carcere, quousque sciretur de eo, quid dominus imperaret. Præcepit ergò dominus, quòd lapidaretur, & quòd propter violationem sabbathi lapidibus opprimeretur.

Istud applica contra illos, qui sabbatha, & festa non custodiunt, sed in eis opera servilia, & maximè peccata faciunt, & committunt, & errant, tales enim in inferno lapidabuntur, & lapidibus duris, id est, perpetuis tribulationibus obruentur.

Vel dic, quòd sabbathum significat statum religionis, ubi debet esse quies, id est, tranquillitas affectionis & tribulationis. Qui igitur tale sabbathum, id est, religionis statum violaverit, & ibi ligna collegerit, id est, mundana negotia tractare præsumpserit, lapidibus duræ Dei sententiæ finaliter cæsus erit. Unde dicitur Exod. 20. *Memento ergo, ut diem sabbathi sanctifices.*

Vel, si vis, istud allega, ad ostendendum, quòd legis transgressores acrius in principio puniuntur, ut sic ipsa lex observari discatur, sicut etiam plurimis antiquorum exemplis patet, scilicet de Romu- C
lo, qui fratrem suum occidit, pro eo, quòd contra edictum ipse muros urbis transiliit, & de illo, qui filium proprium peremit, pro eo, quòd contra hostes pugnâsset, licet victor extitisset.

Istud etiam potest allegari, ad probandum, quòd Deus antiquitus erat valde rigorosus, & punitivus, qui tamen modò in tempore legis gratiæ, est pius, patiens, & benignus, quia lex antiqua dicitur lex rigoris, & timoris : Lex autem novi testamenti dicitur Lex gratiæ, & amoris.

Præcepit dominus, quòd filii Israel ex quatuor angulis palliorum suorum faciant sibi fimbriam de vittis hyacinthinis, ut cùm eas viderint (inquit) recordentur mandatorum domini, & non sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes, sed recordentur præceptorum domini, & faciant ea, sintque sancti Deo. Quòd secundùm Comestorem ita strictè servaverunt Pharisæi, quòd in angulis palliorum spinas ponebant, ut earum punctionibus legem domini memorarent. Et adhuc in pallio, quo utuntur in synagoga, in quatuor angulis vittæ sunt hyacinthinæ, qui quidem pannus coloris cælestis est, ad recordationem legis, quæ de cœlo eis extitit data.

Per pallium intelligitur quatuor virtutum Cardinalium perfectio, per vittam hyacinthinam intelligitur cœlorum, vel cœlestium Dei mandatorum adimpletio, per extremitatem pallii intelligitur perseverantia sanctæ conversationis, & continuatio, per spinas intelligitur divini timoris punitio, & stimulatio. Igitur dico, quòd quilibet debet in pallio conversationis suæ habere quatuor angulos, id est, quatuor virtutes Cardinales, nec non cum extremitate perseverantiæ, cum vittis hyacinthinis, id est, cum consideratione cœlestis vitæ, & mansionis, & cum spinis, id est, cum timore, & compunctione infernalis damnationis. His enim mandatorum Dei recordamur, & ea perficimus, & cogitationes malas, &

vagas

Digitized by Google

vagas non ſequimur, ſed reprimimus, & oculos cordis, ne per res varias diverſis deſideriis fornicêntur, cohibemus, & reprimimus. Sic etiam Deo noſtro ſancti ſumus, atque vivimus. Conſtat enim, quòd per ſpinas divini timoris, & per hyacinthum cœleſtis amoris, ſenſus noſtros à malis appetitibus cohibemus, & mandata Dei recordamur facilius, & implemus.

Capitulum decimum ſextum. Textus: Ecce autem Chore filius Iſaar, filii Caath.

Moralitatum Cap. XIII.

D Chore quidem magnus Levitici generis, adjunctis ſibi ducentis quinquaginta viris, cum Dathan, & Abiron, qui erant inter Rubenitas majores, murmuraverunt contra Moyſen, & Aaron contribules, & fratres ſuos, & invidentes, quòd Aaron propter ſacerdotium, Moyſes propter Ducatum, plus cæteris honorabantur, ſe & dictos complices ſuos levitas dignos ſacerdotio ajebant. Dathan verò, & Abiron, quia erant de genere Ruben primogeniti Duces debere fieri prætendebant. Igitur Dathan, & Abiron ad Moyſen venire contempſerunt vocati, ſed potius ad reſiſtendum ſibi, & ſe, & affines ſuos contribules paraverunt, quapropter orante, & flente Moyſe, & eorum invidiam puniri poſtulante, factus eſt vehemens terræ motus. Præcepit itaque Moyſes populo, quòd ſepararent ſe à tabernaculis hominum impiorum, ſtatimque aperta eſt terra, & ipſos cum univerſo ſuppellectili, & familia, & congregatione devoravit, & abſorbuit, & tandem iterum ipſa vorago patula ſe recluſit. Tunc etiam Chore, & illi ducenti, qui ſacerdotiũ ambiebant, à Moyſe vocati fuerunt, qui hauſto igne in thuribulo ſuo, Aaron ſimiliter in ſuo, coram domino ſtabant, & quem eligeret dominus in ſacerdotem, expectabant. Reprehenderat enim
E eos Moyſes de hujuſmodi ambitione, dicens: *Multùm erigimini filii Levi. Nunquid parum vobis eſt, quòd ſeparavit vos dominus ab omni populo, & junxit ſibi, & ordinavit, quòd quilibet cum thuribulo ſuo coram domino ſtaret, & voluntatem domini, utrum illi, vel ipſorum aliquis, vel Aaron eligi deberet ad ſacerdotium, exſpectaret?* Tunc ergò, cùm terra Dathan, & Abiron abſorbuiſſet, & iſti cum ſuis thuribulis ſtabant, igne ab ipſis thuribulis exeunte, ſunt coram domino devorati. Aaron verò inter ignes illæſus permanſit.

Iſta poſſunt allegari literaliter, quòd in quo peccat quis, in hoc etiam punitur; iſti enim peccabant appetendo rem ſpiritualem, ſcil. ſacerdotium, ideo igne tanquam re magis ſpirituali conſumpti ſunt. Dathan verò, & Abiron peccaverunt appetendo rem terrenam, & minùs ſpiritualem, ſcil. populi ducatum, & ideò terrâ puniti, & abſorpti fuerunt.

Vel dic generaliter contra invidiam, quæ non poteſt pati proſperitatem alterius, etiam bonorum, vel meliorum, vel à Deo ſpecialiter electorum, quanquam in nullo eos lædentium, vel nocentium, ſicut etiam hic Moyſes legitur dixiſſe: *Ne reſpicias* (inquit) *ſacrificium ipſorum, tu domine ſcis, quòd nec aſſellum quidem acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam ipſorum.* Unde Seneca dicit, *quòd ſi nullos inimicos facit injuria, multos tamen facit invidia.* Illi ergò igne proprii thuribuli, id eſt, dolore proprii cordis, & corroſione invidiæ comburuntur in hac vita, finaliter verò abſorbentur in infernali miſeria. Vel dic, quòd iſtæ duæ ſectæ ſignificant duo genera ambitioſorum, quidam enim ambiunt ad ſacerdotium, id eſt, ad Eccleſiaſticum ſtatum, ſicut ſunt Religioſi, & Clerici, & iſti figurantur in Chore, & ſuis ſequacibus, qui erant Levitæ. Alii ambiunt ad ducatum, id eſt, ad judicaturas, præpoſituras, & ſingularem Principatum, & illi figurantur in Dathan, & ſuis complicibus. Omnes enim tales de ſuis ſufficientiis præſumunt, & ſe dignos talibus officiis, & ſtatibus eſſe credunt. Illos verò, qui talia officia ex Dei voluntate tenent, deſpiciunt, & contemnunt, & ſe eis præficere, ipſóſque de ſuis ſtatibus abjicere conantur, ſatagunt, & contendunt, & eos habere dominos vilipendunt. Tales ergò præſumptuoſi, & rebelles, inviti, ac ambitioſi, qui etiam vocati à Moyſe, id eſt, à ſuperioribus, venire nolunt, ſed potiùs murmurant, rebellant, & contradicunt, ſolet dominus terribiliter punire, Igniſque mixæ, & diſcordiæ de ſuis propriis thuribulis, id eſt, de ſuis cordibus, & domibus, inter ſe ſolet aliquoties exire, & ipſos, aut eorum ſtatũ ſolet conſumere, lædere, & vorare. Terra finaliter eos devorat, & infernus eos deglutit, deſtruit, atque damnat. Et non ſolùm ipſos, ſed & eorum ſequaces, & complices ſic caſtigat. Pſ. 105. *Aperta eſt terra, & deglutivit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron.* Quia igitur ſequaces talium cum talibus pereunt, præcepit dominus, ut talium conſortia fugiamus, & quòd ab eorum tabernaculis, & familiaritatibus recedamus, ne fortè cum eis pereamus, quia revera, quando videmus conſpiratores, vel detractores contra Moyſen, & Aaron, id eſt, contra bonos Prælatos, & Principes congregatos, & ad detrahendum, ac machinandum compoſitos, non eſt tutum talibus ſe adjungere, quia ſcilicet Prælatis, vel Principibus prævalentibus contra tales, ſolent eorum ſequaces, & complices pœnas ſimiles luere, vel ſuſtinere. Benè ergò dicit: *Recedite à tabernaculis impiorum hominum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini cum eis.*

Vel dic, quòd terra, quæ Dathan, & ſuos ſuſcepiebat, ſignificat ambitioſorum terrenam proſperitatem, & ſtatum: vel etiam illam terram, vel patriam, quam occupant, quæ pro certo ipſos quandoque devorat, in quantum ſcilicet damnationis & tribulationis eorum materiam adminiſtrat. Quod quidem videmus ſpiritualiter in multis, qui eſſent boni, & virtuoſi, niſi terra, id eſt, terræ proſperitas, & fluctus negotiorum ipſos per vitia devoraret, & ſenſum eorum, & ingenium abſorberet. Unde Senec. epiſt. 19. *Ingenioſus fuit Mecœnas magnum exemplum eloquentiæ daturus, niſi eum fœlicitas involviſſet.* Quod etiam temporaliter videmus in aliis. Conſtat enim, quòd propria terra, in qua ſtant, propria civitas, vel patria, quam occupant, ipſos finaliter occidit, & devorat, & eos quandoque cum ſuis ſequacibus ità tollit de medio, quod nullum veſtigium reſtat. Supra Num. 13. *Terra, quam vidimus, devorat habitatores ſuos.* G

Vel illud allega, ſi vis, contra aliquas Abbatias, vel etiam civitates, quæ ſcil. Prælatum, vel Judicem ſuſtinere nequeunt, ſed omnes, qui ibi ſtant, etiam cum afflictionibus devorare contendunt, ſicut patet de cultoribus vineæ, qui ſervos patrisfamilias unum poſt alium occiderunt, &c. Matth. 21.

Vel dic, quòd Chore, & ſui ſequaces ſacerdotium ambientes, ignem & thuribula habuiſſe leguntur: ad denotandum, quòd ambitioſi pro habendis dignitatibus, paſſim thuribulis, & ſuffragiis, i.e. adulationibus, & igne, id eſt, muneribus, ſe & alios per avaritiã inflammantibus utuntur, & in eis confidere dignoſcuntur.

Cùm Chore ſuique ſequaces ſacerdotium ambientes, & ante Deum thurificare volentes, juſto, & mirabili Dei judicio, igne de ſuis propriis thuribulis exeunte, fuiſſent combuſti, & propter ambitionem puniti, præcepit Dominus, quòd illa thuribula in laminas fabricarentur, & altari holocauſtorum affigerentur, ut ſic quicunque ſacrificantes, & videntes laminas terrerentur ex punitione dicti criminis, & à ſimili ambitione metu ſimilis ſupplicii retraherentur.

Iſta autem poſſunt applicari, quòd pœna unius debet eſſe terror multorum.

Poteſt etiam allegari pro conſuetudine illorum, qui ſceleratos in locis publicis ſuſpendunt, vel in locis eorum aliquod ſignum ſuæ punitionis, & nequitiæ conſtituunt, ut omnes, qui talia ſigna vident, timeant, & à ſimili delicto caveant. Et inde etiam eſt, quod hiſtoriæ antiquæ malorum hominum depinguntur: pro eo, quòd ex eorum aſpectu homines à criminibus coerceantur. Unde etiam de Xerxe Rege legimus, quòd quendam malum judicem fecit excoriari, & pelle ejus ſedem judicialem cooperiri, filiumque ejus locò ejus judicem conſtituit, & ut in dicta ſede ſuper corium patris ſedendo, juſta judicia redderet, imperavit. Hoc ergò fecit, ut quoties aliquam ſententiam daret, punitionis patris ſui memoriam haberet, & ſic ab injuſtitia deviaret. Igitur dico, quòd in altari Eccleſiæ debent malorum, & ambitioſorum pœnæ ſcribi, & depingi, ut ſcilicet terrore ſuppliciorum poſſint alii à ſimilibus nequitiis retardari. Quod etiam de altari ſacræ Scripturæ dici poteſt, in quo pro certo multorum malorum hominum, & ſuarum punitionum ſigna, & hiſtoriæ recitantur, ut omnes, qui in tali altari ſacrificant, id eſt, qui in ſacra Scriptura ſtudent, dum hæc aſpiciunt, terreantur, id eſt, à ſimilibus arceantur. Apoc. 18. *Qui in mari operantur,* H *longè ſteterunt, & clamaverunt, videntes locum incendii ejus.* Aaron, qui erat juſtè promotus, & à Deo electus, quamvis eſſet in medio eorum, qui propter ſuam ambitionem incendio periclitabantur, tamen non legitur eſſe læſus. Sic verè juſti, quamvis ſint in medio malorum, igne tamen cupiditatis, & avaritiæ eorum nullatenus lædunturſed ſe ipſos bonos, & ſinceros ſervantes, innocenter vivere comprobantur.

Hic dicitur, quòd cùm populus propter mortem Chore, Dathan, & Abiron, & ſuorum, vellent Moyſen & Aaron lapidare, ſtatim apparuit gloria domini, quæ ipſos fugientes ad tabernaculum cooperuit, & protexit, populum verò murmurantem, & ad ſeditionem moventem, ira Dei punivit, ipſoſque incendium mox invaſit. Simile ponitur ſupra Num. 14. ubi cùm populus vellet lapidare Moyſen, apparuit gloria domini, quæ & populum terruit, & Moyſen de manibus populi liberavit.

Iſtud etiam allega, quòd tunc ſumma apparet Dei benignitas, quando magis inſtat periculum, & neceſſitas, tuncque magis ſolet auxiliari, quando videt bonos ab impiis moleſtari. Solet enim quandoque in ipſo actu perſecutionis bonos protegere, & malos incendio, tribulatione, & infortunio moleſtare. Unde Apoſtolus: *Facit cum tentatione proventum.* 1. Cor. 10. quòd ſcilicet in paſſionibus martyrum comprobatur pluries accidiſſe. Unde dicitur Prov. 11. *Juſtus de anguſtia liberabitur, & tradetur improbus pro eo.*

Cùm populus comburetur, & incendiũ pateretur, pro eo, quòd contra Moyſen murmuraverunt, Aaron ex præcepto Moyſi ad locum incendii cucurrit, & ſtans inter mortuos, & viventes, thymiama Deo obtulit, & orans pro populo incendiũ diminuit & extinxit,

Sic

Digitized by Google

Sic verè, quando incendium vitiorum, vel tribulationum vastat
A populum subditorum, statim debet adesse Aaron, id est, Prælatus, vel Ecclesiasticorum populus, qui pro certo debet contra hujusmodi incendium concurrere, & se inter mortuos, & viventes, id est, inter peccatores, & justos medium ponere, ut scilic. mortuos possit ad gratiam resuscitare, vivos verò, id est, justos, ne tali incendio pereant, liberare. Debet ergò thymiama orationis pro populo domino offerre, & sic poterit vitiorum, vel infortuniorum incendium superare. Et sic de bonis Prælatis potest dici illud Apostoli: *Obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fugaverunt gladii aciem.*

Capitulum decimum septimum. Textus: Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad filios.

Moralitatum Cap. XIV.

VOlens Dominus sacerdotium Aaron confirmare, & murmur populi sedare, & volens ostendere ipsum Aaron specialissimum electum suum esse: Præcepit, quòd singulas virgas aridas singulæ tribus cum superscriptione singulorum nominum tribuum in tabernaculum ponerent. Aaron autem suam virgam siccam inscriptione proprii nominis suæ tribus poneret cum eisdem. Cumque omnes illæ virgæ coram domino per noctem fuissent dimissæ, & in crastinum productæ, inventa est virga Aaron germinasse, nec non frondes, & flores, & fructus, scil. amygdala protulisse, quo signo sacerdotium Aaron fuit à domino confirmatum. Virga quoque sicca, quæ floruit, est in tabernaculo, & in arca ad perpetuum monimentum reposita.

Sic verò, si tu vis scire, qui sacerdotes, id est, superiores, & Prælati debent esse à Deo prælecti, respice virgas eorum, id est, justitiam, vel jurisdictiones, quibus regunt populum, ille, cujus virga, id est, justitia erit arida sine humore carnalis affectionis, recta sine curvitate, vel declinatione personalis acceptionis, germinans per bonam cogitationem, frondens per latam dilectionem, florens per bonam conversationem, fructificans per bonam operationem. Talis pro certo erit Aaron Dei electus, id est, Prælatus, justus, & bonus, dignus, sufficiens, & acceptus. Alii verò, quorum virga, seu justitia remanet sicca, & à germine, fronde, flore, fructu prædictis sterilis, & vacua: digni sunt repudiari à sacerdotio, prælatione, & promotione, vel officio retropelli, & sic poterit illis dici illud: *Virga æquitatis, virga regni tui, &c.* Et dic, quòd Aaron interpretatur mons fortis, ad denotandum, quòd Prælatus, qui tali virga judicat, est ut communiter mons, id est, altus, & honoratus; & fortis, id est, solidus, & confirmatus, quia scil. tales, quorum justitia talis est, ut præmissi, sunt apud homines alti, & honorati, nec in statu suo alios timere debet, qui scit, & vult justitiam exercere, & virgam floridam, & fructiferam domino præsentare. Unde dicitur: *Facta sunt ex eo virgæ solidæ sceptrum dominantium.*
B

Vel dic, quòd Aaron significat populum Judaicum. Virga sicca significat Virginem benedictam, Mariam, ab omni humore carnalis voluptatis penitus alienam. Ista ergò sicca germinavit, floruit, fronduit, fructificavit, id est, virgo concepit, peperit, & generavit illum, qui est germen gratiæ, fons lætitiæ, flos munditiæ, fructus justitiæ, id est, Dei filium benedictum Christum. Christus amygdalum potest dici, qui est fructus medicinalis, pro eo, quòd Iste mundum sanat, & redimit à morbo & peccati, nequitiæ. Et breviter aliis virginibus siccis, & sterilibus manentibus, ista sola floruit, & sine semine viri Deum, & hominem parturivit. Unde dicitur Isa. 11. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Ista enim ad literam fuit de radice, id est, de genere Jesse, qui fuit pater David, & de radice, id est, de corpore hujus virgæ ascendit flos justitiæ Dei filius, super quem requievit Spiritus Sanctus.

Adverte hic, si vis, quòd dixit dominus Moysi. Illius, quem elegero, germinabit virga, & tamen ipse plus reddidit, quàm promisit, quia scil. virga illa non solùm germinavit, imò fronduit, floruit, & fructificavit, ad denotandum, quòd Deus superabundantiùs
C præmiat, quàm promittit, sicut apparuit in Salomone, qui solùm petebat sapientiam, sed Dominus non solùm sapientiam, imò etiam divitias, & gloriam sibi dedit. 2. Reg. 3. Unde dicitur: *quòd ipse dat omnibus affluenter, & non improperat.* Jacob. 1.

Vel dic, quòd exemplo ejus quilibet vir perfectus plus debet facere, quàm promittere, & abundantiùs benefacere, quàm ausus fuit dicere, vel asserere. Quod est contra multos, qui multa promittunt, & pauca reddunt, de quibus dicitur Eccl. 20. *Exigua dabit, & multa properabit.* Et Prov. 14. *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.*

Capitulum decimum octavum. Textus: Dixit Dominus ad Aaron: Tu, & filii tui, & domus patris tui.

Moralitatum Cap. XV.

DIctum est Aaron: Tu, & filii tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, sacerdotes administrabunt. Si quis extraneus accesserit, occidetur. Ponitur etiam hìc, quòd Levitæ debebant habere decimas de omnibus bonis filiorum Israel. Ipsi verò Levitæ de decimis perceptis debebant accipere decimam partem, & dare sacerdotibus: nihilque debebant hæreditatis habere in populo, decimarum oblatione contenti.

Sic verò sacerdotes, id est, sacri duces, scilicet boni, & sancti viri, debebant circa altare domini, scilicet, in officiis Ecclesiasticis ministrare, nullúsque extraneus, id est, nullus peccator, Simoniacus, vel indignus, se debet ad hoc ingerere quoquo modo. Levitæ etiam, & Clerici, & Religiosi non debent mundanas hæreditates, & opes quærere, sed decimarum oblatione, id est, suorum proventuum Ecclesiasticorum perceptione debent contenti esse, & ad hæc de illis debent suis sacerdotibus, id est, suis Majoribus, Primitias, id est, subventiones, & servitia debita ministrare; quod tamen est contra multos ambitiosos Clericos, quibus decimæ, id est, beneficia Ecclesiastica non sufficiunt, imò temporales dignitates, Regúmque officia ambiunt, atque cupiunt, & terrenas possessiones pro se, & suis accumulant, & acquirunt. Contra quos dicitur D
Luc. 3. *Contenti estote stipendiis vestris.* Et hìc dicitur etiam sic, *in terra eorum*, scilicet, sæcularium, *nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego enim hæreditas vestra sum in medio filiorum Israel.*

Hìc dicitur, quòd omnia, quæ offerebantur Domino, vel ministris ejus, sive essent decimæ, sive donaria, debebant esse optima electa Deo. Et debebant meliora dare, & non egregia, & pinguia reservare.

Quod tamen est contra illos, qui Deo & Religioni dant filios deformes, fatuos, & protervos. Dic etiam contra illos, qui deteriores fructus pro decima solvunt, deteriorem denarium offerunt, & de vestibus, ac victualibus deteriora pauperibus pro Christo tribuunt, & quicquid est egregium, vel electum, sibi retinent, & assumunt. Debent tamen isti attendere illud Malach. 1. *Maledictus, qui habet in grege suo masculum, & offert Domino debile.*

Capitulum decimum nonum. Textus: Locutúsque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens: Ista est Religio.

Moralitatum Cap. XVI.

HIc ponitur, & replicatur de sacrificio vaccæ rufæ, sed de hoc vide Levit. 16. Hìc verò attende unum mirabile. Dicitur enim hìc, quòd de cineribus vaccæ combustæ fiebat aqua expiationis, ex qua, scilicet, omnes immundi purificabantur, & cum tali aqua mundare immundos à Domino jubebatur. Verùm tamen E
sic fiebat, quòd vir mundus, qui carnes comburi faciebat, & ille, qui collectos, & mundificativos cineres in loco mundo reponebat, vel, qui immundum aquâ mundificativâ aspergendo mundabat, immundus fiebat, & rem mundam, & mundificantem tangendo, & immundo munditiam dando etiam immunditiam contrahebat. Propter quod, ut mundus fieret, in vespere salvabatur.

Per cineres mundificativos, qui erant de cineribus vitulæ combustæ, intelligo mysterium Passionis Christi, vel Altaris Sacramentum, vel alia Sacramenta, quæ mixta cum aqua lacrymarum mundant immundos, id est, de peccatoribus faciunt justos. Cinis enim remanet post combustionem. Sic & memoria post passionem, & Sacramentum Eucharistiæ, & alia Sacramenta post Christi mortem, & resurrectionem. Igitur illi, qui tractant illos cineres, id est, Sacramenta Ecclesiæ, & qui istis mediantibus immundos peccatores mundificant, qui vitulam comburunt, id est, qui Christi combustionem, & passionem considerant, & qui cineres iitos cum aqua sacræ scripturæ, & doctrinæ in alios aspergunt, & prædicant: & immundi efficiuntur ad tactum munditiæ, quam ministrant, indignos, & immundos se putant; quicunq; enim quamquâ mundus, & sanctus Sacramenta Ecclesiæ administrat, seu qui onus mundificandi alios in confessione portat, seu qui sacram scientiam aliis prædicat, & inde aspergit alios, atque rigat, procul dubio in sua exercitatione debet immunditiam contrahere, in quantum se non dignum administrasse semper debet credere, & timere, & ideò pro immunditia, id est, pro tali indignitate se debet per confessionem abstergere, & lavare. Unde Luc. 17. *Cùm omnia bene feceritis, dicite: servi inutiles sumus.*

Vel dic contra malos sacerdotes, qui cum alios, prædicando, & Sacramenta ministrando, mundificant à peccatis, ipsi immundi peccatores efficiuntur, in quantum scilicet indignè suum ministerium exequuntur. Constat enim, quòd multi simplices ex simplicitate sua mundi, & boni sunt, qui tamen, si cineres tangere, id est, Sacramenta Ecclesiæ ministrare præsumpserint, vel officium Ecclesiasticum, & potissimè officium Prælaturæ, cùm ad hoc indigni sunt, immundi, & peccatores fiunt, & sic fit, quòd ille, qui in minoribus erat mundus, dum ad majora vehitur, fit immundus. Allega, sicut vis.

Hic dicitur, quòd quicunque tangebat mortuum, vel domum ejus intrabat, vel aliquid de domo sua tangere præsumebat, immundus erat, & tertio, & septimo die abstergere se debebat. Qui

enim

Digitized by Google

enim tertiò die non aspergebatur, nunquam in die septima mundabatur.

Numerus ternarius significat fidem Trinitatis. Septenarius verò numerus significat septem Sacramenta, vel etiam septem virtutes, vel septem opera misericordiæ. Aqua expiationis, quæ habebatur. significat pœnitentiam, & mortis memoriam lacrymosam. Igitur illud est verum, quòd illi, qui ex tactu mortui, id est, ex consensu, & operatione mortalis peccati efficiuntur immundi, nunB quam per aquam expiationis, id est, per pœnitentiam mundantur, nisi die tertio, id est, in fide Trinitatis: & in die septimo, id est, septenario Sacramentorum, virtutum, & operum, ista expiatio, & ablutio, id est, mundificatio peragatur. Nihil enim valet ternarius sine septenario, & è converso. Quia, scil. nihil valet ad salutem fides, nisi habeat opera, nec etiam Sacramenta, vel opera valent aliquid sine fide. Unde dicitur Jacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Et Apostolus Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Item hic dicitur sic: *Vas, quod non habuerit operculum, vel ligaturam desuper, immundum erit.*

Sic verè vas cordis reputatur immundum, quando per custodiam, vel charitatem non est ligatum, nec per timorem domini coopertum, vel per timorem domini absconditum, vel velatum, & ideò illi, qui cor suum omnibus manifestant, qui per jactantiam, vel per vanam gloriam, vel per iracundiam interiora sua dilatant: & affectus suos non cohibent, nec moderantur, immundi meritò dicendi sunt.

Vel dic etiam, quòd vas istud significat os, quòd, scilic. si per loquendi moderantiam non fuerit ligatum, vel per verecundiæ reverentiam non fuerit coopertum, dici debet pro certo, quòd est fœtidum, & immundum. Os enim, quod semper est ad loquendum apertum, & deligatum, id est, à termino temperantiæ solu-C tum, necesse habet esse in multis immundum, & dissolutum. Unde dicitur: *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu, sic homo, qui nescit in loquendo spiritum suum cohibere.* Psal. 5. *Sepulchrum patens est guttur eorum, &c.*

Capitulum vigesimum. Textus: Venerúntque filiæ Israel, & omnis multitudo in desertum Sin.

Moralitatum Cap. XVII.

CUm populus venisset in Cades, mortua est ibi Maria, & defecit aqua populo, & contra Deum murmuravit.

Cades interpretatur commutata, vel mare tollens, & significat mundi prosperitatem, quæ mare, id est, mortis amaritudinem de mente tollit, & faciliter mutatur, & deperit. Maria interpretatur amara, quæ significat pœnitentiam, quæ per contritionem amaricat atque rodit. Igitur istud est verum, quòd, quando homo venit ad Cades, id est, ad statum mundanæ, & mutabilis prosperitatis, pro certo statim Maria, id est, pœnitentia sibi moritur, quia nunquam pœnitentiæ amaritudinem amplexatur, & propter hoc aqua divinæ gratiæ tunc deficit, propter quod murmur, & contentio sæpè venit. Prosperitas enim pœnitentiam interficit, & per mortem pœnitentiæ aqua gratiæ deficit, & propter ejus defectum murmur, & discordia in populo, vel in mente nascitur, atque crescit. Et ideò de Maria Matre JESU dicitur, quòd in nuptiis, ubi ipsa fuit, aqua non defuit, imò etiam in vinum mutata fuit.

Hic ponitur, quomodo aqua de petra producitur, ut biberent homines, & jumenta; sed vide Exod. 17. ubi simile ponitur, quod ibi exposui.

Populus Israel volens transire per compendium ad terram promissionis, rogavit Regem Edom, quòd ipsum per terram suam transire permitteret, promittens, quòd per viam tritam, publicam, & regiam pergeret, nec ad dexteram, nec ad sinistram diverteret, aquam de suis puteis non biberet, agros, & vineas non intraret. Quòd si de bonis terræ suæ accipere ipsum aliquid contingeret, mox justum pretium sibi daret. Rex autem Edom hæc omnia denegavit, & dare transitum fratri suo Israel noluit, sed ad præliandū contra eum se paravit. Propter quod Israel ab eo se divertit, & per viam aliam magis longam ad terram Hierusalem properavit.

D Israel & Edon, Jacob & Esau, qui fuerunt fratres, possunt significare animam, & carnem, quæ sicut fratres, invicem sunt conjuncta. Israel enim videns Deum, Edom autem sanguineus interpretatur, quia, scilicet, anima potest Deum cognoscere, caro verò ex sanguine dignoscitur vivere, & constare. Cùm ergò Israel, id est, anima habeat ire in terram promissionis, id est, in paradisum, vel etiam in perfectionis statum, & necesse habeat per terram fratris sui, scilicet, corporis, sive carnis transire, valde timet, quòd ab eo impediatur, & quòd à carne in virtutum itinere retardetur. Iste ergò Israel, id est, spiritus, per viam rectam pœnitentiæ, vel per viam publicam misericordiæ, vel eleemosynæ, per viam regiam justitiæ proponit ire, Aquas delitiarum non proponit bibere, per agros vel vineas, id est, per extrema negotia non intendit incedere, nec per aliquam injustitiam proponit ad sinistram, seu ad dexteram declinare. Quòd si aliquid de bonis ipsius terræ, id est, de mundi delitiis gustaverit, promittit satisfacere, & per pœnitentiam emendare. Sed quid? Revera iste Edom, id est, caro cum populo suo, id est, cum gula, & vitiis carnalibus, talia pacta renuit, & Israel, id est, animæ, seu menti contemplativæ transitum præstare contradicit, imò ad ei obviandum se continuè præparat, & præmunit. Non transibis, inquit, per me, alioquin armatus, occurram tibi. Inde ergò sæpè fit, quòd mens, seu anima, necesse habet aliam viam magis latam, & communem quærere, & propter Edom, id est, carnis impugnationes, à via compendii, id est, à statu, & via perfectionis, & abstinentiæ retroire. Ideò benè dicit Apost. Gal. 5. *Quòd caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus concupiscit adversus carnem.*

Hic præcepit Dominus, quòd Aaron vadat ad patres suos, & E quòd sanctis vestibus denudetur, & ipsis filius ejus Eleazarus induatur in monte Hor. Eleazarus igitur à Moyse ducitur, & ibi sacris vestibus induitur, & summus Sacerdos constituitur. Aaron autem ibidem moritur, qui triginta diebus à populo deploratur.

Sic verè, cùm quis ad sacerdotium sumendus est, & locò patris, id est, Prælati substituendus, debet supercilium montis, id est, mentis contemplationem ascendere, vestes sacras, id est, virtutes induere, & sic mediante Moyse, id est, adjuvante divina lege dignè poterit sacerdotium, & Ecclesiasticum gradum, seu officium obtinere. Hor enim interpretatur lumen, seu mons, quia pro certo iste lumen contemplationis, & montem perfectionis ascendit, qui dignè Aaron, id est, sancto Prælato, vel Episcopo prædecessori succedere quærit. Benè ergò dicitur: *Circumda tibi decorem, & in sublimi erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.* Aaron mortuus est, & per triginta dies est à populo deploratus. Sic & nos in religione talia pro mortuis facimus, & per triginta dies missas pro mortuis facimus, & decantamus.

Capitulum vigesimum primum. Textus: Quod cùm audisset Chananæus Rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam.

Moralitatum Cap. XVIII.

POpulum circumeuntem terram Edom, cœpit tædere itineris, & laboris, dicebátque Moysi: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine: Deest panis, non est aqua, Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo, sicut ante fecerat ille populus similem murmurationem, dicens: Num. 20. *Quare nos ascendere fecisti de Ægypto, & adduxisti in hunc locum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum.* Igitur indignatus Dominus, pro murmure misit in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas mortésque plurimorum venit populus ad Moysen dicens: Peccavimus, quapropter pro ipsis sanandis præcepit dominus fieri serpentem æneum, & eum in palo suspendi, ut percussi à serpentibus, dum in istum serpentem aspicerent, sanarentur. Sic ergò fiebat, quòd illos, quos aliquis serpens vivus, & venenosus mordebat, serpens innocuus, mortuus, & æreus in palo suspensus, dum respiciebatur, sanabat. F

Iste populus murmurans genus humanum designat, qui scilicet, in solitudine hujus mundi, qui revera est locus pessimus, qui per prædicationem non seritur, pane verbi non reficitur, aqua gratiæ non potatur, ficubus malogranatis, id est, bonis spiritualibus, & virtutibus non ditatur, à principio non cessavit contra dominum murmurare, & eidem per mala opera repugnare. Quapropter ab ignitis serpentibus, id est, à dœmonibus, & vitiis ipsum permisit dominus percuti, qui non cessârunt eum ab Adam usq; ad Christum miserabiliter mordere, & spiritualiter necare, tamen propter plagas tribulationum, & vitiorum, cum antiqui populares plangerent, & clamarent, voluit dominus, quòd serpens æneus, id est, Christus, qui more æris prædicando resonaret, in virginis utero sicut in quadam fornace conflaretur, & quod per Moysen, id est, per populum Judaicum in palo, id est, in cruce suspenderetur, etiam insuper moreretur, & quod percussi à serpentibus, id est, dœmonibus, vitiis, & tentationibus, per aspectum, & per fidem ejus sanarentur. Iste etiam serpens mortuus visus, & creditus humanum genus ab aliis plagis sanavit, quibus antiquus serpens, id est, Lucifer, in persona Adæ, totum genus humanum lethaliter vulneravit. Et, loquendo moraliter, quotidie efficitur, quòd illi qui ab ignitis serpentibus, scil. à mundo, & à diabolo igne triplicis concupiscentiæ inflammantur, si serpentem, id est, Christum, & ejus humanitatem in cruce morientem, per compassionem, & devotionem aspiciunt, sani, & liberi statim fiunt. Ideò Hebr. 12. Apostolus monet nos ad hunc aspectum, dicens: *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Considerate eum, &c.

Sicut hìc innuitur filiis Israel terram Edom circumeuntibus juxta terminos Moab duo mirabilia contigerunt. Unum de flumine seu de torrente Zareth, qui ante eos est siccatus, & sicut mare rubrum coram euntibus est divisus. Aliud juxta Arnon, de quibusdam rupibus, & scopulis, qui ad eorum adventum gestierunt, & signum

Digitized by Google

ſignum lætitiæ dantes, ſeipſos inclinaverunt, & tranſeundi ſpatium præbuerunt, & ideò ſecundùm Scholaſticam hiſtoriam, & ſecundùm Judæos dicuntur, ſcopuli tortentium. Et in Pſal. 113. dicitur: *Montes exultaverunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium.*

Iſta poſſunt exponi myſticè, & dic, quòd filii Iſrael ſignificant Religioſos, qui, ſcilicet, per ſolitudinem Religionis circumeundo terram Edom, id eſt, mundum, properant ad terram futuræ promiſſionis. Sed pro certo iſti duo invenerunt impedimenta, ſcilicet, fluvium Zareth, qui ſignificat carnis fragilitatem, & montes Arnon, qui ſignificant pœnitentiæ difficultatem. Et revera iſta duo ſolent nos à progreſſu bonorum operum impedire, ſcilicet, fragilitas, & voluptatis fluxibilitas ex parte noſtra, & aſperitas, & difficultas ex parte rei. Sed quid? Pro certo, ſi fuerint veri filii Iſrael, id eſt, veri contemplativi, & juſti, iſta duo impedimenta tollentur; quia, ſcilicet, fluvius noſtræ fragilitatis ſiccabitur, & ſolidabitur. Scopulus verò aſperitatis, & difficultatis nobis geſtiet, & lætabitur, ſive facilis, & mobilis efficietur, quia revera boni inveniunt in ſolitudine religionis, & pœnitentiæ, difficilia eſſe levia, & fragilia eſſe fortiſſima. Unde dicitur Matth. 11. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

Capitulum vigeſimum ſecundum. Textus: Profectique, & caſtra metati ſunt in campeſtribus Moab.

Moralitatum Cap. XIX.

D Præmittitur cap. præced. de morte Og, & Seon Regis Amorrhæorum, ſed nihil ibi notabile judicavi. Videns Balach Rex Moab, quòd victi, & deſtructi fuerunt Amorrhæi, timuit populum Iſrael, & ideò pro maledicendo ſibi Balaam Ariolū adivit. Dum ergò Balaam ad Balach properat, ſpe munerum (ut dicunt aliqui) & contra Dei voluntatem prædictum populum maledicere proponeret, occurrit ſibi angelus in via, evaginato gladio contra eum. Quem videns aſina, divertit ab itinere, & fuſte cæſa, angelo cum gladio occurrente, & in ſtricto quodam loco, qui declinari nequibat, aſſiſtente, tantùm adhæſit parieti, quòd pedem ſedentis attrivit. Aſina verò angelum cùm gladio videbat, ipſe verò Balaam non videbat angelum. Incepit ergò aſina loqui, aperuit enim dominus os illius, & cœpit Prophetam reprehendere, & de hoc, quòd ipſam fuſte percuſſerat, vituperare. Quare me percutis, ecce jam tertiò. Ex tunc etiam dominus oculos Prophetæ aperuit, & angelum cum gladio vidit. Qui viam ipſius reprehendit, & ne populum malediceret, imperavit.

Iſta allegoricè poſſunt dici de Judæis, & gentilibus. Balaam enim Propheta poteſt ſignificare Judæos, qui legem, & Prophetas habuerunt. Aſina verò ſignificat gentiles, qui beſtialiter, & brutaliter vixerunt. Angelus ſignificat Chriſtum, vel etiam ejus fidem, qui gladium ſuæ ſeveritatis, & juſtitiæ ſecum portat. Iſta ergò eſt veritas, quòd aſina priùs vidit Angelum, quàm Propheta, id eſt, gentiles primò crediderunt Chriſto, & ipſum citiùs per fidem viderunt, quàm Judæi, quia ſcil. gentiles ipſum per fidem viderunt, & Judæi in perfidia remanſerunt, qui priùs erant beſtiales, & cæci, fuerunt illuminati, & illi, qui priùs clarè viderant, ſunt excæcati, juxta illud, quod dicitur Joan. 9. *Ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* In fine tamen Balaam Angelum videt, quia Judaicus populus finaliter convertetur, & credet in Chriſtum, & ejus fidem percipiet, & cognoſcet. Unde Iſa. 60. *Tunc videbis, & affluës.*

E Vel dic, quòd Balaam Propheta, qui interpretatur turbans eos, vel devorans populum, ſive ſubſtantiam eorum, ſignificat mundi ſuperiores, id eſt, Prælatos, Principes, & etiam Clericos, vel divites, quia ſcil. iſti, licet ſint Prophetæ, id eſt, ſapientes, & ſcientifici reſpectu aliorum, ipſi tamen per diſcordias populum turbant. Patet de Advocatis, qui nutriunt omnes lites propter rapinas, populum devorant, & tamen ſine ſubſtantia eorum ſunt finaliter, in quantum ſc. tales rapinarū divitiæ nunquam diu apud eos perſeverant, nam ſicut patet, tales ut communiter ſunt pauperes; Advocati verò & alii fraudulenti, quanquam de ſubſtantia populi ſint divites, tamen apud hæredes eorum minimè diu reſtant. Quia ſecundùm Proverb. 11. *Alii congregant non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Aſina verò poteſt populum ſubditum, beſtialem, & ſimplicem ſignificare, quam ſcilicet Balaam, id eſt, ſuperiores non ceſſant equitare, contemnere, & calcare. Igitur dico, quòd aſina hodie meliùs videret Angelum, quàm Propheta, quia pro certo hodie inferiores & ſubditi meliùs vident Deum, & meliùs conſiderant gladium ſuæ ſententiæ, quàm ipſi ſui equitatores, id eſt, quàm Clerici, Prophetæ & Religioſi, Principes, & quicunque ſuperiores. Gladius enim divinæ ſententiæ hodie præterquam à ſimplicibus non timetur, & Angelus teſtamenti Chriſtus ab ipſis, non à mundi ſapientibus; & potentibus contemplatur. Unde Iſa. 38. *Non videbo Dominum Deum tuum in terra viventium.* Aſinæ ergò, id eſt ſimplices per aſpectum gladii divinæ ſententiæ, quando ſcilicet in arcto loco mortis inter parietes finalis neceſſitatis, à quo declinare non poſſunt, Chriſtum cum gladio exſpectare comminantem conſpiciunt, à mala via juſtitiæ divertunt, verberari ttibulationibus citiùs ſe permittunt, quàm peccare, juxta illud Job. 19 *Fugite ergò à facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium.* Mali verò Prophetæ, id eſt, mali Clerici, & ſuperiores, quia Deum non vident, neque cogitant, audacter contra ipſum peccando properant, & gladium ſuæ ſententiæ non formidant. Sic ergò fit, quòd Aſinæ Prophetas reprehendunt; dum ſimplices meliùs, quàm literati, laici meliùs, quàm Clerici, ſubditi meliùs, quàm Prælati operantur, & vivunt. Unde iſti hodie contra naturam loqui, Deum laudando, videntur, ubi Majores tacere noſcuntur. Unde de B. Antonio legitur, quòd cùm per deſerta videre Paulum pergeret; & homuncionem ſecum loquacem reperiſſet, dixiſſe fertur: *Væ tibi Alexandria, quia beſtiæ Chriſtum loquuntur, homines verò ipſum ignorant.*

Vel, ſi vis, dic, quòd ſi homo ducit aſinam ſuam, id eſt, aliquem familiarem, vel ſubditum ad aliquod malum opus, ſcilicet ad maledicendum populo Domini, ſcilicet ad pauperes moleſtandum, ſi videt Angelum cum gladio, id eſt, Chriſtum cum ſua dura ſententia F contra ſe ſtare, & viam illam, ſeu opus illud angelo, id eſt, Deo diſplicere cognoſcatq; reſiſtere ſibi, & contrarium eſſe Deum, ſtatim debet à tali itinere, vel opere reſilire, nec propter Domini ſui minas, aut pœnas debet ultra procedere, imò debet pedem, id eſt, affectum, & voluntatem Domini ſui atterere & affricare, & eidem potiùs diſplicere, dicens illud: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

Vel dic, quòd aſina ſignificat hominem humilem, & patientem, qui licet habeat ſuſtinere à ſuperiore, tamen cùm nimis provocatur, & per injurias à ſeſſore ſuo, id eſt, à ſuperiore vel Prælato plùs debito ſtimulatur, non eſt mirum, ſi ejus patientia dirumpatur, & ſi contra Dominum ſuum murmuret, & loquatur. Subditi enim quanquam patientes, non tamen poſſunt ſemper injurias ſuperiorum tolerare, imò quando nimis conviciantur, neceſſe habent contra eos reclamare. Quare, inquit, percutis, eccejam tertio? Unde illud dicitur Job. 6. *Quæ eſt enim fortitudo mea, ut ſuſtineam, aut quis finis meus, ut patiens agam? Nec fortitudo mea, ut fortitudo lapidis, nec caro mea, &c.*

Vel, ſi vis, dic moraliter, quòd Balaam eſt voluntas, quæ eſt potentia libera, & tamen cœca. Aſina verò eſt potentia cognoſcitiva, & tamen ſubdita & ſerva. Quæ ſcilicet videns, quòd Angelus, i. e. Deus, gladio infirmitatum, vel infortuniorum ipſam perſequitur, ipſam vexat, & ad mundi proſpera tranſire deprehendit, Balaam, id eſt, voluntatem ad iſtum gladium non attendentem, ſed ad ſuas concupiſcentias properantem monet, ut declinet à via mala. Un- G de dicitur: *Infirmitas gravis ſobriam facit animam, &c.*

Capitulum vigeſimum quintum. Textus: Morabatur autem eo tempore Iſrael in Sethim.

Moralitatum Cap. XX.

Filiis Iſrael exiſtentibus in Sethim, venerunt in caſtra mulieres Madianitæ, ſeu filiæ Moab, cum quibus fornicatus eſt populus, & vocaverunt eos ad ſacrificia ſua, & adoraverunt etiam deos ſuos, propter quod iratus Dominus, præcepit, quòd quilibet fratrem ſuum occideret, & idololatriam vindicaret. Principes etiā populi, qui populum non punierant, præcepit Dominus ſuſpendi, & contra ſolem in patibulis poni.

Allega exemplariter, ſi vis, quòd unum peccatum ad aliud trahit. Mala enim ſocietas & cohabitatio malorum, vitiorum eſt occaſio. Luxuria enim traxit iſtos ad fornicationem, fornicatio ad idololatriam, idololatria verò ad mortem. Quia ſecundùm Gregor. *Quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſibi pondere ad aliud trahit.* Vel allegari poteſt contra Prælatos, Principes, ſive Judices negligentes, qui revera ſi populum non puniunt, cùm delinquit, et ſi peccare ipſum non impediunt, quando poſſent, in inferno ſupendi merentur, & ibi ad ſolem, id eſt, ad ardorem perpetuum exponentur.

Vel poteſt illud allegari, quòd, ubi de fide agitur, quilibet zelare jubetur, in tantum, quòd nulli parenti, vel amico parcere tunc tenetur. Amicus enim amicum, & frater fratrem debet occidere, quando videt eum in Deum impie agere, & per idololatriam, vel hæreſim ſibi in via morum & fidei obviare. Unde Deuter. 13. *Si tibi perſuaſerit frater tuus, ut ſervias Diis alienis, non acquieſcas ei, ſed ſtatim interficias eum.* Quæ tamen intelligo cum judicis authoritate, vel quando eſt bellum commune contra hæreticos, vel infideles.

Hic ponitur de illo filio Iſrael, qui coram Moyſe & aliis tabernaculum ingrediens, unà cum meretrice cohabitavit. Quem Phinees gladio ſubſecutus confodit, & ideo Sacerdotium ſempiternum à Deo ſibi pollicitum eſt.

Quod utique ad hoc allegari poteſt, quòd viri Chriſtiani & fideles, & maximè Eccleſiaſtici & Sacerdotes, pro fide & moribus debent zelare, & publicè fornicantes, vel quoslibet in ſcandalum publicè delinquentes debent redarguere & punire. Et ſic pro certo poterunt Sacerdotium perpetuum, id eſt, honorem æternum, & hoc in alio ſæculo poſſidere. Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum* H

ſecun-

Digitized by Google

ſecundùm ordinem Melchiſedech. Nihil enim ita perpetuat Saeerdotia, id eſt, dignitates Eccleſiaſticas, & mundanas, ſicut zelus juſtitiæ & fidei, cùm habentur. Zelo ergò iſtius fuit Dominus placatus, & populus ab ulteriori plaga liberatus, quia reverà zelus & & juſtitia etiam malos punit. Pſalm. 105. *Stetit Phinees & placavit, & ceſſavit, quaſſatio, &c.*

Capitulum vigeſimum ſeptimum. Textus : Acceſſerunt autem filiæ Salphaad.

Moralitatum Cap. XXI.

SAlphaad mortuus eſt in deſerto; & cùm non haberet filios, qui ſibi poſſent ſuccedere, præcepit Dominus, quòd filiæ ſuæ ſuccederent loco ejus. Unde etiam legem ſuper hoc Dominus promulgavit, dicens, quòd homo, cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam tranſibit ſucceſſio.

Filii ſignificant viros perfectos, fœminæ ſignificant imperfectos. Igitur quando pater, id eſt, aliquis Prælatus, moritur, tunc ſi habet, aliquem filium, id eſt, aliquem ſubditum, perfectum, providum, & diſcretum, hæreditas ſua, id eſt, prælatio vel dignitas, debet ſibi diſtribui, & concedi, & ad illam debet talis elegi & aſſumi. Veruntamen ſi talis filius, id eſt, talis perfectus deficiat, tunc neceſſarium eſt, quòd in hæreditate, vel Prælatura, filia, id eſt, ſubditus,
A ſimplex & imperfectus ſuccedat. Melius eſt enim filiam, id eſt, minus ſufficientem, imperfectum, ſeu ſimplicem eligere, quàm hæreditatem Eccleſiæ, beneficii, vel officii ſine gubernatore diu dimittere. Quod tamen eſt contra illos, qui hæreditates Eccleſiaſticas etiam viris, id eſt, perfectis, & ſufficientibus committere nolunt, ſed ipſas vacantes diuturnis temporibus permittunt. Quod eſt etiam contra illos, qui dato, quòd filios, id eſt, gnaros, & perfectos habeant, fœminas tamen, id eſt, ignorantes & imperfectos, ſcil. nepotes ſuos & amicos promovent, & exaltant, & hæreditatem, quæ debebatur non filiabus, ſed filiis, eis donant, cùm tamen ſcriptum ſit, Matth. 15. *quòd non eſt bonum, dare panem filiorum canibus ad manducandum.*

Vel dic, quòd ſicut in bonis magis debet eligi mulier, dum tamen ſit filia, quàm quicunque maſculus alienus. Sic verè in beneficiis Eccleſiæ quandoque debet mulier, id eſt, minùs perfectus eligi, dum tamen ſit filius Eccleſiæ, id eſt, de diœceſi, vel patria, quàm maſculus, id eſt, quicunque magis perfectus de alia gente natus.

Vel iſta poſſunt allegari, quòd nullus poteſt eſſe ita mirabilis perſona, quæ à bonis paternis debet exhæredari, &c. Adverte hìc, quòd Moyſes in omnibus arduis cauſis conſulebat Dominum, ſicut patet hìc de ſucceſſione iſtarum filiarum, & de blaſphemo, Lev. 24. & alibi de colligente ligna, &c. In quo notari poteſt, quòd Judex & Prælatus in omni facto arduo, debet ad Deum mentaliter recurrere, & ſibi ante omnia negotium commendare, & ſic poterit tutiùs judicare.

Moyſi morituro dictum fuit à Domino, quòd montem altum aſcenderet, & quòd terram promiſſionis contemplaretur & cerneret, quodque loco ſuo Joſue filium Nun ducem populi ſubſtitueret, & quòd ad patres ſuos relicto corpore tranſmearet.

Sic verè Prælatus, vel vir juſtus, in monte, ſcil. in perfectionis ſtatu moritur, in quantum à valle, id eſt, à populi moribus ſegregatur moriturus, tamen ſummè debet terram promiſſionis paradiſi contemplari, & reſpicere, eam totis niſibus affectare, de ſubſtituendo etiam Joſue, id eſt, bono ſucceſſore, ſi ſit ſibi poſſibile, debet curare, & pro hoc Dominum exorare, dicendo cum iſto Moyſe illud, quod hìc dicitur: *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos.*

Item adverte hìc, quòd quia Moyſes & Aaron in Dominum peccaverunt ad aquas contradictionis, in quantum ipſum ſanctificare coram populo noluerunt, ideò nè intrarent terram promiſſionis, & ne inducerent illum populum, condemnati fuerunt. Joſue ergò, qui non peccaverat, electus fuit, & ibi populum introduxit.
B Dic, ſi vis, allegoricè, quòd Moyſes & Aaron ſignificant veterem legem, vel generaliter omnes Patres veteres. Joſue verò, qui interpretatur Salvator, ſignificat gratiam, vel etiam Chriſtum, quia pro certo illi primi omnes peccatores fuerunt, & omnes in Dominum deliquerunt, & ideo populum Dei in terram promiſſionis, id eſt, in paradiſum, ſeu etiam in perfectionis ſtatum intromittere nequiverunt. Rom. 3. *Omnes enim peccaverunt, & egent gratiâ Dei.* Et Hebr. 7. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Neceſſe ergò fuit, iſtos in deſerto, id eſt, in inferno remanere, quia propter Adæ peccatum ad terram paradiſi nequiverant penetrare, Pſal. 94. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Quid ergò? Procul dubio, neceſſe fuit hominem innocentem, ſcil. Joſue Salvatorem, id eſt, Chriſtum, vel Dei gratiam quærere, qui populum poſſet ad paradiſum intromittere, ſeu introducere, & ſalvare. Chriſtus enim, non Moyſes, gratia, non lex, novitas, non vetuſtas, Eccleſia, non Synagoga, nos introducit ad gloriam, & ad vitam. Rom. 3. *Non ex operibus legis juſtificabitur omnis caro.* Et ad Tit. 3. *Juſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus.*

Vel dic generaliter, quòd peccatores etiam ſufficientes, & maximè illi, qui peccaverunt ad aquas contradictionis, diſcordes (diſcoli & rebelles) non debent populi Duces fieri, & Prælati, Domini, vel Rectores, ſed potius Joſuæ, i.e. innocentes, providi, & fideles. Hebr. 7. *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens & impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* Hìc nota, ſi vis, quòd Moyſes non rogavit pro aliquo in ſpeciali, nec de conſanguineis, nec amicis curavit, ſed in genere pro ſufficienti ſucceſſore rogavit.

Capitulum vigeſimum octavum. Textus : Dixit quoque Dominus C ad Moyſen: Præcipe filiis Iſrael.

Capitulum vigeſimum nonum. Textus : Menſis etiam ſeptimi prima dies venerabilis.

Moralitatum Cap. XXII.

IN 28. & 29. capitulis agitur generaliter de feſtis & ſacrificiis eorundem, & de libamentis. Circa quod nota, quòd ſecundùm quod poſſumus colligere, Domino offerebatur de animalibus, agnus, aries, vitulus, bos, hircus, vacca, capra, agna, turtur, columba, & paſſer. Item de rebus non liquidis offerebant ſimilam, panem, thus, ſal. De rebus verò liquidis oleum, & vinum.

Revera iſta ſacrificia poſſunt ſignificare diverſas virtutes, quæ ſunt à nobis Domino offerendæ. Debemus enim ipſi offerre agnum, id eſt, innocentiam; bovem, qui tardè incedit, id eſt, temperantiam; hædum, qui libenter ludit, id eſt, bonam lætitiam; hircum & capram, quorum pilus pungit, id eſt, pœnitentiam; vaccam, & agnum, quarum fimus ſterilibus agris proficit, id eſt, eleemoſynam; vitulum, qui jugo ſe ſubjicit, id eſt, obedientiam; turturem, quæ eſt avis caſta, id eſt, munditiam; columbam, quæ eſt avis ſimplex, id eſt, modeſtiam. Item debemus Ei offerre farinam, id eſt, mundam cogitationem; panem, id eſt, Euchariſtiæ devotionem; ſal, id eſt, ſapientiam & diſcretionem; thus, id eſt, charitatem & orationem; oleum, id eſt, miſericordiam & compaſſionem; vinum, id eſt, ſpiritualem ſpem, & conſolationem. Et breviter, iſta debent eſſe ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, quæ Deo ſunt acceptabilia atque grata. Homo enim de ſe ipſo facit agnum, bovem, & arietem, & ſimilia, quando ipſe offert Deo innocentiam, fortitudinem, juſtitiam, & bona ſpiritualia, Pſal. 59. *Sacrificium laudis honorificabit me.*

Vel dic, quòd in paradiſo Domino offeruntur variæ res, id eſt, varia genera perſonarum, ſcil. agnus, id eſt, homines innocentes; aries, id eſt, homines juſtitiam diligentes; vitulus, id eſt, ſpiritualibus gaudentes, &c. Dic, & refer omnia ad perſonas.

Nota hìc, quòd apud Judæos erant ſeptem ſolennitates legales, ſcil. Sabbathum, ubi ab operibus ceſſabatur. Neomenia, ubi principium menſis & novæ lunæ principium celebratur. Et dicebatur, à νέος, quod eſt nova, & μήνη, qod eſt luna, quaſi novilunium. Pha- D ſe, id eſt, Paſcha, in quo agnus paſchalis comedebatur, & dicitur phaſe, id eſt, tranſitus Domini. Pentecoſtes, à die quinquageſima poſt paſcha, dicta à pentecon, quod eſt, quinquaginta, in qua de frugibus novis primitiæ offerebantur. Feſtum Clangoris principio menſis ſeptimi, in quo cum cornibus pecorum buccinabatur. Feſtum Propitiationis, decima die menſis ſeptimi, in quo vitula rufa concremabatur, & cinis pro immundis expiandis ad totum annum reſervabatur. Et feſtum Tabernaculorū, quinta decima menſis hujus, quo populus ſeptem diebus in tabernaculis morabatur. Et adverte, quòd iſta ſeptem feſta ſuas rationes habebant. Nam celebrabatur Sabbathum, quia Dominus requieverat. Neomenia, quia tunc menſis legalis incipiebat. Paſcha, quia tunc populus mare rubrū tranſierat. Pentecoſtes, quia tunc ſc. die quinquageſima ab exitu de Ægypto populus legem acceperat. Feſtum Clangoris, quia ea die Iſaac liberatus fuerat, & ideò cum cornibus arietinis clangebant propter arietem, quem pater loco ejus immolaverat. Feſtum Propitiationis, quia ea die poſt vitulum conflatilem Moyſes de monte deſcendens propitiatum eis Dominum nunciaverat. Feſtum Tabernaculorum, pro eo, quòd populus in deſerto Tabernaculis habitaverat.

Dic moraliter loquendo, quòd talia ſeptem feſta celebrant ſpiritualiter fideles in Eccleſia. Et ſic dicamus, quòd & Sabbathum celebramus, quando à malis operibus quieſcimus, & ceſſamus. Neomeniam, id eſt, Lunæ novitatem colimus, cùm noſtram converſationem in bonis moribus innovamus. Paſcha facimus, cùm de mundo ad Religionem, de Ægypto in Hieruſa- E lem, de peccato ad gratiam, de amaro ſæculo ad Cœli amicitiam pertranſimus. Pentecoſten celebramus, cum legem Dei, ſcientiam & fidem accipimus, cùm primitias bonorum operum ipſi damus. Feſtum Clangoris agimus, cùm Deum pura mente laudamus, & cùm de arietis immolatione, & Iſaac liberatione, id eſt, de Chriſti Paſſione & Reſurrectione, eidem gratias agimus. Feſtum Propitiationis recolimus, quando de venia impetrata per vaccæ rufæ combuſtionem, i.e. Chriſti Paſſionem gaudemus. Feſtum verò Tabernaculorū perficimus, quando nos eſſe in hoc mundo peregrinos & advenas cogitamus; & quando nos non habere hìc manentem civitatem cernimus, & ad futurā patriam mentaliter

F prope-

Digitized by Google

properamus. Ista sunt ergo festa, quæ nos debemus spiritualiter colere, & in templo cordis nostri mentaliter celebrare. Unde Naum. 1. *Celebra Juda festivitates tuas, redde Altissimo vota tua.* Quamvis hodie lamentando posset dici illud Thren. 2. *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & Sabbathum.*

Vel dic, quòd multi sunt mali, qui videntur adhuc judaizare, festa judaica spiritualiter celebrare. Quidam enim celebrant Sabbathum, & isti sunt illi, qui semper volunt quiescere, & nullum opus bonum facere, nec sunt in aliquo labore. De quibus dicit Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia,* &c. Alii sunt, qui celebrant Neomeniam, id est, novam lunam, & isti sunt illi, qui solent novitates diligere, novos ritus, mores, & statuta introducere, nova & curiosa quærere, & semper aliquid novitatis appetere, dicere, vel facere. Unde dicitur Actor. 17. *Novorum dæmoniorum denuntiator videtur esse.* Alii celebrant festum Paschæ, quod interpretatur transitus, & sunt illi, qui instabilitatis vitio solent laborare, nec unquam in aliquo proposito persistere, sed de bono ad malũ, de malo verò ad deterius continuè pertransire. Unde Hierem. 50. *Transierunt de monte in collem, obliti sunt cubilis sui.* Alii celebrant festum Pentecostes, dictum à pente, quod est quinque, & isti sunt illi quinque, qui superfluis desideriis obediunt, & qui legem carnis suscipiunt, & primitias suæ juventutis sibi luxuriando offerunt, dicentes illud, F Luc. 14. *Juga boum emi quinque.* Alii celebrant festum Clangoris, & isti sunt illi, qui non cessant tubicinare & clangere, & cum canticis & cithara mundi lætitiam frequentare, & tales sunt etiam præliatores, & venatores, qui tubis & clamoribus utuntur, &c. Unde Job. 21. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.* Alii celebrant festum Propitiationis, quod etiam dicitur festum afflictionis, & expiationis, & isti sunt illi, qui sperant in fine pœnitere, & Dei misericordiam habere, & seipsos per pœnitentiam affligere, & peccatorum suorum expiationem, & veniam obtinere. Propter quod non cessant, quamdiu vivunt, peccare, dicentes, quòd satis est de tempore, quo possunt veniam impetrare, dicentes illud Eccl. 7. *Misericordia Domini magna, delictorum meorum non recordabitur Altissimus.* Alii celebrant festum Tabernaculorum, & isti sunt illi, qui in nullo statu, vel beneficio figunt pedem, sicut sunt ambitiosi, qui scilicet in nullo officio, vel beneficio, quod habent, limites gressuum & affectuum suorum firmant, imò in omni beneficio tanquam peregrini, & etiam tanquam in tabernaculis habitant, & semper ad aliquid aliud ambiunt, & anhelant. Unde dicitur 4. Reg. 13. *Habitaverunt filii Israel in tabernaculis.* Ista sunt ergo festa mala malorum, quibus in hoc mundo tripudiant, & festivant, de quibus dicitur Isa. 1. *Solennitates vestras odivit anima mea.* Et iterùm: *Neomeniam & Sabbathum, & festivitates alias non feram.* Et alibi Amos 5. *Odivi, & projeci festivitates vestras.* Cum omni die deberet fieri juge sacrificium, scilicet unus agnus manè, & alius vesperè, cum libamentis suis offerri: istud erat verũ, quòd in diebus festivis, & solennibus, plura & majora fiebant sacrificia, quàm in diebus communibus. Sic verè licet omni die debemus juge sacrificium, id est, juge bonorum operum exercitium facere, & manè, & vesperè, id est, in juventute, & senectute agnum immaculatum, id est, vitam puram, & immaculatam offerre; in diebus tamen festivis debemus plura, & meliora sacrificia, id est, opera bona, & præcipua exercere. In quantum enim festum est solennius, debet sacrificium bonorum operum esse majus. Unde Joan. 13. *Eme ea, quæ opus sunt ad diem festum.* Quod tamen est contra multos, qui diebus festivis non plura bona, sed potius faciunt plura mala. Unde dicitur 1. Machab. 1. *Conversi sunt dies festi ejus in luctum.*

Sic prout hìc Scholastica historia: Juge sacrificium vespertinum G pinguius erat, quàm matutinum. Cujus causa erat (ut ait) quia multi ponebant de die sacrificia in altari, unde sacrificium pinguius reddebatur.

Sic etiam Sacrificium nostrum vespertinum, id est, bona opera senectutis debent esse meliora, & per eleemoynas pinguiora, quàm opera matutina juventutis. Quia scil. quantò plus ad vesperam senectutis properamus, tantò meliora opera exercere debemus, ut in nocte mortis odore virtutum nostrarum Dominum delectemus, & ipse cremationem nostræ pœnitentiæ spiritualiter odoretur. Psalm. 104. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Capitulum trigesimum. Textus: Narravitque Moyses filiis Israel omnia, quæ ei Dominus imperârat.

Moralitatum Cap. XXIII.

Mulier non poterat votum facere. Si verò ipsa, sive filia familias votum faceret, statim, quando vir, vel pater, votum audiebat, contradicere poterat, & sic votum, quod fecerat, non tenebat. Si verò vir, vel pater statim non contradiceret, sed taceret, & quasi vota associando aliquantulum exspectabat, ipsum amplius tollere non valebat. Filia verò vidua, vel repudiata, quæ in patris potestate non erat, si votum vovebat, necessariò obligata manebat, & ipsum votum pater suus nullo modo tollebat.

Istud, si vis, allega moraliter, & dic, quòd pater, & mater, est animus rationalis; filia verò & uxor ejus, sensualitas carnalis. Igitur dico, quòd quando talis filia, seu uxor, scil. caro, vel sensualitas, vult aliquod votum facere, id est, vult ex voluntate sua agere, H necesse habet viri, seu patris sui, scil. animi rationalis consensum, & consilium requirere; & si contradicat, debet quiescere, & cessare. Iste etiam vir, vel pater, quando filiam istam, scil. carnem, videt votum emittere, id est, aliquid mali concupiscere, potest in principio sibi resistere, & votum ipsius refrænare. Quòd si aliquantulum tardaverit, & contradicendo, & carnali appetitui repugnando paulatim semper cessaverit, ipsam amplius à tali voto, id est, à tali malo desiderio retardare non poterit, quia scil. mala carnis vota & desideria, dum adhuc sunt in principio, id est, in cogitatione, possunt per rationem reprimi, & auferri. Si autem convalescere permittuntur, vix aut nunquam possunt destrui, vel avelli. Unde dicitur: *Nisi præveneris eos, paulatim majora his facient, & non poteris obtinere eos.*

Vel dic, quòd vir, vel pater, est Deus; filia, vel conjux, est anima, quam pro certo à fatuis votis suis reprimit, & tribulando, vel inspirando, ipsam à malo custodit. Istud tamen fallit in repudiata, vel vidua, id est, in anima reprobata, & damnata; quia talem solet pater suus, scil. Deus, & à malis votis suis non retrahere, sed eam propriæ voluntati dimittere, & tanquam correctione indignam sibi in suis malis desideriis nullatenus obviare. Unde Oseæ 4. *Non visitabo filias vestras, cùm fuerint fornicatæ.*

Vel dic, si vis, de Prælato, qui bonos subditos corrigit, & eorum malis desideriis contradicit, repudiatos verò & protervos tanquam incorrigibiles suæ voluntati dimittit. Psalm. 80. *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.*

Capitulum trigesimum primum. Textus: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ulciscere prius filios Israel.

Moralitatum Cap. XXIV.

Cum filii Israel de Madianitis triumphâssent, & quinque eorum Reges occidissent, mulieres, & viros captivos, ad castra duxerunt. Quibus ait Moyses per hæc verba: Cur mulieres reservâstis? Nonne istæ sunt, quæ peccare fecerunt Israel. Viros igitur & mulieres corruptas occidit, & solùm virgines reservavit.

Per Madian, quæ interpretatur contradictio, intelligitur caro, A quæ semper contradicit spiritui. Et per quinque Reges ejus intelligo quinque sensus; per mulieres corruptas intelligo malas delectationes. Per virgines verò intelligo puras, & sanctas affectiones. Igitur moraliter loquendo, sæpe contingit, quòd filii Israel, id est, filii spirituales, contra Madian, id est, contra propriam carnem militant, & ipsam cum quinque suis Regibus, id est, cum quinque carnalibus sensibus vincunt, superant, & expugnant; mulieres verò custodiunt, & reservant. Istos verò Dominus reprehendit, & tales corruptas mulieres, id est, cogitationes, & delectationes occidi, & destrui præcipit, solas verò virgines, id est, puras & mundas actiones reservari permittit. *Nonne* (inquit) *illæ sunt, quæ peccare fecerunt Israel?* quia pro certo malæ cogitationes sunt illæ, quæ Israel, id est, virum justum, vel etiam rationalem animam faciunt peccare, quia perversæ cogitationes separant à Deo, & propterea ipsas oportet destruere.

Prædam, quam filii Israel à Madianitis tulerant, præcepit Moyses purgare, aurum & omnia talia, quæ ignem sustinere poterant, igne præcepit purificari. Illa verò, quæ ignem sustinere non poterant, sicut vestes, & similia, præcepit aquâ expiationis mundari.

Præda ista significat animas, quæ Madian, id est, diabolo per pœnitentiam subtrahuntur, & quotidie per Dominum, & ejus Prælatos, & Prædicatores spiritualiter rapiuntur. Sed reverà de istis sic raptis, & ad fidem vel pœnitentiam conversis, duo sunt genera, quia scilicet, quidam sunt infirmi, & debiles, qui ignem tribulationis nequeunt sustinere; quidam verò sunt fortes, & ignem istum competenter tolerare possunt. Et ideò Moyses, id est, Deus, illos, quos fortes & perfectos videt, per ignem duræ tribulationis probat, purificat & exercet, Psal. 16. *Igne me examinâsti,* &c. & Ezech. 2. *In igne probatur aurum,* &c. Illos verò, quos debiles, & infirmos videt, aquâ expiationis, id est, dulcedine suæ misericordiæ lavat, & cum ipsis misericorditer agendo, eos ab igne tribulationum præservat, sicut patet in quibusdam, quos per martyrium sicut per ignem ad se vocat, & in aliis, quos per simplicem confessionem, sicut per aquam expiat, atque purgat, Psal. 65. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Vel, si vis, dic, quòd aqua expiationis est lachrymosa compunctio, &c. sicut supra.

Vel dic, quòd ignis & aqua significant duplicem baptismum, B scil. flaminis & fluminis, quorum scil. altero necesse est animam purgari, priusquam à Madian, id est, diabolo abstrahi, vel auferri possit. Allega, ut suprà.

Capitu-

Digitized by Google

Capitulum trigeſimum ſecundum. Textus : Filii autem Ruben, & Gad habebant pecora multa.

Moralitatum Cap. XXV.

TRibus Gad, & Ruben, & Manaſſe, videntes terram Sehon Regis Amorrhæorum, & Og, Regis Baſan, quæ erat circa Jordanem, quòd ipſa paſcuis abundabat, & quòd ipſi multa pecora poſſidebant, illam terram pro hæreditate pro alendis ſuis gregibus à Moyſe petierunt, & totam aliam, quæ erat ultra Jordanem, penitùs quittaverunt.

Sic verè tres tribus, id eſt, tria genera hominum, ſcilicet, Ruben, qui patris cubile fœdavit, id eſt, luxurioſi, Gad, qui interpretatur accinctus, id eſt, avari, qui ad laborandum pro mundo ſemper ſunt accincti. Manaſſes, qui interpretatur oblivio, id eſt, ſuperbi, qui Dei & ſui proximi, & ſui ipſius ſunt obliti, non curant ultra Jordanem, id eſt, ultra fluvium judicii, id eſt, ultra mortem, ſcil. in Paradiſo poſſeſſionem accipere, imò ſumè curant hìc habitare circa Jordanem, ſcil in hoc mundo, divitias habere, & poſſeſſiones, quibus poſſint pecora ſua, id eſt, uxores ſuas, & filios alere, & ditare. Iſtam ergo terram à Moyſe, id eſt, à Deo videntur per portionem & hæreditatem accipere, & terram promiſſionis, id eſt, paradiſum, qui ultra Jordanem mortis latitat, prorſus dimittere, & quitare, & contenti præſentibus, de perpetuis temporibus non curare.

C *Capitulum trigeſimum quintum. Textus :* Hæc quoque locutus eſt Dominus in campeſtribus Moab.

Moralitatum Cap. XXVI.

ORdinavit Dominus, quòd certæ urbes Levitarum pro refugio illorum, qui hominem occiderant, ordinarentur, & quòd ibi tranſfugæ ab occiſi amicis ſalvarentur, quouſque ſummus Sacerdos moreretur, & tunc liberi penitùs efficiebantur, ſi tamen non voluntariè, ſed caſu hominem occidiſſe reperiebantur.

Sic verè, ſi quis hominem, id eſt, rationem, vel etiam Chriſtum, vel etiam gratiam in ſe ipſo occiderit per peccatum, conſtitutæ ſunt ſibi civitates refugii, id eſt, diverſi Pœnitentiæ, & Religionis ſtatus, ad quos fugiens liberatur, ne ab amicis occiſi, id eſt, à Deo, & ab Angelis perenniter occidatur.

Vel dic, quòd civitas refugii eſt Eccleſia, quia ſcilicet, ille, qui eſt homicida ſuiipſius per peccatum, non habet remedium, niſi ad civitatem refugii, id eſt, Eccleſiæ fidem, & diſciplinam, & ad mortem ſummi Pontificis, i. e. Chriſti paſſionem & mortem confugiat, Pſalm. 45. *Domine, refugium factus es nobis.*

Vel dic, quòd homicida non habebat, niſi tria remedia, ſcil. pacem cum amicis, civitatem refugii, & mortem Pontificis. Sic verè peccator, qui ſuiipſius (ut dictum eſt) homicida, non habet remedia, niſi tria, ſcil. civitatem refugii, quæ eſt beata Virgo, mortem Pontificis, quæ eſt Chriſti paſſio, pacem cum amicis, quæ eſt, pœnitentiæ ſatisfactio, & Chriſti, & Sanctorum per pœnitentiam placatio. Pœnitentia enim judicem placat, paſſio ſemper ſalvat, Maria tranſfugam protegit atque ſervat. Unde canitur : *Sub tuum præſidium confugimus ſancta, Dei genitrix, &c.*

Capitulum trigeſimum ſextum. Textus : Acceſſerunt autem & Principes familiarum Galaad.

Moralitatum Cap. XXVII.

D AD finem, quòd ſortium diſtributio non confunderetur, præcepit Dominus occaſione filiarum Salphaad, quòd quilibet de tribu ſua uxorem acciperet, & quælibet mulier in tribu ſua nuberet, & ſicut diſtincta tribus, ſic & hæreditas in ſuis familiis permaneret.

Hoc, ſi vis, applica contra illos, qui in aliis tribubus, id eſt, in alienis Eccleſiis, uxores, id eſt, beneficia cupiunt accipere, & non contenti propria tribu, id eſt, propria diœceſi, Religione, vel Collegio, uxorem, id eſt, beneficium alibi vendicare non verentur. Præcepit ergò Dominus, quòd nemo aliunde conjugem accipiat, & quòd per ambitionem ad aliam tribum, id eſt, ad aliam Eccleſiam vel Collegium ſe ſine cauſa non transferat, ſeu uxorem, vel beneficium ibi quærat. Unde dicitur 4. Reg. 15. *Contentus eſto gloriâ tuâ, & ſede in loco tuo.* De uxoribus etiam, id eſt, de dignitatibus, officiis & beneficiis vult, quòd de tribu ſua, id eſt, de gremio proprio vir, vel Prælatus, vel rector ipſis aſſignetur, & quòd de aliena patria, vel Eccleſia, ipſis nullatenus ordinetur. Quòd tamen hodie malè ſervatur, quia ſcil. illi, qui ſunt de propria tribu, id eſt, de Collegio, vel de patria, & qui ſunt proprii filii Eccleſiæ, hodie repelluntur. Alii verò, qui aliunde veniunt, ſcil. nepotes, & familiares Prælatorum talibus vacantibus uxoribus, id eſt, beneficiis dotantur. Unde illi de patria poſſunt dicere illud Iſa. 1. *Hæreditates noſtras coram oculis noſtris alieni devorant.* Quia reverà ſicut dicitur, Matth. 8. in Evangelio : *Multi veniunt ab oriente, & occidente,* id eſt, aliunde, *& recumbunt cum Abraham, Iſaac, & Jacob,* id eſt, cum Principibus & Prælatis ; *filii autem regni ejiciuntur foras.* Quod eſt contra multos Principes noſtros, qui in domibus ſuis, ſervitiis & officiis alienos de alienis terris, & tribubus advocant, filios autem regni, id eſt, homines terræ & patriæ ſuæ ejiciunt & repudiant, & non amant. De hiſtoria Deuteronomii pauca pono, pro eo, quòd pro majori parte non facit, niſi quæ ſupra poſita ſunt, recapitulare, & pro eo, quod communiter non ſolent verba ſua inductivè, vel literaliter recitari, &c.

Moralitatum ſuper Librum Numerorum Finis.

MORALITATUM LIBER QUINTUS
Libri Deuteronomii.

Capitulum ſeptimum. Textus : Cùm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram.

Moralitatum Cap. I.

PRæcepit Dominus filiis Iſrael, quòd ſeptem populos de E terra promiſſionis ejiciant, & ſubvertant, ſcilicet, Ethæum, Jebuſæum, Amorrhæum, Phereſæum, Chananæum, Evæum, & Gergezæum, & quod ipſos penitùs interimant & confundant, quodque cum eis pacta non teneant, nec conjugia ſimul faciant, necnon, quòd filii ſui illorum filias non accipiant, & quòd filios ſuos cum eorum filiabus nubere non permittant, ſed potiùs, quòd aras eorum deſtruant, & quòd lucos eorum ſuccidant, & idola conterant, & evertant. Et cauſam ſubjungit ibidem : *Populus* (inquit) *ſanctus es Domino Deo tuo ; te elegit Dominus Deus tuus.*

Moraliter loquendo iſti ſeptem populi ſunt ſeptem vitia. Si vis interpretationes, vide infra, & applica ſingulos populos ſingulis vitiis. Filii iſtorum malorum populorum ſignificant malos actus, & operationes. Filiæ verò ſignificant malas cogitationes ; populi autem Iſrael ſunt viri juſti. Filii eorum ſunt boni affectus. Filiæ autem ſunt bonæ ſpirituales delectationes, & conſenſus ; iſtud eſt verum, quòd populus Iſraeliticus, id eſt, populus fidelis, & Eccleſiaſticus, debet de terra promiſſionis, id eſt, de mente ſua ſeptem populos, id eſt, ſeptem genera vitiorum mortalium ejicere, & cum eis familiaritatem, ſeu conjugium malæ conſuetudinis non debet contrahere, nec filias eorum, id eſt, malas delectationes debet filiis ſuis, id eſt, interioribus affectibus, copulare, nec etiam è contra filias ſuas, id eſt, mentis ſpirituales delectationes debet cum iſtorum filiis, id eſt, cum malis vitiorum operibus maritare ; quinimò aras eorum, id eſt, malas cogitationes, idola eorum, id eſt, malas operationes, lucos umbroſos, id eſt, malas excuſationes debet totaliter extirpare. Unde dicitur Gen. 35. *Abjicite Deos alienos, qui ſunt in medio veſtri, & mundamini, & veſtimenta veſtra mutate.* Quia enim Chriſtiani ſancti ſunt, & electi ; ideo debent eſſe D à talibus conſortiis alieni.

Vel dic, quòd terra promiſſionis eſt Eccleſia, vel Religio ; à qua, ſcil. ejiciendi ſunt ſeptem populi, id eſt, ſeptem genera hominum peccatorũ. Ethæus enim, qui interpretatur ſtupidus, ſignificat imbecilles & timoroſos, de quibus dicitur Pſ. 13. quòd *trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Gergezæus, qui interpretatur colonum ejiciens, ſignificat raptores & uſurarios, qui pauperes ejiciunt de domibus & poſſeſſionibus eorum ; Unde Job 24. *Vulgum pauperum ſpoliaverunt, &c.* Amorrhæus, qui amara loquens interpretatur, ſeu amaricans, ſignificat invidos, qui de proſperitate aliorum amaricantur, & contra alios libenter eloquuntur. Unde dicitur Job. 10. *Loquar in amaritudine animæ meæ.* Chananæus, qui interpretatur poſſidens, vel negotiator, ſignificat avaros, qui poſſident malè ſervando, & negotiantur malè acquirendo, Ezech. 28. *In multitudine negotiationis tuæ impleta ſunt interiora tua iniquitate.* Pherezæus, qui interpretatur ſeparans, ſignificat detractores, qui ſeparant amicitias aliorum, Prov. 16. *Vir verboſus ſeparat Principes.* Jebuſæus, qui interpretatur præſepia, vel conculcati, ſignificat luxurioſos, & guloſos, qui ſcil. beſtiis, i. e. motibus & delectationibus carnis ſunt pabulũ & præſepe. Unde Zach. 11. *Paſce pecora occiſionis.* Evæus, qui interpretatur ferus vel peſſimus, ſignificat crudeles, & ſuperbos, de quibus dicitur Gen. 16. *Hic erit ferus, & figet tabernacula è regione fratrum ſuorum.* Iſta ergo veritas, quòd populus Iſrael, id eſt, viri juſti, non debent talibus malis populis, id eſt, peccatoribus conſœderari, nec eorum conſortia, familiaritates, vel connubia diligere, vel ſectari, ſed potiùs tales debent de terra promiſſionis, id eſt, de Eccleſia ejici, & aræ, & idola, id eſt, vitia eorundem deſtrui, & ſubverti, ut ſic ipſi filii Iſrael, id eſt, viri Eccleſiaſtici ſint ſancti Domino, & electi. Unde dicitur Lev. 19. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Vel dic, quòd Ethæus eſt timor, Gergezæus eſt rapina, Amorrhæus eſt invidia, Chananæus eſt avaritia, Phereſæus eſt ira, vel detractio, Jebuſæus eſt luxuria, Evæus eſt ſuperbia, qui ſcil. populi ſunt de terra promiſſionis mentis noſtræ ejiciendi, & ibidem filii Iſrael, id eſt, virtutes & merita ſubſtituenda.

Digitized by Google

Capitulum octavum. Textus: Omne mandatum, quod ego præcipio tibi.

Moralitatum Cap. II.

G Sicut dicitur Deut. 8. filiorum Iſrael non fuerunt veſtimenta conſumpta, & calceamenta non ſunt attrita. Et dicitur, quòd terra promiſſionis eſt terra frumenti, olei, & mellis, & vinearum, in cujus campis fluunt fluviorum abyſſi, cujus lapides ferrei ſunt, & de cujus montibus æris metalla fodiuntur, in qua abſque penuria vivitur, & rerum omnium abundantia cumulatur.

Dic, ſi vis, quòd talis debet eſſe Eccleſia, vel Religio, quia videlicet ibi debent eſſe fluvii gratiarum, oleum miſericordiarum, hordeum Domini, & groſſarum pro ſimplicibus doctrinarum, frumenta ſubtilium, & utilium ſcientiarum, mella devotionis, vina conſolationis. Item ibi debet eſſe ferrum, per conſtantiæ firmitatem, debet eſſe ibi æs, id eſt, viri prædicatores, qui tamen ibi non deberent atterere veſtimenta ſua, quia, ſcilicet cultores iſtius terræ debent habere exteriorem honeſtatem, & decentiæ perpetuitatem, nec etiam calceamenta, quæ, ſcilicet ſunt de pellibus animalium mortuorum: quia iſti etiam debent habere perpetuam mortis conſiderationem & humilitatem. Ideo iſta eſt terra, quæ à filiis Iſrael, id eſt, viris contemplativis, ſcilicet Deum videntibus, debet inhabitari, quæ à Chananæis, id eſt, à malis hominibus debet purgari. Breviter ergò iſta debet eſſe terra, de qua dicitur ſupra Exod. 4. *Vos tranſibitis, & poſſidebitis terram egregiam.*

H Hic dicitur, quòd in deſerto, per quod filii Iſrael ad terram promiſſionis ibant, tria genera ſerpentũ inveniebantur, quæ ipſos filios Iſrael multipliciter infeſtaverunt, & vulneraverunt, ſcilicet, ſerpens flatu urens, ſcorpio & dipſas, qui ſcil. ſiti interficit, quem percuſſerit. Ibi etiam (ut ait) nulla penitùs erat aqua.

Sic verè etiam in deſerto hujus mundi, per quod ad æternæ promiſſionis habitaculum properamus, ſunt ſpecialiter tria mala, ſcilicet, ſcorpio (faciem virgini habens ſimilem) capite blandiens, & cauda pungens, hoc eſt, carnis fallacia, ſerpens flatu urens, hoc eſt, hoſtis malitia, dipſas ſiti occidens, hoc eſt, mundi avaritia, & aviditas, aquam non habens, hoc eſt, divinæ gratiæ carentia. Caro enim in initio blanditur, ſed in fine pungit, & damnat. Diabolus ſuggerendo, & tentando ad peccatum urit, & inflammat. Mundus verò cum divitiis ſuis, ſtatum avaritiæ provocat, & utique aquam divinæ gratiæ deſtruit, & deſiccat. Unde Iſaiæ 5. *Nobiles intereunt fame, multitudo eorũm exaruit ſiti.*

Vel dic, quòd deſertum eſt Religio, in qua pro certo hodie inveniuntur aquæ, id eſt, divinæ gratiæ penuria, ſerpentum verò, id eſt, malorum hominum abundantia. Ibi enim abundant ſerpentes, qui flatu verborum alios urunt, id eſt, detractores; ſcorpiones, qui retrò lædunt, & ante blandimenta faciunt, id eſt, adulatores; Dipſades, qui ſiti interficiunt, i. e. mali familiares alienæ avaritiæ incitatores. Ideò benè dictum eſt illud Ezech. 2. *Fili, (inquit) homines impii, & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas,*

Capitulum decimum quintum. Textus: Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebratur.

Moralitatum Cap. III.

Deuteronomii 15. fit mentio de anno ſeptimo remiſſionis, & de ſervis libertati donandis. Sed de hoc vide in Exod. 21. Unum autem dicitur hìc: *Non operaberis (inquit) in primogenito bovis, nec tondebis primogenitum ovis in conſpectu Domini Dei tui, ſed comedes ea per annos ſingulos in loco, quem elegerit.*

In Scriptura ſacra ſoquendo moraliter, per ovem intelligitur A ſimplex, & infirma innocentia. Per bovem verò intelligitur fortitudo, vel juſtitia. Primogenita autem iſtorum, bona opera ſunt, quæ quandoque à ſimplicitate, quandoque à fortitudine mentis procedunt. Sed reverà ſic debet eſſe, quòd iſta primogenita, id eſt, iſta bona opera non debent in publicum deduci, nec per inanem gloriam manifeſtari, nec velamine ſecretæ humilitatis privari; coram Domino enim debent talia primogenita, id eſt, talia bona opera noſtra comedi, id eſt, ad ſolam Dei gloriam ordinari, & nulla gloria quæri quomodolibet vel ſperari. Unde dicitur: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, &c.* Unde dicit Gregor. *In primogenito bovis operari prohibemur, & à primogenitis ovium detondendis compeſcimur. Quia, ſi quid robuſtum exercere incipimus, in aperto oſtendere citius non debemus, ſed & cum vita noſtra ſimplex quid, & innocuum inchoat, dignum eſt, ut ſecreti ſui velamina non relinquat, nec nudum humanis oculis quaſi ſubducto vellere ſe oſtendat.*

Vel dic, quòd primogenita ſignificant Viros religioſos, & Clericos, tanquam inter cæteros magis dignos, ſed iſtorum quidam ſunt primogeniti bovis, id eſt, viri fortes atque perfecti, quidam primogeniti ovis, id eſt, viri ſimplices, & infirmi. Iſta eſt ergò veritas, quod non eſt in talibus operandum, quia ſcilicet, perfecti iſti ad publica mundi opera, & negotia non ſunt trahendi, nec in eis occupandi. Primogenita verò ovis, id eſt, ſimplices, non ſunt tondendi, nec vellere bonorum temporalium penitùs denudandi, quia breviter iſtud verum, quòd lana bonorum temporalium debet ſimplicibus, & imperfectis pro ſuſtentatione dimitti, & quòd viri perfecti, & ſancti nunquam debent in temporalibus negotiis occupari, ſed coram Domino comedi, id eſt, in ſolo Dei ſervitio mancipari. Apoſtolus: *Pretio magno empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*, id eſt, ad Dei ſervitium ordinati eſtis, nolite appetere mundi ſervitium, & officium.

Hic dicitur, quòd anno ſeptimo debita non repetebantur, ſed eorum repetitio ad ſequentem annum differebatur, ut exponit Comeſtor. Et ſic iſta erat differentia inter annum remiſſionis ſeptimum, & annum Jubilæum quinquageſimum, quia ſeptimus annus debita non tollebat, ſed differebat, Jubilæus verò omnia remittebat.

Iſti duo anni ſignificant duos ſtatus, ſcilicet, gratiam, & gloriam. Septimus verò gratiam deſignat propter ſeptiformem ſpiritum, quem miniſtrat. Jubilæus autem gloriam, propter hæreditatem paràdiſi perditam, quam reſtaurat. Iſtud eſt verum, quòd debita, id eſt, peccata, ſeptimo anno, id eſt, per gratiam non ex toto tolluntur, quia, ſcilicet, adhuc reatus & obligatio ad pœnam B remanet, qui anno ſequenti, ſcilicet, poſt mortem in purgatorio repetitur. Sed reverà Jubilæus, id eſt, gloriæ ſtatus omnia debita totaliter, etiam quantùm ad pœnam dimittit, & hominem liberum prorſus reddit.

Et ſi vis, adhuc dic, quòd in anno ſeptimo ſervitus ex toto remittebatur, & homo liber efficiebatur. Debitum tamen ex toto non quitabatur, ſed uſque ad annum ſequentem differebatur. Sic verè per ſeptenarium gratiæ, & Sacramentorum remittitur ſervitus, id eſt, culpa, non remittitur debitum, id eſt, pœna, imò ſi ipſum homo pro anno tantùm præſentis vitæ ſolvere differt, neceſſe eſt, quòd ſolvat in alio, & tunc dicitur ſibi illud Matth. 18. *Redde, quod debes, &c.*

Capitulum decimum ſextum. Textus: Obſerva menſem novarum frugum.

Moralitatum Cap. IV.

Hic præcipitur de luco, id eſt, de nemore circa altare non plantando, ad tollendum ritum gentilium, qui lucos diis ſuis dedicabant, & ideò dicitur ſic: *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare.*

Altare eſt Eccleſia, vel Religio, lucus, ſeu arbor umbroſa, vitiorum excuſatio. Statua, quæ dicitur à ſtando, & quæ erat imago facta ad laudem & culturam diaboli, eſt peccati obſtinatio, & confirmatio, & diaboli imitatio. Iſta ergo ab altari Eccleſiæ debent removeri, quia, ſcilicet, lucus, id eſt, vitiorum excuſatio, ſtatua, i. e. obſtinatio, nunquam debent in Religioſis & Eccleſiaſticis inveniri, ſed potius, ſi peccare contingat, omnia debent à Prælato reſecari, & à ſtatua, id eſt, obſtinatione immutari, unde ſupra dicitur: *Confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite.*

Vel dic, quòd ſtatua, i.e. diaboli imago, lucus, id eſt, ignorantia, & veritatis obumbratio ſunt ab altari Eccleſiæ repellenda. Vel dic, quòd altare eſt cor, ut ſuprà.

Capitulum decimum ſeptimum. Textus: Non immolabis Domino Deo tuo bovem & ovem,

Moralitatum Cap. V.

Judices præcipiuntur in portis ſedere. Quòd ſi ambiguum aut C aliquod negotium emergeret, debebant ad Sacerdotes recurrere, & eorum judicium quærere, & tenere. Quòd ſi quis ſuperbiens tenere dedignabatur, ſtatim interfici jubebatur. Cunctus (inquit) populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ.

Allega hoc, quòd habes hìc exemplum, de appellando de minori judice ad majorem, ſeu etiam ad eum recurrendo, quando de negotio, vel de ſententia dubitatur. Item hìc allega exemplariter, quomodo Sacerdotibus, id eſt, Prælatis eſt obediendum, & quomodo obedire dedignans & ſuperbiens graviter puniebatur, & allega ſimiliter, &c.

Vel, ſi vis, dic, quomodo pœna unius eſt error multorum.

Hìc ponitur, quòd ſi quis alium ad ſerviendum Diis alienis induceret, interfici & obrui deberet lapidibus, & quòd etiam ſicut ſupra ponitur, hoc non ſolum erat de extraneis, imò etiam de fratribus, de uxoribus, & propinquis. Sit (inquit) manus tua primum ſuper eum, & poſt te omnis populus mittat manum.

Iſtud poteſt allegari, quòd pietas fidei eſt pietati parentum præferenda, & quòd conſanguinitatis vinculũ ſolvitur, ubi quis in idololatriam, vel hæreſim labitur in tantum, quòd frater à fratre, & filius à patre occidi jubebatur. Et allega generaliter contra hæreticos, qui alios movent ad idololatrandum, & ad malè credendum, quia, ſcilicet, ſtatim debent de medio tolli, & lapidari, id eſt, duris ſententiis caſtigari.

Doctri-

Digitized by Google

Doctrinam Regis eligendi, ponit hìc Dominus, dicens : *Non poteris alterius generis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cùmque constitutus fuerit Rex, non multiplicabit sibi equos : nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus. Non habebit uxores plurimas, quæ illiciant cor ejus, neque argenti, neque auri immensa pondera. Legat Deut. Leges : Non elevetur cor suum super fratres suos per superbiam, nec declinet ad dexteram, sive ad sinistram.*

D Ista omnia competunt vel Principi, vel Prælato, quia reverà iste semper debet præfici, eligi, & assumi de gremio, de secta, vel de patria, dum tamen sufficiens inveniatur. Non enim debet præfici hæreticus orthodoxis, laicus Clericis, sæcularis Clericus Religiosis, extraneus domesticis, sed de Collegio, & de gremio debet assumi, cujus vita, & mores meliùs possunt aliis conformari ; unde dicitur Num. 35. *Cunctæ fœminæ*, id est, cunctæ Ecclesiæ, *maritos de eadem tribu accipiant, ut hæreditas permaneat in familiis.* Et benè dicit, ut *hæreditas permaneat in familiis:* quia pro certo, quando Rex vel Prælatus de aliena tribu, id est, de aliena patria sumitur, hæreditas beneficiorũ non remanet in familiis suis, sed etiam ad illos, qui sunt de illius Prælati partibus, derivatur, quia, scilicet, illi beneficiantur, & promoventur, filii verò Ecclesiæ dimittuntur. Ideò possunt dicere illud Thren. 5. *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.* Talis ergò Rex, Judex, vel Prælatus, debet generaliter tria fugere, & tria facere. Fugere debet, dico, tria, scilicet, pompam, & elevationem, & hoc est, quod dicitur: *Non multiplicabit sibi equos.* Item avaritiam, & ambitionem, & hoc est, quod dicitur, *quòd non congregabit sibi auri & argenti immensa pondera.* Item amicorum carnalium affectionem, & hoc est, quòd dicitur : *Non multiplicabit sibi uxores*, id est, carnales parentes, de quibus, scil. filios, & nepotulos concipiant, propter quorum affectionem justitiam derelinquat. Constat autem, quòd ista tria destruunt hodie Reges, id est, Prælatos, & superiores nostros, scil. pompa, in qua expendunt plus quàm liceat, avaritia, per quam congregant plus quàm deceat, carnalis affectus, per quem nepotulos aggregant, & diligunt plus quàm oporteat. Et E ideò dixit Solinus, quòd in Capionæa Indiæ insula mos fuit, nullum Regem eligere, qui pater esset, quinimò si liberos educare vellet, exuebatur regiâ potestate. Hoc autem per prudentiam (ut ait) fiebat, ne regnum fieret hæreditarium. Item alia tria debet facere, sc. habere scientiã & prudentiam, humilitatẽ servare, justitiã custodire. Decet enim Regem, vel superiorem, quòd habeat prudentiam & scientiam, & ideò benè dicit, quòd ipse debet legere librum legis. Item decet, quòd habeat humilitatem, & modestiam. Ideò dicitur, quòd non elevetur per superbiam super fratres suos. Item decet, quòd servet æquitatem, vel justitiam. Ideò dicitur, quòd per acceptionem personarum, aut munerum, non debet declinare ad dextram, vel ad sinistram, id est, ad unam partem plùs quàm ad aliam, juxta illud : *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram.* Et alibi : *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium, & justitiam in terra.*

Et adverte, quod hìc dicitur, quòd *postquam sederit in solio regni sui, describit sibi volumen legis, & accipiens exemplar, &c.*

In quo notatur, quòd Regis & superioris est sedere, & in uno loco stare, non vagari. Et etiam dum sedet, i. e. dum est in otio, & quiete, in libris debet legere, & studere, exemplo antiquorum Regum, qui communiter fuerunt Philosophi literati. Exemplo etiam Caroli Magni, qui tabulas portabat, & in otio scribere non cessàbat. Unde dicitur Luc. 16. *Sede citò, & scribe quinquaginta, &c.*

Vel dic, quòd Rex Israël est justus, qui uxores plurimas, id est delectationes carnales, vel sollicitudines temporales non debet habere, ne fortè animum ejus possint allicere, vel turbare, &c.

Capitulum decimum octavum. Textus : Non habebunt Sacerdotes & Levitæ, & omnes, qui de eadem tribu.

Moralitatum Cap. VI.

UNum notabile ponitur hìc in Deuter. quòd si quis fingens se Prophetam, non missus à Domino, & tamen voluerit loqui in nomine Domini, & sine præcepto ipsius aliquid dicere, interfici F jubebatur.

Quod allegari potest contra malos Officiales & Ballivos dominorum, qui sine mandato Majorum faciunt multa mala, & nomine eorum præcipiunt, & loquuntur, & exequuntur multa injusta, quæ tamen ab ipsis Dominis non fuerunt præcepta, vel dicta. Unde dicitur Hier. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar eis, & ipsi prophetabant.* Tales ergò merentur puniri, quinimò sæpiùs videmus eos interfici & suspendi.

Vel allega contra hæreticos, qui in nomine Domini, & sub umbra, & titulo veræ fidei loquuntur, & prædicant multa falsa, propter quæ merentur incurrere multa supplicia & tormenta.

Unde dicitur Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam, &c.*

* *
*

Petr. Berchor. super Deuteronom.

Capitulum vigesimum. Textus : Si exieris ad bellum contra hostes tuos.

Moralitatum Cap. VII.

DOminus mandat, processuros ad bellum, fortiter agere, hostes non timere, sed in Domino solùm sperare. Veruntamen quatuor genera personarum remittuntur à bello, scilicet, quæ ædificaverunt domum, sed necdum eam dedicaverunt, seu initiaverunt; qui desponsaverunt uxorem, sed eam necdum duxerant; qui plantaverunt vineam, & necdum ipsam communem fecerant; qui corde pavidi erant, & formidinem incurrerant. Omnes enim isti desiderio revertendi, poterant corda aliorum dissolvere; & ideò melius erat eis, ante pugnam redire, quàm à pugna fugere, & alios enervare.

Ista possunt generaliter applicari, quòd melius est, in minoribus agere, quàm in majoribus aggredi, & succumbere; meliusque est in activa vivere, quàm in contemplativa deficere. Meliusque est, in hoc sæculo sub latiori disciplina manere, quàm ad religionem ascendere, & per inconstantiam retroire. Per bellum enim in scriptura status Religionis, contemplationis, & perfectionis significatur, in quo, scilicet, contra vitia magìs ardua dimicatur. Unde Job. 7. G *Militia est vita hominis super terram.* Per locum proprium seu patriam intelligitur mundi status, vel communis conditio, seu gradus. Istud igitur est verum, quòd à bello contemplativæ, & perfectæ vitæ quatuor genera hominum imperfectorum remittuntur, ipsisque consulitur, quòd in sæculo remaneant, & quòd arduam bellandi contra vitia vitam nullatenus aggrediantur, & isti sunt illi, qui domum suam, quæ omnia continet; scilicet, charitatem, necdum per executionem bonorum operum initiaverunt, qui uxorem, scilicet, gratiam necdum perfectè duxerunt, nec sibi eam per perseverantis perfectionis propositum acceperunt: qui vineam suam, id est, bona sua temporalia necdum communia per eleemosynam fecerunt, qui formidinem aggrediendi difficilia, & sustinendi gravia, necdum totaliter dimiserunt. Domus enim nostra est charitas, quæ bonis affectibus ædificatur, & bonis operibns initiatur. Quia secundùm Gregorium *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Uxor est gratia, quæ per bonum propositum desponsatur, & per perfectam constantiam accipitur, & nobis matrimonialiter copulatur. Unde dicitur Joseph Matth. 1. *Fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam.* Ista est uxor, qua mediante bonos filios, id est, bona opera generamus, quia sicut dicitur in Psalm. 127. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domûs tuæ.* Vinea nostra est bonorum temporalium ubertas, quæ, scilicet, per acquisitionem plantatur, & eleemosynam, & aliorum misericordiæ operum exercitium efficitur communis, & ad usus hominum applicatur. Oportet ergò, quòd domus nostra, id est, charitas, per bona opera dedicetur, quòd uxor nostra, id est, gratia, per firmitatem propositi vendicetur, quòd vinea nostra, id est, temporalitas aliis per eleemosynam communicetur, & quòd etiam timor, id est, imbecillitas, à nobis penitùs abdicetur, si ad spirituale prælium contra vitia, & ardua contemplationis opera volumus sufficientes haberi, & à retrocessione inconstantiæ esse tuti : aliàs enim possemus faciliter deficere, & ab assumpto bono proposito retroire; & sic possemus fugere, & præterea aliis hoc videntibus, peccati causam dare; quia pro certo secundùm doctrinam sancti Petri : *Melius est ardua non aggredi, quàm post cognitionem retroverti.* Veruntamen ex quo bellum istud aggressi sumus, & ex eo statum perfectionis accepimus, necesse est, quòd fortiter dimicemus, & sperantes in Domino nunquam de nostris viribus præsumamus, l. 30. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.*

Vel, si vis, dic, quòd vinea nostra est scientia, quæ per prædica- H tionem aliis debet communicari, sicut supra.

Vel dic, quòd bellum significat disputationem, & pugnam contra hæreticos, quæ non est aggredienda homini imperfecto, necdum in scientia domificato, conjugato, vel adhuc inhabituato, quia, scilicet, vinceretur, & succumberet, fuga sua aliis simplicibus scandalum faceret, & eorum incredulitatis, aut periculi causa esset.

Dominus præcepit, quòd dum aliqua civitas expugnatur, fructuosæ arbores, quæ sunt circa eam, nullatenus succidantur, sed steriles sylvestres pro machinis succidi jubentur. Civitas est peccator, qui tum temporis expugnatur, quando à Prælato redarguitur, & objurgatur. Arbores fructuosæ sunt aliqua bona, quæ sunt in ipso, infructuosæ verò sunt ipsius vitia & mala. Ista ergò est veritas, quòd Prælatus, vel quicunque corrector, qui vult aliquam civitatem, id est, aliquam personam impugnare, & corrigere, summè cavere debet in ipsa, ne succidat arbores fructuosas, id est, conditiones virtuosas, sed solum steriles, sylvestres, & vitiosas, quia scilicet, multum debet cavere corrector, ne per incautam correctionem & austeram punitionem, hominem ad deterius provocet, & sic in eo virtutes, & non vitia eradicet. Unde dicitur : *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* Ex propriis suis arboribus sylvestribus, id est, ex istorum malorum

Digitized by Google

iniquitatibus fiunt contra eos machinæ ad eos destruendos, quando mala ipsorum testimonia sunt causa ad eos puniendum. Unde Prov. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, ut funibus peccatorum suorum trahitur.*

Vel illud allega ad diabolum, qui peccatorem confundit cum propriis suis malis.

Vel dic, quòd civitas capienda est scientia gentium, & doctrina philosophica ad usus Catholicos convertenda. In ista ergò arbores fructiferæ, id est, bona documenta & bona dicta sunt servanda. Arbores verò sylvestres, id est, mala & erronea dicta sunt penitus extirpanda. Unde dicitur Matth. 13. *Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Veruntamen, si est possibile de ipsis arboribus sylvestribus ipsius civitatis, i. e. de ipsis malis documentis & sententiis ipsius Philosophiæ, vel gentilis, vel sectæ, licitum est facere machinas & argumēta ad infideles confundendum, E quia sc. nunquam error infidelium meliùs confunditur, quàm quo ex propriis suis libris & erroribus, contra eum machinæ erigantur, & ipsi propriis suis scriptis convincuntur. Ita, quòd tunc potest illis dici illud Matth. 19. *Ex ore tuo te judico, serve nequam.*

Hic ponitur, quòd quando populus Israel ibit ad impugnandum aliquam civitatem, ante omnia debebat ei pacem offerre, quæ si pacem recipiebat, & portas aperiebat, ipsam sub tributo vivere permittere debebat; si autē nolebat obedire, sed bellum potiùs parare moliebatur, tunc impugnari, spoliari, ac destrui jubebatur.

Sic verè Charissimi, si quis Prælatus, vel corrector contra aliquam civitatem, i. e. contra aliquam personam puniendam properat, justum est, quòd ante omnia pacem illi offerat, & quòd misericorditer ipsam inducat, & quòd, si potest, per mansuetudinem ipsam trahat. Unde dicitur de primo Matth. 10. *Dicite, pax huic domui.* Quòd si pacem recipiat, & se emendare promittat, sub tributo, id est, sub obedientia & disciplina ipsam vivere tunc permittat, & ab austera impugnatione, & correctione manum suam compescat, & hoc sicut dicitur in Ezech. 18. *Non vult Deus mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat.* Si verò nolit pacem recipere, nec sub tributo, & obedientia, quod justum est, facere, tunc necesse est, ipsum severiter castigare, & si sit necesse, destruere, vel gravare, ut sic illum, qui verbo non vult corrigi, possint verbera frangere vel domare. Unde dicitur Eccl. 33. *Servo malevolo tortura, & compedes.* Tali modo videtur etiam Dominus contra impios procedere, quia quotidie non cessat ipsis pacem & misericordiam per scripturas offerre, sed qui eam recipere non curant, illos solet perpetuò condemnare.

Capitulum vigesimum primum. Textus: Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

Moralitatum Cap. VIII.

CUm quis mulierē pulchram gentilem captivā suam in uxorem volebat accipere, ipsam primò in domū suam debebat introducere, quæ ad hoc, quòd uxor Israelitici posset fieri, ista per ordinem F debebat facere, quia scilic. primò debebat cæsariem capillorum suorum radere, deinde debebat ungues suos circumcidere, tandem debebat vestimenta sua, in quibus capta erat, deponere, & finaliter in domo sedens, debebat patrem suum per unum mensem deflere, & sic poterat ab Israelitico accipi, & viri ipsius uxor esse.

Dic allegoricè, quòd talis mulier gentilis, & captiva, significat scientias gentilium, & Philosophicam disciplinam, quæ scil. à nobis captiva ducitur, quando per subtilitatem intellectus in utilitatem Ecclesiæ vertitur, ita, quòd quasi compulsa fidei famulatur. Igitur si aliquis filius Israel, videns Deum, id est, aliquis Theologus viderit hujusmodi uxorem, id est, Philosophicam disciplinam delectabilem, & pulchram, placueritque sibi ipsam legere, studere, vel scire, ante omnia necesse habet superfluitatem ipsius, id est, ipsos errores gentilium immixtos eidem penitùs amovere, & ungues, capillos, & vestes, & quicquid exterius gentile, & hæreticum sapere videbatur, Deo scil. sacræ Scripturæ & fidei, contrarium, debet totaliter refutare. Et sic erit licitum, istam uxorem sibi sumere, & ipsam scientiam gentilium poterit Israeliticam facere, & ad usum veritatis, & fidei applicare. Unde dicitur Genes. 12. *Ecce uxor tua, utere ea, ut libet.*

Vel dic, quòd ista mulier est anima peccatrix, quæ scil. pulchra dicitur, pro eo, quòd in pulchritudinem naturalem à Deo constituitur, & creatur. Per capillos, ungues & vestes, quæ sunt quædam res quasi non naturales, sed accidentales, non vivæ, sed mortuæ, non necessariæ, sed superfluæ, intelliguntur ipsius mali mores, & peccata mortalia, quæ tunc habet. Unde capilli significant malas cogitationes, ungues manuum significant malas operationes, vestimenta, cum quibus capta est, significant malæ conversationis mores & conditiones. Igitur quando de muliere gentili debet fieri Israelitica, de ancilla uxor, de serva libera, de anima peccatrice anima sancta, & quando ad Christi connubium, quod fit G in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam, est admittenda, quatuor sunt sibi necessaria, scil. quòd per pœnitentiam, & confessionem radat capillos capitis sui, i.e. omnem cordis immundam cogitationem: circumcidat ungues, i. e. omnem superbiam, & mortuam operationem, mutet gentilitatis vestes, i. e. omnem malam conversationem, sedeat in domo conscientiæ per suiipsius considerationem, & defleat patrem, & matrem, i. e. mundum & carnem, & omnem, quam exinde contraxit maculam & infectionem, dicendo illud Hier. 15. *Va mihi mater mea, quæ genuisti me, &c.* Et sic post triginta dies, qui constant ex denario ter ducto, i. e. post completionem decem mandatorum, & Trinitatis fidem, vir ille, qui in crucis prælio eam ceperat, & acquisiverat, i.e. Christus tunc sibi eam per gratiam desponsabit, & corpori suo mystico spiritualiter adjungens, uxorem, & sponsam spiritualiter consecrabit. Unde: *Vade, & accipe uxorem fornicariam.* Osee. 1. Et alibi: *Sponsabo te mihi in fide.* Osee. 2.

Vel dic, quòd istud potest dici ad litteram de anima gentili per prædicatorem conversa, quia ad hoc, quod corpori nostro, i. e. Ecclesiæ conjungatur, necesse est, quod quatuor faciat, quæ superius exponuntur, & sicut supra habetur.

Homo, qui duas habet uxores, unam prædilectam, & alteram odiosam, & fuerit filius odiosæ primogenitus, & voluerit dividere hæreditatem inter filios suos, non poterit filium prædilectæ primogenitum facere, sed filium odiosæ primogenitum faciet, dabitque sibi de omnibus, quæ possidet, cuncta duplicia. Iste enim est principium liberorum ejus, & ei debentur primogenita.

Dic, quòd homo potest significare Prælatum. Duæ uxores ejus sunt carnalis affectio prædilecta, & propria Ecclesia odiosa, primogeniti filii sunt Ecclesiæ, & illi, qui sunt de Ecclesia, vel patria procreati, qui videntur hodie filii odiosi, secundogeniti sunt carnales amici, quos, scilicet, uxor eorum prædilecta, scil. carnis affectio generavit. Igitur istud est verum, quòd, quando homo iste, id est, Prælatus vult inter filios suos, & subditos bona sua, id est, beneficia dividere, non debet primogenitos, id est, Ecclesiæ filios postponere, nec carnaliter dilectos istis primogenitis anteferre, id est, principales facere, nec primogenita, id est, beneficia pinguiora, quæ debebantur aliis, eis debet tribuere, sed istis primogenitis filiis, id est, viris sufficientibus, & bonis ab Ecclesia procreatis, cuncta duplicia, id est, in duplo meliora aliis debet dare. Isti enim sunt principium liberorum ejus, id est, isti sunt proprii filii Ecclesiæ, id est, Prælati, & ideo primogenita & pinguia, id est, principalia beneficia talibus debent dari. Cujus tamen contrarium modo faciunt multi, qui filios corporales spiritualibus anteponunt. Ita quòd ipsi plangendo possunt dicere illud Gen. 27. *Hæreditas nostra conversa est in alienos.* Et illud: *Primogenita mea ante tulit, nunc etiam surripuit benedictionem meam.*

Vel dic, quòd duæ uxores sunt, anima, quæ oditur, & caro quæ diligitur. Vir tamen sapiens non debet filios, id est, affectus, & H opera carnis, filiis, i. e. animæ affectibus, & operibus anteferre, &c.

Si genuerit quis filium protervum & contumacem, qui non audiat patris & matris imperium, debebant pater, & mater eum apprehendere, & ad seniorum judicium ducere, & dicere: *Filius iste noster protervus, & contumax, mandata nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis, lapidibus obruat eum universa multitudo.*

Istud allega contra malos & protervos subditos, qui, scil. patri suo, id est, Ecclesiæ obedire nolunt, sed protervi, contumaces, ludis & commessationibus intendunt, quare, scilicet, parentes, id est, Prælati eorum, lapidibus, id est, duris correctionibus meritò ipsos obruunt, & confundunt. Ista enim est veritas, quòd omnes debent eum lapidare, & obruere, castigare, & corrigere, increpare, & arguere, qui parentibus suis, scil. tam carnalibus quàm spiritualibus in rebus justis, & licitis dedignantur obedire, & magis student commessationibus, & luxuriæ intendere, & vacare, quòd potissimè de apostatis dici debet, quia reverà, qui jugo obedientiæ se subtrahunt, promerentur ab omnibus lapidari.

Hic præcipitur, quòd ille, qui captivam duxit uxorem, si sibi tandem displiceret, poterat eam dimittere, non tamen poterat in servitutem reducere, nec per potentiam opprimere, sed liberam permittebat abire.

Sic etiam verè, si quis habeat aliquem amicum sibi conjugio, i. e. familiaritate, & amicitia conjunctum, nullo modo ipsum debet A oppimere, vel turbare, nec eum per potentiam lædere, vel gravare, sed potiùs, si sibi non placet, debet eum gratis dimittere, & se ab ejus consortio segregare, quia, sicut dicit Seneca: *Turpe est, cum illo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris ante.*

Capitulum vigesimum secundum. Textus: Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem.

Moralitatum Cap. IX.

MOysens nolens, quòd mixta invicem sint rerum negotia, fecit prohibitionē generalem, quòd vir non uteretur veste muliebri.

Quod ad hoc allegari potest, quòd nullus debet alterius officium usurpare, quia scil. inter conjuges viri non debent muliebria officia facere, nec taliter effœminari, aut emolliri, quòd se velint in rebus fœmineis occupare, juxta illud Senecæ: *Si te maritum, & virum habere contigerit, cogita. Mulier nunquam in tantam vesaniam debet*

Digitized by Google

debet irrumpere, ut viro contempto nitatur exteriora negotia pertractare, quinimò fœmina in domeſticis muliebribus, viri verò in arduis, & virilibus debent ſe jugiter exercere. Quod tamen eſt contra viros effœminatos, & contra fœminas præſumptuoſas, quæ veſtem virilem nituntur induere, in quantum omnia negotia, & regimen etiam domus, & alia, quæ viros concernunt, volunt, viris poſtpoſitis, ordinare. Undè proverbium Gallicum eſt de talibus dominabus, quod ipſæ portant bracchas domus. Itaque de talibus dominabus, quæ viros regunt, & virorum negotia facere volunt, poteſt dici illud Hier. 31. *Faciet Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Contra illud Apoſtoli 1. Tim. 2. *Mulierem docere in Eccleſia non permitto, nec dominari in virum.* Et meritò, quia fœmina non debet eſſe viri domina, ſed ancilla. In cujus ſignum mulieres Perſiæ ſignum pedis ſupra caput pro ornatu portant, quod etiam pretioſis lapidibus ornant. Hoc autem faciunt, ut eſſe ſubjectas ſub virorum pedibus ſe oſtendant, juxta illud Gen. 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Verba ſunt Dei ad mulierem.

Vel dic, quod illud ſpiritualiter pertinet ad Prælatos, qui viri nomine continentur, quia, ſcilicet, multi ſunt ità hebetes, & effœminati, quod à fœminabus, id eſt; à ſuis ſubditis ſe permittunt gubernari, & regi. E contra multæ fœminæ, id eſt, multi ſubditi tantis ſuperbiis induuntur, quod viros ſuos, id eſt, Prælatos gubernare nituntur, & ſic viri fœmineis, fœminæ verò virorum veſtibus induuntur. Undè dicitur Iſa. 3. *Mulieres dominantes ſunt eis.*

Si quis per viam incedens aviculam ſuper pullos inveniret cubantem, non debebat utrumque ſimul capere, ſed Matrem, captis filiis, debebat liberam permittere.

Iſtud exponunt Doctores ſic. Ajunt enim, quod Mater iſta ſignat literam ſacræ Scripturæ, quæ in multis paſſibus habet ſub ſe occultos pullos, id eſt, ſenſus, & intellectus ſpirituales abſconditos. Igitur nos de Matre iſta, id eſt, de hiſtoria, vel litera non debemus curare, ſed pullos, qui ſubtus latitant, id eſt, intelligentias ſpirituales debemus aſſumere, & tenere, quia, ſcilicet, non eſt magna vis in literali hiſtoria, modo tamen habeatur ſpiritualis intelligentia. Aliqui autem literam ſectantur, & ſic filios dimittere, & Matrem retinere conantur contra illud Apoſtoli Rom. 7. *Non ambulemus in vetuſtate literæ, ſed in novitate ſpiritus.*

Vel iſtud poteſt allegari contra duros, & crudeles, qui non ſolum ſæviunt in perſonis, ſed etiam in rebus. Sufficere deberet eis, ſi pullos noſtros, id eſt, bona poſſent habere, & ſi Matrem, id eſt, perſonam liberam deberent dimittere, & eam captis hujuſmodi filiis non curare. Cujus tamen contrarium multi faciunt, qui, ſcil. & bona rapiunt, & perſonas premunt, vel affligunt. Undè Job. 24. *Nudos dimittunt homines, veſtimenta tollentes.* Sequitur *De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamavit, & Deus abire inultum non patitur.*

Vel ſecundùm aliquos dic, quod Mater iſta eſt carnalis concupiſcentia, pulli ejus ſunt carnales affectus. Illa ergò eſt, quæ omnino teneri, & eradicari non poteſt. Veruntamen pulli ejus, ſcil. mali affectus, & conſenſus tenendi ſunt, & reprimendi, & ne ad effectum veniant, compeſcendi. Iſta enim eſt avicula, quæ in nido carnis noſtræ cubat. Iſta eſt, quæ Abraæ ſacrificium fœdat, & quæ oculos Tobiæ excæcat, & offuſcat. Iſtam neceſſe eſt, quod non permittamus in carne noſtra vivere, ſufficit tamen, quod pullos ejus poſſimus per temperantiam retinere. Ad hoc videtur facere illud Lev. 22. quod *Mater, & filius non debebant in die eadem immolari*, id eſt, quod concupiſcentia carnis, & ipſius mali actus, non poſſunt ſimul per hominem enervari. Hic ponitur illud: *Non arabis in bove & aſino.* Item: *Non indueris veſtimento ex lino lanaque contexto*, ſed de hoc habetur ſupra. Lev. 19.

Hic dicitur, quod ſi quis oppreſſerit puellam, & clamaverit, dato, quod non audita fuerit ipſa, nullatenus punietur. Si verò non clamaverit, dato, quod audita non fuerit, tunc cum ſuo oppreſſore occidetur.

Dic quod clamor eſt confeſſio, quæ quandoque non auditur, quando conſtat in ſola cordis contritione, quando autem auditur, conſtat in verborum prolatione. Iſtud eſt ergò verum, quod quandocunque diabolus aliquam puellam, id eſt, aliquam perſonam peccato opprimit, tunc verè ſi per confeſſionem clamaverit, dato, quod Sacerdotem aliquem, quæ eam audiret, non invenerit, mortem perpetuam non incurrit. Sufficit n. animæ peccatrici clamor cordis, ſi non ſit Sacerdos, qui audiat verbum oris Pſalm. 106. *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.* Veruntamen ſi ſit peccato oppreſſa, & non clamaverit, nec vocem cordis, aut oris contra diabolum oppreſſorem emiſerit, tunc una cum dicto ſuo oppreſſore in æternum peribit, &c.

Vel dic, quod clamor orationem ſignificat. Quoties ergò diabolus, caro, vel mundus per tentationem, vel tribulationem nos nititur opprimere, & per malum conſenſum corrumpere, toties debemus ad Deum per orationem clamare. Et tunc ſi devotè clamaverimus, & Dei auxilium imploraverimus, dato, quod nos non exaudiat, & in peccatum labi, & à diabolo corrumpi permittat, punitionem tamen ſeu damnationem non incurrimus, quia ſcilicet, quod in nobis erat, fecimus, ſed, qui nos exaudiret, non invenimus. Sæpè enim occulta Dei diſpenſatione agitur, quod homo clamans, & repugnans in peccatum collabi permittatur, ut dum fragilitatem ſuam experimento diſcit, humilior habeatur. Undè Apoſtolus Heb. 5. *Cum eſſet filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Ac ſi diceret, quod filius Dei, id eſt, juſtus, & prædeſtinatus quandoque tentationem, vel peccatum patitur, ut humilis, & obediens effici mereatur.

Capitulum vigeſimum tertium. Textus. Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis.

Moralitatum Cap. X.

In iſto 23. Capitulo ponuntur quatuor genera perſonarum, quibus ingreſſus in Eccleſiam Dei, vel perpetuò, vel ad tempus negabatur: primi ſunt, qui in membris generativis erant, vel attriti, vel truncati, ſc. Eunuchus, vel conciſus. Secundi erant illi, qui defectum natalium patiebantur, ſc. manſeres, ſpurii, & alii ex illegitimo matrimonio procreati. Tertii erant Amonites, qui interpretantur populus turbidus, qui, ſcil. de ſtirpe Amon filii Loth fuit genitus. Et Moabites, qui interpretantur populus mœroris, qui, ſc. de genere Moab alterius filii Loth fuit natus. Iſti enim duo populi filius Iſraël de Ægypto venientibus, & fame, & ſiti pereuntibus, vel occurrere, vel panem, & aquam concedere noluerunt, ſed potiùs ad maledicendum eis Balaam excitaverunt.

Dicamus ergò allegoricè, quod iſti primi ſignificant homines ignorantes, & non ſcientificos, qui, ſc. neſciunt alios prædicando convertere, ſeu ſpiritualiter generare. Secundi ſignificant ſimoniacos, quos non legitimus vir Eccleſiæ Chriſtus vel bonus Prælatus genuit, vel produxit, ſed potiùs, quos adulter diabolus, carnis affectus, vel malus Prælatus illegitimus voluit introducere, vel creare. Tertii ſunt luxurioſi, qui turbidi ſunt populi, in quantum res fœdas, & turbidas ſolent pro cæteris exercere. Quarti verò ſunt avari, qui populi ſunt mœroris, in quantum per ſolicitudinem, & timorem ſemper ſolent in amaritudine cordis præ cæteris peccatoribus vivere, & manere. Igitur iſta eſt veritas, quod Eccleſiam Dei, ſtatum Eccleſiaſticum, officia, beneficia Eccleſiæ non debent habere, iſta quatuor genera peccatorum, ſcilicet, Eunuchi, qui non generant per prædicationem. Illegitimè nati, ſcilicet, ſimoniaci, qui adulterinè procedunt ad promotionem. Amonites, ſcilicet, luxurioſi, qui ſunt populi turbidi per carnis infectionem. Moabites populus mœroris, ſcilicet, avari, qui ſemper habent ſollicitudinem, mœrorem & deſolationem. Tales ergò non debent ſtatum Eccleſiæ ingredi, nec ad beneficia Eccleſiaſtica promoveri Pſalm. 94. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Iſti enim avari, ſcilicet filiis Iſraël, id eſt, pauperibus in deſerto hujus mundi eſurientibus cum pane, & aqua, id eſt, cum eleemoſynis non occurrunt, ſed potiùs Balaam malum Prophetam, & Ariolum, id eſt, Advocatos, & ballivos contra eos, & ad eorum exhæredationem provocant, & inducunt. Contra quos dicitur Iſa. 21. *Qui habitatis terram Auſtri, occurrite cum panibus fugienti.*

Moyſes præcepit populo Iſraël, quod ipſe non abominetur Ægyptum, in qua fuit advena, vel colonus, nec etiam Idumæum, qui de Eſau fratre Jacob fuit natus, *quia*, inquit, *ipſe eſt frater tuus.* Alios verò populos, ſcilicet, Moabites, & Amonites præcepit abominari, & nullum fœdus voluit cum eis iniri.

Per filios Iſraël, qui de ſervitute ad libertatem venerant, intelligo eos, qui de paupertate ad divitias aſcendunt, per Ægyptios verò intelligo eos, qui ipſos, dum erant pauperes, aliquoties nutrierunt. Per Idumæum verò fratrem ſuum, intelligo eos, qui de eorum propria patientia ad paupertatem veniunt. Igitur ô tu populo Iſraël, id eſt, populus divitum, qui de ſervitute miſeriæ ad ſtatum proſperitatis veniſti, cave, ne abomineris Ægyptum, id eſt, illum ruſticum, apud quem advena aliquando fuiſti, & à quo nutritus, & beneficiatus, dum eras pauper, aliquoties extitiſti; ſed potiùs ipſum recognoſcere, & diligere debes; & ne habeas verecundiam, quia pauperiem habuiſti, ſed potiùs reputa tibi ad gloriam, quod pauperem habes conſanguineum, & noli eum contemnere, vel fugere, quamvis nunc ſit pauperior, quàm prius eum vidiſti. Cujus tamen ſæpe fit contrarium, quia multi ſunt, qui dum ad proſperitatem veniunt, nunquam ampliùs aliquem pauperem parentem videre volunt, & illos, apud quos aliquando egeni fuerant, vilipendunt. Undè dicitur Proverbiorum 19. *Fratres pauperis hominis oderunt eum.*

Vel dic, quod filii Iſraël ſint Religioſi. Idumæi verò & Ægyptii ſunt ſæculares & laici, qui ſcilicet, ab ipſis non debent abominari, ſed potius in charitate, & benevolentia ſupportari. Undè Apoſtol. Rom. 14. *Infirmum in fide ſuſcipite.* Amonites verò & Moabites peccatores, & hæretici dicuntur, & debent perpetuò deteſtari, nec eorum conſortium aliquo modo debet frequentari.

Digitized by Google

B Cùm quis nocturno polluebatur ſomno, vel aliquam immunditiam contrahebat, ſtatim extra caſtra exire debebat, & in veſpere lotus aquâ iterum redibat, ſicut hic, & ſupra in multis locis & paſſibus continetur.

Sic etiam ſtatim quando quis aliquo peccato mortali polluitur, caſtra Paradiſi exire per conſiderationem tenetur, qui ſtatim debet ſe immundum reputare, & à cohabitatione Sanctorum indignum ſe eſſe judicare, & à Tabernaculis Paradiſi dignum expelli, & ejici cogitare, quouſque, ſcilicet, aquâ compunctionis & confeſſionis ſit lotus, & quouſque in ipſo veſpere venit, id eſt, quouſque ardor concupiſcentiæ ſit in eo diminutus, tunc enim poteſt caſtra mundatus intrare, & de ingreſſu Paradiſi ſperare Pſalm. 114. *Ingredere in requiem meam, quia Dominus benefecit tibi.*

Hic præcipitur, quod filii Iſraël cum eſſent in caſtris, deberent habere locum deputatum ad requiſita naturæ, ſcilicet, ad purgandum ventres. Veruntamen ſemper unum paxillum debebant in baltheo portare, quo debebant terram fodere & ſtercus, quod egeſſerant, operire, ne fortè poſſet Dominum, qui caſtra Iſraëlis circumibat, fœditas offendere, & gravare.

Sic verè loquendo moraliter, homo peccator debet extra caſtra, id eſt, extra communionem Sanctorum ſe deputare certo loco, vel coram Sacerdote fœditatem ſuorum vitiorum per confeſſionem egerere, & paxillo acutæ compunctionis terram humilitatis fodere, & terenitatem vilitatis propriæ cogitare, & ſic per ſatisfactionem immunditiam vitiorum debet à Dei oculis, qui caſtra cordis noſtri circumit, & conſiderat, contegere, & ea à punitione ſuæ juſtitiæ celare. Tunc enim fœditas peccatorum noſtrorum à Dei conſpectu tegitur, quando quod per confeſſionem egeſtum eſt, per terram, id eſt, per mortis memoriam, vel per ſatisfactivam pœnitentiam operitur. Terra enim eſt ſubjacens humilitas, vel pœnitentiæ gravitas, vel noſtra conſiderata terreſtreitas, quæ, ſcilicet, omnia Dei oculis de noſtris peccatis ſatisfaciunt, & ipſa, ne ampliùs videantur, ſepeliunt, atque tegunt Pſalm. 13. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum*, &c. Et ſic exponit Stephanus de longo tono in ſua poſtilla.

Item adhibetur mandatum, ubi dicitur ſic: *Non tradas ſervum Domino ſuo, qui ad te confugit, ſed habitabit tecum, & in una urbium tuarum requieſcet, nec contriſtes eum: Nec offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Dei tui. Vineam proximi tui ingreſſus, tolle de uvis quantum tibi placuerit, foras autem portare non licebit. Segetem etiam amici tui, ſi intraveris, manu potes terere, & comedere, falce autem non poteris aliquid diſcerpere vel auferre.*

Iſta poſſunt applicari ad multa, ſcilicet, quod cum quis ſervus diaboli, vel mundi, ſcilicet, ſæcularis, vel infidelis, ad religioſum, vel fidelem, vel ad fidelem religionem confugerit, utpote quia relicta gentilitate fidelis, vel relicto mundo religioſus factus fuerit, procul dubio talis ſic noviter converſus, aut fugiens non exaſperandus, nec ſcandalis aut injuriis moleſtandus, vel per turbationem & ſcandalum iterum ad manus Domini ſui mundi, vel diaboli reducendus, ſed potiùs ſupportandus eſt in una urbium noſtrarum, ſcilicet, in Eccleſia, vel religione pacificè vivere permittendus. Cujus tamen contrarium multi faciunt auſteri Prælati in religione, qui ſubditos ſuos compellunt præ auſteritate ſua ad primos dominos ſuos, ſcilicet, ad mundum, vel diabolum per apoſtaſiam retroire. Quod etiam faciunt mali Chriſtiani, quia, ſcilicet per ſua mala exempla & ſcandala quandoque faciunt noviter converſos ad fidem, iterum ad uſum gentilitatis redire. Cum tamen dicat Dominus: *Quod ſi quis ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, quod ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus*, &c. Quantum ad illud præceptum de mercede meretricis, vel de pretio canis non offerendo, poteſt dici, quod in hoc videtur Dominus dona iniquorum penitus reprobare. Canis enim rapinam ſignificat, meretrix verò luxuriam deſignat. Ne igitur mala mulier poſſet dicere, ſe velle meretricari, ut de lucro oblationem faciat, & ne dicat homo, ſe velle rapere, ut exindè Deum honoret, vel pauperem enutriat, reprobat Dominus utrumque, ſcilicet, mercedem meretricis, & pretium rapacitatis, vel canis. Ac ſi diceret, quod ſibi non erat accepta eleemoſyna, vel oblatio, quæ fiebat lucro vel cum vitio. Non enim ſunt facienda mala, ut inde veniant bona: ſequitur: *Dona iniquorum non probat altiſſimus.* De vinea verò intus comedenda, & non extra portanda, poteſt dici, quod vinea fratris noſtri Chriſti eſt ſacra ſcriptura, de cujus uvis, id eſt, de cujus ſententiis & doctrinis licitum eſt cuilibet ſe ſatiare, & delectari. Veruntamen non extra portare, hoc eſt dictum, iſtas uvas divinarum ſcripturarum ad exteriora mundi negotia applicare nulli eſt licitum, vel conceſſum. Non vult enim Dominus, quod illa, quæ ad ſalutem animarum ordinantur, in ſæcularium negotiorum uſibus expendantur, vel ob mundi vanitatem ſtudeantur, vel addiſcantur, quod eſt contra illos, qui in mundanis cantilenis, & aliis dictaminibus utuntur ſacris verbis. Contra illos etiam, qui ad mundi laudem, & temporalem utilitatem Theologiam prædicant ſeu docent.

De ſegete verò vicini manu terenda, non falce truncanda, poſſumus dicere, quod ſeges vicini eſt conditio, vel converſatio proximi, quam tunc Prælatus dicitur intrare, quando ipſam incipit viſitare, examinare, corrigere, vel punire. Sed revera ipſe non debet falcem duræ & auſteræ punitionis ſtatim apponere, imo, per dulces monitiones ipſe debet manu terere, vel fricare, quaſi blandiendo, & non exacerbando proximum caſtigare. Hoc autem intendo in illis, qui pœnitent, de quorum emendatione Prælati ſperant, quia aliàs ſi eſſet obſtinatus vel protervus, poſſet auſterè punire, & falce juſtitiæ ſegetes vitiorum truncare. Juxta illud Apoſt. 14. *Mitte falcem tuam & mete, quoniam maturavit meſſis.*

Capitulum vigeſimum quartum. Textus. Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam.

Moralitatum Cap. XI.

Hic ponitur, quod ſi quis habeat uxorem, &c. quæ propter aliquam fœditatem oculis ipſius diſpliceret, poterat libellum repudii ſibi dare, & ipſam viro alteri dimittere, & aliam loco ejus pulchriorem accipere. Veruntamen ſic erat, quod ipſam ſic repudiatam, & ſic coram Domino vilem factam non poterat ampliùs rehabere. Nec ſi vellet, iterum eam recipere licebat, nec ſibi eam ampliùs copulare.

Uxor fœda, eſt ſæcularis vita, vel etiam carnis concupiſcentia. E Uxor verò pulchra, eſt vita contemplativa, vel pœnitentia. Quia iſtud eſt verum, quod quia uxor noſtra prima, ſc. vita ſæcularis, vel concupiſcentia carnalis, multas continet in ſe fœditates, quapropter viris ſpiritualibus diſplicet, & eorum offendit multipliciter voluntates. Iſtis ideò licitum eſt, talem uxorem repudiare, & dimittere, & ad pulchriorem uxorem, ſc. ad vitam religioſam, & contemplativam evolare. Et Liâ lippâ, & fœtosâ dimiſsâ ad Rachelis connubia tranſmeare, & iſtam fœdam uxorem, ſc. carnis concupiſcentiam, & ſæcularem vitam, aliis viris, ſc. ſæcularibus dimittere, & quittare. Veruntamen ſi ſit ſic, quod ipſe poſtea pœniteat, & quod ſecunda uxor, ſc. pœnitentia, vel religio, quas aſſumpſit, ſibi diſpliceat, & ad primam uxorem, & vitam dimiſſam redire ſtudeat, non poterit, quia nullus illi vitæ, quam dimiſit, & quæ coram Deo, & hominibus apparuit ſibi fœda, iteratè conjungere ſe valebit, quia, ſc. homini non licet retrocedere, nec ab aſſumpto arduo propoſito retroire, quia ſicut dicitur Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*

Vel dic, quod uxor fœda eſt culpa, & pulchra eſt gratia. Si igitur pro gratia culpam dimiſeris, ipſam ampliùs recuperare non debes, &c. ſicut ſupra.

Dominus præcepit, quod cum quis uxorem accìpiebat, ire ad prælium non debebat, ſed cum uxore ſua liberè quieſcebat.

Quod ad hoc poteſt allegari, quod ille, qui novam uxorem, ſc. gratiam, vel religionem accipit, à bello, id eſt, à ſæcularium negotiorum tumultu debet ceſſare, & quieti contemplationis vacare.

Vel dic, econtra, quod illi, qui uxores accipiunt, & qui in carnis operibus ſe ingerunt, nunquam ad bellandum contra vitia utiles ſunt.

Vel dic, quod uxor eſt mundi proſperitas, vel etiam carnalis affectio, &c. Sicut dicit Apoſtolus 1. Cor. 7. *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, &c.*

Item hic ponitur unum aliud mandatum prohibitivum, ubi dicitur: *Non accipies loco pignoris inferiorem, & ſuperiorem molam: Animam enim ſuam appoſuit tibi.*

Illud communiter exponitur per Doctores de timore & ſpe. Timor enim & ſpes ſunt duæ ſpirituales molæ. Timor mola inferior conſiderans infernum, quæ eſt pigra, & immobilis. Spes verò ſuperior conſiderans Paradiſum, quæ eſt mobilis, levis, & agilis. Inter iſtas n. molas mens noſtra volvitur, & molitur, & à furfure, id eſt, à ſuperfluitate criminum expurgatur. Iſta ergò duplex mola, ſc. ſpes & timor, non debet impignorari, nec per peccatum uſurario diabolo obligari, quia, ſc. ſine timore mens præſumeret, & ſine ſpe penitus deſperaret. Et ſic dico, quod utilis eſt timor, qui tollit vitium præſumptionis, & utilis eſt ſpes, quæ tollit vitium deſperationis. Prædicatori ergò, vel Prælato videtur ipſa ſcriptura F dicere, quod neutram velit à peccatore tollere, ſed potiùs, quod utramque ſtudeat in eo conſervare. Undè dicitur Jud. 1. *Dedit ei Pater ſuus irriguum ſuperius & irriguum inferius.*

Vel dic, quod mola ſuperior, quæ tenet farinam, ne ſurſum evolet, ſignificat timorem, qui tenet mentem, ne volet præſumendo. Mola verò inferior, quæ tenet farinam, ne inferiùs cadat, eſt ſpes, quæ tenet mentem, ne in infernum corruat deſperando. Neutra ergò iſtarum molarum eſt ab homine tollenda, ſed utraque in quolibet conſervanda, cujus tamen contrarium faciunt adulatores, qui auferunt homini molam timoris dum promittunt

Digitized by Google

runt impunitatem. Et etiam quidam Hæretici desolatores, qui tollunt ab homine molam spei, dum prædicant salutis impossibilitatem, quales etiam fuerunt Novatiani, qui dicebant impossibile esse lapsum post baptismum per pœnitentiam ad eandem gratiam resurgere.

Vel dic, quod mola superior est novum Testamentum, inferior antiquum, cujus, sc. utrumque est necessarium, & neutrum per se sufficiens & firmum.

Præcepit Dominus, quod cum quis pignus pauperis habebat accipere, domum ejus non debebat intrare, sed quod sibi offerretur pignus, debebat exspectare.

Istud inveni sic expositum, quia, sc. per pignus confessorum confessio intelligitur delictorum, quam cum Sacerdos vult accipere, non debet peccatori violentiam facere, sed potiùs, quod voluntariè pignus offerat, exspectare, domum conscientiæ ejus non debet intrare, de peccatis nimis profundè inquirendo, nec circumstantias ignotas investigare, ne, sc. ipsum ad similia moveat peccata, quæ non noverat, perscrutando. Meliùs ergò est, quod illud, quod quis nobis offert, exspectemus, quàm quod nimis profundè indagemus.

G Undè dicitur Prov. 24. *Non quæras iniquitatem in domo justi.* Multa alia ponuntur hic: sed vide ea Lev. 19. & alibi supra tacta, &c.

Capitulum vigesimum quintum. Textus. Si fuerit causa inter aliquos, & interpellaverit judices.

Moralitatum Cap. XII.

CUm aliquis sine liberis decedebat, frater ipsius debebat uxorem ejus accipere, & semen fratris sui mortui suscitare, Uxor n. ipsa quod generabat, non sibi, sed mortuo fratri suo attribuebatur, ipsiusque adoptivus filius dicebatur, qui in hæreditate ipsius succedebat. Si verò ipse frater nolebat uxorem fratris sui accipere, vel semen ipsius suscitare, tunc ipsa mulier calceamenta ipsius debebat solvere, & in faciem ejus spuere, & sic licebat ipsi ad viri alterius copulam evolare.

Dic, si vis, allegoricè, quod iste vir primus est Prælatus. Uxor ejus est Prælatio, semen ejus sunt subditi, fratres ejus sunt boni fratres & socii. Ista ergò est veritas, quod quando aliquis vir, i. e. aliquis Prælatus, vel beneficiatus moritur, tunc necesse est, quod uxor ejus viduata Ecclesia, vel Prælatio, fratri vel propinquo ipsius, i. e. alicui, qui sit de gremio, & confraternitate ipsius, ipsi adjungatur, & quod non extraneus, sed magis compatriota, confrater, concanonicus vel vicinus ad istius uxoris regimen, & connubium assumatur, à quo, sc. semen fratris, i. e. subditi ipsius defuncti, qui cum mortuo commortui erant, in fide, & moribus suscitentur. Quia, sc. sicut dicitur in Prov. 18. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Nunquam enim debet extraneus ad aliquam Ecclesiam promoveri, dum tamen in gremio & confraternitate collegii possit aliquis idoneus reperiri. Si verò frater hujusmodi videlicet bonus subditus noluerit uxorem ducere, nec ad Prælaturam promoveri, si fortè non possit tunc ibidem aliquis idoneus reperiri, tunc alius remotior poterit eligi, & assumi. Veruntamen ipsa mulier, id est, Ecclesia, talem se refutantem meritò debet contemnere, & conspuere, & eam calceamento Privilegiorum nudare, qui, s. semen fratris, i. e. subditos defuncti Prælati noluerit suscitare.

H Vel dic, quod vir mortuus est malus Prælatus, frater ejus vivus est bonus, & gnarus, qui videns fratrem suum, i. e. Prælatum esse mortuum, i. e. inscium, ignarum, & propter defectum generationis, i. e. prædicationis semine denudatum, debet uxorem ejus, i. e. Ecclesiam, Parochiam, vel diœcesim ipsius, ibidem prædicando, accipere, & negotium pro suo fratre sumere, & semen filiorum novorum ipsi fratri suo mortuo spiritualiter generare. Quod si facere noluerit, calceamenta bonorum temporalium, & subventionem eleemosynarum justè poterit ipsi uxor tali fratri, vel proximo, i. e. tali Doctori, vel prædicatori subtrahere, & in ipsius faciem conspuere, i. e. ipsum publicè poterit increpare.

Vel dic, quod primus vir est Moyses, qui de uxore, seu Synagoga, seu lege antiqua, liberos, id est, homines in gratia constitutos generare non poterat, imò sine tali semine discessit, quia, sicut dicit Apostolus Heb. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Quapropter frater ejus, Christus uxorem ejus, sc. Synagogam, seu antiquam legem duxit, tenuit, tradidit, exposuit & accepit, dicens illud Matth. 7. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Et istam uxorem antiquam in novam nuptam suam, id est, Ecclesiam commutavit, & sic fratri suo Moysi semen, i. e. filios suscitavit, in quantum multos filios Israël filiis gratiæ consociavit, & fideles, & Catholicos esse fecit. Undè dicitur; *Potens est enim Deus in lapidibus suscitare filios Abrahæ, &c.*

Vel dic, quod Christus fuit primus vir, qui sine liberis, id est, fidelibus dicitur discessisse, eò quod paucos fideles legitur, dum viveret, convertisse. Sed revera fratres ejus Apostoli, & prædicatores, uxorem ejus, id est, Ecclesiam, & ejus regimen acceperunt, & ipsi fratri suo mortuo, id est, Christo, plurimos genuerunt, illos, sc. quos ad fidem, & ad justitiam converterunt.

In isto capitulo præcepit Dominus, quod os bovis triturantis in area messis alicujus non debeat alligari. *Non alligabis*, inquit, A *os bovis triturantis in area.* Undè videtur scriptura supponere, quod in illis partibus non cum flagellis, sed cum animalibus segetes triturabant.

Ista videtur Apostolus de prædicatoribus exponere; quisquis sc. est quasi bos in area Domini pro segete fidelium trituranda, & verbis, & increpationibus corrigenda, & à paleis, id est, à vitiis segreganda, revera talis non debet os alligatum habere, ne aliquid comedat. Sed potiùs licitum est, & justum, ut os liberum habeat, id est, ut ab illis, quibus prædicat, victum, & stipendia vitæ (teste Paulo Apostolo) sumat, qui dicit 1. Tim. 5. *dignus est operarius mercede sua.* 1. Cor. 9. *Nullus tenetur propriis stipendiis militare.* Et: *Qui servit altari, debet vivere de altari.* Et: *Non magnum est, si is, qui spiritualia seminat, temporalia & necessaria sibi metat.*

Vel istud potest generaliter allegari de quolibet servitore, vel operario, cui, sc. est in necessariis providendum, & in rationabilibus stipendiis compensandum.

Hic etiam ponitur, quod cùm quis per judicem ad verbera condemnandus erat, numerus plagarum ad quadragenarium numerum attingere non debebat, De quo etiam dicit Apostolus; 2. Cor. 11. quod *quinquies quadragenas plagas, una tamen minus acceperat*, quia, sc. quod una de quadraginta sola deficeret, sufficiebat. Quod allegari potest, quod nunquam est crudeliter contra hominem procedendum, sed quod semper consideranda est natura, & ei compatiendum.

Capitulum Vigesimum octavum. Textus. Si autem audieris vocem Domini Dei tui.

Moralitatum Cap. XIII.

HIc consequenter ponitur de altari, de lapidibus informibus ædificando, de hoc vide Jos. 8. Item de benedictionibus, & maledictionibus imprecandis. Circa hoc adverte, quod hic imprecantur aliquæ benedictiones legem servantibus, & aliquæ maledictiones legem non servantibus. Item sciendum, quod aliquæ tribus Israël reputabantur ignobiles, quia descenderant de ancillis, &c. Veruntamen (ut ponit Comestor) & Ruben, & Zabulon, quanquam erant de liberis uxoribus, etiam tamen quandoque inter ignobiles habebantur. Ruben autem, quia cubile Patris fœdaverat, & Zabulon, quia ultimus Liæ fuerat. Ista igitur fuit veritas, quod tribus nobiliores constitutæ sunt super montem Garizim, quod interpretatur divisio, ut factores legis benedicerent. Ignobiles steterunt super montem Ebal, ut legis transgressores maledicerent.

In quibus moraliter notari potest, quod nobilius officium est B benedicere, quàm maledicere, & quod viri spirituales, & nobiles, & prædicatores, & qui sunt spirituales judices, magis studeant subditos suos ad observantiam divinæ legis inducere promittendo, & alliciendo amore, & spe præmii, quàm comminando timore supplicii. Econtra verò ignobiles tribus, id est, judices temporales magis ad hoc nituntur subditos compellere, & à malo coercere maledictione, quàm benedictione, pœnâ quàm gratiâ, timore, quàm amore. Boni ergò stant in monte Garizim, qui interpretatur divisio, quia, sc. isti à mundi tumultibus, vitiis & concupiscentiis se dividunt. Mali verò stant in monte Ebal, qui interpretatur vorago, quia per avaritiam omnia vorant, & consumunt, quia isti sc. Ballivi, & judices sæculares, qui alios compellunt ad bonum, hoc solùm faciunt ad devorandum, & ad emendum, & ad lucra temporalia emungendum. Undè Deut. 32. *Devorabunt eum morsu amarissimo.*

Ex Capitulo vigesimo octavo. Textus. Percutiat te Dominus egestate, febri & frigore.

Moralitatum Cap. XIV.

INter malas imprecationes seu maledictiones, quæ filiis Israël, nisi legem servaverint, promittuntur, dicitur sic: Percutiat te Dominus egestate, frigore, febri, & ardore, corrupto aere, & rubigine. Sit cœlum, quod, supra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrē terræ tuæ pulverem, de cœlo descendat super te cinis, tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos. C Per viam unam ingrediaris ad eos, & per septem fugias, omni tempore calumniam sustineas, nec habeas, qui liberet te. Uxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & alius habitet in ea. Vineam plantes, & non vindemies eam, sementem multam jacies in terra, & modicum congregabis. Olivas habebis, & non ungeris oleo. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, & erit sublimior, tu autem descendes, & eris inferior. Istæ, & multæ aliæ maledictiones imprecantur hic malè servantibus legem Dei.

Sic revera hodie partim spiritualiter, partim literaliter intellectæ, istæ maledictiones imprecantur illis, qui mandata Domini vilipendunt, quia pro certo, sicut videmus, isti percutiuntur egestate,

Digitized by Google

ſtate, & fame avaritiæ, febri malæ concupiſcentiæ, frigore indevotionis & deſidiæ, ardore immunditiæ & iracundiæ, rubigine invidiæ, & ideò ipſum cœlum æreum, & terram ferream, & pluviam pulveream habent, quia cœlum efficitur eis æreum, id eſt, durum, & nullius influentiæ emiſſivum, & terra etiam ipſis efficitur ferrea, & inutilis, ſterilis atque ſicca. Aer etiam efficitur pulvereus, id eſt ſiccus, turbineus, & ventoſus, & ſic habent pulverem pro pluvia, ſiccitatem pro humiditate, paupertatem pro opulentia. Quia pro certo dum peccatores ab obſervantia legis, & mandatorum ſe retrahunt, omnia bona temporalia eis deficiunt. Nec à cœlo influentia, nec ab aere pluvia, nec à terra fructuum copia, ſicut eſſet neceſſe, proveniunt. Undè Hier. 3. *Polluiſti terram in fornicationibus tuis. Ideò prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum, & ſerotinus imber non fuit*, & ſic ſequitur, quod illi, qui habent olivas, non unguntur oleo, illi, qui multum frumentum in terra jaciunt, parum recolligunt, illi, qui habent uxores, vituperia incurrunt. Sic etiam fit, quod tales à ſuis hoſtibus ad literam ſuppeditantur, & ipſis depauperatis, advenæ, qui ſunt cum eis, ſc. uſurarii, & extranei de bonis eorum dirantur. Quia breviter concludendo, peccata noſtra cauſa ſunt, quare paupertates, lites, guerras, & vituperia incurrimus, & totum fit pro eo, quod divinæ legis mandata non cuſtodimus, Hier. 5. *Iniquitates veſtræ declinaverunt hic, & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis, quia inventi ſunt in populo meo impii.*

Iſta poſſunt moraliter, & allegoricè allegari contra illos malos Eccleſiaſticos, qui cum ſint filii Iſraël, id eſt, Deum per fidem, & ſcientiam clarè videntes, & hæreditatem Eccleſiæ tanquam filii le-
D gitimi poſſidentes, ipſi tamen legem, & mandata Dei non cuſtodiunt, quapropter multa mala temporalia, & ſpiritualia incurrunt. Et inde eſt, quod iſti hodie patiuntur eſuriem avaritiæ, febrem concupiſcentiæ, &c. ſicut ſupra. Et ideò fit, quod cœlum, quod ſuper ipſos eſt, eſt æreum, id eſt, ſuperiores ſui, ſc. Principes & Prælati, ſunt eis duri, & crudeles, & clamoroſi pariter, & brigoſi. Terra etiam, quam calcant, eſt ferrea, quia, ſc. inferior populus, qui per terram intelligitur, eſt ei durus, indevotus, ferreus, & auſterus, & quod plus eſt, iſti recipiunt pulverem pro pluvia, id eſt, temporalia, quæ ſunt hic pulvis ante faciem venti, recipiunt pro cœleſti gratia, terrena exſpectant, vel acceptant pro ſpirituali influentia, & pro æterna gloria. Finaliter de cœlo deſcendet ſuper eos cinis, id eſt, inferni ardor, & incendium. Iſta enim, proh dolor! ſe habent per ordinem, quia, ſc. legem Dei non cuſtodimus. Ideò multa vitia incurrimus, crudeles & malos ſuperiores, & rebelles inferiores invenimus, & quod deterius eſt, ſpiritualia cum terrenis, æterna cum temporalibus commutamus. Ecce igitur, quod jam ante hoſtes noſtros, ſc. Diabolum, Carnem, & Mundum, ſpiritualiter corrumpimus, & quanquam per unam viam, ſc. per gratiam, vel baptiſmum, vel per pœnitentiam contra eos veniamus; ipſos tamen non vincimus, imò eos per ſeptem vias, id eſt, per ſeptem mortalia vitia, fugientes, coram eis ſuccumbimus, & perimus. Ita quod jam de nobis poteſt Diabolo dici illud, quod ponitur in capitulo præcedenti: *Per viam unam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua.* Et breviter omni die patimur calumniam & à ſpiritualibus, & temporalibus inimicis, & nullus eſt, qui liberet nos. Qui ad literam, domos noſtras, vineas & armenta, & boves, & aſinos ſæculares rapiunt, uxores noſtras, i. e. Eccleſiam, & beneficia alieni, id eſt, ambitioſi & ſimoniaci auferunt nobis, & cum eis dormiunt, & advenæ, qui nobiſcum converſantur, id eſt, laici, minoris ſtatus homines ſuper caput noſtrum aſcendunt, & nos ſibi jubjiciunt, & ſubmittunt, quæ, ſc. omnia peccata noſtra faciunt. Unde Ezech. 23. *Scelus tuum & fornicationes tuæ fecerunt tibi hoc.*

Vel dic alio modo, quod jam in Eccleſia cœlum, id eſt, Deus noſter eſt æreus, id eſt, durus, & ſiccus per ſuæ gratiæ ſubtractionem. Terra, id eſt, populi ſubditi videntur ferrei, per obſtinatio-
E nem, & indevotionem. Pluvia, id eſt, doctrina videtur pulverea & cinerea, per avaritiæ finalem intentionem. Scientiæ enim, & doctrinæ Eccleſiæ, quæ per pluviam deſignantur, pulvereæ ſunt, in quantum, ſc. ad aggregandum pulverem divitiarum ordinantur, ut patet de ſcientiis civilibus & mundanis. Ita quod Eccleſia jam poteſt dicere illud Job. 7. *Ecce nunc in pulvere dormio.*

Vel etiam per pulverem accipere poſſumus bona temporalia, quia, ſc. ita eſt, quod tota pluvia, id eſt, tota conſolatio noſtra eſt in pulvere acquirendo, & terrenorum cinere colligendo, Iſa. 56. *Serpenti pulvis panis ejus.* Quid plura? jam videmus, quod in Eccleſia prædicatores multum ſemen bonæ doctrinæ ſeminant, parum tamen de fructu ſalutis animarum reportant. Multas habet Eccleſia olivas & vineas, id eſt, multos divites pingues, qui tamen oleum eleemoſynarum & vinum conſolationum aliis non diſtillant Unde Abac. 4. *Non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum.*

Moralitatum libri Deuteronomii finis.

* * *

MORALITATUM LIBER SEXTUS SUPER LIBRUM JOSUE.

Capitulum ſecundum. Textus. Miſit igitur Joſue filius Nun & Sethim, duos viros exploratores.

Moralitatum Cap. I.

CUm mortuo Moyſe, Joſue factus Princeps populi Iſraelitici populum per Jordanem vellet traducere in terram promiſſionis, & ante omnia proponeret civitatem Hiericho deſtruere, miſit illuc certos exploratores. Qui cum à rege civitatis quærerentur ad mortem, Raab meretrix in domo recepit, & ſub ſtipula lini ipſos in ſolario abſcondit, & ſic inveſtigantes illuſit, & ipſos fugiſſe diſſimulans, ipſos perſequi perſuaſit. Quibus factis exploratores montana aſcenderunt, & ibi triduo ſteterunt, & tandem redeuntibus aliis perſecutoribus, & non invenientibus eos, ipſi ad Joſue ſine periculo redierunt. Unde quia Raab iſtos ſalvaverat, ſignum ſibi dederunt, quod quando caperetur civitas, funiculum coccineum in feneſtra domus ſuæ poneret, & ſecum familiam & amicos aggregaret, & ſic ſe & ſuos à periculo liberaret. Quod utique factum eſt. Quia ſicut dicitur Joſue. 6. Cùm caperetur civitas, viſo fune ad feneſtram ejus pendente, non fuit combuſta, ſed ipſa cum amicis fuit liberata, & ad Dei populum in perpetuum aggregata. F

Allegoricè Moyſes ſignificat legem, Joſue Jeſum: Hiericho, quæ interpretatur luna, ſignificat defectibilem mundum. Exploratores prædicatores, Fluvius Jordanis baptiſmum; Terra promiſſionis Paradiſum, Raab verò meretrix eſt anima, vel gentilitas peccatrix. Funis verò coccineus, ſignificat paſſionem Chriſti, vel ejus ſanguinem rubicundum. Dico ergo, quod Moyſe mortuo, id eſt, lege ceſſante, Joſue filius Nun, id eſt, Jeſus filius Dei Patris regimen populi Iſraelitici, id eſt, populi fidelium aſſumpſit. Quem, ſc. per fluvium Jordanis, id eſt, per baptiſmum in terram promiſſionis, id eſt, in Paradiſum traducere deſtinavit. Veruntamen quia Profana civitas Hiericho, id eſt, mundus & malorum hominum congeries, iſti fideli populo dabat impedimentum, voluit ante omnia civitatem iſtam tollere, congeriem malorum deſtruere, & ſic eos, quantum ad eſſe infidelitatis & peccati, penitus extirpare, unde in Prov. 12. *Verte impios, & non erunt.* Et ideò exploratores iſtius civitatis, id eſt, Apoſtolos, & prædicatores miſit, quos Raab meretrix, id eſt, gentilitas per credulitatem, & fidem ſuſcepit, & eos, id eſt, ipſorum doctrinam ſub ſtipula lini, id eſt, ſub cordis humilitate celavit, & tandem quia iſtos receperat, & eis dederat ſignum, funem rubeum, id eſt, memoriam ſanguinis & paſſionis Chriſti in feneſtra cordis ſui ſuſpendens, ſe & ſuos ab æternæ damnationis interitu liberavit Exod. 12. *Non ſinet percuſſorem ingredi viſo ſanguine in ſuperliminari domos, & lædere.* Iſti tres exploratores, id eſt, ſancti prædicatores à ſpeculatoribus, id eſt, à Dæmonibus & Tyrannis liberati, & ſalvati fuerunt, dum montana, id eſt, vitæ contemplativæ eminentiam aſcenderunt, & dum ibi per tres dies, id G
eſt, per tria religionis vota contra triplicem mundi concupiſcentiam permanſerunt, quia revera prædicator, vel religioſus ab hoſtibus ſpiritualibus eripitur, cum per tria vota religionis ad montem perfectionis elevatur. Ideò bene dicitur. Gen. 19. *Non maneas in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac.*

Vel dic moraliter, quod dum Jeſus ſalvator noſter civitatem Diaboli, & congeriem vitiorum vult in nobis deſtruere, & per Jordanem, id eſt, per fluvium lachrymarum nos ad terram promiſſionis, id eſt, ad contemplationem Paradiſi traducere, ſolet priùs exploratores, id eſt, bonas inſpirationes ad civitatem cordis mittere. Hos ergò quando Raab meretrix, id eſt, voluntas peccatrix recipit, & ſub ſtipula lini, id eſt, ſub humilitate, & puritate cuſtodit, & ad montana contemplationis tranſmittit, & ibi per tres dies, id eſt, in fide, ſpe & charitate ipſos manere præcipit, ſatellites regis Hiericho, id eſt, motus malos, & tentationes, qui iſtos bonos exploratores, id eſt, bonas affectiones, & inſpirationes occidere quærunt, cautela ſalubri deludit. Quapropter iſta tandem, oſtenſo fune coccineo, ſeu rubeo, id eſt, recordato divinæ paſſionis myſterio, ſeipſam à morte pœnæ, & culpæ defendit, & civitas Hiericho, in qua ipſa manſerat, id eſt, vitiorum congeries, Dei virtute deſtruitur, atque perit. Unde Apoſtolus Heb. 11. *Fide Raab meretrix non periit, ſuſcipiens exploratores cum pace, &c.*

* * * * * * *

Capi-

Digitized by Google

Capitulum tertium. Textus. Igitur Josue de nocte consurgens movit castra.

Moralitatum Cap. II.

AD hoc quod filii Israel terram promissionis intrarent, Jordanem fluvium necessariò transire habuerunt, sed sic virtute divina factum est, quod cum Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pedes suos merserunt in alveo, ipsa aqua siccata est per transversum, retrocesseruntque aquæ superiores, & à fluxu steterunt. Aquæ verò inferiores in mare mortuum descenderunt.

Fluvius Jordanis, qui interpretatur rivus judicii, significat Religionis, vel Ecclesiæ statum, in quo quilibet tenetur seipsum tanquam in rivo purificare, & tanquam in judicio examinare, & ad
H pœnitentiam condemnare. Apostolus 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Sic ergò fit, quod filii Israel Religiosi & Clerici, qui Dei Patris spirituales sunt filii, qui in terram promissionis, id est, in Paradisum transire volunt, & ideò per Jordanem Religionis transeunt, & per siccitatem pœnitentiæ, vestigia Sacerdotum, id est, Sanctorum Patrum, qui arcam fidei Catholicæ detulerunt, sequentes, divinæ providentiæ se committunt. Sed pro certo ista est veritas, quod cum in isto flumine, id est, Ecclesia vel Religione sint multæ aquæ, id est, multæ personæ, quia, sicut dicitur Apoc. 18. *Aquæ multæ, sunt populi multi*, quidam scilicet superiores, id est, boni & justi, quidam inferiores, id est, mali; sic fit, quod superiores, & justi, dum in isto flumine, in fluxu, sc. mortalis vitæ stant, in seipsis retrocedunt, & manent, & fluxum malorum suorum appetituum cohibent, & refrænant, & sic in dulcedine devotionis, & gratiæ semper manent, Psalm. 114. *Jordanis conversus est retrorsum.* Inferiores verò aquæ, id est, mali, & carnales Religiosi & Clerici non solent stare, sed fluere, & fluxui suorum desideriorum non resistere, sed obedire, & ideò ad mare mortuum, id est, ad amaritudinem peccati, & inferni solent descendere, & ibidem corde, & corpore declinare. Unde Ezech. 47. *Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad rivulos Zabuli orientalis, & ascendunt ad plana deserti, intrabunt mare.*

Vel dic, quod Jordanis significat fluxibilitatem hujus mortalis vitæ, vel etiam istum mundum, in quo sunt duo genera aquarum, scilicet, sæcularium populorum, quidam videlicet superiores boni. Alii inferiores carnales, & mali. Primi igitur sunt boni activi, qui stant, & in bono perseverant, & gratiæ dulcedinem in se servant. Secundi sunt carnales, & mali, qui ad mare peccati, & tandem inferni defluunt, & declinant. Sed pro certo Sacerdotes virtute arcæ fœderis, quam portant, id est, Sancti Patres virtute Sanctæ fidei, & regulæ, quam observant, nec non filii Israel, id est, boni Religiosi & Clerici, qui post eos sub eadem professione perambulant, inter istas duas aquas, id est, inter bonos, & malos sæculares mirabili distinctione, per siccitatem religionis vel pœnitentiæ, seu etiam paupertatis siccitatem transeunt, & pedes suarum affectionum in isto mundi flumine per aquam, id est, malam complacentiam non immergunt, sed ad terram promissionis, id est, ad vitam spiritualem, & æternam siccò vestigio ultra protendunt. Unde dicitur Exod. 14. *Divisa est aqua, & ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, eratque aqua quasi murus à dextris & à sinistris.*

Vel dic, quod Jordanis rivus diem Judicii significat, ubi pro certo arca Testamenti Christus mirabilem divisionem faciet, & distinctionem inter aquas superiores, & inferiores, id est, inter bonos, & malos, quia, scilicet, alios faciet sursum cum Angelis: in gloria stare, alios verò faciet in amaritudinem inferni descendere. Et bonos servabit, ne defluant, malos verò compellet, ut corruant. Unde tunc poterit Dominus dicere populo justo, & populo peccatori illud Deut. 28. *Ipse ascendet super te, & erit superior, tu autem descendes, & eris inferior.*

Vel dic, quod Jordanis significat baptismum, per quem, sc. necesse habent transire, qui terram Paradisi cupiunt possidere. Sed verè de aquis fluminis, id est, de istis, qui baptizantur in baptismi flumine, boni & electi dulcedinem gratiæ custodiunt; reprobi verò in amaritudinem peccati transeunt, ità quod illi tanquam superiores stant in gratia, mali verò sicut inferiores descendunt ad maris naufragia, hoc est, ad mundi delectabilis, & ad vitiorum flagitia, & finaliter ad inferni amaritudinem, & supplicia. Allega, ut supra.

Vel si vis, dic, quod dum Sacerdotes, id est, viri Ecclesiastici, & Prælati sub arca Testamenti Christo per devotionem, & orationem assistunt, populi subditorum aquarum fluxus, & sæculi periculum non incurrunt. Sed dum isti de fluvio exeunt, tunc aquæ istæ ad cursum communem, & solitum reverteruntur, quæ per eorum pœnitentiam arcebantur. Multum enim proficit præsentia bonorum in statu periculi. Ipsorum enim meritis quandoque prohibentur aquæ tentationum, & tribulationum, qui si præsentes non fuerint, statim fluent.

Capitulum quartum. Textus. Quibus transgressis, dixit Dominus Josuæ: Elige duodecim viros. B

Moralitatum Cap. III.

FIlios Israel transacto Jordane ad terram promissionis procedentes, Ruben, Gad, & Manasses, sicut promiserant Num. 32. præcesserunt, ipsi verò filii Israel duodecim lapides de medio alvei per duodecim viros singularum tribuum sustulerunt, & in loco castrorum deposuerunt, & ibi in signum siccati Jordanis, & facti miraculi constituerunt, & alios duodecim lapides loco istorum in loco, ubi Sacerdotes cum arca steterant, transeunte populo ad perpetuam rei memoriam posuerunt. Tandem verò, sicut hic dicitur cap. sequenti, lapideis cultris circumcisi fuerunt, & Pascha celebraverunt. Omnes enim, qui in deserto nati fuerunt, incircumcisi erant, & propter hoc ante terræ promissionis obtentum, & post Jordanis transitum à Josue circumcisi fuerunt.

Ista ponuntur à Sanctis Doctoribus allegoricè sic. Ruben, qui interpretatur, videns filium. Gad, qui interpretatur accinctus. Manasses, qui interpretatur oblivio, significant Patres Sanctos novi Testamenti, & veteris, quia, sc. viderunt filium Dei per fidem & contemplationem, accincti fuerunt per obedientiam & boni operis executionem, obliti, sc. mundi per temporalium contemptum & abdicationem, Psal. 44. *Obliviscere populum tuum & domum Patris tui.* Isti sunt igitur, qui armati virtutibus filios Israel, id est, fideles Christianos ad terram promissionis, id est, ad cœli gloriam præcesserunt, & viam salutis aliis ostenderunt. Unde isti sunt, qui dixerunt Num. 32. *Nos etiam armati, & accincti pergemus ad bellum ante filios Israel, donec introducamus eos in loca sua.* Duodecim verò lapides significant duodecim fidei articulos de alveo sacræ scripturæ assumptos, qui pro tanto lapides dicuntur, quia ex ipsis tota fidei machina fabricatur, & super ipsis structura virtutum omnium tanquam super fundamenta solida situatur. Unde Ecclesia est ista civitas, *quæ habebat duodecim portas, quæ constant ex duodecim lapidibus pretiosis, & nomina duodecim Apostolorum in eis scripta erant*, ut dicitur Apoc. 21. Lapides alii duodecim loco istorum in fluvio repositi, significant Doctorum fidelium expositiones, & libros sacræ scripturæ fluvio fidei additos & adjunctos. Dico igitur, quod transacto Jordane, id est, recepto baptismo, si terram promissionis, id est, Paradisum acquirere volumus, necesse est, quod Ruben, Gad, & Manasses, id est, Patres Sanctos, & bonos Prælatos prædecessores habeamus, & quod eorum exempla, vitam & vestigia retineamus: nec non quod duodecim lapides, id est, duodecim fidei articulos, quos sc. duodecim viri, id est, duodecim Apostoli de scripturarum alveo extraxerunt, fide & opere assumamus, & quod nosipsos cultris lapideis, id est, duris pœnitentiæ operibus à vitiis circumcidamus, & oportet, quod Pascha Eucharistiæ, id est, corporis Christi assumptionem loco & tempore celebremus. Sic enim terram istam obtinere poterimus, & à Josue, id est, Jesu Salvatore possessionem cœlestis gloriæ capere, Deuter. 3. *Jordanem transibitis, & possidebitis terram egregiam.*

Vel dic moraliter, quod ad hoc, quod homo ad terram promissionis, i. e. ad vitam spiritualem, transacto Jordane, i. e. contempto sæculo, perveniatn, eceſſe est, quod duodecim articulos fidei credat, & quod per continentiam carnem circumcidat, & Pascha, in Sacramento altaris celebret & assumat.

Capitulum quintum. Textus. Postquam ergò audierunt omnes Reges Amorrhæorum.

Moralitatum Cap. IV.

DE populo, quomodo, ubi de fructibus terræ comederunt, Manna eisdem defecit, &c. Vide supra Exod. 16. ubi exposui. Et quod hic agitur de celebratione Paschæ vide supra Num. 9. Ubi de quadruplici Pascha invenies. Hic habes, quod cum Josue vidisset Angelum evaginato gladio, ipsum esse Angelum non re- D
cognovit statim, imò an noster, an adversariorum esset, primitus inquisivit. Qui statim se esse Principem exercitus Domini asseruit, & calceamenta de pedibus solvi jussit, dicens: Solve calceamenta de pedibus tuis, locus, in quo stas, Sanctus est.

Sic verè quando aliquis Angelus, i. e. aliqua affectio, cogitatio vel inspiratio nobis de novo apparet, non statim debemus sibi credere, nec ipsam recipere, sed potiùs ipsam debemus examinare, & discutere, ne fortè Angelus Sathan in Angelum lucis, id est, ne fortè mala imaginatio in bonam se studuerit transformare. Sibi igitur dicendum est, an noster es, an adversariorum? &c. Et si nobis innotuerit, quod Angelus Domini fuerit, & sancta cogitatio vel sanctum propositum, sic statim debemus eis obedire, & calceamenta vitiorum & carnalium affectionum à pedibus abdicare, unde dicitur 1. Joan. 4. *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sunt.*

Vel

Digitized by Google

Vel dic, quod Angelus est noster amicus, qui pro certo statim non est ad amicitiam recipiendus, sed ante omnia examinandus, & probandus, & ne fortè adversarius sub amici specie recipiatur, ante omnia est perscrutandus, unde dicitur Eccles. 9. *Si habes amicum, in tentatione posside eum, & non facilè credas teipsum sibi.*

Hic dicitur, quod cum gustassent filii Israel de fructibus terræ, Manna defecit; inveni notatum per Magistrum Stephanum de Longotono, quod filii Israel triplici cibo usi sunt, sc. farina conspersa in exitu de Ægypto Exod. 12. Item Manna de cœlo descendente Ex. 16. Item de fructibus terræ promissionis in deserti termino, de quo hic.

Sic verè boni generaliter utuntur triplici cibo scientiæ, & primo farina sublata de Ægypto, hoc est scientia Philosophica, quæ ab ipsis Ægyptiis, id est, ab ipsis paganis Philosophis est inventa, & de Ægypto, id est, de mundo ad nos translata. Manna in deserto, hoc est scientia Theologica, quæ de cælo fuit derivata & E inspirata. Item fructus terræ promissionis, hoc est scientia beatifica, quæ scilicet, habetur in terra promissionis, id est, Paradiso. Isti ergò sunt tres panes, de quibus dicere possumus amico nostro Christo illud Luc. 11. *Amice, accomoda mihi tres panes.* Manna enim, prout ait, propriè sacram scripturam significat, quia sicut *ille cibus omnem saporem habebat*, ut dicitur Sap. 16. Sic scriptura omnem virtutem contra peccatum continet atque servat. Unde si avarus es, lege Prov. 3. *De substantia tua da pauperibus.* Si luxuriosus, lege Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* Si iracundus es, lege Psalm. 36. *Desine ab ira, & dimitte furorem.* Si mendax, lege Eccl. 7. *Noli mentiri omne mendacium.* Si superbus, lege Eccles. 3. *Quantò major es, humilia te in omnibus.* Et sic de aliis, quia breviter illud Manna in omnem saporem vertitur, in quantum in ipsa contra omnia peccata remedium invenitur. Unde dicitur Sap. 7. *Habens omnem virtutem, & omnia prospiciens.*

Vel dic, quod isti tres Cibi significant pœnitentiam, gratiam & gloriam. Pœnitentia enim est sicut farina, quæ aquâ lachrymarum aspergitur, quando primùm de Ægypto, id est, de peccato exitur, Ps. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Gratia verò est Manna, quæ de cœlo mittitur, dum in hoc deserto vivimus. Unde Sap. 16. *Panem de cœlo præstitisti eis, &c.* Gloria verò est fructus terræ, qui in terra promissionis, id est, in Paradiso gustatur, & comeditur, de quo dicitur Luc. 14. *Beatus, qui manducat panem in regno cœlorum.*

Capitulum sextum. Textus. Hiericho autem clausa erat timore filiorum Israel.

Moralitatum Cap. V.

Dominus volens civitatem Hiericho destruere, præcepit Josue, quod arca Domini tolleretur, Sacerdotibusque eam portantibus, civitas septem diebus & voce submissa, & tacitè à populo circumiretur. In die verò septimo civitatem septem vicibus circumirent, & septem tubis fortiter clangerent, & alta voce omnes pariter ululárent, & promisit, quod sic muri Hiericho funditus corruerent, & civitatem delerent, & ipsam igne comburerent, & in cinerem commutarent. Præcepit etiam Dominus, quod nullus aliquid de bonis civitatis sibi acciperet, sed potiùs omnia anathematizaret, & respueret, sed aurum, & argentum, & æs illius civitatis in thesauros Domini consecraret, quæ tamen prius F igne detergeret & purgaret. Mandavit etiam, quod illa civitas ampliùs non reædificaretur, atque maledictionem subjungens, nuntiavit, quod si quis eam reædificare præsumeret, in primogenito suo fundamenta ejus jaceret, & in novissimo liberorum portæ ipsius ponerentur. Quod ad literam factum est, quiadum Ahiel civitatem istam reædificavit, fundamentum ejus ponendo, primogenitum suum perdidit, & dum valvam in portis poneret, novissimum liberorum amisit. 3. Reg. 16.

Moraliter Hiericho, quæ interpretatur luna, significat illam Diaboli civitatem, & ipsius habitaculum spirituale, quod sibi construitur in conscientia peccatorum, hoc est dictum, congeriem vitiorum, in qua, sc. Diabolus ponit vitia sicut cives, ponit malas excusationes sicut muros. Ponit malos appetitus sensuum sicut portas, quæ sc. propriè Hiericho dicitur, eò, quod ad modum lunæ eclypsin & defectum luminis gratiæ sæpè patitur, & eò, quod per ignorantiam multoties obscuratur. Unde dicitur Ezechiel. 24. *Væ civitati sanguinum, ollæ cujus rubigo in ea est.* Ista est igitur nefanda civitas, quam Dominus mandat omninò destrui, & quam non vult perpetuò reædificari. Et ideò ante omnia necesse est, si ipsam volumus destruere, ut eam per septem dies circumeamus, id est, quod per Jordanem septem mortalium peccatorum, ipsam conscientiæ vel animæ civitatem considerando secretè videamus, & quod in isto circuitu nostro arcam Domini, id est, charitatem vel gratiam, vel etiam spem veniæ deferamus. Unde Isa. 23. *Surge, circumi civitatem meretrix oblivioni tradita.* Quod cum factum fuerit, necesse est, ut septemplici tuba, id est, septemplici gemitu pro ipsis septem mortalibus peccatis personemus, & quod confessionem vocaliter ululemus, & quod tandem muris, id est, omnibus excusationibus vitiorum corruentibus, & cessantibus, ipsam civitatem impiæ voluntatis, per satisfactionem penitus destruamus, & igne pœnitentiæ comburamus, & in cineres redigamus, id est, quod nos convertendos in cinerem cogitemus. Unde Job. 42. *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Et quod etiam per recidivam peccati ipsam nunquam amplius reparemus. Qui enim istam civitatem, id est, G ipsam vitiorum congeriem in se ipso recidivando reparat, grave salarium inde reportat, quod videlicet primogenitum suum, id est, corpus, & ultimogenitum, sc. spiritum damnat. Unde Isa. 25. *Non sit ultra civitas, & in æternum non reædificetur.*

Vel dic, quod primogenitus est gratia baptismalis, ultimogenitus est ultimum remedium, id est, pœnitentia, utramque igitur homo perdit, dum civitatem Hiericho, id est, vitiorum congeriem reædificare intendit.

Vel dic, quod illius civitatis diabolicæ, sc. congeriei vitiorum vel conversationis mundanæ fundamentum est mala intentio, vel mali operis inceptio. Ædificatio verò portarum est operis consummatio. Cum igitur homo habeat duos liberos, scil. gratiam primogenitum, & pœnitentiam ultimum, constat, quod gratia tunc amittitur, quando civitas diaboli, id est, congeries vitiorum concipitur; ultimogenitus verò, id est, pœnitentia tunc moritur, quando cum obstinatione vitia consummantur.

Vel dic allegoricè, quod Hiericho est mundus, qui fluit & refluit sicut luna. Istum igitur voluit Dominus, quantum ad malas suas conditiones destruere, & ideò populum cum arca, id est, subditos & Prælatos præcepit per considerationem circa civitatem istam & malas cogitationes ipsius circumire. Unde in Cant. 3. *Surgam, & circumibo civitatem.* Et tubicines etiam, id est, prædicatores & Sanctos ordinavit contra eam proclamare, quorum clamor, oratio & prædicatio muros, id est, Philosophos & mundi defensores facit quandoque corruere, & eos convertendo cadere, & sic facimus populos subditorum contra civitatem istam, id est, contra mundum & mundi vitia prævalere. Ista igitur est civitas, cujus bona non sunt concupiscenda, nec à filiis Israel, id est, à viris Ecclesiasticis & Christianis affectanda, sed potiùs anathematizanda & detestanda, nec etiam ipsa civitas, id est, ipsa mundana vita, cum destructa est, amplius reparanda. Psalm. 28. *Destrues illos, & non ædificabis eos.* Qui enim civitatem Hiericho, id est, sæcularem cultum in Ecclesia reædificat, primogenitum, scilicet, naturam, & novissimum liberorum suorum, id est, gratiam perdit spiritualiter & necat.

Adverte tamen, quod aurum & argentum, ferrum & æs, quæ inventa sunt in civitate, non sunt repudiata, sed in thesauris Domini consecrata, sc. aurum Philosophicæ sapientiæ, argentum Eloquentiæ, ferrum & æs Civilis seu terrenæ scientiæ, H non ex toto repudiantur. Veruntamen in thesauris Domini consecrari jubentur, quod fit, quando istæ scientiæ ad Dei laudem & gloriam ordinantur, & ad regimen Ecclesiæ vel ad animarum salutem spiritualiter reducuntur, & quando à vanitate & inani gloria, quæ talibus annexa est, igne Spiritus Sancti expiantur. Unde Eccl. 28. *Argentum tuum & aurum tuum conflа.* De Raab autem liberata, ut supra cap. 2.

Vel dic, quod civitas hujus mundi totaliter corruet, quando in septimo die, id est, in septima ætatè tubarum Angelicarum sonitus invalescet.

Vel dic, quod dum tuba prædicationis septemplicis, id est, contra septem vitia auditur, tunc Hiericho, id est, peccator concutitur, & muri excusationis suorum vitiorum solvuntur, & sic filii Israël, id est, bonæ affectiones & virtutes ingrediuntur, & aurum & argentum, id est, ipsius peccatoris sapientia, & eloquentia à Domino consecrantur, & ad laudem fidei ordinantur, sicut apparuit de Dionysio & aliis Philosophis conversis, quorum sapientia & eloquentia proficit Christianis, ideò de tali tuba & talium conversatione dicit Apostolus 1. Cor. 15. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.*

Capitulum septimum. Textus. Filii autem Israël prævaricati sunt mandatum.

Moralitatum Cap. VI.

Cum Dominus præcepisset, quod nullus de bonis Hiericho aliquid caperet, sed potiùs omnia, tanquam anathematizata, & execrata refutaret, Achan quidam de filiis Israël cupiditate ductus regulam auream, & pallium coccineum retinuit, & abscondit, propter quod peccatum populus Israël contra Hay pugnaturus succubuit, & fugiens retrocessit; quapropter idem Achan, cum sortibus deprehensus fuisset, ex Dei mandato lapidatus fuit, bona verò ejus omnia vorax flamma consumpsit.

Sic cum Dominus filiis Israël, id est, religiosis & Ecclesiasticis prohibuerit, ne bona Hiericho, id est, mundi divitias, & A vitia

Digitized by Google

vitia concupiscant, sed potiùs, quod ipsa tanquam interdicta repudient & contemnant, semper est ibi Achan, qui interpretatur conversio, id est, semper sunt ibi aliqui impii, & perversi, qui scilicet, auream regulam, id est, mundi divitias, & possessionem per avaritiam furantur, & pallium mundanæ conversationis per luxuriam assequuntur, sicut ad literam patet de proprietariis religiosis, & luxuriosis, qui scilicet, avaritiam, & luxuriam suam abscondere conantur, cum tamen dicatur Prov. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur in terra.* Sæpe igitur fit, quod propter peccatum talium, qui hodie contra mandatum Domini mundi bona & vitia retinent, & avaritiæ & luxuriæ studeant, omnes filii Israel, id est, omnes Ecclesiastici multa damna sustinent. Et viri Hay, id est, sæculares contra eos prævalent, quapropter pro certo isti in valle Inferni lapidari merentur, & omnia bona eorum, id est, corpus & anima igne perpetuo condemnantur. Unde Eccles. 7. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.*

Vel dic, quod Achan, qui interpretatur conturbans, est simoniacus, Clericus vel Religiosus, sicut dicitur Prov. 15. *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam.* Iste enim quandoque furatur & simoniacè, & occultè acquirit regulam auream, id est, aliquam divitem Abbatiam regularem, & pallium coccineum, id est, aliquam dignitatem Episcopalem, Archiepiscopalem, vel Ecclesiam, pro qua tamen post mortem in valle inferni meritò lapidetur.

Vel si vis, allega illud, quod peccatum unius est quandoque ruina multorum, quia scil. propter peccatum Achan multi de filiis Israel ceciderunt.

Capitulum octavum. Textus. Dixit autem Dominus ad Josue.

Moralitatum Cap. VII.

B. Josue volens superare regem civitatis Hay, & capere civitatem, posuit certos milites in insidiis, & aggressus est civitatem. Cum autem rex cum exercitu suo sibi obviam occurrisset, dissimulavit se fugere, & sic ipsum regem cum populo suo longè ab urbe distraxit. Tandem verò clypeum erigens, signum Insidiis fecit, quibus civitatem intrantibus, & se inter regem, & civitatem ponentibus, ipsum cum suo populo trucidaverunt.

Hoc inveni allegoricè sic expositum. Josue, qui interpretatur Salvator, id est, Christus, à principio regem Hay, id est, principem mundi diabolum debellare proposuit, Hinc Insidias, id est, Prophetas cum suis occultis ænigmatibus ordinavit. Tandem verò carnem assumendo, se infirmum, & fugitivum dissimulavit, & se ab isto rege diabolo, & membris ejus invadi & crucifigi permisit, sed tandem per resurrectionem revertens, & fidei scutum erigens suis fidelibus signum fecit, & sic de isto rege diabolo triumphavit, & civitatem suam, scil. gentilitatem igne charitatis succendit, & ipsam per fidem spiritualiter occupavit.

Vel dic, quod iste rex significat mundi Tyrannos, qui nunc contra Josue, id est, contra Christum, & bonorum exercitum audacter progrediuntur, quos Christus nunc fugere, & peccata eorum dissimulare videtur, ut ipse etiam fidelium, & bonorum exercitus tunc ab eis superetur. Sed pro certo isti non advertunt de cauda, id est, non cogitant de insidiis, quæ latitant post se, scilicet, de morte, judicio, vel inferno, quia scilicet, finaliter Josue, id est, Christus scutum pœnitentiæ suæ contra eos erigit, & dictas insidias, quæ prius latuerunt, in publicum venire facit, & ipse magno impetu contra eos prosiliens temporaliter & æternaliter eos punit, & eorum civitatem, statum & magnificentiam destruit & confundit. Unde Dominus contra tales videtur dicere illud Isa. 42. *Silui, patiens fui, quasi parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.*

Josue ædificavit altare Domino de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit, etiam super illud Deuteronomium legis scriptur, & super illud holocausta & pacifica immolavit, & benedicendum legis factoribus, & maledicendum legis transgressoribus, & tribus nobiles & ignobiles super montes Ebal & Gatizim altrinsecus ordinavit, sed omnia ista jam superiùs sunt moralizata, scilicet de altari faciendo, de lapidibus impolitis, & de benedictionibus & maledictionibus, &c. Deut. 28. Hoc solum adde hic, quod altare istud continebat duo, scilicet, scripturam interiùs sculptam, & Sacrificia exteriùs oblata, significans, quod Prælatus vel Ecclesiasticus, qui per altare intelligitur, debet habere interiùs scripturam, id est, divinæ legis scientiam, & notitiam, exteriùs verò debet habere sacrificia, id est, bonorum operum opulentiam.

Unde Ezech. 2. *Erat liber scriptus intus, & foris, &c.*

* * * * * * * *

Petr. Berchorii super Josue.

Capitulum nonum. Textus. Quibus auditis, cuncti Reges.

Moralitatum Cap. VIII.

GAbaonitæ audientes, quomodo Josue duas civitates destruxerat, & quod ex Dei mandato nulli personæ vel sexui parcebat, & quod ipsi erant de populo, quem Dominus occidi mandaverat, cogitaverunt, quomodò callidè confœderarent se sibi. Acceperunt igitur utres veteres, & pannis veteribus, & antiquis calceamentis se induerunt, panem comminutum & siccum in suis cisterciis habuerunt, & sic de terra longinqua se venisse, pacem cum ipsis quærere ex his præsumptionibus confinxerunt: Quapropter pactum cum eis de ipsis non occidendis Josue, & filii Israel fecerunt, & juraverunt. Veruntamen, cautelâ cognitâ, de pacto & juramento pœnituerunt, quapropter non ipsos socios, sed servos habere voluerunt, & ad cædenda ligna pro sacrificiis, nec non & ad aquam portandam ipsos perpetuò ordinaverunt, & eos Nathinnæos appellaverunt, & sic sub jugo vivere permiserunt.

Isti Gabaonitæ significant hypocritas, qui revera sunt de illis, qui à Domino exterminari mandantur, & qui cum filiis Israel, id est, cum bonis in Ecclesia vel Paradiso pacem habere & hæreditatem vetantur, & qui à Josue, id est, à bono Prælato recipi vel diligi prohibentur. Unde Job 17. *Innocens contra Hypocritam suscitabitur.* Sed quid? Pro certo isti inveniunt modum miserabilem se cum Josue, id est, cum viris justis confœderandi. Vadunt enim ad eos adulando, dicentes. *De terra longinqua venimus servi tui, pacem vobiscum facientes, & facere cupientes.* Assumunt enim vestes D veteres, id est, prætendunt humilitatem in conversatione; & calceamenta, id est, prætendunt maturitatem in pedibus, id est, in interiori affectione. Panes siccos, id est, prætendunt abstinentiam in cibo, & in refectione. Utres veteres, id est, prætendunt prudentiam, id est, scientiarum exuberationem. Quibus factis ita fit, quod in Josue & aliorum, id est, Prælati, & majorum amicitiam recipiuntur, & quod à punitione liberi efficiuntur, dum boni ab omnibus existimentur. Per tales enim fictiones, id est, dissimulationes, acquirunt sibi amicitias Principum, & populorum, & ideo bene dicuntur Gabaonitæ, qui interpretantur valles mœstitiæ, pro eo, scilicet, quia isti mœstos, & contritos se fingunt, & quia valles, id est, humiles se prætendunt. Veruntamen Josue, id est, bonus Prælatus, quando ipsos, id est, fictiones eorum deprehendit, debet ipsos ad serviendum aliis condemnare, & ne sint aliorum socii, seu ne hæreditatem bonorum Ecclesiasticorum cum filiis percipiant, præcavere, ut & sic, qui dominari aliis mediante hypocrisi quærunt, cogantur aliis subjacere. Unde Job 8. *Spes Hypocritæ peribit, &c.*

Capitulum decimum. Textus. Quæ cum audisset Adonisedech Rex Hierusalem.

Moralitatum Cap. IX.

GAbaonitæ filiis Israel confœderati, & ad tabernaculi usus deputati, & à morte præservati fuerunt, propter quod quinque reges gentiles contra eos surrexerunt, & eos destruere & debellare cum suis exercitibus tentaverunt. Quod timentes Gabaonitæ, auxilium à Josue, & à filiis Israel invocant. Qui statim accurrentes adversarios exterminant, & ipsos quinque reges in spelunca occultari compellunt, ubi cum saxis ingentibus ad os speluncæ devolutis, ipsos, ut non exeant, includentes, mane in patibulis suspendunt, & sic Gabaonitas liberant, & defendunt: Veruntamen hic accidit valde mirabile, quia scilicet, dum filii Israel in prælio contra reges essent, & sol ad occasum appropinquaret, propter quod, ne nocte superveniente hostes evaderent, Josue dubitaret, rogavit Dominum, ne sol ad occasum transiret, sol, inquit, contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Haalon, quod & factum est, quia, scilicet, sol & luna in locis suis in cœli medio per unius diei spatium steterunt, & sic obediente Deo voci hominis, vindicandi in hostes spatium habuerunt, quapropter diei lumine prolongato, hostes totaliter destruxerunt. Dominus etiam lapidibus grandinis multos hostium interfecit, & sic non solùm lumen suis fidelibus præbuit, sed etiam ipsos juvit mirabiliter, & etiam protexit.

Dic, quod isti Gabaonitæ, qui interpretantur valles mœstitiæ, significant pœnitentes, qui scilicet, debent esse valles, id est, humiles atque depressi, nec non contriti, flebiles atque mœsti, quia revera, ubi isti de novo confœderantur cum Josue, & cum filiis Israel, id est, cum Christo & Angelis, statim adsunt quinque reges gentiles, id est, quinque corporis sensus, qui cum exercitibus diversorum malorum appetituum ipsos debellare nituntur. Quod videntes isti, statim debent ad Josue & ad filios Israel, id est, ad Christum, & sanctos per orationem recurrere, & eorum auxilium implorare. Qui revera statim aderunt & E

Digitized by Google

venient,& iſtos quinque reges, id eſt, quinque corporum appetitus in ſpelunca humilitatis & propriæ conſiderationis recludent, & os ſpeluncæ, id eſt, cor cum ſaxis, id eſt, cum conſideratione duræ ſententiæ & juſtitiæ obſtruent, & tandem eos per contemplationem ſuſpendent, & ſolem divinæ gratiæ, & lunam divinæ miſericordiæ continuè aſtare facient, & hic exercitibus vitiorum & tentationum devictis, Gabaonitis, id eſt, ipſis pœnitentibus pacem reddent. Bonum eſt igitur à Joſue, qui interpretatur ſalvator, id eſt, à Chriſto ſalvatore noſtro, & filiis Iſrael, id eſt, ſanctis auxilium petere, quia revera aliàs non poſſumus ab hoſtibus ſpiritualibus ſalvi eſſe, unde dicitur Prov. 18. *Turris fortiſſima nomen Domini, & ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur.*

Vel dic, quod Joſue, qui pugnat contra Chananæos, eſt vir juſtus, qui pugnat contra vitia, & contra malignos ſpiritus, quia revera ſummè debet curare, quod ſol & luna, id eſt, Chriſtus & Beata Virgo ſibi velint aſtare, & ſuæ gratiæ lumen ſibi miniſtrare, ut ſic poſſit quinque reges, id eſt, quinque ſenſuum concupiſcentiam cum exercitu vitiorum & Dæmonum ſuperare, ne forte ſi nox peccati ſupervenerit, & lux gratiæ defecerit, non poſſit contra eos prævalere. Iſti igitur invocati & devotè exorati, ſtatim voci hominis obediunt, & ad occaſum procedere renuentes, ſibi aſtant benigniter, & intendunt, & lumen ſuæ gratiæ ſibi non denegant, ſed impendunt, & ſic iſtis ſtantibus & aſtantibus, iſti hoſtes, ſcilicet, tentationes, vitia & mundus, caro & dæmonia, neceſſariò pereunt & ſuccumbunt, & maximè, quando lapides de cælo mittuntur, id eſt, quando ſpecialia adjutoria à Deo veniunt & deſcendunt. Unde Abac. 3. *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, & in luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulguranti ſ haſtæ tuæ.*

Vel dic, quod Joſue eſt prædicator, qui tunc contra hoſtes pugnat, quando contra eos prædicat, ſed quia noctem ignorantiæ, & culpæ ſummè debet timere, ideo ſolem & lunam, id eſt, Chriſtum & Beatam Virginem Mariam debet ante omnia exorare, ut ſibi velint aſtare, & ut illa duo, quæ peccatori ſunt neceſſaria, ſcilicet, lucem ſcientiæ & ſolem gratiæ, velit ipſe ſol intelligentiæ Chriſtus, & ipſa luna roriſluæ miſericordiæ Beata Virgo ſibi benigniter miniſtrare. Unde Gen. 37. *Videbam ſolem, & lunam, & ſtellam undecim adorare me, &c.*

Capitulum undecimum. Textus. Quæ cum audiſſet Jabin rex Aſor, miſit ad Jobab regem Madon.

Moralitatum Cap. X.

JOſue ſimili fortuna viginti quatuor reges contra ipſum congregatos in prælium, cum eorum exercitibus interfecit, & terras eorum obtinuit,& poſſedit. Et dicitur ibidem,quod Domini ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent & caderent, & non mererentur ullam clementiam accipere.

Iſtud poteſt allegari, quomodo occulta Dei providentia operatur in rebus, & quomodo corda hominum interiùs ab ipſo moventur, & ſecundùm ſua demerita & infortunia deducuntur, ut ſic ſecundùm ſua demerita puniantur. Meruerant enim iſti, cum eſſent peſſimi, interfici, & ideo cum juſtum ſit veniam petentibus indulgere, juſto Dei judicio & occulto factum eſt, quod dum iſti de viribus & multitudine præſumerent, quod contra Iſrael dimicantes ipſorum gladiis interirent, ut ſic miſericordiam, quam non quæſierant, nullatenus invenirent. Fortè enim timore ducti veniam petiviſſent, niſi juſto Dei judicio indurati fuiſſent. Iſta enim continuè perpendimus, quando hominem obſtinatum & induratum ad damnum ſuum currere cernimus, quod procul dubio ab occulta Dei juſtitia fieri nullatenus dubitamus. Unde legitur Exod. 10. *Induravit autem Dominus cor Pharaonis, & non dimiſit populum, &c.*

Capitulum duodecimum. Textus. Hi ſunt reges,quos percuſſerunt filii Iſrael, & poſſederunt terram eorum.

Moralitatum Cap. XI.

JOſue terram acquiſitam filiis Iſrael diſtribuit, & in omnibus tribubus Iſrael urbes Levitis aſſignavit, ſicut infra dicitur. Poſtquam verò omnia diſpenſaſſet, ultimò poſſeſſionem ſibi elegit.

Sic verè bonus Prælatus vel diſpenſator, debet bona ſibi commiſſa bonis perſonis,ſingulis ſecundùm ſtatuum ſuorum exigentiam,dividere, & non in primis, ſed ultimis partem ſuam & ſuorum accipere, ne forte videatur infideliter diſpenſare, & ſibi majus vel minus, quàm deceat, retinere. In omni autem tribu, id eſt, in omni Laicorum patria vel cœtu debet Levitis & Eccleſiaſticis habitationem aſſignare, ut qui ſpiritualia tribuunt, poſſint de laicorum temporalibus utcunque nutriri, & ut etiam ipſi laici, ubicunque ſpirituales viros inveniunt, ab iis poſſint inſtrui & doceri. Unde Apoſt. 1. Cor. 9. *Si nos ſpiritualia vobis ſeminavimus, non magnum eſt, ſi veſtra temporalia metamus.*

Vel dic, quod terra cordis noſtri filiis Iſrael, id eſt, virtutibus habitanda traditur, quando Chananæi, id eſt, vitia exinde penitus expelluntur.

Capitulum decimum quintum. Textus. Igitur ſors filiorum Judæ per cognationes ſuas.

Moralitatum Cap. XII.

CAleph verò volens accipere civitatem Hebron, quam tres Gigantes, ſcilicet filii Enachim inhabitabant, edictum & juramentum propoſuit, quod qui prius urbem percuteret & caperet, filiam ejus Axam in uxorem haberet. Cœpit ergo urbem Othoniel frater Caleph, & ſic filiam ejus in uxorem accepit. In quo patet, quod Caleph magis juramentum, quàm legem ſervari voluit. Cum igitur Caleph civitatem, percuſſis tribus gigantibus filiis Enachim,poſſediſſet, & ſic filiam ſuam Axam proximo fratri ſuo maritaſſet, ipſa ſuggeſta à viro ſuo & ſedens in aſino ſuſpiravit & terrā irriguam, à Caleph poſtulavit dicens: Terram arentem dediſti mihi, junge & irriguam. Pater autem ejus ſuſpiriis annuens, ſibi dedit irriguum ſuperius & inferius.

Caleph,qui interpretatur quaſi omne, Deum Patrem ſignificat, cui omne cor patet, & omnis lingua loquitur. Othoniel frater ejus, qui interpretatur ſignum Dei, ſignificat Dei filium, qui etiam in ſcriptura dicitur Dei ſignum. Iſa. 7. *Dabit Dominus vobis ſignum. Ecce virgo concipiet filium, qui vocabitur Emmanuel.* Axa, quæ interpretatur furibunda, ſignificat animam rationalem, cui naturaliter ineſt furor iracundiæ & concupiſcentiæ, nihilominus iſta eſt ratione imaginis filia Dei Patris. Hebron,qui interpretatur incantatio, ſignificat mundum, qui ſe. incantat, & decipit cor humanum. Enachim, qui interpretatur terribilis, ſignificat diabolum, cujus tres gigantes filii Enachim, ſignificant triplicem concupiſcentiæ appetitum. Aſinus verò laboribus deditus, ſignificat corpus humanum. Dico ergo, quod Caleph Deus Pater à principio ſtatuit & propoſuit, quod qui civitatem mundi caperet, & qui eam ſuæ fidei ſubjugaret,& tres filios Enachim diaboli, id eſt, tria peccata principalia luxuriæ, ſuperbiæ & avaritiæ exinde tolleret & deleret filiam ſuam axam, id eſt animam rationalem in uxorem haberet. Veruntamen, quia non inveniebatur aliquis conveniens ad, illud opus tam arduum faciendum, nec ad ſalutem humani generis procurandam, oportuit, quod proprius filius ſuus ſcil. Jeſus Chriſtus filius Dei illud faceret, civitatemque mundi per fidem caperet, & deſtructis tribus prædictis gigantibus, ipſam Patris Dominio ſubjugaret. Qui quia carnem aſſumendo & crucem ſubeundo id complevit,ideo Axam filiam Dei Patris,id eſt,animam humanam in uxorem accepit, & eam bellando contra gigantes Hebron,id eſt,contra mundum,& Dæmones acquiſivit. Unde dicitur Oſeæ 3. *Sponſabo te mihi in fide.* Et alibi: *Michol deſpondit mihi centum præputiis Philiſtiim.* 2. Reg. 30. Michol autem filia regis erat. Quid ergo? Pro certo iſta Axa, id eſt, anima, ſedens modo in âſino corporis,dum hic vivit, ad inſtinctum viri ſui Chriſti debet à Patre ſuo Deo ſpirituale irriguum poſtulare, dicens: Terram arentem,id eſt,cor indevotum & ſiccum dediſti mihi,junge & irriguum, id eſt, da mihi mentem humilem, & devotam, & ſic ipſe Pater ſuus Deus dabit ſibi irriguum ſuperius & inferius, id eſt, devotas lachrymas pro dilatione Patriæ ſuperioris, & pro incolatu miſeriæ inferioris, vel pro bonis omiſſis, & pro malis commiſſis, vel pro amiſſione gloriæ, & acquiſitione infernalis pœnæ.

Vel illud duplex irriguum, ſignificat dulcedinem cogitationis in intellectu,& dulcedinem dilectionis in affectu. Vel duplex irriguum, eſt duplex gratia, ſcilicet ſuperius, quod eſt amor Dei, & inferius, quod eſt amor proximi. Vel iſta ſunt viſio Deitatis, & viſio Humanitatis. Iſta enim ſunt quædam irrigua, pro quibus habendis devota Dei filia gemebunda ſuſpirat, & ipſa toto corde deſiderat, & affectat. Unde Job. 3. *Antequam comedam, ſuſpiro, & quaſi inundantis aquæ rugitus meus, &c.* Et ſic de iſta filia, ſcil. de anima & ſuis irriguis,poterit dici illud Hier. 31. *Erit anima eorum, quaſi hortus irriguus, & ultra non eſuriet.*

Vel poſſunt illa allegari, quod juramentum quandoque præfertur legi, & tolerabilius eſt, quandoque frangere legis ordinationem,quàm proprii juramenti fidem, ut patet, quia lex prohibuit, ne frater filiam fratris acciperet in uxorem, Deus etiam mandaverat, quod totus populus Chananæorum deleretur. Et tamen hic habes, quod propter reverentiam juramenti Caleph filiam ſuam fratri ſuo deſponſavit. Et ſicut ſupra dictum eſt, Joſ. 9. populus Iſrael Gabonitis pepercit; & Jephthe etiam, ſicut dicitur Jud. 11. propriam filiam immolavit propter ipſius juramenti reverentiam.

Vel dic, quod quilibet auditor verbi Dei debet eſſe, ſicut illa filia Caleph,quæ ad vocem, & exhortationem viri ſui, id eſt, prædicatoris debet per confeſſionem gemere, & à patre ſuo duplex irriguum poſtulare, ſuperius, ſcilicet gratiam pro prædicatore,ut bene loquatur, & irriguum inferius, id eſt, gratiam pro quolibet auditore, ut bene recipiat bonum, quod ei prædicatur, & ideo pro iſto duplo irriguo habendo rogabimus,&c.

Capi-

Digitized by Google

Capitulum decimum sextum. Textus. Cecidit quoque sors filiorum Joseph à Jordane contra Hiericho.

Moralitatum Cap. XIII.

HIc in isto capitulo,& Judicum 2.cap. fit mentio,quod filii Israel ex toto Chananæos non interfecerunt, sed eos secum vivere promiserunt, ipsos tamen sibi subjecerunt,& tributarios fecerunt,& sibi servire coëgerunt.

Sic verè cum filii Israel, id est, viri justi de terra mentis suæ eliminare habeant omnes populos gentiles, id est, omnes actus vitiosos & mortales, sæpe fit, quod omnes non possunt penitus extinguere, imo principalioribus vitiis interfectis, necesse est aliquos Chananæos, id est, aliqua vitia in homine remanere. Constat autem,quod motus corporum, id est, iracundiam cordis, levitatem operis, quæ quasi sunt connaturalia homini, non potest homo penitus abjicere, ipsa debet tamen rationis ferulæ subjugare, & ipsa sibi servire compellere, & tributum utilitatis impendere seu dare. Vitia enim, quæ in nobis sentimus, nobis tributum & utilitatem impendunt, quando humilitatem, & nostræ propriæ fragilitatis considerationem in nobis generant, & inducunt, & quando de proprio casu nos esse timidos faciunt, & sic ab elatione & superbia
C nos compescunt, ut sic juxta doctrinam Gregor. homo de virtutibus non superbiat, quia adhuc vivere in se hostes conspicit, à quibus vinci formidat. Ec sic concludi potest, quod Deus istos hostes nobiscum permittit vivere, ut discamus de propriis viribus non præsumere,sed potiùs in humilitate & timore manere,Psal. 58. *Ne occidas illos,ne quando obliviscantur populi mei, &c.*

Moralitatum libri Josue finis.

MORALITATUM LIBER SEPTIMUS super librum Judicum.

Capitulum primum. Textus. Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes.

Moralitatum Cap. I.

FIlii Juda comprehenderunt Adonibesech regem, abscideruntsummitatem pedum & manuum ejus, & captum in Israel deduxerunt. Qui statim dixit, quod illud meritò sustinebat, quia hoc ipsum fecerat septuaginta regibus, qui colligebant sub mensa ciborum reliquias.

Istud allega exemplariter, quod in quo peccat quis, in hoc punitur, quia scilicet sæpe divino judicio fit,quod homo idem malum suscipiat ab aliquo, quod injustè aliis intulerat, juxta illud sicut fecit, facite ei. Hier. 50.

Vel illud potest allegari, quando quilibet patitur, debet sua propria delicta cognoscere, & se justè pati advertere & dicere illud Genes. 24. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Est enim consolatio patienti, quando cogitat se dignè pati.

Vel dic, quod multi tales reges videntur esse hodie in mundo, qui scilicet de mensa diaboli reliquias, id est, divitias recolligunt, & ideo summitatem pedum & manuum, id est, rectitudinem af-
D fectionum & operum perdunt. Et etiam dic, quod Judas est prædicator,vel Prælatus, qui quando vult Adonibesech regem, id est, peccatorem comprehendere, punire & corrigere, debet ipsum in extremitate manuum & pedum lædere, & eâ præscindere,in quantum finem & extremitatem malorum suorum affectuum & operum debet ei ostendere, atque indicare, & extremitatem etiam pœnæ æternæ, quæ ipsum expectat, verbaliter declarare,dicens illud Proverb. 14. *Extrema gaudii luctus occupat.*

Vel dic, quod extremitas est vana spes, quam de pedibus & manibus, id est, affectionibus & operibus speramus reportare, quam quidem vanam extremitatem debet prædicator homini præscindere, & vanitatem præsumptionis ab affectibus & actibus suis resecare, ut ipsum possit in Hierusalem, id est, in Paradisum humilem & obedientem deducere.

Capitulum secundum. Textus. Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.

Moralitatum Cap. II.

DE Chanan & aliis infidelibus non interfectis, sed sub tributo redactis, vide Jos. 16. Supra de hoc,quod arguente Angelo populum pro eo,quod Chananæos non extirpaverunt, inceperunt flere, ut ponitur hic illud utique ad hoc potest applicari, quod cum Angelus, id est,prædicator loquitur,& peccata nostra nobis improperat, peccator flere & pœnitere tenetur.

Transeo illud, quod Dominus etiam multos Chananæos delendos relinquit, ut in ipsis filii Israel exercitarentur, ut factum armorum experirentur,cum secundùm Senecam, *miserrima sit fortuna, quæ inimico caret.*

Vel ad hoc potest applicari, quod utile est quandoque homini inimicos habere,ut dum habeat,quid timere debeat, discat se cautiùs custodire, & virtutem suam possit contra eos exercere. De hoc, vide Josuæ 16. supra.

Eglom rex Moab pinguissimus opprimebat populum Israel violenter. Nam quia Domino peccaverant, tradiderat eos Dominus isti regi. Sed per Aod filium Gera, qui utraque manu utebatur pro dextera,voluit liberare populum,qui fecit sibi gladium ancipitē, & captis muneribus ad regem accessit, ut sic sub amicitiæ specie faciliùs ipsum regem occideret. Offert igitur regi munera,& ab eo gratiosè recedit; sed citò post dimissis sociis solus revertens, regem in æstivo cubiculo reperit. Cui cum verbum secretum se velle ei E dicere assereret, rex universos emisit. Quem Aod solum intuens, ipsum gladio ancipiti transfixit, & occidit, & clausis fortiter ostiis per posteriorem partem domus fugit, & tandem clangens buccina, Moabitas plurimos interfecit.

Istud potest allegari exemplariter, quod valde fatuum est cum inimico solum remanere, & illum amicum credere, quem violenter afflixeris. Poterit enim vult & sæpe damna tibi dare, dato, quod ipsum videas munera tibi offerre, & amicitiam simulare. Constat enim, quod si locum & tempus opportunum invenerit,contra te statim surget,& inimicitiam tibi ostendet. Ideo bene dicit ille: *Veruntamen cui malefeceris, non credas.* Unde Senec. in Proverb. *Cum inimico nemo tutus in gratiam redit.* Et Eccl. 12. *Non credas inimico tuo in æternum. In oculis suis lachrymabitur inimicus,& si invenerit tempus, non satiabitur sanguine tuo.* Illud malè audiverat ille rex Persarum,qui dato,quod cuidam principi proprium filium comedendum dedisset, ipsum tamen ducem exercitus sui fecit, qui persaudens militibus Cyrum in regem constitui, destitui regem alium procuravit.

Vel dic spiritualiter,quod Eglon hominis,qui interpretatur festivitas inutilis,est caro ejus,cujus scil. festum & delectatio non valet,qui tamen filios Israel,id est, Christianos & fideles sibi subjugat, & eos suis immundis suggestionibus opprimit jugiter atque gravat. Aod, qui interpretatur laudabilis, significat virum justum & maximè bonum Ecclesiasticum vel Prælatum. Gera, qui incolò interpretatur, filius dicitur, pro eo, quod iste peregrinum & incolam se reputans in hoc mundo, non tanquam possessor, sed tanquam incola conversatur, propterea à Domino laudabilis judicatur. Unde dicitur Eccl. 44. *Laudemus viros gloriosos parentes nostros.* Ille enim utraque manu debet uti pro dextera, quia scil. nulla debet in eo inveniri sinistra vel vitiosa operatio, sed cuncta dextera & virtuosa. Dato enim, quod vir perfectus utramque manum habeat, tam dexteram,quàm sinistram, id est, dato quod utramque discretionem habeat, sc. ad ministrandum spiritualia & terrena, vel dato etiam, quod duo opera exerceat, scil. contemplationis & actionis. Vel dato,quod duplici scientiâ polleat, sc. speculativâ & practicâ, ni- F hilominus tamen utraque debet uti pro dextera, in quantum etiam opera sua, quæ sinistra,id est,minùs idonea videbantur, ad Dei laudem & animæ salutem ordinat, & sic ipsa facit esse dextera atque sancta,Rom. 2. *Si præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur?* & sic fit de illis,de quibus dicitur Jud. 20. quod in Gabba erant septingenti viri ita sinistrâ, ut dexterâ præliantes. Gladius anceps,quem iste habet, significat pœnitentiam,quæ est anceps, per hoc quod interius per contritionem scindit,& exterius per satisfactionem lædit. Et etiam iste gladius est oratio, quæ pro eo dicitur biceps, quia Deum reconciliat, hostes verò spirituales impugnat.

Dic igitur, quod quando Aod, id est, vir perfectus, qui potest dici laudabilis & peregrinus, ut qui utraque manu, id est, in omni suo opere invenitur dexter, & virtuosus, vult superare Eglom, id est,inutilem festivitatem & gloriam carnis suæ, & de ejus potestate filios Israel, id est, affectiones & motus animi liberare,debet ipsum secretè percutere & interficere gladio ancipiti orationis vel pœnitentiæ, ita quod pinguedinem delitiarum suarum debet restringere, & stercora divitiarum extra projicere & horrere, & tandem ostia sensuum à mundi delectabilibus claudere & ipsum mortuum, id est, ipsam carnem mortificatam dimittere & abire. Tali enim gladio caro mortificatur & spiritualiter occidiur, & Israel,id est,mens à peccati servitutibus liberatur. Unde Apost. *Liberati à peccato, servi autem facti Deo.*

Vel dic, quod rex iste est Prælatus; Aod verò est ambitiosus, qui regem suum, id est, Prælatum occidere & capere cupiens, gladium ancipitem,id est,linguam adulatricem sibi acuit, ipsamque ad utramque partem nunc pro primo, nunc contra secundum, quod magis credit placere, scindere, & loqui instruit, utramque manum ad diligendum, obsequendum, in dexteram convertit, & etiam se esse totum dextrum & virtuosum, & nihil habere sinistrum vel vitiosum dissimulat & prætendit, munera etiam præparat, quæ ante omnia præmittere non postponit, tandem verò oblatis muneribus, iste solet secretum colloquium petere, & tunc solet regem i. e. Prælatum gladio linguæ ancipitis & adulatricis percutere,& ipsum gladium in cor ipsius infigere, & ita solet eum decipere, & spiritualiter occidere, & se libertati (obtento beneficio vel dignitate) restituere vel extollere. Unde Tob. 1. *Occiderunt regem filii* G *ejus.* Videmus enim hodie multos reges, id est, multos magnates

Digitized by Google

gnates & Prælatos mortuos & effœminatos jacentes, & per gladios ancipites linguam adulatorum & malorum consiliariorum suorum, miseros & languentes, & nulla virtute pollentes, sed in vitiis mortuos & fœtentes. Constat n. hodie, quod tales gladii sunt causa mortis,& perditionis omnium Superiorum. Unde in Ps. 149. *Gladii ancipites in manibus eorum.* sc. adulatorum. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.*

Vel dic, quod Aod est laudabilis prædicator, qui gladio ancipiti verbi Dei præliatur contra Eglon, id est, contra peccatorem, ut eum occidat spiritualiter & convertat; primò tamen debet uti muneribus, ut ipsum ad gloriam alliciendo,tandem gladio asperæ correctionis eum per tormenta inferni deterreat. Unde Hebr. 4. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.*

Vel dic, quod iste rex est Diabolus, qui dicitur Job 41. *Rex super omnes filios superbiæ.* Contra quem pugnat prædicator gladio verbi Dei,& etiam justus cum gladio pœnitentiæ & orationis, &c.

Sicut hic patet Cap. 3. Samgar, qui judicabat Israel, non legitur cum gladio aliquem hominem occidisse, & tamen cum uno vomere, quod est instrumentum hebes,rude & non acutum, dicitur sexcentos homines peremisse.

Et hoc ad hoc potest applicari, quod quandoque in correctione vel prædicatione plus proficit, ad alios occidendum, id est, corrigendum vel convertendum, hebes verborum ruditas, quàm acuta scientiarum subtilitas, & plus juvat benignitas resecata, quàm severitas exacuta. Ita quod plerumque utile, imo necessarium est excommunicationis vel asperæ correctionis gladium recondere, & cum vomere dulcis & blandientis exhortationis hostes, id est, vitia & Dæmones,ac etiam ipsos peccatores, & impios impugnare. Ideo Petro Pastori Ecclesiæ dictum est Matth. 26. *Pone gladium tuum,&c.*

H *Capitulum quartum. Textus.* Addideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini.

Moralitatum Cap. III.

Debora prophetissa uxor Lapidoth judicabat populum Israel sedens sub palma. Cum igitur Jabin rex Chanaan misisset Sisaram principem exercitus sui contra populum Domini, vocavit Debora Barach filium Abinoem & constituit eum principem populi, ut contra Sisaram dimicaret. Adjecit tamen & dixit sibi, quod victoria sibi non adscriberetur, sed quod mulier de Sisara triumpharet. Quod sc. factum est, quia tandem commisso prælio Sisara pedes fugiebat. Jahel autem uxor Aber Cinei ipsum recepit,aquam petenti lac dedit, & dormientem occidit, & caput ejus clavo tabernaculi cum malleo perforavit.

Illud quidam exponunt allegoricè. Dicunt enim, quod Debora,quæ interpretatur loquens, seu apex, significat legem divinam, quæ de fidei & virtutum apice loquitur. Quæ prophetissa dicitur pro eo, quod de futuris prophetare dignoscitur, & sub palma sedet, eo quod palmam cœlestis gloriæ repromittere comprobatur. Uxor etiam dicitur Lapidoth, qui interpretatur fulguratio, pro eo, quod in ea fulgor & splendor fidei revelatur. Per Barach, qui interpretatur coruscatio, accipitur populus Judæorum, qui revera ad modicum virtutibus coruscavit, quia subitò evanuit & defecit. Per Sisaram, qui interpretatur exclusio gaudii, intelligitur Diabolus, qui scilicet à gaudio Paradisi fuit exclusus, & hic in tristitia positus & inclusus. Iste enim cum exercitu suo,id est, vitiorum,non cessat contra filios Israel, id est, justos continuè debellare, ut sic eos possit à Paradisi gaudio excludere. Per Jahel verò mulierem gentilem Israeliticis confœderatam & adjunctam, intelligitur Ecclesia de gentilitate assumpta. Quia pro certo ista est veritas, quod à principio Debora prophetissa, id est, lex divina, vel etiam ipse Deus legis factor, vel etiam ipse Moyses legislator, misit contra Sisaram, & exercitum suum, id est, contra Diabolum & vitia, qui filios Israel, id est, Patriarchas gravabat, Barach, id est, populum Judaicum, ut scilicet contra Diabolum pugnaret, & ejus potentiam enervaret. Sed quid? Pro certo isti non fuit victoria data, nec victi Diaboli gloria attributa, quia revera non populus Judaicus, nec ipsius Synagoga Diabolum superavit, sed Jahel, gentilis mulier, id est, Ecclesia Christiana ex gentilitate pro majori parte sumpta, contra ipsum prævaluit, & cum malleo ligneo & clavo tabernaculi, id est, mediante ligno Crucis & Clavis, quibus fuit Dominus conclavatus: necnon lacte, quo fuit secundùm carnem nutritus, hoc est dictum, mediante fide, quam de Christi incarnatione & passione credit, & tenet, ipsum turpiter prostravit, & virtutem ipsius enervavit, & filios Israel, id est, fideles de ipsius manibus liberavit, Jud. 9. *Ecce una mulier fragmentum molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* A

Vel dic, quod talis mulier est Beata Virgo, quæ revera Jahel, id est, Dei ascensio dicitur, pro eo, quod in ipsa Deus carnem assumendo, ascendisse probatur. Isa. 19. *Ascendit Dominus super nubem levem,& ingredietur Ægyptum.* Ista enim lacte suo mediante, quo scil. nutrivit Christum, in ligno crucis cum clavis & lancea suffragante, quibus ipse Christus mortem sustinuit,ipsum Sisaram, id est, Diabolum superavit, & ideo victoriam contra ipsum ipsi soli sancta mater Ecclesia attribuit. Judith. 14. *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor regis.*

Vel illud allega, quod quandoque melius vincit Sisaram coruscantem,id est, Diabolum, carnem vel mundum, in fatuorum cordibus rutilantem, & prælium diversarum tentationum contra nos suscitantem, Jahel,quàm Barach,fœmina,quàm vir, simplex, quàm literatus, laicus, quàm clericus, sæcularis, quàm religiosus, quia revera sæpe fit, quod isti simplices cum lacte eleemosynarum, quas faciunt, & cum malleo crucis, cujus memoriam, id est, devotionem referunt, & cum clavo Domini timoris, qui ad literam totum mentis tabernaculum retinet, ne labatur, quo cor suum perforant atque pungunt, ipsum Sisaram, id est, Diabolum,carnem vel mundum taliter percutiunt, quod ipsum superant, atque prosternunt. Barach verò dux exercitus, id est, superiores & clerici ipsum ita non verberant aut devincunt. Ideo bene dicitur Joel. 3. *Infirmus dicat, quod ego fortis sum.*

Jahel uxor Aber Cinei videns Sisaram principem sitibundum & prælio fatigatum, vocavit eum in tabernaculo dicens: *Intra ad me Domine,ne timeas.* Quæ statim aperuit utrem lactis,& dato, quod aquam petiisset, sibi tamen lac dedit, ut dormiret. Isto igitur fortiter dormiente, cæpit ista mulier clavum tabernaculi sui, & cum malleo tempora ejus transfixit, ipsumque in terra posuit, & interfecit, & sic soporem morti socians, miserabiliter obiit & defecit.

Ista etiam aliter possunt exponi,quàm in præcedenti expositione scil. quod per istum Sisaram intelligo aliquem in tribulationibus fatigatum, & per divitiarum inopiam sitibundum, vel aliquem nobilem, & clericum pauperem, beneficiatum vel patrimoniatum. Per Jahel verò usurarium intelligo aliquem, qui lacte temporalis substantiæ abundat multipliciter in hoc mundo, quia revera, quando ista deceptrix mulier, scilicet usurarius videt istum Sisaram, id est, pauperem sitire, id est, bonis temporalibus indigere, solet eum in tabernaculum domus suæ secrete introducere, & utrem lactis, id est, arcam suæ avaritiæ aperire. Et dato, quod non petat nisi aquam, id est, aliquid modicum pro tempore transeundo, ipse tamen largissimè lac bonorum suorum, scilicet bladum & pecuniam, solet sibi ad usuram concedere, & eum ad tempus satiare, & somnum delectationis & complacentiæ in ipso generare. Quia pro certo isti usurarii, etiam plusquam homo indiget, liberaliter tractant, quando sibi bonam hæreditatem sentiunt. Unde Exod. 36. *Plus offert populus, quàm necessarium sit.* Sed quid est? Pro certo dum dormit, id est, dum non advertit, contra eum solet insurgere, & malleum suæ crudelitatis in ipsum invehere, & clavo crudelis punitionis & usurariæ rapacitatis ipsum transfigere, & per exhæredationem ipsum mortuum & depauperatum,& ad terram, id est, ad miseriam confossum & infixum dimittere & abire, Prov. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.* B

Vel dic, quod talis mulier est blandus adulator, vel malus consiliarius seu fautor, qui revera Sisaræ principi militiæ regis Jabin, id est,mundi principibus & superioribus lac pro aqua, id est, dulcedinem adulationis pro veritate offerunt. Et sic dum eos in malis dormire & delectari faciunt, ipsos spiritualiter interficiunt, & clavis diversorum vitiorum transfigunt. Jud. 5. *Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.*

Vel dic,quod talis mulier est Diabolus, vel caro, vel mala mulier, sed de hoc vide supra lib. 12. cap. de aspide. C

Capitulum quintum. Textus. Cecineruntque Debora & Barach filius Abinoem.

Moralitatum Cap. IV.

Debora prophetissa cum Barach ad prælium misisset contra Sisaram procedentem, multi de filiis Israel cum eo non fuerunt, quapropter istos hic in suo carmine reprehendit, & isti fuerunt Ruben, qui inter duos terminos habitans, gregum sibilos audiebat. Galad, qui trans Jordanem quiescebat, & Dan, qui in navibus vacabat, & Aser, qui in portibus morabatur, & in littore maris habitabat. Econtra verò aliqui cum eo ad prælium accesserunt. Et ideo commendatur Isachar, cujus principes fuerunt cum Debora & Zabulon & Nephthalim, qui animas suas dederunt discrimini. Et sicut hic dicitur, *de cœlo dimicatum est pro istis, & stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.*

Sic verè multi sunt hodie, qui cum prophetissa, id est, cum sanctis personis non curant contra Sisaram, id est, contra hostes spirituales pugnare, & potissimè tales sunt quatuor genera personarum. Primus istorum est Ruben, videns per medium, qui significat subtiles Clericos & Advocatos. Qui cum astutè, quid

Digitized by Google

quid sit faciendum, videant, ipsi tamen ad bella contra vitia non properant, sed inter duos terminos, scilicet delitiarum & bonorum habitant, ubi sibilos gregum, id est, verba adulatorum & voces blandas, eorumque favores dominorum majorum libenter audiunt, & auscultant. Unde ipsi possunt dicere de adulatoribus illud Job. *Stetit quidam, cujus non cognoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi aurae lenis audivi.* Adulator enim imago dicitur, quia habet amici similitudinem, non veritatem, cujus licet audimus vocem lenem, & blandam loquacitatem, non propter hoc cognoscimus vultum ejus, id est, interiorem voluntatem. Secundus istorum est Galaad, qui interpretatur cumulus testis, qui significat superbos, qui rectè cumulus testis dicuntur, pro eo quod cumulus & tumor praesumptionis & inflatae elationis suae interiorem superbiam attestantur. Et ibi trans Jordanem, qui interpretatur rivus judicii, dicuntur quiescere, quia se ipsos nesciunt judicare, sed ultra suiipsius veram cognitionem solent quiescere, & manere, cum tamen dicat Apostolus 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Tertius istorum est Dan, qui interpretatur causa, & qui in navibus dicitur vacare, & significat illos, qui in causis & litigiis nec non in navibus, id est, in fluctuosis mundi negotiis se solent plus, quàm deceat, occupare. Unde dicitur, Matth. 14. *Navicula in medio maris jactabatur fluctibus.* Quartus istorum est Aser, qui interpretatur divitiae seu beatus, & significat mundi divites, & in littore maris hujus mundi per affectum manentes, & temporali beatitudine praecteris gaudentes. Unde Abac. 2. *Viam fecisti in mari equis tuis.* Ista igitur quatuor genera personarum, scilicet illi, qui in divitiis ampliantur, isti, qui in litigiis & negotiis occupantur, illi, qui per superbiam inflantur: & isti, qui per vanam sapientiam illustrantur, non curant hodie spiritualiter pugnare, nec contra diabolum aut vitia bellare, nec Delboram seu Barach, id est, sanctos viros, & mulieres properantes ad illud praelium comitari. Eccles. 7. Unde de populo modernae Ecclesiae dicit Scriptura: *Non est qui vadit ad praelium.* Ira enim in eo & super populum ejus. Sed revera ad illud praelium vadunt tria genera personarum bonarum, scilicet Isachar, qui interpretatur Dominum memorans, Nephtalim, qui interpretatur conversatio vel dilatatio, Zabulon, qui interpretatur habitaculum fortitudinis, quia pro certo illi, qui habent Dei memoriam & cognitionem, isti, qui habent charitativam dilatationem, & honestam conversationem, illi, qui habent fortitudinem & mentis roborationem, quales scilicet fuerunt sancti Doctores, Confessores, & Martyres, tales dico contra diabolum praeliantur, & vitas suas discrimini & laboribus exponentes, de coelo & per stellas, id est, à Deo & ab angelis adjuvari merentur. Unde isti sunt illi, de quibus dicitur Baruch. 3. *Ibi fuerunt Gigantes, viri nominati à principio, staturâ magnâ, scientes bellum, &c.*

Capitulum sextum. Textus. Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini.

Moralitatum Cap. V.

PEccantibus filiis Israel tradidit eos Dominus in Manum Madian septem annis, qui quolibet anno cum suis gregibus in terram Israel venientes, sata more locustarum vastabant. Cum igitur Gedeon triticum in torculari virgâ excuteret, apparuit sibi Angelus Domini, promittens, quod in fortitudine sua populum Domini liberaret. Cui cum Gedeon sacrificium, id est, azymos panes, & agni carnes, & jus carnium offerret, Angelus supra petram omnia fundi jussit, quo facto Angelus carnes cum virga tetigit, & statim de petra flamma prorupit, quae sacrificium consumpsit. Angelus vero in flamma ascendit in coelum.

Ista, sequendo B. Gregorium, expone moraliter sic, quod cum quis in torculari cordis cum virga rectae discretionis triticum à paleis, id est, virtutes à vitiis segregat, & prae timore Madianitarum, id est, daemonum, qui cum gregibus tentationum suarum cuncta viridia, id est, cuncta honesta & virtuosa consumunt in homine, in cordis sui latebris se occultat, ut sibi triticum inferiorum affectionum discutiat atque terat, statim solet adesse Angelus, id est, divina revelatio & inspiratio, quae revera promittit Madian, id est, diaboli exercitusque sui separationem, & populi Dei, id est, bonorum animae motuum liberationem. Et ideo quid debet facere talis Gedeon, qui interpretatur circumiens in utero, id est, homo talis se discutiens & circumiens in utero, quando videt talem Angelum sibi astare & inspirare? Revera ad monitionem ejus ipse debet agnum suum, id est, propriam carnem per poenitentiam & contritionem coquere, panes azymos, id est, bona opera sine fermento inanis gloriae facere, & jus carnium, id est, ipsas carnales cogitationes fundere, & haec omnia supra petram, id est, Christum per bonam intentionem & devotionem, & per ipsius imitationem ponere, & omnia ad ipsum mentaliter ordinare. Quod si omnia fecerimus, & jus, & carnes, & panes, id est, cogitationem, delectationem, & bonum opus Deo obtulerimus & decoxerimus, statim flamma spiritus scil. charitatis & dilectionis de petra, id est, de Christo prorumpet, quae hujusmodi sacrificium acceptabit & assumet, & omnia carnalia in nobis exsiccabit, & uret. Et sic Madian diabolus à facie nostra succumbet, & Angelus nostrae devotionis in coelum per contemplationem ascendet. Eccl. 38. *Vapor ignis uret carnes ejus, &c.* Vel dic, quod cum Angelus, id est, Prælatus vel praedicator, virgâ correctionis vel monitionis petram cum carnibus, id est, cor peccatorum durum, petrinum & carnale tangit, in ipso flammam contritionis & dilectionis accendit, quae carnes & jus, id est, carnales cogitationes & actus attenuat, & consumit. Et sic ipsum Gedeonem, id est, peccatorem, Madian, id est, diabolum superare fecit; ipse verò Angelus praedicator vel Prælatus in coelum ascendit, in quantum coeleste meritum hic acquirit.

Vel dic, quod cum Angelus ad literam, vel etiam Christus, petram, id est, cor durum per inspirationem tangit, &c. sicut supra proximè positum, vel vide supra lib. 14. cap. 49. de miraculis ignium.

Dominus Gedeoni promisit, quod per manum ejus filios Israel de Madian liberaret. Quod uti faciliùs crederet & speraret, unum signum mirabile dedit, quia scil. vellus de nocte in area dimisit, rosque de coelo descendens vellus infudit, & area sicca mansit, ita quod expresso vellere concham rore implevit. Econtra verò Gedeon aliud signum petiit, quia vellus siccum esse voluit, cadente coelitus rore totam aream, quae primò sicca fuerat, irrorari popposcit. Quod cum per ordinem factum fuisset, Madianitas fortiter expugnavit. Tale signum nostrae salutis & liberationis Daemonibus, & vitiis, qui Madianitae inquit & contradicentes dicuntur, factum fuit & nobis datum in Christi incarnatione. Vellus enim, quod de carne nascens nescit passiones carnis, Beatam Virginem significat, quae quamvis à carne nata fuerit, carnis tamen passiones & vitia ignoravit, & in carne praeter carnem virginaliter semper vixit. Ista est igitur in area sicca hujus mundi posita, rorem coelestem, id est, Christum concepit, & eo expresso & parturito, & in concha, id est, in corde fidelium per fidem recepto, ista sicca, id est, virgo, sicut ante fuit, permansit. Sicut vellus prius siccum factum est roridum, & secundo signo illud vellus roridum inventum est siccum. Sic verè Maria, quae prius erat virgo, & à carnalitate sicca, facta fuit praegnans & rorida, quia scilicet Christus *descendit in ea sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Psal. 71. Tamen secundariò iterum apparuit virgo integra atque sicca. Et sic etiam factum est, quod area mundi, quae prius sicca fuerat, & gratiâ nuda, virtute siccitatis istius velleris, id est, virtute virginitatis istius matris fuit per gratiam rorida & humectata, quia pro certo ros iste Christus de isto vellere, id est, de utero matris expressus, & in concha Ecclesiae receptus, per aream mundi, id est, per fidem & gratiam est dispersus, & sic totus mundus est spiritualiter madefactus. Unde ipse dicit Oseae, 14. *Ero quasi ros, & Israel,* id est, Beata Virgo *germinabit quasi lilium*, ut etiam de isto signo salutis dicatur illud Isai. 7. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signũ. Ecce virgo concipiet, &c.*

Vel dic aliter, quod per vellus & aream intelliguntur duo genera matrum, scilicet, Maria per vellus, & aliae matres per aream. Sed revera ista sic se habent, quia vellere rorefacto area sicca mansit, hoc est, quod secundùm modum, quo Beata Virgo concepit, nulla alia concipere potuit, sed omnis maternitas quoad hoc, sterilis & sicca fuit, quia secundùm istum modum, *montes Gelboe nec ros nec pluvia veniet super vos.* 2. Reg. 1. Econtra verò, quando area fuit humectata, vellus fuit siccum, quia scilicet secundũ illum modum, quo caeteraè matres concipiunt, sc. per carnalem copulam, Beata Virgo fuit sicca, & ab illo conceptionis genere semper salva, quia secundùm istum carnis modum, sicut scriptum est, *Prohibiti sunt coeli, ne darent rorem suum.* Aggaei 1. Istae ergo duae matres quanquam in roris fusione, id est, conceptione conveniant, in modo tamen concipiendi variantur, & nunquam simul, id est, in simili modo generant, imo alternatim modum partus & seriem in se mutant.

Vel dic, allegoricè aliter, quod vellus significat populum Judaicum, qui in principio per fidem adhaesit Deo. Unde dicitur Hierem. 13. *Sicut adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi domum Israel.* Area autem gentilitatem, quae scilicet ad modum areae totam mundi superficiem continebat. Hierem. 51. *Filia Babylonis quasi area manens sicca.* Quia scilicet proles Judaica primò fuit rore divinae gratiae perfusa, gentilitas verò fuit sterilis & mala. Sed revera modò conversus est ordo, quia scilicet vellus est siccum, & area rorida, in quantum ros, id est, fides & gratia à Judaeis defecit, & gentilibus populis est concessa, & in quantum populus Judaicus siccus, infidelis, & incredulus factus est, fide in Gentibus suscitatâ. Unde dicitur Joan. 9. *Christus ad hoc venit in mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident caeci fiant.*

Vel expone de Clericis & Laicis, quia revera Ecclesiastici, qui more velleris Domino sunt conjuncti, & esse debent molles, humiles, & benigni, solebant esse rore divinae gratiae praecteris madefacti. Area verò, id est, populi saeculares respectu ipsorum erant indevoti, aridi, & duri. Sed verè hodie videmus contrarium. Signum enim istud retroversum est, quia scilicet area magis est rorida, quàm vellus, saeculares devotiores sunt, quàm regulares, laici, quàm clerici, subditi,

Digitized by Google

quàm Prælati, ut compertum est. Unde Gregorius exponens illud 1. Cor. 9. *Qui stat, videat, ne cadat* dicit: *Timendum est, ne nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur.* Quotidie enim fit, sicut sensibiliter videmus, quod boni efficiantur mali, & mali è contrario fiant boni.

Vel dic, quod vellus & area significant animam & carnem, qui pro certo vice versa se habent, quia scilicet quando anima est rore suo, id est, cœlesti gratia & devotione plena, tunc necesse est, quod area, id est, caro rore suo, id est, carnalitate, voluptate, & asperitate sit vacua atque sicca; & econtra quando area, id est, caro, rore suo, id est, carnali & temporali voluptate humectatur, tunc necessariò vellus, id est, anima, rore suo, id est, divinâ gratiâ desiccatur, & in siccitatem suæ indevotionis & incompassionis mutatur. Unde videtur, quod caro, & anima possunt sibi dicere mutuò illud Genes. 13. *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo. Si dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* A Verbum fuit Abrahæ ad Loth, quia revera caro designatur per Loth, qui interpretatur declinans, pro eo, quod quando ista à via virtutum faciliter declinet, & teneat sinistram adversitatis in hac vita, & careat rore prosperitatis, tunc anima ad sinistram vitiorum & tormentorum mutatur, & siccitatem & sterilitatem virtutum sortitur.

Vel dic, quod ista duo signa primum, scilicet, & secundum, significat duo tempora, præsens, scilicet & futurum. Ista etiam duo significant duo genera personarum, vellus roratum divites, area nuda pauperes. Isti igitur sunt, qui contrario modo se habent, quia scilicet vellus, id est, ipsi divites in primo signo, id est, in præsenti tempore, rore prosperitatis & divitiarum sunt pleni, area verò, id est, pauperes ab isto rore sunt sicci, & per bonorum tenuitatem sunt aridi atque macri. Sed verè quando venit secundum signum, id est, tempus futurum, tunc mutabitur ordo rerum, quia sc. area erit rorida, & vellus siccum, id est, pauperes erunt bonis omnibus humectati, mali vero divites omnibus desiccati. Tunc enim qui modò sunt divites, erunt pauperes, illi verò, qui nunc sunt pauperes, erunt divites. Unde dicitur Luc. 1. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Et sic quando Loth pergit in dexteram, Abraham tenet sinistram, & econtra, quia videlicet Loth peccator est nunc in dextra prosperitatis, & econtra Abraham justus in sinistra paupertatis & adversitatis. Econtra verò in alio sæculo erit, ut patet in Evangelio, ubi dicitur, quod illis, qui erunt ad dexteram, dicetur Matth. 25. *Venite, & illis ad sinistram. Ite, &c.*

Capitulum septimum. Textus. Igitur Hierobaal, qui & Gedeon, de nocte consurgens.

Moralitatum Cap. VI.

CUm Gedeon ad prælium contra Madianitas ire decerneret, & ad hoc magnum populum congregaret, noluit Dominus quod haberet præliatores plures, sed paucos & electos. Multus (inquit) B est populus tecum, non tradetur Madian in manus ejus, ne forte glorietur Israel, & dicat; Meis viribus liberatus sum. Præcepit ergo, quod milites sic probaret, quod scilicet omnes ipsos ad aquam duceret, & quod illos, qui flexo poplite aquam inclinati biberent, repudiaret. Illos verò, qui genua flectere non degnarentur, sed manu aquam ad os projectam sicut canes lambendo biberent, eligeret. Sic igitur factum est, quod de decem millibus trecenti solùm fuerant, qui aquam manu, & linguâ biberant, qui cum eo ad prælium inierunt, & Madian devicerunt, alii verò tanquam reprobi ad propria recesserunt.

Gedeon qui interpretatur circumiens in utero, significat Christum, qui scil. in utero virginis novem mensibus circumivit. Ille igitur cum exercitu fidelium contra Madian, id est, contra diabolum præliatur, & maximè ad illud prælium faciendum, universitatem præliatorum, prædicatorum Ecclesiasticorum advocat & hortatur, ita quod ad ipsum jam infiniti confluere inceperunt, sed ad statum perfectionis nunc pauci venire comprobantur. Sed quid? Revera Deus non delectatur in ista multitudine bellatorum, quia sicut dicitur 1. Machab. 4. & 5. *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.* Isa. 9. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Quia pro certo dato, quod Christus multos habeat hodie in Ecclesia bellatores, multos Religiosos, Clericos & Prædicatores, pauci tamen inveniuntur sufficientes ad Madian, scilicet ad diabolum debellandum, & ad ipsum verbis & operibus impugnandum, quia sicut dicitur Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Si igitur bonos à malis, & utiles à vanis dignoscere volueris, oportet respicere, qualiter in aquis scripturarum, lachrymarum & misericordiarum ipsi se habeant, & invenies, quod ad faciendum & implendum illa, quæ prædicant, aquas lachrymarum & pœnitentiæ, compassionis & misericordiæ, solùm cum lingua tangunt, in quantum scripturarum verba libenter, & divinæ legis mandata linguâ prædicant & dicunt, & in quantum de aquis lachrymarum, compassionis & devotionis multa loquuntur & differunt, quinimo etiam, sicut ex eorum verbis videtur, genua cordis & afflictionis suæ ad istas aquas deprimunt & deflectunt. Sed pro certo, si ipsorum manus, id est, opera respicis, tunc invenies, quod ad faciendum vel implendum C illa, quæ prædicant seu dicunt, manum apponere nunquam volunt, & sic nunquam cum manu, sed lingua solùm aquas tangunt. De quibus dicitur Matth. 23. *Dicunt enim & non faciunt.* Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt ea humeris hominum, digito enim suo nolunt ea movere. Quapropter isti omnes à Domino reprobantur, & ad præliandum contra diabolum & vitia indigni & inutiles reputantur. Sed revera aliqui pauci sunt ibi, scilicet trecenti inter decem millia, qui non solùm cum lingua, sed etiam cum manu tangunt hujusmodi aquas, illi, sc. qui non solum prædicando loquuntur, sed etiam, quæ prædicant, manualiter operantur, & ad modum canum, qui non solùm cum lingua, sed etiam opere custodiunt gregem, & pro fidelium custodia, quod verbaliter docent, exemplariter exequuntur. Juxta illud: *Ore locutus es, & opere perfecisti.* Et isti pro certo ad dictum spirituale prælium approbantur, & ipsis mediantibus Madian cum exercitu suo, id est, diabolus cum vitiis superatur.

Vel dic, quod aqua, quâ probantur Christi milites, est mundana prosperitas vel terrena temporalitas, quia scilicet ista temporalia fluunt & refluunt sicut aqua; sed revera mali toto affectu istas aquas appetunt, & genua cordis sui, id est, mentis affectionem ad eas deprimunt & deflectunt. Et ideo isti à divino prælio reprobi sunt, quia in statu Ecclesiæ, ubi est locus spiritualis prælii, indignè remanent, & persistunt. Boni verò econtra genua affectionis & cordis, ad aquas mundi delectationum non deflectunt, sed stantes, & ad cœlestia erecti, lambendo sicut canes, id est, sicut fecerunt sancti Apostoli & prædicatores, solum quod necessarium est, inde sumunt, & propter hoc isti sunt digni & electi, quamvis sint pauci. Ad prælia Christi vadunt, & hostes animæ destruunt, & confundunt, quia nullus Ecclesiasticus, qui ad mundi divitias & delitias genu cordis flectit, dignus est contra vitia præliari, sed solùm ille, qui solum ad necessitatem de istis assumit, ita quod de tali probatione facta in aqua, potest Dominus dicere illud Psalm. 80. *In abscondito tempestatis probavi te apud aquas contradictionis*, id est, apud aquas temporalium, quæ causa sunt contradictionis & litis.

Vel si vis, dic ista ad literam, quod in bellis melius est habere paucos milites, & electos, & bonos, quàm multos incompositos, & indoctos: exemplo Xerxis: de quo dicit Orosius, quod cum infinitam haberet multitudinem, ipsum tamen pauci Spartani devicerunt. Ideo bene dicit Seneca in lib. de moribus. *Non multis placeas, sed qualiter, stude.*

A Gedeone contra Madian cum trecentis electis, qui aquas manu, & lingua lamberant, properante, non legitur eis alia arma contulisse, quam tubas, lagenas vacuas, & lampades. Isti enim de Gedeonis mandato lagenas vacuas, & intra ardentes fregerunt, & tubis clamaverunt, & lampadibus lucentibus hostes taliter terruerunt, quod ipsis fugientibus, eos fortiter devicerint.

Sic verè dico, quod trecenti Christi milites, id est, Ecclesiastici D boni, & fideles, qui sc. trecenti dicuntur, quia fidem Trinitatis credunt, quique aquam manu & lingua tangunt, quia manu operantur, quod dicunt, arma spiritualia contra Madian diabolum debent assumere, si volunt de eo triumphare. Unde Apostolus 2. Cor. 10. *In carne ambulantes non secundùm carnem militamus. Arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia.* Habere igitur debent lagenas terrenas vacuas, id est, corpora sua vacua per abstinentiam ciborum, quæ habeant interiùs lampades ardentes, id est, splendorem virtutum & exemplorum, & etiam miraculorum: habeant tubas, id est, prædicationem & doctrinam divinæ legis & mandatorum, & sic pro certo si lagenas corporum suorum abstinentiâ & pœnitentiâ, vel etiam morte pro Christo fregerint, si splendore bonorum exemplorum emicuerint, si tubas orationis, prædicationis, divinæ laudis, confessionis vel gratiarum actionis personuerint, hostes animæ procul dubio terrebuntur, & ab eorum aspectibus fugabuntur, ut dicatur de sanctis, qui tubis prædicationis corpora sua pœnitentiâ fregerint, & abstinentiâ & ea etiam morti tradiderint seu exposuerint, & tunc post mortem virtutibus & miraculis claruerint, & ideo dæmones terruerint, sicut habetur 2. Reg. 20. *Cecinit tuba, & recesserunt ab urbe*, scilicet dæmones ab Ecclesia vel anima. Et etiam ipsi Tyranni E & Crudeles, qui eos occiderant, vel impugnaverant, visis tantis miraculorum splendoribus, crediderunt. Ista enim fuerunt in Martyribus quinque per ordinem, scilicet tuba, fidei confessio, & prædicatio, postea mors, id est, lagenæ corporum fractio, postea lux, id est, miraculorum corruscatio, postea hostium, id est, Dæmonum fugatio, & Tyrannorum superatio, & ad fidem conversio. Ista enim exposuit sic Stephanus de Longotono, & etiam multi alii doctores. Illi, qui cum Gedeone cum lagenis & tubis ad prælium contra Madian ibant, lagenas in sinistris, tubas verò in dextris portabant. In quo notatur, quod Christi prædicatores de tubis, id est, de prædicationis gratia, quando ipsam se habere vident, & exercere sciunt, multum debent curare, de lagenis verò, id est, de corporibus parum debet eis esse curæ, & inde est, quod tubas in dextera, lagenas verò in sinistra, tanquam illa, de quibus minus curatur, dicebantur tenere. Item si vis die de doctoribus & doctrina.

Hic

Digitized by Google

Hic somniavit quidam, quod panis subcinericius & hordeaceus castra Madian intrabat, & castra, & exercitum destruebat, per quod dictum fuit, Gedeonem significari, qui quanquam subcinericius, id est, vilis & rusticus esset, Madianitas tamen devicit.

Et hoc, si vis, allega, quod quandoque, & in bellis corporalibus, & in factis sæcularibus, nec non in præliis spiritualibus, scilicet in peccatorum, & Dæmonum, & vitiorum impugnationibus, magna & ardua per rusticos & simplices fiunt, quia dato quod sint subcinericii & hordeaci, id est, rudes, simplices, & indocti, & de humili plebe nati, spiritus tamen Domini induit Gedeonem, sicut dicitur Judic. 6. supra, & quandoque majora faciunt, quàm illi, qui genere & scientiâ sunt provecti. Unde Apostolus 2. Corinth. 1. *Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

Capitulum octavum. Textus. Dixeruntque ad eum viri Ephraim. Quid est hoc, quod facere voluisti?

Moralitatum Cap. VII.

Gedeon petiit à populo inaures Jud. 8. Inaures, quas tulerat de præda Madianitarum, de quo fecit Ephod graviter peccans, quia fornicatus est in eo omnis populus Israël. Erat enim indumentum sacerdotale, quo mediante Dominus interrogabatur, cujus usus Levitis & sacerdotibus solummodò concedebatur.

In quo potest notari, quod sæculares, qui Ecclesiastica officia volunt exercere, peccant, dato quod bona intentione illud faciant.

F Vel potest allegari, quod aurum gentilium non debet fieri Ephod Ecclesiasticum, id est, sapiens sæcularis non debet propter mundanam sapientiam fieri Prælatus Ecclesiasticus vel regularis.

Vel potest allegari, contra illos Religiosos, qui sub specie faciendi Ephod, id est, aliquod spirituale, utpote eleemosynam, vel Ecclesiam, vel consimile, accumulant aurum gentilium, exigunt divitias sæcularium, vel rapinas pauperum subditorum. Sed sicut dicitur Eccles. 38. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Et Apostolus Rom. 3. dicitur, *quod non sunt facienda mala, ut veniant bona.*

Capitulum nonum. Textus. Abiit autem Abimelech filius Hierobaal in Sichem.

Moralitatum Cap. VIII.

Hic ponitur, quomodo Abimelech filius spurius Gedeonis factus est rex à viris Sichimitis, qui statim contra fratres suos filios Gedeonis surrexit, & tot de eis super lapidem unum occidit, ita quod unus solummodò remansit, postea verò illosmet, qui ipsum regem fecerant, interfecit, & civitatem eorum combussit, & destruxit. Ipsum tamen finaliter, dum quandam turrim capere niteretur, & ignem imponere moliretur, quædam mulier fragmentum molæ jaciens, in capite percussit, & eum ad mortem vulneratum dejecit, qui mori se sentiens, ne à muliere diceretur occisus, per armigerum interfici se fecit.

G Per istum Abimelech intelligitur Diabolus, qui revera Gedeonis, id est, Dei patris filius spurius, & etiam creatura potest pestifera dici. Ille est enim, qui filios patris sui legitimos, & viros sanctos & justos, qui sunt filii Dei patris, & maxime sanctos Martyres supra lapidem unum, id est, supra Christum, in quem credebant, occidit, & super Sichem, qui interpretatur robur, id est, super mundum, regnum accipit, & ipsos, super quibus regnat, scilicet peccatores & mundanos diversis vitiis interficit, & ipsius mundi civitatem flamma concupiscentiæ succendit, ita quod iste est rex, de quo dicitur Prov. 28. *Regnantibus impiis ruinæ hominum.* Finaliter iste malus rex istam suam civitatem & plebem igne perpetuo in inferno succendet, & sic ipsis, qui illum regem faciunt, præmium triste reddet. Unde Ecclesiast. cap. 10. *Rex insipiens perdet populum suum.* Sed si quæris, quomodo iste malus rex superatur? Ecce continuè enim accidit, quod iste turrim Thebes, id est, arcam mentis nostræ invidiæ & avaritiæ igne succendere molitur, & tunc pro certo non restat nisi quod mulier, quæ est in ista turri, id est, voluntas bene docta fragmen molæ, id est, pondus divini timoris contra eum jaciat, & quod in capite, id est, in principio, dum scilicet est adhuc tentatio in cogitatione, ipsum percutiat, quia vere sic erit, quod victus deficiat atque cadat. Eccles. 1. *Timor enim Domini expellit peccatum.* Si enim ista mulier, scilicet voluntas debitum suum fecerit, & si timor Dei istum repercusserit, statim armiger, id est, Christus aderit, qui ipsum in conspectu nostro prosternet.

Vel dic, quod mulier est Beata Virgo quæ cum lapide, quem emisit, id est, cum Christo lapide angulari, quem peperit, Abimelech Diabolum superavit, & quod armiger, id est, Paulus vel quilibet sanctus sibi quotidie auxilium facit, qui tamen Diabolus fratres suos legitimos, id est, sanctos Patres occiderat, & per magna tempora supra modum regnaverat. Unde Judith. 14. *Quædam mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor regis.*

Vel dic, quod Abimelech significat ambitiosum, qui pro certo statim ut ad regnum, & regimen civitatis, id est, temporalis officii vel Ecclesiæ dignitatem promotus fuerit, hoc primum facere nititur, quod fratres suos legitimos, id est, bonos confratres, & socios destruere, & quantum ad mundi prosperitatem perdere & occidere, impugnare & deponere, & super lapidem suæ crudelitatis, per rapinam & avaritiam bonis eorum acquisitis, conatur. Non sufficit sibi, quod civitatem, id est, Ecclesiam habeat, imo pro certo turrim, id est, aliam aliquam altiorem dignitatem, & pinguius beneficium, seu ditiorem Ecclesiam omnimodè acquirere studet, & ideo cum exercitu omnium amicorum suorum ad acquisitionem ejus laborat, & ignem avaritiæ per oblationem munerum ad ostium turris, id est, pro ingressu istius dignitatis offert H & præsentat. Sed quid? pro certo mala mulier fortunaque turres sæculi dignitatum tenet & regit, ipsumque intrare talem turrim, hoc est, talem dignitatem, aliquando non sinit, imo subitò fragmen molæ, id est, fractionem & pondus mortis, vel etiam pondus infortuniorum, & tribulationum immittit, & eum ad terram detrahit, & prosternit. Cui statim adest armiger suus, Diabolus, sc. qui sibi hactenus faverat & servierat, qui ipsum post percussionem molæ, id est, post mortem corporis gladio æternæ damnationis interficit, & sic antequam attingit ad statum, quem optabat, mediante muliere, mola, & armigero, id est, mediante fortuna, morte & Diabolo destructionem corporis & animæ incurrit. Illud enim est verum, quod ista mulier fortuna, quando videt, quod homo non est contentus statu suo, sed ad majorem incessanter anhelat, molâ tribulationum temporalium, vel molâ mortis infirmitatumque corporalium, aliquando percutit, & ipsum vel temporaliter vel corporaliter prosternit. Armiger autem Diabolus ipsum spiritualiter & æternaliter occidit. Unde breviter de ista muliere, scilicet de fortuna dici potest illud Eccles. 25. *Plaga mortis mulier nequam.* Et ideo alibi monet Deus à tali muliere cavendum, dicens Eccles. 9. *Averte faciem tuam à muliere compta.* Et ideo subditur: *Quia*, inquit, *speciem mulieris admirati multi, reprobi facti sunt.*

Hic ponitur parabola de arboribus volentibus eligere regem, à quorum regimine ficus, vitis, & oliva se excusaverunt, rhamnus vero acceptavit, &c. Vide etiam supra, lib. 12. capit. de rhamno.

Capitulum undecimum. Textus. Fuit itaque in illo tempore A Jephthe Galadites vir fortissimus atque pugnator.

Moralitatum Cap. IX.

Jephte filius Galaad à concubinatus vir fortissimus fuit, quem fratres sui legitimi ejecerunt, sibique talia verba dixerunt: Hæres in domo nostra esse non poteris, quia de adultera natus es. Quo audito Jephthe à fratribus suis fugit, & in Thob habitavit, & congregati sunt ad eum viri inopes & latrones, & quasi principem eum sequebantur. Tandem verò sic factum est, quod filii Amon pugnabant contra Israël, quapropter majores natu de Galaad, Jephthe, quem prius ejecerant, in auxilium suum convocaverunt, & eum principem suum constituerunt. Jephthe igitur vadens ad prælium, Deo vovit, si victoriam sibi daret, quicquid primum de domo sua sibi post victoriam occurreret, eidem immolaret. Isti igitur, obtentâ victoriâ, redeunti, unica filia sua cum tympanis & organis gaudens occurrit, qua visa statim scissis vestibus votum, quod voverat, sibi dixit: Filia mea decepisti me, & ipsa decepta es. Quæ mortis conditionem libenter suscipiens, duos menses plorandi virginitatem suam cum suis sodalibus postulavit. Quibus concessis, id est, expletis, Deo Patri virginem immolavit.

Ista possunt allegari exemplariter ad multa, & primò contra mundanos, qui consanguineos & amicos despiciunt, ipsosque secum hæredes vel bonorum suorum participes esse nolunt. Sed quando ipsis contingit aliqua necessitas, tunc solent ipsos, quos prius contemnebant, libenter recipere & diligere, & maximè quando vident eos temporali prosperitate & fortuna præpollere, juxta illud Prov. 14. *Etiam proximo suo odiosus erit pauper. Amici verò divitum multi.*

Vel potest allegari pro bastardis, quod scilicet illi, qui illegitimo matrimonio procreantur, fiunt aliquando fortes & boni milites, qui etiam virtuosè & strenuè se habent, quod inter amicos & notos honorem & statum merentur & obtinent. Vel potest allegari de juramento, qualiter est observandum, quando est licitum, ex quo vir iste tanto damno servavit illicitum.

Vel exponamus allegoricè de Christo, dicamus itaque, quod B iste Jephthe significat Christum, qui revera quasi ex concubina nascitur, pro eo quod ex Deo patre & virgine matre, quæ erat alterius thori & fori generatus videtur. Istum igitur proprii fratres, scilicet Judæi repudiant, & velut de adulterio natum abominantur, & fugant. Unde dicitur Proverb. 19. *Fratres pauperis hominis oderunt eum.* Inopes verò & latrones, id est, publicani & peccatores ipsum tanquam ducem sequuntur, & fidem ejus recipiunt & affectant. Unde Matth. 19. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Iste igitur, quamvis repudiatus à Judæis tamen contra Amon, id est, Diabolum, princeps & dux filiorum

Digitized by Google

liorum Iſraël, id eſt, fidelium conſtituitur, & pro victoria obtinenda propriam filiam, id eſt, humanitatem Deo patri immolavit, & ipſa pro ſalute humani generis & pro victoria mortem patitur, & Amon & populus ſuus, id eſt, Diabolus & vitia ſuperantur, & filii Iſraël, id eſt, fideles populi liberantur. Unde tunc iſta poteſt dicere illud Matth. 9. *Filia mea modo defuncta eſt.*

Vel dic, quod Jephthe eſt homo, cujus filia eſt propria caro, quam ſcilicet Deo debet vovere & per pœnitentiam Deo immolandam promittere, ut contra Amon, id eſt, contra Diabolum & peccata poſſit obtinere victoriam. Quando igitur contingit, quod homo victoriam contra vitia, vel contra tribulationes habuit, vel quod à Deo donum ſpirituale reportavit, & videt filiam, id eſt, propriam carnem cum tympanis & organis, id eſt, cum delitiis & delectationibus occurrere, & ſibi in via morum obviare: ſtatim pro certo debet dicere & clamare: *Filia mea decepiſti me, & ipſa decepta es.* Decepiſti me, dico, vitia ſuggerendo, ſed tu ipſa decepta es per peccatum, & pœnitentiam promittendo. Iſtam igitur ſtatim debet Deo per pœnitentiam immolare, & ſibi fletum propriæ virginitatis, id eſt, compunctionis & virtutum ſterilitatis injungere, & tandem virginitate ſeu ſterilitate deplorata, debet C eam per charitatem comburere, & per laborum fatigationem & pœnitentiam Deo ſacrificare vel offerre, dicens illud, quod ſupra dictum eſt, decepiſti me filia, ſcilicet mihi occurrendo & contrariando, & cum tuis organis & mundanis lætitiis obviando, tu verò decepta ſis, pœnam debitam ſuſtinendo. Pſalm. 136. Filia *Babylonis, miſera beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuiſti nobis.*

Vel dic, quod filia eſt anima peccatrix, quæ ſcilicet cum inani mundi lætitia tunc videtur applaudere, & feſtum facere Diabolo patri ſuo, qui tamen ex hoc ſibi non parcit, imo ipſam in inferno immolat & occidit. Hier. 31. *Uſquequo delitiis diſſolveris filia vaga?* Hier. 46. iterum: *Confuſa eſt filia Ægypti, &c.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Rurſumque filii Iſraël fecerunt malum in conſpectu Domini.

Moralitatum Cap. X.

QUidam vir nomine Manue, uxorem habuit ſterilem, cui quadam die angelus Domini apparuit, ſibique nuntiavit, quod filium pareret, qui ab utero matris Nazaræus eſſet, & ſuper ejus caput novacula non aſcenderet, nec vinum nec aliquod immundum comederet aut guſtaret, qui etiam populum Iſraël de manibus Philiſtinorum liberaret, & in flamma ſacrificii angelus in cœlum aſcendit. Puer vero natus Samſon appellatus fuit, qui leonem tandem occidit, favum mellis de ore ejus accepit, uxorem alienigenam, ſcilicet Dalilam duxit, portas Gazæ in montem portavit, mille viros cum mandibula aſini interfecit, & tandem plures Philiſtinorum moriens quàm vivens occidit.

Allegoricè per Samſonem, qui interpretatur ſol eorum, intelligitur ſol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter, qui pro certo matri ſuæ, quæ erat ſterilis, id eſt, Virgini fuit per Angelum nuntiatus, & ad literam, quod is Nazaræus, id eſt, ſanctus debeat eſſe, & quod ab omin immundo, id eſt, peccato ſicut ſanctus & mundus haberet ſe cavere, & quod vinum & ſiceram, id eſt, carnis delitias, quæ inebriant, non erat guſtaturus, & quod novaculam, id eſt, adulationes non eſſet admiſſurus, ſed populum ſuum ſanctificaturus, & à Philiſtæis, id eſt, Dæmonibus liberaturus, eidem Matri extitit prænuntiatus, ut patet in verbis Angelicis: *Erit*, inquit, *puer magnus coram Domino.* Luc. 1. *Quod enim naſcetur ex te, ſanctum.* D *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum, &c.* vide ibi. Iſte eſt, qui leonem Diabolum ſuperavit, favum mellis, id eſt, humanum genus, de faucibus, id eſt, de inferno accepit & liberavit, uxorem alienigenam, id eſt, Eccleſiam de gentibus deſponſavit. Segetes Philiſtinorum, id eſt, ſectas infidelium & hæreticorum conſumpſit, & igne veræ fidei inflammavit, & mediante mandibula aſini, id eſt, ipſa ſua humanitate multos ſpirituales inimicos proſtravit, portas civitatis inferni aſportans, frangens, in montem Gazæ, id eſt, Paradiſi aſcendit, & plures hoſtium, id eſt, infidelium moriens quàm vivens ſpiritualiter occidit, in quantum poſt ſuam paſſionem, mortem, mediantibus Apoſtolis & plures quàm ante convertit. Unde dicitur Eccleſ. 48. *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.*

Capitulum decimum quartum. Textus. Deſcéndit ergo Samſon in Thamnata: videnſque ibi mulierem.

Moralitatum Cap. XI.

SAmſon deſcendens in Thamnata Philiſtinorum, vidit ibi mulierem, quæ placuit oculis ejus, ad quam deſponſandam deſcendens, catulum leonis rugientem, & ſævum obvium habuit, & irruente in ſe ſpiritu Domini, leonem manibus, cum omnino careret gladio, laceravit. Poſt aliquos verò dies deſcendens, ut duceret mulierem, quam deſponſaverat, declinavit, ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore ejus erat, & etiam favus mellis, & accipiens comedit, & patri & matri ſuæ partem dedit, & tamen, unde mel habuerat, non oſtendit. Tandem vero convivis nuptiarum problema hoc fecit: *De comedente*, inquit, *cibus, & de forti dulcedo exivit.*

Iſta poſſunt applicari ad Chriſtum. Catulus leonis, ſævus & rugiens, ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini fuit Paulus, qui revera, quando Samſon, id eſt, ſol juſtitiæ Chriſtus uxorem alienigenam, id eſt, Eccleſiam de gentibus per fidem deſponſare voluit, & propter hoc perſonaliter in Thaannata, id eſt, E in mundum deſcendit, catulus leonis ſævus, id eſt, Paulus, ſibi fortiter reſtitit & occurrit, quapropter iſtum ante omnia proſtravit convertendo, & ipſum ſpiritualiter laceravit & occidit, in quantum in ipſo vitam carnalem & vitia interfecit. Quo ſcilicet mortuo, id eſt, mortificato & converſo examen apum, id eſt, laborum ſedulitatem, favum mellis, id eſt, ſcientiæ dulcedinem & fidei ſinceritatem in ore ſuo eloquentiæ & prædicationis invenit, ita quod propriè dicitur, *De comedente exivit cibus, & de forti dulcedo prorupit*, quia ſcilicet iſte, qui ante converſionem Eccleſiam comedebat, & devorabat, ipſam poſt converſionem melle doctrinæ refecit. Unde de iſto exponitur illud Gen. 49. *Benjamin lupus rapax. Mane comedet prædam, & veſpere dividet eſcas.*

Vel ſi vis, iſta dic de Dionyſio vel Auguſtino, vel de quolibet Philoſopho doctore ad fidem converſo.

Vel dic, quod Samſon eſt filius Dei qui pro uxore alienigena, id eſt, pro humanitate vel Eccleſia de gentibus deſponſanda, deſcendens, leonem Diabolum proſtravit, & examen apum, id eſt, Collegium Sanctorum Patrum cum melle devotionis & ſpei, quam in adventu ejus habebant, in ore iſtius leonis, id eſt, in inferno reperit, quos Patri ſuo rediens præſentavit.

Vel dic, de comedente Diabolo vel inferno dulcedo, quam abſorbuerat, tunc exivit. Unde Job. 20. *Divitias, quas devoravit, evomit, & de ventre ejus extrahet eas Deus.*

Vel dic, quod Samſon eſt Religioſus, qui quando vult uxorem, id eſt, gratiam & gloriam accipere, neceſſe habet Patrem & Matrem, id eſt, omnem affectum carnalem dimittere, & à via communi, id eſt, mundi communi vita ad Religionis ſemitam declinare. Quod ſi fecerit, leonem mortuum, id eſt, Chriſtum inveniet, & in ore ejus, id eſt, in verbis ejus mel dulcedinis & conſolationis reperiet, examen etiam apum, id eſt, communitatem bonorum & Sanctorum, Collegas & ſocios habebit, & ſic uxorem iſtam, ſcililet Dei gratiam & gloriam ſibi deſponſabit.

Vel dic, quod quando homo Patre & Matre relictis, & parentibus & mundo ſpretis, ſemitam Religionis ingreditur, leonem ſibi obvium, id eſt, propriam carnem occidere, id eſt, jejuniis macerare tenetur. Quod ſi fecerit, in ore ejus mel inveniet, in F quantum in ſua tribulatione vel pœnitentia dulcedinem & conſolationem perpendet. Vel leo ſignificat ferocitatem alicujus tribulationis. In cujus ore mel invenitur, quando in ipſo tormento divina conſolatio ſentitur. Et ſic ad literam, de comedente cibus, & de forti dulcedo recipitur, ſicut apparet in Martyribus, qui dicebant illud Pſalm. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Vel dic, quod leo ſignificat aliquem divitem Tyrannum, vel Officialem rapacem uſurarium vel crudelem, qui revera, quando à Samſone, id eſt, à Deo per mortem corporalem occiditur, favus mellis, id eſt, divitiarum copia in ore ejus, id eſt, in ſuis ſubditis reperitur, à quo tandem ipſe Samſon, id eſt, Chriſtus in perſona pauperum recreatur. Ut communiter enim tales nunquam proficiunt aliis, niſi quando moriuntur: & tunc ſaltem neceſſe eſt, quod de bonis quæ dimittunt, alii recreentur. Et ſic de comedente cibus exiit, in quantum de iſtis devoratoribus morientibus aliqualis utilitas reportatur, & in quantum multi Clerici pauperes de eorum beneficiis ditantur, & alii de eorum divitiis recreantur. Unde Seneca in proverbiis: *Avarus niſi cum moritur, nihil rectè facit.*

Capitulum decimum quintum. Textus. Poſt aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ.

Moralitatum Cap. XI.

CUm exercitus Philiſtinorum pro ligando Samſone veniſſet, & filii Juda, ut Philiſtæis traderetur, duobus novis funibus eum alligaſſent, irruit in ipſum ſpiritus domini, & diruptis funibus apprehendit mandibulam aſini, quæ in terra jacebat, & occidit cum G ea mille viros, & Philiſtinorum exercitum convertit in fugam, poſt quod maxillam in terram projecit, & cum ſupra modum ſitiret, clamavit ad Deum, ne ſiti inter incircumciſos periret. Tunc Dominus miſertus ei, molarem dentem de mandibula projecta aperuit, & inde in abundantia aqua exivit, quæ ſpiritum ejus refocillavit, & vires defecti corporis reparavit.

Iſtud exponit Gregorius de Chriſto & prædicatoribus. Conſtat enim, quod prædicatores ſunt maxilla aſini; quia, ſcilicet maxilla, quæ

Digitized by Google

quæ eſt pars oris, ipſorum eloquentiam ſignificat, aſinus vero animal oneriferum ipſorum laborem denotat, & quod ipſa jacebat mortua, ipſorum humilitatem & mortificationem deſignat. Pſal. 43. *Propter te mortificamur tota die.* Dico ergo, quod cum Philiſtæi, id eſt, Dæmones Samſonem, id eſt, Chriſtum ligare, ipſiuſque prædicationem & miracula, virtuteſque & opera impedire vellent, filii Juda, id eſt, ipſi Judæi in hoc Philiſtæis, id eſt Dæmonibus conſentientes, ipſum primitus ligaverunt, ejuſque prædicationem impediverunt, duoſque funes, id eſt, tribulationem atque mortem adhibuerunt. Sed verè iſte Samſon, Chriſtus, ſpiritu Domini ſuper eum irruente, iſtos duos funes reſurgendo dirupit, poſtquam maxillam aſini mortui, id eſt, prædicatores eloquentes, patientes & mortificatos accepit, & ipſis mediantibus mille viros, id eſt, multiplices populos Philiſtinorum & infideles ſpiritualiter occidit, & in eis vitam carnalem gladio ſpiritus interfecit, in quantum ipſos ad veritatem fidei convertit. Unde dicitur Prov. 12. *Verte impios, & non erunt.* Tandem verò iſtam maxillam, id eſt, ſanctos prædicatores Apoſtolos in terram projecit, in quantum pro ipſis non curare eſt viſus, & in mortem eos & Tyrannorum executionem tradidit & demiſit. Sed revera cum ſalutem infidelium ſitierit, in iſtis ſic projectis dentem molarem, id eſt, virtutem & potentiam miraculorum aperuit, & ab ipſis fontem aquæ vivæ, id eſt, beneficiorum copiam effluere fecit, quæ ex tunc fidelibus concedere non ceſſavit. Iſta maximè apparuerunt in Paulo, quo mediante multi converſi ſunt, & quo projecto & moriente de dente molari aquæ eloquentiæ ſuæ, ſcientiarum & doctrinæ effluere non ceſſaverunt, quæ Chriſtum ſitibundum in perſona fidelium refecerunt, quia revera aqua doctrinæ, quæ adhuc de iſta maxilla, id eſt, B. Paulo, & Dionyſio, & aliis ſimilibus emanat, Chriſtum ſitientem reficit & confortat, in quantum membra ejus, id eſt, fideles hujuſmodi doctrina recreat ſpiritualiter, & delectat. Unde Zachar. 13. *Erit fons patens domui Jacob, &c.* Iſa. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas.*

Vel dic, quod Samſon ſignificat aliquem Tyrannum impium & protervum, qui cum aliqua maxilla aſini mortui, id eſt, aliqua vili, mala, & iniqua perſona, & humili aſinina ſeu ruſtica plebe nata, utpote aliquo malo Conſiliario vel Ballivo utitur, ad Philiſtæos, id eſt, ad pauperes ſubditos occidendum & damnandum & moleſtandum, ſed pro certo ſæpe fit, quod talis Samſon, id
H eſt talis Princeps ſeu Tyrannus tálem maxillam ſuam, id eſt, talem Ballivum, & Officialem vel Conſiliarium de officio vel ſtatu ſuo deponit, & projicit, & ipſum exhæredat, & depauperat, atque punit, & fontem aquæ vivæ, id eſt, divitiarum copiam apud eum invenit, quâ ſitim avaritiæ ſuæ temperat, dum ipſum ebibit atque rapit. Iſtud enim eſt commune, quod ad hoc tales projiciuntur & deponuntur, ut ab ipſis ſitibundis & avaris Principibus fons divitiarum ſuarum poſtmodum ebibatur. Unde dicitur Job. 5. *Cujus meſſem famelicus comedet, & ipſum rapiet armatus, & bibent alieni divitias ejus, &c.*

Ex eodem capitulo decimo quinto. Textus. Poſt aliquantulum autem temporis.

Moralitatum Cap. XIII.

UXor alienigena, quam duxit Samſon in Thamnata, invito patre, qui ipſum arguerat de hoc, quod dimiſſis filiabus populi ſui uxorem alienigenam accipiebat, ſtatim, poſtquam rediit ad paternam domum, duxit alium virum, ſcilicet, unum de pronubis, de quo Samſon ad ipſam viſitandam iterum veniens, & hœdum ſibi de grege offerens, & cubiculum ejus intrare volens, quoniam à Patre ipſius prohibebatur, ſummè iratus fuit, quaquapropter trecentas vulpes cepit, & ipſas vulpes per caudas ligavit ſimul, & faces ardentes ad caudas eorum accendit, & ipſis per ſegetes Philiſtinorum dimiſſis, eas ſuccendit penitus, & vaſtavit.

Iſtud enim poteſt allegari exemplariter, quod non eſt tutum contrahere aliquam magnam familiaritatem cum alienis, propriis dimiſſis compatriotis & vicinis. Iſti enim facili occaſione hominem dimittunt, & ad alium ſe convertunt, ſicut de ſtipendiariis cernimus continuè. Sicut etiam accidit de quodam Rege Franciæ, qui non propriis hominibus, ſed alienis militibus pecunias dabat, & eos ſibi verbis & promiſſionibus alligabat. Sed cum ſurrexiſſet tribulatio, omnes eum reliquerunt, & inimicis ipſius adhæſerunt, & ſoli compatriotæ, quos priùs contemnere videbatur, ipſum viriliter adjuverunt. Talis igitur uxor, id eſt, talis extraneus amicus, hominem perfectè non diligit, & ad alios faciliter ſe convertit. De quo Eccleſ. 6. *Eſt amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in tempore neceſſitatis.*

A Vel dic, generaliter contra falſos amicos, qui ad modum illius uxoris non diligunt hominem, niſi ſit præſens, id eſt, niſi benefaciendo ſe exhibeat præſentem, quia talis ſtatim vertit dorſum, & ad domum ſuam vel ad alia negotia redit, ipſum obliviſcitur, & cum alio maritatur, id eſt, alium amicum quærere molitur.

Vel dic, contra malas mulieres, quæ revera de abſentibus parum curant, ſed ſtatim alios eligunt ſibi, & procurant.

Vel dic, quod talis uxor alienigena dicitur eſſe Eccleſia Chriſti, quæ uxor de gentibus pro majori parte eſt aſſumpta, & Samſoni Chriſto, per fidem diſponſata. Iſta eſt enim, quæ poſt aſcenſionem & receſſum viri ſui Chriſti ad domum patris, ſcilicet ad Paradiſum, unde in Thamnata, id eſt, in mundum apud gentiles peccatores pro iſta accipienda deſcenderat, parum in amore ejus ſtetit, quin imo potiùs cito alteri viro, ſcilicet, mundo, carni vel diabolo per diverſa vitia ſe tradidit, & iſtius copulam & amorem dimiſit. Quapropter iſte Samſon Chriſtus contra eam indignatus, jam vulpes cum facibus, id eſt, Tyrannos cum crudelitatis ignibus in ejus ſegetes, id eſt, in ejus bona temporalia currere permittit & populum iſtius uxoris ſuæ adulteræ, id eſt, Clericos Philiſtæo poculo utentes, id eſt, poculis & ebrietati vacantes, mediantibus hujuſmodi vulpibus malis ſæcularibus contra eos colligatis, vaſtat, depauperat & confundit. Pſalm. 105. *Tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos.*

Vel ad literam illud poteſt allegari contra Eccleſiaſticos, Schiſmaticos, qui quia *virum ſuum* Chriſtum, quantum ad veram ejus fidem reliquerunt, & diabolo per hæreſes & ſchiſmata adhæſerunt, ergo tradidit eos ipſe Samſon Chriſtus vulpibus, id eſt, hæreticis & falſis doctoribus, facibus malæ doctrinæ eos illuminantibus, & ſegetes virtutum poculorum ſuorum calice exterminantibus. Unde in Cant. 2. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.*

Vel dic, quod prout communiter iſtæ adulteræ Eccleſiæ ſeu ſectæ, & eorum populi univerſi à vulpibus, id eſt, à Tartaris & Paganis infeſtantur, & ſegetes, & bona eorum ab ipſis infidelibus, quibus, ut communiter, ſubjectæ ſunt, deprædantur. Patet in Græcis, qui moleſtantur à Turcis. In Armenicis & Georgianis, qui ſubjiciuntur Parthis. In Ruthenis, qui obediunt Romanis. In Neſtorianis, qui captivi tenentur ab Indis. In Surianis & Jacobinis, qui violenter ſerviunt Ægyptiis. In Nubianis, qui injurias patiuntur ab Æthiopibus convicinis. Ecce ergo, quomodo adultera Chriſti uxor, cum Philiſtæis, id eſt, cum ſuis infidelibus Chriſtianis à vulpibus infeſtatur, & quomodo ab infidelibus ſubjugatur, quia revera, ſicut in Pſalm. 62. dicitur: *Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Econtra autem videmus de uxore legitima, quæ thorum Chriſti non fugit, ſed fidem inviolatam ſervavit, ſcilicet de Romana Eccleſia vel Latina, quam cum populis ſibi ſubjectis nulla vulpes ſeu infidelis ſuppeditat, quin potiùs Ipſa eas quotidie ſubjicit atque calcat, ſicut ad literam videmus de Polonis, Ungaris, Hiſpanis, qui quamvis infideles habeant convicinos, illis tamen non obediunt, ſed divino munere ipſos quotidie ſubjiciunt atque convincunt. B

Vel dic, quod iſta uxor eſt anima, quam Chriſtus fide & gratiâ ſibi copulat, quæ tamen per peccatum alteri viro, ſcilicet, diabolo ſe donat, ita quod dato, quod vir ſuus Samſon, id eſt, Chriſtus fidelium ſol, hœdum ſibi offerat, id eſt, fœtorem ſui peccati ad memoriam reducat, & cubiculum cordis ejus per gratiam intrare cupiat, Pater tamen & Mater uxoris iſtius, id eſt, mundus & caro, introitum iſtum vetant, quo indignatus, vulpibus, id eſt, Dæmonibus & vitiis univerſis, nocendi ſibi & populo ſuo licentiam adminiſtrat.

Vel dic, quod vulpes iſtæ ſunt uſurarii, & alii fraudulenti & C hæretici, & falſi ſocii & amici, quos, ſcilicet, Samſon diabolus per caudas ligat, & eos invicem aſſociat, & faces ardentes avaritiæ eis adminiſtrat, & ſic ſegetes, id eſt, ſubſtantias Philiſtinorum, id eſt, pauperum per iſtos devorat & devaſtat, ut patet ad literam de ſocietatibus uſurariorum, quamvis mali diverſas facies, id eſt, varios nocendi colores habeant, in cauda tamen, id eſt, in fine & intentione illi conveniunt, & ad nocendum Philiſtæis, id eſt, pauperibus ſimul volant, ut etiam patet de Ballivis & Advocatis, qui ignem rapinæ contra ſubditos & pauperes ſimul portant. Unde de talibus ſic ligatis poteſt dici illud Thren. 5. *Propter montem Sion quia diſperiit, vulpes ambulaverunt in eo.*

Vel dic, quod iſtæ vulpes ſunt avari. Unde dicitur Matth. 8. *Vulpes foveas habent.* Iſti igitur in caudis faces habere dicuntur, pro eo, quod circa finem vitæ, quæ in cauda intelligitur, magis ardentes, & ampliùs avari eſſe noſcuntur, & Philiſtæos, id eſt, pauperes & eorum ſegetes, id eſt, eorum temporales ſubſtantias ampliùs comburere & lædere comprobantur. Unde Seneca dicit, quod *cum cætera vitia ſeneſcunt, ſola avaritia juveneſcit.* Unde Apoc. 9. *Aculei erant in caudis eorum.*

Vel dic, quod poſtquam Samſon Chriſtus alienigenam uxorem ſuam aſſumpſit, vulpes, id eſt, aſtutos prædicatores accepit, qualis, ſcilicet, erat Paulus, qui dicebat 2. Cor. 12. *Cum eſſem aſtutus, dolo cœpi vos.* Ipſoſque ſimul per charitatem ligavit, & caudas ad caudas, id eſt, eorum intentiones ſimul junxit, & ſic Philiſtinorum, id eſt, Dæmonum ſegetes, & poſſeſſiones, id eſt, infideles & peccatores igne ſancti ſpiritus & fidei inflammavit, dicens illud Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?*

* * * *
* * *
*

Capi-

Digitized by Google

Capitulum decimum ſextum. Textus. Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem.

Moralitatum Cap. XIV.

D SAmſon in Gazam Philiſtinorum civitatem deſcendens, ad quandam mulierem meretricem intravit, quem ſtatim detinere & occidere Philiſtiim voluerunt. Ipſe verò portas civitatis fregit; & aperuit, & exiens ſecum in montem portavit.

Sic verè cum Chriſtus in civitatem Philiſtinorum, id eſt, in infernum civitatem dæmonum deſcendiſſet, & mulierem meretricem, id eſt, naturam humanam peccatricem ibidem viſitaſſet, Philiſtæi, id eſt, dæmones ipſum ibidem detenere nequiverunt, quia ſcilicet, fractis & apertis januis illius civitatis, in montem Paradiſi receſſit. Pſal. 106. *Qui contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit.*

Samſon amavit mulierem, quæ morabatur in valle Soreth, quæ Dalila vocabatur. Ad quam Philiſtæi venientes, ſuggeſſerunt ei, quod Samſonem deciperet, & ubi eſſet fortitudo ejus, diſceret, ipſumque ipſis traderet, promittentes quod ab iiidem præmium reportaret. Iſtum igitur Dalila primò ſeptem funibus, tandem aliis novioribus ligavit, & poſtea ſeptem crines cum liciatorio in terram infixit. Quæ omnia, cum ipſa clamaret, *Philiſtiim ſuper te Samſon*, faciliter dirupit. Cui tandem finaliter, cum quærere non ceſſaret, fortitudinem in ſuis crinibus eſſe dixit. Hæc igitur Samſonem ſuper genua ſua dormire fecit, & vocato tonſore ſeptem crines ſibi abraſit. Quo facto fortitudo ejus defecit, & Dominus ab eodem receſſit. Nazaræus enim erat Samſon, & novacula ſuper caput ejus non aſcenderat, & ideo ſummam fortitudinem obtinebat. Ubi igitur ſeptem capillos amiſit, fortitudinem etiam perdidit: & in Philiſtinorum manibus uxoris ſuæ fraudulentiâ datus eſt.

Samſon moraliter eſt ſpiritus. Dalila verò quæ interpretatur ſitula, habitans in valle Soreth, quæ interpretatur optima vinea, eſt caro, quæ ſcilicet, delitias ſitire cognoſcitur, & in vinea ebrie-
E tatis habitare, ut communiter delectatur. Quando igitur accidit, quod Samſon, id eſt, ſpiritus, adamat iſtam mulierem meretricem, ſcilicet, carnem propriam, & in ejus conſentit laſciviam, ſtatim adſunt Philiſtæi, id eſt, Dæmones ſuggerentes iſti meretrici, quod ipſum ſuum virum, id eſt, Spiritum decipiat, & quod ad delectationes ſuas ipſum taliter trahat, ut ſpiritualem fortitudinem ſibi tollat. Quibus libenter iſta meretrix obediens ſtatim nititur ipſum ſeptem funibus ligare, id eſt, univerſis malis complacentiis oblectare, tandem ſtudet novos funes, id eſt, novas delectationes & complacentias adhibere, & poſtea crines, id eſt, affectiones & cogitationes ipſius in terra, id eſt, in terrenorum conatur affectione infigere. Quæ tamen omnia Samſon, id eſt, fortis ſpiritus ſolet rumpere, & ſe de malis cogitationibus, delectationibus, & affectionibus faciliter liberare. Pſal. 123. *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Quia pro certo quando cæſaries capillorum, id eſt, multitudo virtutum & donorum in homine perſeverat, tamdiu etiam durat ipſius fortitudo, ita quod nullus funis alicujus malæ concupiſcentiæ vel complacentiæ ipſum tenet aut ligat. Unde Job. 39. *Nunquid ligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo.* Et ideo iſta mulier caro in tantum facit finaliter, quod Samſon, id eſt, ſpiritus conſentiendo in peccato, ſuper genua dormit, & delectatur, & ſic ſeptem crines, id eſt, ſeptem dona ſpiritus ſancti ſibi ſubtrahit & furatur. Quo facto ſtatim Dominus ab eo recedit, & ipſe reſiſtendi fortitudinem perdit, & à Philiſtæis, id eſt, Dæmonibus capitur & ligatur, & ſic uxoris ſuæ meretricis, id eſt, carnis fraudulentiâ decipitur & damnatur. Unde dicitur Eccleſ. 35. *Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulierum.*

Hic habetur, quod poſtquam Samſon mediante mala muliere Dalila fuit cæſarie tonſus, & per conſequens fortitudine privatus, ſtatim Philiſtæi ipſum ceperunt, & captum excœcaverunt, & excœcatum in carcere poſuerunt, & incarceratum molere, & coram ſe ludere fecerunt; ſed tamen poſt hæc factum eſt, quod Samſon à Philiſtæis excœcatus, & qui ipſum excœcaverunt, ſimul in domo ſui convivii ruinâ domicilii factâ ſuper eum, omnes perierunt.

Sic verè quando Samſon, id eſt, aliquis fortis & virtuoſus homo mediante mala muliere, ſcilicet carne propria, cæſariem virtutum, & per conſequens reſiſtendi fortitudinem perdit, ſtatim à Philiſtæis, id eſt, à Dæmonibus per diverſa peccata capitur, & oculis diſcretionis orbatur, & ſic excœcatus, obſtinatus, & hebetatus in carcere malæ conſuetudinis includitur, & tandem molere, id eſt, ad mundi labores & negotia circumire compellitur, & ſic coram Philiſtæis, id eſt, Dæmonibus ipſorum voluntati obediens, ludere, & ludos diverſorum peccatorum facere comprobatur. Finaliter tamen in eorum convivio, ſcilicet in inferno, una cum ipſis moritur & damnatur, & ſic homo per fraudulentiam mulieris, quam amabat, id eſt, propriæ carnis, non ſolum excœcatur, imo etiam vita ſpirituali & æterna privatur Unde dicitur 3. Reg. 12. *Concitavit Achab regem Jezabel uxor ſua, & abominabilis factus eſt.*
F

Hic habes, quod Samſon mediante Dalilæ fraudulentia factus cœcus, dum coram Philiſtæis luderet, à puero, qui ipſum regebat, petiit, quod pauliſper quieſcendo, ipſum ad columnas domus initi permitteret. Quod cum factum eſſet, columnas fortiter concuſſit & totam domum, quæ columnis innitebatur, ſuper ſe & ſuper Philiſtæos, qui ibi convivebant, excuſſit, & ſic ſe ſimul & eos oppreſſit, capillis n. ſuis excreſcentibus fortitudo ejus recreverat, & ideo faciliter columnas concuſſit, & ſic plures moriens quam vivens occidit.

Si vis dic, quod Samſon eſt peccator debilis & cœcus, qui tunc temporis fortis efficitur, quando per pœnitentiam cæſaries virtutum in eo recreſcere comprobatur, quia, ſcilicet homo poſt lapſum magis quàm ante roboratur, ita quod columnas principalium vitiorum concutiens, Philiſtæos, id eſt, Dæmones vincere comprobatur, & ad majorem triumphum poſt caſum reſervatur, Apoſtolus 2. Cor. 12. *Cum enim infirmor, tunc fortis ſum.* Unde de Dalila, quæ excœcavit Samſonem, expoſitum ſupra, lib. 12. de aranea.

Vel ſi vis, applica iſta allegoricè, ad Chriſtum, qui moriendo vicit adverſarium noſtrum diabolum, &c.

Capitulum decimum ſeptimum. Textus. Fuitque eo tempore vir quidem de monte Ephraim.

Moralitatum Cap. XV.

SIcut in multis paſſibus hujus libri ſæpiſſimè replicatur illud verbum: *In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed unuſquiſque faciebat, quod ſibi rectè videbatur.* Et ſubditur in multis locis, quod filii Iſraël Deum dimittebant, & idola adorabant, & ſe diverſis G vitiis implicabant. Hic autem inprimis, 17. & 18. c. fit ſpecialiter mentio de quodam Micha nomine Ephrathæo, qui de pecunia ſua fecit idolum, & in domo ſua conſtituit ſacerdotium, & quendam Levitam fecit ſacerdotem, & poſteà à filiis Dan extitit ſpoliatus. Dic ſimiliter, quod quando in Iſraël, id eſt, Eccleſia vel Patria, vel Collegio, vel clauſtro, Officio, vel Beneficio non eſt Rex, Judex, vel Prælatus, vel Rector, ſed quilibet permittitur facere pro libito voluntatis ſuæ, tunc revera filii Iſraël, id eſt, ſubditi ipſi faciliter Deum obliviſcuntur, & deſerunt, & ad idola, id eſt, ad mundi bona fictitia, appetenda, & adoranda, vel ad idola, id eſt, ad mulieres, & ad luxuriam ſe convertunt, multaque peccata committunt, & faciunt. Regulariter n. eſt verum, quod abſentia Judicis boni, vel Prælati multorum malorum eſt cauſa, & ideo Prælati, vel Superiores non bene faciunt, quando propter defectum proviſionis Officia & Beneficia dimittunt vacare, & quando ipſorum rectores alibi quàm in locis ſuis ſine cauſa permittunt vagari vel vacare, Hier. 6. *Paſcat unuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt.*

Capitulum decimum nonum. Textus. Fuit quidam vir Levites habitans in latere.

Moralitatum Cap. XVI.

FUit vir unus Levites de monte Ephraim habens uxorem de Bethleem, quam ad domum recedentem ſecutus eſt vir ſuus, ut reducere poſſet eam. Cum igitur reduceret eam & juxta Jebus civitatem gentilium die adveſperaſcente tranſiret, ibidem remanere noluit. Sed ad civitatem Gabaa, quæ erat Iſraëlitarum, ſcilicet filiorum Benjamin hoſpitatum tranſivit: ubi tamen malè ſibi ſucceſſit, quia mali viri civitatis illius, uxore ejus nocte taliter ſunt abuſi, quod dum tandem ad virum ſuum rediret, ante hoſpitis januam expiravit. Tandem facinus videns, uxorem ſcilicet ſuam taliter mortuam, ipſam in duodecim partes dividens, per univerſos filios Iſraël miſit, & ad vindictam criminis omnes filios Iſraël contra Gabaa etiam incitavit.

Iſtud allega, quod quandoque eſt tutius ſtare in ſtatu & gradu ſæculari vel inferiori, quàm aſcendere ad majorem, & arduam vitam eligere, & dimittere communem. Iſte enim uxorem ſuam, H id eſt, carnem, ſeu voluntatem ad vitam reducere volens, & ob hoc gentilem civitatem dimittens, atque ad Iſraëliticam civitatem aſcendens, ibidem deluſionem accepit, ab hujus civitatis inhabitatoribus ſummam injuriam incurrit, quia pro certo ſæpe fit, quod homo in ſtatu laicali publico vel communi, non dignatur manere, ſed ad Iſraëliticam, id eſt, ſpiritualem gentem, id eſt, Eccleſiam, vel Religionem nititur aſcendere, & ab inhabitatoribus illius civitatis, ſcilicet Religioſis, tot & tanta ſuſtinet, quod melius ſibi fuiſſet, quod in inferiori ſtatu & gradu manſiſſet. Loth enim nec in Sodomis nec in Segor invenitur peccaſſe, & tamen in monte, in quo ſalvare ſe credidit, legitur cum propriis filiabus inceſtum turpiter commiſiſſe. Sic verè multi ſunt, qui mundum deſerunt, & in monte Religionis ſe ſalvare credunt. Veruntamen tot filios Belial, id eſt, tot hoſtes ſpirituales inveniunt, quot ibi gravius delinquunt. Ideo bene dicitur Eccleſiaſt. 3. *Altiora te ne quæſieris.*

Vel dic, quod iſte Levites ſignificat ſpiritum, & uxor ejus carnem, quæ revera ſpiritus diſciplinam fugiens, libenter redit ad domum patris, id eſt, in mundum ad mundi divitias, & ad ſæculi digni-

Digitized by Google

dignitates & voluptates. Ad hanc igitur quandoque vir ſuus, id eſt, ſpiritus uxorem, id eſt, carnem reducere quærit, & de mundo ad domum gratiæ per pœnitentiam ipſam trahit, ſed revera filii Belial, id eſt, Dæmones quandoque ſibi occurrunt, & eam per diverſa crimina proſternunt, & erga eam abominationem faciunt, & committunt. Sic igitur fit, quod fatigata vitiis, ad virum, ſcilicet, ſpiritum vel ad Chriſtum redire quærit, cui vir ille compatiens mortuam, id eſt, peccatricem invenit, quapropter ipſam per fruſta, id eſt, per diverſas ſatisfactionum partes dividit, & per omnes fines Iſraël, id eſt, ad omnes ſanctos, & ad omnia ſatisfactionis opera ipſam mittit, ut, ſcilicet, quot in ſe habuit carnalia delectamenta, tot de ſe faciat holocauſta, ſicut de Magdalena dicit Greg. juxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei de tormentis.*

Capitulum viceſimum. Textus. Egreſſi itaque ſunt omnes filii Iſraël.

Moralitatum Cap. XVII.

A CUm filii Iſraël eſſent congregati contra Gabaa pro ipſa deſtruenda, & propter crimen adulterii puniendum, de mandato Domini Judas fuit dux eorum. Sed cum plures iviſſent ad bellum contra Gabaa, ſic factum eſt, quod prima vice non leguntur fleviſſe, & victi ſunt, & ſecunda vice fleverunt, & denuo victi ſunt, tertia verò vice ſederunt, fleverunt, & jejunaverunt, & ſacrificaverunt, & tunc vicerunt.

Iſtud ſic exponitur, quod ad hoc quod hoſtes ſpirituales debellare poſſimus, tria ſunt neceſſaria, ſcilicet quod Judas, qui interpretatur confeſſio, præcedat, quod luctus, & contritio ſuccedat, & quod jejunium, & ſatisfactio accedat. Non enim ſufficit Judas ſolus, id eſt, confeſſio: nec luctus ſuperadditus, ſed neceſſe eſt, quod interveniat jejunium & carnis maceratio, feſſio, id eſt, mentis quies, & perſeverans ſtatio, ſacrificium, id eſt, bonorum operum executio, tunc enim ſi omnia illa adſint, civitas Gabaon, id eſt, mala conſcientia deſtruitur, & ab hoſtibus ſpiritualibus triumphatur.

Vel ſecundùm gloſſam Gregorii, ſupponitur, quod iſti, qui volebant alios pro delicto punire, peccatores erant, & ideo quouſque ſe correxiſſent, & delicta ſua aquis lacrymarum laviſſent, alios vincere, vel corrigere non poſſent. Nec ad hoc digni inventi ſunt, quouſque fleverunt, & de propriis criminibus pœnituerunt. Unde dicitur Joan. 8. *Qui ſine peccato eſt, primus in ipſam lapidem mittat.* Unde Greg. idem dicit: *Revocentur ad conſcientiam, ut prius corrigant propria, & tunc reprehendant aliena.*

Moralitatum libri Judicum Finis.

MORALITATUM LIBER OCTAVUS ſuper librum Ruth.

Capitulum primum. Textus. In diebus unius judicis.

Moralitatum Cap. I.

B RUth mulier alienigena viro Iſraëlitico fuit nupta, ſed eo mortuo inter propinquos viri mortui ſermo habitus eſt de Ruth in uxorem accipienda. Unus igitur propinquorum agrum defuncti mariti ipſius Ruth bene poſſidere volebat, ſed uxorem accipere non curabat, quapropter quia unum ſine altero habere non potuit, jure agri & mulieris ceſſit. Quapropter ſecundùm legem ipſa mulier calceamenta ejus ſolvit, & in faciem ejus ſpuit, domus ejus domus diſcalceati dicta fuit, quia ſemen fratris ſui mortui ſuſcitare noluit. Alius autem propinquus Booz nomine, ipſam in uxorem accepit, & ſic agrum defuncti poſſedit.

C Iſta gentilis mulier eſt, de gentibus ſumpta Eccleſia, quæ viro Iſraëlitico Noemi, quæ interpretatur pulchra, id eſt, Chriſto filio Virginis, quæ pulcherrima eſt, & formoſa, extitit deſponſata. Sed revera poſt mortem ipſius viri ſui jam videmus duos propinquos, id eſt, duo genera Prælatorum, de iſta uxore, id eſt, de Eccleſia ducenda, & obtinenda ad invicem diſceptare. Sunt enim quidam mali Prælati, qui bene volunt habere agrum, ſed uxorem non curant, id eſt, qui bene quærunt emolumentum & lucrum, ſed de Eccleſia vel ipſius ſpirituali regimine parum tractant. De quibus dicit Apoſtolus Phil. 2. *Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Et ideo tales, qui magis quærunt temporalia quàm ſpiritualia, ſunt diſcalceandi & conſpuendi, id eſt, calceamentis beneficiorum Eccleſiaſticorum privandi & vituperandi, & alii loco eorum ſubſtituendi. Apoſt. Hebr. 10. *Aufert primum, ut ſequens ſtatuat.* Tales enim, qui ſuſcitare ſemen fratris ſui mortui, ſcilicet Chriſti, id eſt, facere utilitatem animarum ſuarum renuunt, ſed ſolùm temporalia lucra quærunt, repudiari, conſpui & vituperari merentur, & alii ſubſtitui, & ſubrogari jubentur. Alii autem ſunt boni Prælati ſignati Booz, qui interpretatur, in quo virtus, ſeu in quo fortitudo, quia, ſcilicet, iſti primò uxorem, id eſt, Eccleſiam quærunt, & ſecundariò agrum, id eſt, temporale commodum habere volunt, & ſic utrumque habere digni ſunt, quapropter uxorem iſtam recipiunt atque ducunt. Dignum enim eſt, quod illi, qui principaliter quærunt ſpiritualia, habeant ſecundariò temporalia & terrena, & quod qui ſemen fratris ſui, id eſt, Chriſti, prædicando, & peccatores convertendo ſuſcitant, etiam agrum, id eſt, temporalium ſubventionum, vel etiam agrum, id eſt, beneficiorum proviſionem habeant, & acquirant. Apoſtolus 1. Corinth. 9. *Si ſpiritualia ſeminavimus vobis, non magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.*

Moralitatum libri Ruth. Finis.

MORALITATUM LIBER NONUS ſuper librum primum Regum.

Capitulum primum. Textus. Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim.

Moralitatum Cap. I.

FUit vir quidam de Ramathaim Sophim Helcana nomine, qui habuit duas uxores, Annam, ſcilicet, & Phenennam, quarum una erat ſterilis, ſcilicet, Anna, Phenenna autem fœcunda, & iſta fœcunda ſterili improperabat, quapropter iſta Anna triſtis & flebilis prolem à Domino petebat, & primogenitum ſuum, ſi maſculus eſſet, offerre Domino promittebat. Sic igitur factum eſt, quod iſta priùs ſterilis peperit, & poſt hoc multos filios parturivit. Illa verò æmula, quæ fœcunda fuerat, ſterilis facta fuit, ſicut infra dicitur. 3. Reg. 2. *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.*

Helcana, qui interpretatur poſſeſſio, eſt Chriſtus filius Dei patris, qui vir unus pro eo dicitur, quod unus Deus in natura duplici, unus Chriſtus cenſetur, & creditur, de Ramatha etiam, quod excelſum interpretatur, dicitur eſſe, pro eo, quod iſte de excelſo cœlorum habitaculo noſcitur adveniſſe. Unde ipſe dicit Joan. 8. *Ego de ſurſum ſum.* Unde in Deut. 33. *Habitaculum ejus ſurſum.* Iſte igitur in hoc mundo duas habuit uxores, id eſt, duas ſectas fidem tenentes, & confitentes, & per fidem, & gratiam ipſius matrimonium affectantes. Prima fuit Synagoga, quæ in principio non fuit ſterilis, ſed multorum ſanctorum genitrix atque mater. Secunda fuit Eccleſia de gentibus, quæ, ſcilicet, ante ſui converſionem ſterilis erat, & nullum virum ſanctum penitus generabat. Synagoga igitur dicta eſt Phenenna, quæ interpretatur converſio, quia iſta finaliter converſa eſt in arcum pravum. Eccleſia verò dicitur Anna, quæ interpretatur gratia Salvatoris, quæ eſt in tempore gratiæ, quia, ſcilicet iſta meruit gratiam Salvatoris. Quid igitur dicam? Pro certo dicam, quod iſta prima uxor, quæ primò fœcunda virtutibus & ſanctis hominibus erat, & quæ ſociæ ſuæ, id eſt gentilitati primitus tanquam vili peccatrici & ſterili illudebat, facta eſt modò peccatrix & ſterilis. Unde Iſa. 47. *Venerunt tibi duo hæc ſimul, ſterilitas & viduitas.* Gentilitas verò, poſtquam per pœnitentiam flens, & lugens ad fidem fuit converſa, facta eſt fertilis, & bonis perſonis & virtutibus & meritis abundans, copioſa & pinguis. Unde ipſa eſt, quæ poteſt dicere illud Apoc. 18. *Sedeo ut regina, & vidua non ſum, & ſterilitatem ignorabo.*

Vel dic, quod duæ uxores Chriſti ſunt duæ ſectæ Clericorum, & Laicorum. Prima igitur vita Eccleſiaſtica primò fuit virtutibus abundans, & fertilis, ſed pro certo modò facta eſt ſterilis, & inanis. Econtra verò ſæcularium vita modò eſt in virtutibus fertilior, quæ antiquitus fuit ſterilior, quia ut communiter plures inveniuntur, cæteris paribus, boni ſæculares, quàm boni Eccleſiaſtici vel boni Regulares. Unde Gregor. dicebat in perſona Eccleſiaſticorum: *Timendum eſt, ne nobis cadentibus ſurgat, qui nobis ſtantibus irridetur.*

Vel dic, quod iſtæ duæ uxores ſignificant duo genera perſonarum, ſcilicet, quoſdam fructuoſos, & fertiles, de ſua tamen virtute præſumentes, & aliis irridentes, qualis fuit Phariſæus ille, qui ſeipſum commendabat, & Publicanum condemnabat. Item alios ſteriles & peccatores, flentes tamen & pœnitentes, & de ſterilitate ſua dolentes, & pro partu bonorum operum Deum exorantes, & ſpiritum contribulatum ſacrificantes. Iſta eſt ergo veritas, quod tales præſumptuoſi faciliter in peccatum cadunt, & ita ſteriles ſunt, flebiles verò & pœnitentes à vitiis reſurgunt, & ſic fructuoſi & virtuoſi exiſtunt. Allega illud Gregor. ſupra dictum.

Vel dic, quod Helcana eſt Prælatus, qui dicitur vir à virtute, unus à ſimplicitate, de Ramatha à vitæ & ſcientiæ ſublimitate, cujus, ſcilicet, duplex eſt uxor, ſcil. vita activa & contemplativa, &c.

Vel dic, quod Anna ſterilis, eſt Beata Virgo, quæ Samuelem, id eſt, Chriſtum miraculosè peperit, quem ablactatum in templo obtulit, qui etiam tandem magnus Propheta factus fuit in Iſrael. Vel dic, quod Anna, quæ non prius Samuelem Domino reddidit, ſeu etiam in templo obtulit, quouſque ablactatus fuit, ſicut dicitur hic, eſt Eccleſia, quæ Samuelem, id eſt quemcunque ſubditum non

debet

Digitized by Google

debet ad ministrandum in templo, id est, in aliqua Prælaturâ vel Officio adducere, vel præficere, quousque ipsum ablactatum, id est, à lacte voluptatis carnalis abstractum viderit esse. Unde Comestor videtur innuere super Genesi 21. ubi de ablactatione Isaac loquitur: ubi & Abraham convivium fecisse legitur, quod puer non priùs ad mensam Patris sedebat, quousque ablactatus erat, & tunc sibi convivium parabatur, & ad mensam Patris admittebatur, ad denotandum, quod nullus ad mensam Patris Christi, id est, ad beneficia Ecclesiastica debet admitti, donec à lacte carnalitatis contigerit ipsum ablactari. Quia, sicut dicit Apostolus Hebr. 5. F *Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonum justitiæ.*

Vel dic, quod lac significat verba adulatoris, à quo pro certo summè debet ablactari, & recedere, qui in templo Domini vult vivere, vel manere, & ibi in aliquo Officio vel beneficio ministrare, vel in mensa Ecclesiasticæ dignitatis accumbere, vel sedere. Unde dicitur Genes. 21. *Crevit puer & ablactatus est, &c.*

Capitulum secundum. Textus. Exultavit cor meum in Domino.

Moralitatum Cap. II.

HEli sacerdos habebat duos filios pestiferos, scilicet Ophni & Phinees, qui in templo in sacerdotis Officio ministrabant, & tamen Dominum nesciebant, & sacerdotis Officium ignorabant, qui cum mulieribus dormiebant, & cum fuscinula carnes coctas de sacrificantium lebetibus capiebant, & nihilominus carnes crudas ab ipsis petebant, & ipsos ad dandum etiam compellebant, & sic populum à sacrificio retrahebant. Quæ quamvis sciret Heli Pater eorum, ipsos tamen propter hoc non castigavit, nec ab Officio amovit. Et quamvis verbis ipsos legatur reprehendisse, ipsos tamen actualiter non correxit, quapropter ipse Pater & filii una die perierunt, quia, scilicet Pater senex & cœcutiens, de sella cecidit, & confractis cervicibus expiravit, duo verò filii ejus in prælio ceciderunt: quando arca Domini, quam portabant, à Philistinis capta fuit.

Iste Heli, qui interpretatur extraneus à Domino, de quo dictum est: *Erat senex, & cœcutiens*, & tamen summus sacerdos, significat malos Superiores, Dominos, & Prælatos. Isti enim à Domino sunt extranei, & senes, id est, negligentes & pigri, & per ignorantiam cœcutientes & obscuri. Filii istius significant malos inferiores Ecclesiasticos, ad ministrandum in Tabernaculo Ecclesiæ constitutos. Isti enim dicuntur Ophni, quod interpretatur insania conversionis, & Phinees, qui interpretatur oris obturatio, quia, scilicet, isti hodie habent cor insanum, & in concupiscentiis effrænatum, & os ad Deum laudandum mutum, & obturatum Isa. 56. *Universi canes muti, non valentes latrare.* Et breviter isti sunt, qui Dominum videntur nescire, & officium sacerdotis videntur penitus ignorare. Hier. 2. *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus, & tenentes legem nescierunt me.* G Et istud patet, quia isti cum mulieribus luxuriosè dormiunt, cibos alienos per avaritiam rapiunt, & cum fuscinula rapinæ illud, quod ad se non pertinet, elevant, & tollunt violenter. Unde Job. 24. *Agrum suum non demetunt, &c.* Carnes etiam crudas, id est, malas mulieres habere volunt, nec non etiam carnes crudas, id est, personas juvenes, & carnales secum habere eligunt, coctas verò, id est, eruditas & maturas repudiant, & dimittunt. Exemplo Roboam, qui rejectis senibus juvenes est secutus. Et sic suis malis scandalis sæculares à sacrificando, id est, à collatione bonorum temporalium in Ecclesias impediunt, & etiam eos à sacrificio bonorum operum suis malis exemplis repellunt. Unde B. Gregorius dicit in pastorali: *Nemo amplius in Ecclesia nocet, quàm qui perverse agens ordinem sanctitatis habet.* Heli igitur, id est, Superior, istos non castigat, sed quia sunt nepotuli, vel amici ejus, vitia eorum dissimulat, quapropter omnes simul mors æternæ damnationis abripit, & divinum judicium eos damnat, quia revera non solùm ille, qui peccat, puniri meretur, imo etiam Prælatus, vel Pater, vel quicunque alius ad quem spectat correctio, si non correxit, reus criminis indicatur; propter talium enim culpam arca testamenti, quam portabant, id est, Ecclesiasticus minister à Philistæis, id est, à gentibus & sæcularibus capitur, & deprimitur, ipsi verò, qui delinquunt, & Pater eorum, id est, Superior, qui non punit, casu mortis æternæ damnatur. Unde Augustinus ad Macedonium epist. 44. *Sicut semper est misericorditer puniendum, ita nec semper crudeliter parcendum.*

Capitulum tertium. Textus. Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli.

Moralitatum Cap. III.

SEnuerat Heli sacerdos, & caligaverunt oculi ejus in tantum, quod non poterat videre lucernam Domini, antequam extingueretur.

H Quamvis istud posset intelligi literaliter, quod, scilicet, iste erat cœcutiens, quod non poterat videre lucernam Domini, etiam antequam extingueretur; superficialiter tamen videtur textus dicere, quod ipse melius videbat lucernam extinctam, quàm accensam, quod etiam possibile fuit propter visus debilitatem, sicut patet in noctua, quæ non potest videre lumen solare, sed lunare. Igitur dicam mysticè, quod iste Heli, qui interpretatur extraneus à Domino, potest significare malos Principes mundi, & Prælatos, qui à Domino sunt remoti, quia revera oculi, scilicet, judicii talium Principum & Prælatorum, ita hodie per carnalem affectionem à Domino per gratiam sunt remoti; & non vident bonos, in tantum, quod valet dici, quod eorum oculi caligant, ita quod lucernas ardentes, id est, bonas & honestas, id est, scientificas personas non considerant, neque vident, Lucernas verò extinctas, id est, ignaras & insufficientes personas, scilicet, nepotulos & familiares suos solent misericorditer videre, & de earum promotione subtiliter cogitare. Lumen enim clarum, id est, bonarum personarum claritas videtur talibus odiosa, lumen verò lunare, vel obscurum, id est, conditio insufficientium personarum, talibus est amabilis, & accepta: unde de tali visu potest dici illud Exod. 14. *Filii Israel viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.*

Vel dic, quod lucerna accensa significat Christum vivum, lucerna verò extincta significat Christum mortuum. Lucerna verò dicitur quasi lux in testa, quia, scilicet, Christus habuit lucem divitatis in testa humanitatis. Lucerna igitur extincta significat Christum mortuum: Heli significat populum Judaicum, & sacerdotum, & Pharisæorum statum, qui revera fuerunt cœcutientes & parum discretè videntes, quia pro certo, quamdiu lucerna nostra Christus fuit accensus, & vivus, ipsum videre aut agnoscere nequiverunt. Unde Joan. 1. *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* A Tandem verò ipso extincto, id est, mortuo, scilicet, visis miraculis in passione factis, & tandem per manus Apostolorum perpetratis, inceperunt ipsum videre, & in ipsum credere, virtutem suæ fidei agnoscere, & sentire, sicut apparuit in illo Centurione: qui videns eclipsim Solis & alia mirabilia passionis, dixit: *Verè filius Dei erat iste.* Ista etiam ad Sanctos & Martyres applicari possunt, quorum virtutem & sanctitatem, dum viverent, populi cognoscere nequiverunt. Unde dicitur Luc. 24. *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Post mortem verò eorum apparentibus miraculis fuerunt visi & cogniti, & etiam per fidem & devotionem conspecti.

Capitulum quartum. Textus. Et factum est, in diebus illis convenerunt Philistiim.

Moralitatum Cap. IV.

CUm arca testamenti sub Heli summo sacerdote cœcutiente & caligante, ab Ophni & Phinees malis ipsius filiis regeretur, & ut salvarent populum, in prælium contra Philistæos duceretur, ab ipsis Philistæis infidelibus fuit capta, & in eorum jurisdictione in Azotum adducta, & in loco Dagon ipsorum Dei fuit in templo juxta eum constituta. Sicque factum est, sicut dicitur in cap. sequenti, quod virtute arcæ idolon Dagon cecidit, & pronum de mane ante arcam repertum fuit, & iterum revera altero mane super limen ostii templi truncatum capite & manibus jacens apparuit.

Istud exponunt aliqui sic: per arcam testamenti intelligitur Lex Divina, seu etiam Fides Catholica. Per Heli verò & filios Israël, intelligitur populus Judaicus. Per Philistæos verò intelligitur populus gentilis, cui Dagon, qui interpretatur piscis tristitiæ, id est, diabolus, erat Dominus atque Deus. Ista ergo fuit veritas, quod cum bellum & controversia fuit semper inter Israël & Philistæos, id est, inter Judæos & gentiles: ita quod ipsi Judæi in arca testamenti, id est, in lege & fide gloriarentur, & ejus virtute se esse salvandos & liberandos opinarentur, nutu factum est, quod ista arca, scilicet, lex & fides ad Philistæos, id est, gentiles transivit, in quantum, scilicet, isti fidem Christi, quam Judæi abnegaverant, susceperunt, & in loco Dei sui posuerunt, in quantum loco suæ perfidiæ Fidem Catholicam habuerunt, & in Christum, loco Dagon, id est, loco diaboli crediderunt. Dagon n. diabolus tunc apud gentes, id est, apud Ecclesiam sumptam de gentibus, occubuit, quando arca testamenti, quæ est Fides Catholica, ad ipsos translata fuit. Et dato quandoque, quod etiam cultus idolorum interpolatis temporibus apud Christianos est restitutus, sicut apparuit sub Juliano Imperatore, finaliter tamen, stante arca, & perseverante Fide Catholica, apud eos fractus est, & penitus destitutus Dagon, id est, diabolus, capite, id est, intentione, & manibus, id est, idololatriæ operatione privatus, Isa. 19. *Dominus ingredietur Ægyptum, & movebuntur simulacra ejus.* B

Vel dic, quod arca est Ecclesia, quæ revera tunc temporis à Philistæis capitur, id est, à sæcularibus deprimitur, & à Tyrannis & Principibus affligitur, quando ab Heli sene, & cœcutiente, qui lucernam extinctam videt meliùs quàm accensam, regitur, id est, quando à Prælato sene, negligente, cœcutiente & ignorante, affectuque etiam malos meliùs quàm bonos videnti & promovente, guber-

Digitized by Google

gubernatur,& quando à malis ſuis filiis, id eſt, à malis Sacerdotibus & Clericis,& aliis Eccleſiæ ſubditis conducitur & tractatur,quia revera credo,quod nulla eſt hodie cauſa,quare Eccleſia à Tyrannis & Sæcularibus opprimitur, niſi quia Heli & filii ſui, id eſt, Prælati, & ſubditi Eccleſiaſtici ergà Deum delinquere comprobantur. Et ſi vis, de iſtis malis filiis, & de iſto malo patre ſuo, qui non corrigebat illos,pone illud, quod ſupra eſt pontum c. 2. Et allega de preſſione Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum Pſal. 105. *Tradidit eos in manus gentium,& dominati ſunt eis,qui oderunt eos.*

Vel dic,quod Dagon,id eſt,diabolus ſedens in templo honorificè juxta arcam,ſignificat malum Eccleſiaſticum vel Prælatum, qui, ſc. in templo Eccleſiæ ad aliquod altum beneficium erigitur, & ibi honoratur,& juxta arcam colitur,id eſt, juxta Chriſtum & Sanctos in Eccleſia commoratur. Tales ergo dicuntur idolum Dagon, qui interpretatur piſcis inutilis, piſcis iniquus, piſcis mœroris. Quia verè iſti propriè ſunt idolum propter fictionem hypocriticam. Apoſtolus 1. Cor. 8. *Idolum nihil eſt.* Sunt piſces propter carnalitatis remollitionem Abac. 1. *Facies hominis ſicut piſces maris,& quaſi reptile non habens Principem.* Sunt piſces inutiles, propter omnimodam imperfectionem. Sunt piſces mœroris, propter triſtitiam, & detractionem. Sunt piſces iniqui, propter injuſtitiam & æquitatis ſuffocationem,& propter rapinam, crudelitatem & exactionem. Unde Jon. 2. *Præparavit Deus piſcem grandem,ut deglutiret Jonam,* Id eſt, pauperem. Iſti ergo ſunt, qui inveniuntur hodiè ad terram,id eſt,ad bona terrena per avaritiam cecidiſſe, & caput rectæ intentionis, neç non & manus bonæ operationis penitùs perdidiſſe. Juxta illud Judith. 14. *Ecce Holofernes jacet in terra, & caput ejus in eo non eſt.*

Vel dic, quod arca teſtamenti nunquam patitur Dagon juxta ſe, quia revera Chriſtus nunquam poteſt pati juxta ſe in templo vel in ſtatu,gradu,vel prælatura idolum Dagon, id eſt, malum Eccleſiaſticum vel Prælatum. Dic de Dagon,ſicut ſupra immediatè. Neceſſe enim eſt, quod per infortunium à ſtatu ſuo cadat, vel quod poſt per apoſtaſiam à religione recedat,vel etiam quod per mortem corruat,& ſuccumbat. Quinimò nos videmus, quod, dato, quod iſti quandoquè à ſuis caſibus elevantur, & per adjutorium amicorum ad gradum priſtinum reſtituuntur. Sap. 13. *Imago enim ejus eſt, & opus eſt illi adjutorium:* ipſi tamen finaliter decidant, & quod per infortunia,vel per mortem à loco iſto ſublimi deſtituantur,& à conſortio arcæ finaliter deponantur,quia breviter nullum idolum,id eſt, nullus fictus poteſt diu juxta arcam, id eſt, Chriſtum in ſtatu Religionis vel Eccleſiæ perſiſtere, quin imò neceſſe eſt ipſum citò à tali ficta perfectione,vel à tali obtenta prælatione deficere, & cadere,& ipſius nequitiam apparere. Et iterum *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Et Seneca dicit ſic: *Nihil quod ſimulatum eſt,& fictum poteſt eſſe diuturnum.* Unde Iſa. 19. *Dominus ingredietur Ægyptum, & corruent ſimulachra ejus.* Unde etiam dicit Seneca in lib. de moribus, quod *bonæ honeſtatis nunquam eſt longa ſimulatio.* Vel dic,quod Dagon juxta arcam eſt in templo, quando in corde noſtro eſt avaritia juxta ſcientiam, inanis gloria juxta bonam operationem, ſæcularis negotiatio juxta Religionem,diabolus juxta animam, peccatum juxta conſcientiam. Iſta n. in ſimul ſtare non poſſunt, quinimò ſi arca ſtat,i.e.bonum in corde perſeverat, neceſſe eſt Dagon, id eſt,vitium cadere,& ceſſare. Fatui ſunt igitur quidam Religioſi, & Clerici, qui ſervire Deo, & mundo volunt, & ſacram ſcripturam ad lucrum temporale convertunt, & bona opera ad mundi gloriam faciunt,& ſic diverſimodè Dagon juxta arcam, diabolum juxta Chriſtum,malum juxta bonum,idololatriam,hæreſim,vel ſortilegium juxta fidem,juxta delitias pœnitentiæ crucem, *ſcientias* civiles juxta Theologiam,vitium juxta virtutem ponunt, & tamen conſtat, quod iſta ſimul habitare non poſſunt, & Dominus conqueritur per Iſa. 57. dicens, *Juxta me diſco operuiſti te, & ſuſcepiſti adulterum, pepegiſti cum eis fœdus.* Et iterum Iſa. 28. *Coanguſtatum ſtratum ita ut alter decidat; & pallium breve utrumque operire non poteſt.*

Capitulum quintum. Textus. Philiſtiim autem tulerunt arcam Dei, & aſportaverunt.

Moralitatum Cap. V.

POſt Dagon juxta arcam depoſitum, & capite & manibus detruncatum, ut ſupra viſum eſt, Philiſtæi arcam Domini detinebant, & tamen ipſam habere (cum eſſent idololatræ) nullatenùs digni erant; percuſſit ergo eos Dominus in poſteriora, ita quod oportuit, ut pelliceas facerent ſibi ſedes, eruperunt etiam mures inter eos in maxima quantitate,ita ut ebullirent villæ & agri in medio regionis, & quocunque arca ducebatur,populus graviſſimâ plagâ percutiebatur.

Iſtud poteſt allegari, quod gentiles, i. e. indigni peccatores non debent ſancta Dei Sacramenta, vel etiam Eccleſiaſtica beneficia detinere. Seu etiam contra Sæculares, quod non debent decimas, vel Eccleſiarum poſſeſſiones & jura tangere, nec ipſa apud ſe poſſidere, ſeu potiùs ipſa filiis Iſrael, id eſt, Eccleſiaſticis remittere, & etiam bonis perſonis & ſufficientibus aſſignare. Tales igitur detentores arcæ,& decimarum, & Eccleſiæ jurium, & etiam beneficiorum Eccleſiæ duplici malo percutiuntur, ſcilic. malo culpæ,& malo pœnæ. Malo dico culpæ: quia circa poſteriora putreſcunt,quod facit peccarum luxuriæ,quo inficiuntur,& per quod gratiâ & famâ privantur Pſalm. 77. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora,* E *& opprobrium ſempiternum dedit illis.* Malo etiam pœnæ, quia mures,id eſt,raptores, Tyranni,& Principes ſæculares,mali etiam Prælati vel Officiales contra iſtos debacchantur, & apud eos, quamdiu Eccleſiæ jura, vel beneficia injuſtè retinent, ebullire noſcuntur,à quibus quaſi omnes talium ſubſtantiæ devorantur, unde dicitur 2. Mach. 1. *Antiochus enim ebullire fecit de Perſia eos, qui pugnaverunt contra nos.* Sicut ad literam videmus de ruſticis, qui injuſtè decimas & jura Eccleſiæ detinent, quos tandem Officiales & Principes depauperant, atque gravant, unde Judith. 14. *Egreſſi mures de cavernis ſuis auſi ſunt ad prælium nos vocare.* Bene ergo ſequitur, quod quia percuſſi ſunt in poſteriora, & quia luxurioſi facti ſunt, & immundi, ideò ſedes pelliceas ſibi faciunt,quia,ſcilicet, viri carnales molliter & ſuaviter ſedere, & vivere ſemper quærunt. Unde Ezech. 23. *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt antè te.*

Vel dic, quod talis arca vocatur terra ſancta, quæ ſuos poſſeſſores & detentores indignos,ſc. tam Judæos,quàm Chriſtianos,quando peccabant,flagellabat,& ſe ab eorum manibus ſubtrahebat: unde Num. 13. *Terra,quam videmus,devorat habitatores ſuos.*

Cum quinque civitates Philiſtinorum à Deo propter arcæ detentionem plagâ ignominioſâ circa poſteriora fuiſſent ſic percuſſæ, & per mures etiam quàm plurimùm infeſtatæ, illud remedium invenerunt, quod ſcil. arcam Domini non vacuam remitterent, ſed quod quinque anos aureos & totidem mures ſibi darent, quod cum feciſſent,plagæ hujuſmodi ceſſaverunt; uti habetur c. 6.

Sic verè,quando peccatores quinque civitatum,i.e.quinque concupiſcentiis ſubditi volunt placare arcam fœderis,i.e. Deum, neceſſe eſt,quod quinque anos & quinque mures,i.e. corporum ſenſus in aurum convertant, & de corporalibus ſpirituales faciant, & quod per pœnitentiam ipſa Deo offerant. Quinque enim ſenſus animi dicuntur & mures, pro eo quod vitiorum fæces in ipſis reperiuntur, & quia mens & conſcientia ab iſtorum concupiſcentiis, ſicut à muribus corroduntur, ideo iſta aurea & ſancta domino offeramus, & ſic plagam vitiorum & tormentorum ſalubriter evademus.

Hic habes,quod Philiſtæi percuſſi & tribulati dicebant: *Non maneat arca Dei apud nos,quoniam dura eſt manus ejus apud nos,& ſuper nos.*

Iſta videtur vox quorundam peccatorum: qui, ſcil. arcam Dei Iſrael,id eſt,bonum Prælatum, vel quemlibet virum ſanctum, prædicatorem,vel correctorem ſeverum nolunt apud ſe manere, quando ſe vident per ipſum corrigi, & juxta demerita ſuſtinere, unde in Prov. 15. *Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit.* Iſtud dic contra quoſdam nautas,& eorum ſimiles,de quibus audivi,quod inſurgente tempeſtate,duos Religioſos, quos habuerunt in navi, voluerunt F in mare projicere, dicentes, quod dæmones ſolent magis bonos quàm malos impugnare, & quod propter illorum Religioſorum odium credebant naufragium imminere.

Capitulum ſextum. Textus. Fuit ergo arca Domini in regione Philiſtinorum ſeptem menſibus.

Moralitatum Cap. VI.

HIc habemus, quod Philiſtini tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos,junxerunt ad plauſtrum novum, ſupra quod arca Domini poſita erat: Viculoſque earundem domi recluſerunt, & arcam apud Bethſames ducere decreverunt. Ibant ergo in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere uno pergebant, nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinabant, nec propter vitulos, qui domi remanſerant,à cœpto itinere deviabant, ſed ſolùm propter eos mugiebant,& plauſtrum cum arca Domini recto itinere deferebant.

Per Bethſames,quæ interpretatur dies Solis, intelligo Paradiſum, ubi Sol juſtitiæ Chriſtus regnat, Iſa. 19. *Civitas Solis vocabitur.* Per iſtas vaccas Religioſos & Catholicos accipio, qui, ſcil. jugo Domini ſunt ſuppoſiti, & ad plauſtrum Religionis, & Eccleſiæ corrigis votorum & ſtatutorum ligati. Per vitulos iſtorum parentes aſſumo, qui ſcil. in domo, i.e. in ſæculo remanſerunt, & ab iſtis, dum erant cum ipſis,lactari & fœtari conſueverant.Igitur ſit veritas, quod poſtquam vaccæ,i.e. Religioſi,& Clerici ad plauſtrum, Religionis ſunt ligati, & ad Dei ſervitium ordinati, & ad deferendum arcam Dei, i. e.Fidem & Regulam deputati, nec non ad eundum in Bethſames, id eſt, in domum ſolis juſtitiæ Paradiſum ſpecialiter combinati, directè & juſtè per viam juſtitiæ debet ad iſtam civitatem incedere, nec ad dexteram per amorem delectabilium, nec G ad ſiniſtram per timorem terribilium, debent de via hujuſmodi divertere, ſed iter ſuum per bona opera continuare, ut in Bethſames id eſt, in domum Solis,ſc. Paradiſum poſſint ſe feliciter applicare. Pſalm. 25. *Pes meus ſtetit in directo, in Eccleſiis tuis benedicam*

Digitized by Google

dicam te Domine. Et dato, quod isti in domibus paternis, vitulos quos lactabant, id est, parentes vel consanguineos, quos nutriebant, diniserunt, nihilominùs nunquam propter eos debent à cœpto itinere virtutum retrocedere, quinimo sufficit eis compassionis mugitum emittere, & de ipsis aliàs non curare. Istud potissimè debet esse verum de Prælatis, qui revera vitulos, id est, nepotulos, qui remanserunt in domo paterna, non debent per carnalem affectum plus nimio in mente gerere, nec propter eorum amorem à charitatis semita declinare. Psalm. 44. *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui.*

Vel dic, quod Philistæi sunt mali Superiores, qui revera ad trahendum plaustrum arcæ Domini, id est, ad regendum Ecclesiam Dei, seu obtinendum Ecclesiastica beneficia, non alligant, nec promovent hodie nisi vaccas, id est, nisi personas carnales & luxuriosas, qui scilicet vitulos, id est, filios & concubinarios domi habent, propter quorum affectum mugire, loqui, & curam gerere nunquam cessant. Psalm. 50. *Impone super altare tuum vitulos.* Vituli enim super altare Domini ponuntur, quando à malis Ecclesiasticis spurii in Ecclesia generantur, & quando ignorantes personæ ad statum Ecclesiasticum promoventur. Et ideò contra tales vaccas, trahentes arcam Domini, videtur loqui scriptura, dicens: *Audite verbum Domini vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & dictis Dominis afferte, & bibamus.* Sequitur propter quod elevabunt vos in cunctis, & reliquias vestras in ollis ferventibus per aperturas exhibitis, altera contra alteram. Expone si vis, quomodo isti in olla inferni finaliter ponentur, & quomodo nunc alter contra alterum debacchatur.

Hic dicitur, quod cum Philistæi ducerent, & restituerent arcam Domini, quam cœperant, viri Bethsamitæ, qui erant de filiis Israël, metebant triticum in valle, & elevantes oculos viderunt arcam Domini, & gavisi sunt, cum vidissent, & sacrificia etiam ei obtulerunt. Veruntamen quia prohibitum erat, quod populus nullatenus arcam Domini videret, percussi sunt à Domino plagâ magnâ, & mortui sunt de populo septuaginta viri, de plebe vero quinquagintà millia. Hoc videtur ibi mirabile, quod Philistæi cum essent idololatræ, nec arcæ, nec veri Dei cultores, videndo arcam non fuerunt mortui: filii verò Israel visione ejus perierunt. Cujus causa potuit esse, quia videre arcam gentilibus non erat prohibitum, sed filiis Israel (nisi essent Sacerdotes) fuit specialiter denegatum, ut patet supra.

Illud igitur potest applicari, quod ille, qui facit contra prohibitionem, peccat multò plùs quàm alius, dato, quod sit eadem species delicti.

Potest etiam allegari, quod gentiles minùs peccant in eodem genere peccati, quàm filii Israël, Judæi quàm Christiani, laici, quàm Clerici, & Religiosi, minusque debet homini displicere delictum extranei quàm propinqui. Psalm. 54. *Quod si inimicus meus maledixisset mihi? sustinuissem utique. Tu vero homo unanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, &c.* Etiam sicut de facto legitur, quod à Saraceno mortuo petiit Macharius, quinam in inferno graviùs punirentur, qui respondit: quod mali Christiani; quia, scilicet illi veram legem habebant, ergo contra voluntatem Domini facientes, graviùs delinquebant, ac per hoc graviores pœnas sustinebant. Unde Luc. 12. *Servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis.*

Vel dic, quod ista arca significat terram sanctam, quæ revera magis videtur secum diligere malos gentiles, quàm malos Christianos, quod patet, quia illos non occidit, sed nutrit, istos verò, statim ut mali fiunt, affligit flagellationibus & expellit. Graviùs enim offenditur Deus, quando proprii filii contra prohibitionem & legem in terra & domo sua peccant, quàm quando alieni populi ipsum vituperant atque turbant. Unde Hierem. 11. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea scelera multa facit?* §. Vel dic, quod populus non debet videre arcam nudam: sicut Num. 4. ubi exponitur.

Capitulum nonum. Textus. Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel.

Moralitatum, Cap. VII.

Saul missus à patre quærere asinas perditas, venit ad Samuelem, qui eum unxit in regem super Israel.

Saul est Christus, quem Deus Pater misit in mundum quærere asinas, i.e. salvare animas peccatorum, quem Samuel Propheta in regem unxit, in quantum Prophetarum cœtus ipsum regem futurum prædixit. Unde Hier. 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit.*

Vel dic, quod Saul sit prædicator, quem Pater suus Christus misit asinas quærere, i. e. animas peccatores convertere, & salvare, quod pro certo quando diligenter exequitur, ungi priùs per gratiam in animo, & ad regimen prælationis in mundo, & ad regimen Paradisi in futuro promoveri meretur.

Juxta Prophetiam Samuelis, antequam Saul in regem inunctus ad regnum pertingeret, plura leguntur ei contigisse. Primò quod invenit duos homines magnas foveas salientes. Secundò quod ad quercum Thabor invenit tres viros, quorum unus portabat tres hœdos, alius tres panes, alius vini lagenam, qui etiam duos panes eidem contulerunt. Tertiò quia post hoc obvium habuit cuneum Prophetarum, & statim dedit ei Dominus cor aliud, & mutatus est in virum alterum, & insiliente in eo spiritu Domini cum eis prophetavit. His igitur factis congregatus est populus in Masphat, & quia in Israël quis melior isto non erat, quia etiam ab humero & sursum toti populo præeminebat, ideò forte super eum cadente, super populum Rex factus est, & ex præcepto Domini est electus.

Dic moraliter, quod Saul, qui interpretatur abutens, id est, quilibet peccator & Dei misericordiæ abusor, ut Rex, i.e. sui ipsius discretus rector efficiatur, vel ut ad Ecclesiæ regimen promoveatur, vel ad hoc, quod ad temporalis curæ vel Prælaturæ regimen eligatur, plura necessariò requiruntur. Debet enim ante omnia de oleo divinæ gratiæ interiùs unctionem recipere. Debet secundò duos vires salientes foveas, i.e. duplicem charitatem, Dei sc. & proximi, quæ sola foveam inferni transilit, & evadit, obviam habere. Post B hoc juxta quercum Thabor, i.e. juxta memoriam crucis tres viros, id est, tres pœnitentiæ partes, sc. contritionem, confessionem & satisfactionem similiter reperire. Contritio enim portat vinum, quia inebriat per compunctionem. Unde Isa. 16. *Super hoc plorabo in fletu Iazer & vineam Sabama: inebriabo te lachryma mea.* Confessio portat tres hœdos, per quos fœtoris peccati triplex confessio denotatur, scilicet, quando confitetur homo peccatum cordis, peccatum oris, & operis. Unde de istis tribus partibus confessionis, potest dici illud 2. Par. 10. *Post tres dies revertimini.* Satisfactio verò portat tres panes, id est, tria opera satisfactoria, scilicet eleemosynam, orationem, & jejunium, etiam corporis afflictionem, de quo dicitur Luc. 11. *Amice, accommoda mihi tres panes.* Isti igitur tres viri, sc. contritio, confessio & satisfactio, quos pœnitens invenit, duos panes solent sibi concedere, in quantum scilicet devotionem, & compunctionem sibi solent conferre. Psal. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Et sic sequitur residuum, scilicet quod iste novum cor à Deo recipiens mutabitur in virum alterum, & Prophetarum, id est, bonarum personarum consortio se conjungens, spiritu Domini dotabitur, & prophetare incipiet, in quantum de occultis, & futuris prædicabit & meditabitur, & sic pro certo jam cæteris major effectus, & aliis etiam in virtutibus præeminens ad regnum temporale, morale & æternale eligi promerebitur, & ad seipsum debitè regendum, & ad temporalem dignitatem justè gubernandam, & ad cœlestis regni gloriam obtinendam dignè & meritoriè assumetur, & de ipso dicetur illud Exod. 1. *Surrexit Rex novus super Ægyptum.*

Vel dic, quod summè proficit bona societas, quia revera Saul abutens, id est, peccator faciliter in virum alterum mutatur, & de malo in bonum convertitur, spirituque divino cœlitus inspiratus, & propheta, id est, vir spiritualis & contemplativus, & futurorum meditativus efficitur, quando Prophetarum, id est, bonarum, & sanctarum personarum societatem sectatur, Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris.* Mutatus est in virum alterum Apostolus Gal. 2. *Vivo jam non ego.* Ita quod faciliùs potest homo ad regnum seu C regni apicem eligi. Alii videntes Saul subitò mutatum in Prophetam, invidendo, & deridendo dicebant: 1. Regum. 10. *Num & Saul inter Prophetas?* Sic verè statim, quando aliquis divinâ gratiâ imbuitur, vel ad aliquem bonum statum, Deo mediante, erigitur, nunquam desunt mundi detractores, imò justum deridere conantur.

Vel si vis, vide formam electionis, quia electus debet esse Saul, qui interpretatur expetitus, quia non solum se non debet ingerere, sed exspectare, quod ab aliis expetatur. Apostolus Hebr. 5. *Nemo assumat sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, &c.* Item debet esse aliis in virtutibus major, & in toto populo nullus debet esse melior. Et sicut Saul se abscondit, ita quod à Samuele fuit requisitus, ita iste debet honorem fugere, & invitus trahi, & assumi. Undè Gregorius, *Sicut indigni se ingerentes sunt repellendi, ita & digni, qui fugiunt, inviti ad regimen sunt trahendi.* Dic, quod Saul priùs intelligitur prophetasse, quàm ad regimen electus fuisse, ad denotandum, quod ad regimen Prælaturæ non debet eligi, nisi qui Propheta, id est, vir scientificus, & in futuris meditandis prudens & circumspectus poterit inveniri, & tamen hodiè potest dici illud Psalm. 73. *Signa vestra non vidimus, jam non est Propheta, &c.*

Capitulum undecimum. Textus. Et factum est post mensem, ascendit Naas.

Moralitatum Cap. VIII.

Naas Princeps Ammonitarum venit ad obsidendum Jabes Galaad, populus autem civitatis voluit ipsi servire, dum tamen cum ipsis vellet fœdus inire. Sed iste cum illis nullum fœdus facere, nec eorum servitium recipere voluit, nisi oculos dextros

eos

Digitized by Google

eis erueret,& ſic eos vivere permitteret,ac in ſervos reciperet,& haberet. Iſti igitur conditionem hujuſmodi formidantes, auxilium à Saul,qui noviter in regem electus fuerat,petierunt,qui tunc actualiter de agro ſequens boves veniebat, quiquè dictos boves occidit, & in fruſta diviſit,& per totum Iſrael ſub intimatione, quod ſic fieret bobus ſingulorum,niſi venirent ad prælium, per nuntios fruſta miſit. Congregati igitur trecenta & triginta millia virorum ad Saul, & ad Samuelem venerunt, qui in tres partes populum dividentes,Naas,& Ammonitas debellaverunt, & populum Jabes Galaad liberaverunt. Undè iſtorum fuit illud verbum: *Cras erit vobis ſalus, cum incaluerit Sol.*

Civitas Jabes,quæ interpretatur dolens, ſeu ſiccitas, ſignificat mundum. Naas,qui interpretatur ſerpens, ſignificat diabolum. Saul verò,qui interpretatur expetitus, ſignificat Chriſtum, boves ejus ſignificant Martyres,filii Iſrael ſignificant omnes fideles, oculus dexter animam,ſiniſter carnem denotat. Ammon, qui interpretatur populus mœroris, peccatores & damnatos ſignificat. Cum igitur Naas ſerpens antiquus,diabolus, princeps Ammonitarum, id eſt,populi mœroris,omnium peccatorum,qui,ſcilicet, *eſt Rex ſuper omnes filios, ſuperbiæ*, à principio obſederit Jabes civitatem hujus mundi,quæ revera dolens,ſicca vel ſterilis poteſt dici, non ſufficiebat ſibi,quod ei in diverſis peccatis ſerviret, quinimò habitatorum omnium iſtius civitatis, ſcilicet, omnium mortalium oculos dextros, id eſt, animas volebat eruere, & ad damnationem æternam ſecum in inferno portare. Undè dicitur Num. 16. *Nunquid oculos noſtros vis eruere?* Illud enim erat horrendum pactum, quod in iſta civitate pepigerat, quod, ſcilicet, omnes cives ipſius oculos dexteros, id eſt, animas perdere oportebat, quaſi diceret diabolus illud Gen. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Sed revera Saul expetitus, & exſpectatus à Deo, id eſt, Dei filius benedictus, boves ſuos, id eſt, Apoſtolos & Martyres Martyrio, & occiſioni ſuppoſuit, ipſiſque, & eorum prædicatione mediantibus populum fidelium ad fidem, & ad pœnitentiam convocavit, cum eſſent trecenta, & triginta millia, id eſt, cum ad fidem trinitatis eſſent converſi, ipſos in tres partes, id eſt, in tres Eccleſiæ ſtatus, ſcilicet, in Prælatos, Continentes, & Conjugatos conſtituit, & diviſit. Sicque factum eſt, quod cum iſto triplici ordine militum & fidelium ſuorum Saul Naas, id eſt, diabolum ſuperavit, & jugum idololatriæ ſuæ de Jabes, id eſt, de mundo abſtulit, & populum, qui in periculo ſervitutis, & damnationis, & perditionis oculorum dextrorum, id eſt, animarum erat, de iſtius manibus liberavit. Undè dicitur 1. Mach. 5. *Venit Judas cum tribus ordinibus poſt eos.* Sic igitur fuit eis ſalus, cum Sol incaluit, id eſt, cum charitas immenſa Solem juſtitiæ Chriſtum pro redemptione humani generis inflammavit, in quantum perſonaliter pro liberatione deſcendit. Undè Mal. 4. *Orietur Sol juſtitiæ.*

Vel dic, quod civitas Jabes ſignificat Eccleſiam militantem, quia pro certo iſta eſt hodie ſicca, quantum ad bonorum ſpiritualium fertilitatem, dolens verò & triſtis propter tribulationum temporalium immenſitatem. Undè illud Thren. 1. *Quomodò ſedet ſola civitas plena populo, ſedet in triſtitia domina gentium.* Iſta enim eſt civitas, quæ tyrannis & vitiis ſervit, & ideò merito dolet & gemit. Undè ſequitur: *Iſta autem gemens converſa eſt retrorſum.* Serpens igitur antiquus, Naas princeps populi mœroris, id eſt, peccatorum, diabolus, iſtam civitatem hodie obſidet, & cum populo ſuo, id eſt, cum viris Eccleſiaſticis pactum vult facere, dum tamen eis oculos dextros, id eſt, verum judicium eruat: & quod oculos ſiniſtros,id eſt, carnalem affectum vel judicium ipſis ſolùm dimittat. Undè Job. 10. *Nunquid oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu videbis?* Etiam revera jam multi ſunt in civitate Eccleſiæ, qui iſtud pactum cum diabolo jam videntur feciſſe, quia ſcilicet verum judicium rationis & diſcretionis videntur perdidiſſe, & ſiniſtrum oculum, id eſt, carnis affectionem, & malitiæ ſubtilitatem & juſtitiæ iniquitatem videntur ſolummodo retinuiſſe, quod patet, quia non vident, nec conſiderant ſpiritualia bona, ſufficientes perſonas, juſtitiam partium, & cætera hujuſmodi, quæ omnia ſunt dextera, imò ſolùm videntur conſiderare, & videre bona temporalia,carnis parentes, dona & munera iniquorum pro juſtitia ſubvertenda, quæ omnia peſſima & ſiniſtra ſunt. Undè de illo pacto cum diabolo, Carne & Mundo inito, poſſunt dicere tam mali Judices quàm mali Eccleſiaſtici illud Eſa. 28. *Pepegimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Undè Zach. 11. *Brachium ejus dextrum ariditate ſiccabitur, & oculus ejus dexter tenebreſcens obſcurabitur.* Et dic generaliter de omnibus. Duo enim oculi dati ſunt homini, ſcilicet, duplex conſideratio & diſcretio, ſcilicet ad temporalia & ad æterna. Spiritualem igitur & dextrum perdimus, temporalem & ſiniſtrum plus quàm deceat, retinemus.

Petr. Berchor. ſuper Primum Regum.

Capitulum duodecimum. Textus. Dixit autem Samuel ad universum Iſrael: Ecce audivi vocem veſtram.

Moralitatum Cap. IX.

Cum populus regem ſupra ſe petiiſſet,& Dominus eis Saul in regem dediſſet, voluit illis oſtendere, quod ſibi non placebat, quod regem poſtulaſſent,& quod ipſis regem in ira, & non in benevolentia contuliſſet. Fecit igitur Dominus fieri tonitrua, voces, pluvias & tempeſtates,& timuit populus vehementer.

Illud poteſt allegari, quod regimen mundi & juriſdictio, quam alii ſuper alios reges & principes ſunt adepti, à principio Deo non placuit, imò propter peccata hominum hoc evenire permiſit,& potiùs tale ſuperioritatis regimen magis ex tyrannide, quàm ex juſtitia venit,& magis ex Dei ira,quàm miſericordia proceſſit. Undè Oſeæ 13. *Dabo tibi regem in furore meo.*

Cap. 13. Cum populus Philiſtinorum congregatus eſſet contra filios Iſrael in prælium,non ſunt inventi in univerſo populo Domini,qui in die belli haberent gladium,præter Saul,& Jonatham. Undè etiam aliqui timentes fugerunt. Alii ad hoſtes transfugerunt, & alii in ſpeluncis ſe abſconderunt, ità quod cum Saul pauciſſimi remanſerunt. Philiſtini autem,qui dominabantur filiis Iſrael, caverant,ne arma ſibi facerent, & ideò nullum fabrum in terra dimiſerant,quinimò oportebat, quod filii Iſrael pro ferramentis exacuendis & pro ſtimulo,vomere,vel ſecuri,ſarculo,vel ligone, quando hebetabantur, ad Philiſtæos condeſcenderent,quapropter in die belli gladios & lanceas non habebant.

Per Philiſtæos qui infideles erant, Dæmones ſeu Hæretici dicuntur,per filios verò Iſrael Catholici: continuum enim prælium, ſeu controverſia eſt inter iſtos,quia revera filii Iſrael,id eſt,Chriſtiani ità hodie per iſtos hoſtes ſpirituales diverſis tentationibus impugnantur,quod quidam eis conſentientes ad eos transfugiunt,alii per avaritiam in cavernis terræ,id eſt,in bonis temporalibus ſe abſcondunt, ita quod in die belli & tentationis cum Chriſto rege pauci remaneant,aut ſubſiſtant. Ptalm. 77. *Filii Ephrem intendentes arcum, converſi ſunt in die belli.* Si etiam contra Hæreticos diſputando bellare oportebat, pauci inveniuntur cum gladio verbi Dei, imò prô dolor! quaſi omnes muti & inermes exiſtunt. Et ſi quæratur, quare hoc? Pro certo in toto exercitu fidelium pauciſſimi ſunt, qui gladiis aut lanceis,id eſt, virtutibus & operibus bonis, ſeu Sanctorum Patrum doctrinis & ſcientiis ſunt muniti, ideò ad ſtandum in prælio tribulationis, tentationis, vel diſputationis contra Dæmones, vel Hæreticos, non ſunt apti. Iſti enim Philiſtæi id eſt,Dæmones, vel Hæretici, ſummè cavent, ne fabri, qui arma fabricant, id eſt, boni Doctores, vel Prædicatores, qui doctrinis ſuis alios armant, & arma virtutum & fidei documentorum propinant, inveniantur in Iſrael, id eſt, in Eccleſia,ſed eos, quantum poſſunt, impediunt, & retardant, &, ut omnes ad fabros ſuos proprios, id eſt,ad Hæreticos Doctores,Divinos aut Ariolos, vel etiam ad Legiſtas,id eſt, mundi ſapientes recurrere, & eorum conſiliis ſe regere velint, quantum poſſunt, procurant, & quod quando ferramenta ſua,id eſt, intellectus eorum eſt per ignorantiam duplex vel hebetatus, ab ipſis conſilium petere, & fabros Iſrael, id eſt, Theologos dimittere, ſcientiamque Evangelicam contemnere, & ſcientiam Poëticam commendare ſummè caprant, ut ſic in bello tentationum propter defectum armorum ſpiritualium deficiant & ſuccumbant. Et breviter propter defectum fabrorum, id eſt, bonorum Prædicatorum, Doctorum, vel Prælatorum, multi ſunt hodie Chriſtiani, qui ad fabros Philiſtinorum, id eſt, ad Hæreticos recurrunt, propter quod ſchiſmatici & mali fiunt,ſicut ad literam patet de Græcis, Sclavis, Surianis & Jacobinis, & Nubianis, & cæteris ſchiſmaticis Chriſtianis, quibus pro certo defectus fabrorum & bonorum Doctorum fuit cauſa recurſus ad doctrinas Hæreticorum, & fabros Dæmonum Philiſtinorum, & per conſequens eſt eis cauſa damnationis & periculorum, & ideò propter defectum verorum fabrorum dicitur: *Tranſtulit Nabuchodonoſor fabrum & incluſorem de Hieruſalem, & adduxit eos in Babyloniam.* Et ad hoc facit, quod legitur in hiſtoria tripartita, quod, ſcilicet Pagani à Juliano apoſtata impetraverunt, quod Chriſtiani non audirent artes liberales, ſeu Philoſophiam, ut ſic,dum arma ſcientiæ non habereint, non poſſint contra eos diſputando ſe defendere. Arriani etiam Epiſcopos Catholicos mitti in exilium procurabant,ut ſic cum fabri deficerent, populum armis carentem liberiùs debellarent. Ad hoc enim facit exemplum de civitate Athenarum,quam quidam Rex obſederat, ſed pactum cum civibus volebat facere,dum tamen ſeptem Philoſophos, qui erant in civitate, in obſides ſibi darent. Cui parabolicè quidam Philoſophorum reſpondit,quod lupi gregem ovium obſidentes, cum paſtoribus pactum,& pacem facere promittebant, ſed ante omnia canes gregis ſibi dari petebant. Paſtores verò videntes, quod ſi canes deficerent, lupi liberè oves comedere poſſent, pactum hujuſmodi reſpuerunt. Cives etiam civitatis eadem de cauſa dare hoſti Philoſophos, ne populus ſublatis Rectoribus faciliter periret, noluerunt.

Sic verè diabolus & Hæretici gregem & civitatem Eccleſiæ impug-

Digitized by Google

pugnantes canes Philosophos,id est,Doctores, Prædicatores & Viros scientificos,bonos Judices & Prælatos ante omnia nituntur tollere,ut sic tentationibus & erroribus possint fideles leviùs debellare, dum non sit,qui possit ipsos instruere, vel juvare. Undè Daniel. 2. A Rex Nabuchodonosor in furorem & iram magnam versus præcepit,*ut perirent omnes sapientes Babylonis.*

Vel dic,quod in civitate animæ faber est discretio , quam Philistæi,id est,Dæmones ante omnia tollunt,& sic populi illius civitatis, id est, motus & affectus sibi penitùs serviunt & obediunt. Undè in Prov. 1. *Ubi non est gubernator,populus corruet : salus autem, ubi multa consilia.*

Hic ponitur, quod contra filios Israël venerunt tres cunei Philistinorum,scilicet unus,qui ibat contra viam Ephraim, alius, qui ibat Betheron,alius,qui ibat ad iter termini.

Sic verè dico,quod Philistini, id est, peccata, quæ contra filios Israël, id est, fideles pugnant ad tres cuneos,id est, ad tria peccata capitalia & vitia generaliter reducuntur. Unum enim eorum est avaritia,& illa tendit ad Ephraim,qui interpretatur frugifer, id est,ad mundi fructus. Et secundus cuneus est superbia, & illa tendit ad Betheron,quod interpretatur domus vanitatis;significans mundi divitias, honores atque glorias. Tertius cuneus est luxuria , & ista tendit ad iter termini,id est,ad carnis delectationes & delitias. Caro enim iter termini dicitur,pro eo quod ista ad modum terræ, quæ est in terra & confiniis aliorum , difficiliùs custoditur. Ideò de istis tribus cuneis possumus dicere illud Daniel 7. quod *bestia illa*, id est, diabolus,*habeat tres ordines dentium in ore suo.*

Capitulum decimum quartum. Textus. Et accidit quadam die, ut videret Jonathas.

Moralitatum Cap. X.

Hic ponitur, quod Jonathas & armiger suus videntes stationem Philistinorum: sortem periculi sui,vel salutis in dictis hostium posuerunt,proponentes,scilicet,quod si hostes dicerent : *Ascendite,* quod ascendere debebant,& vincere. Si verò hostes dicerent, *exspectate,* tunc nec vincere,nec ascendere proponebant,& illud quasi signum in sortem à Deo sibi dari credebant. Sicut igitur dixit, factum est: quod Philistini dixerunt, *ascendite* , qui statim ascenderunt,& manibus,& pedibus reptando,prius Jonathas, postea armiger contra eos perrexerunt , & hostes fortiter invaserunt: & in fugam conversos,& se mutuis cædibus occidentes mirabiliter occiderũt. Quod videntes filii Israël,qui priùs ad hostes fugerãt & transierant,contra eos surrexerunt , & Jonatham & juvenem adjuverunt. Alii etiam,qui ante fugerant,& se absconderant , auditâ victoriâ redierunt,& manibus & pedibus reptando,priùs Jonathas,post armiger contra eos perrexerunt,& se cum persequentibus fugientes Philistinos adjunxerunt.

Ista possunt allegari exemplariter , quod quandoque per sortem inquiritur voluntas Dei,& veritas casus futuri,quodque occulta Dei Providentia,quando videt,quod homo se ei committit,& veritatem B alicujus negotii ab eo devotè quærit , ipsam quandoque sibi ostendit, Josuæ 7. sicut habentur exempla infinita de Achan per sortem deprehenso , de Saul per sortem manifestato, 1. Reg. 10. de Mathia per sortem electo , & de aliis infinitis. Actor. 1. Non deficit enim occulta Dei providentia homini maximè in sorte constituto , & ideò multi mirantur,quare voluntas Domini hodiè etiam per sortes non requiritur,sicut tunc fiebat, qui fortè ità responderet hodie, sicut tunc: *Non* enim *abbreviata est manus Domini , ut salvare non possit,* sed ista sunt hodie prohibita,ne aliqua superstitiosa miscerentur,& ne simplices ad idololatriam traherentur. Hic etiam adverte,quod tunc quilibet poterat pro voto sibi constituere sortem , & signum rei fiendæ & non fiendæ ad libitum ordinare.

Vel illud potest allegari , quod in factis bellicis audaces fortunâ juvat, & quod melius est invadere , quàm exspectare. Hic enim ascensus & invasio signum fuit victoriæ & salutis , exspectare signum erat perditionis.

Vel dic,quod Divina Providentia libentiùs juvat hominem provocatum , quàm illum, qui provocat, quia scilicet, isti fuit dictum: *Ascendite,* & ideò provocatus ascendit & vincit , provocantes verò victi sunt & fugerunt. Quia revera ad virum justum pertinet, quod ex levitate bellum non gerat,nec lites, nec controversias sibi foveat, sed potiùs quod provocatus & necessitate compulsus ad talia procedat,quia ut communiter tunc ad talia ipse prævalet & triumphat, exemplo Jephthe , qui provocatus contra Ammon obtinuit victoriam,dicens illud Jud. 11. *Igitur ego non pecco in te,sed tu in me , indicens mihi bella injusta,judicet Dominus.*

Vel dic , quod *ità est facile Deo juvare in paucis sicut in multis,* & occulta Dei Providentia operante pauci aliquoties vincunt multos,debiles fortes; nudi armatos. Exemplum de Juda Machabæo duce, qui contra Xerxen, cum quatuor millibus venit, & sexcenta millia debellavit secundùm Orosium. Unde dicitur 1. Machab. 3. *Facile est includi multos in manibus paucorum : & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis an in paucis , quia non in fortitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.*

Vel dic,quod non est tutum in hoste confidere, quod victus tibi obediat, & se amicum tuum fingat, & ad te transfugiat, si tamen C viderit locum suum , statim nocere nititur , atque tentat,ut patet hic de transfugis , quia visâ suorum victoriâ , contra Philistæum surrexerunt , & filios Israël juverunt. Ideò dicebant principes Philistinorum de David 1. Reg. 29. *Revertatur vir in locum suum, non descendat nobiscum ad prælium , ne fiat nobis adversarius, cum præliari cœperimus.*

Vel allega ultimum, quod restat, scilicet de illis , qui primò fugerant , & videntes victoriam , se Jonathæ adjunxerunt, contra multos , qui revera optimè sciunt se homini tempore victoriæ , sed non tempore fugæ adjungere , & adversitatis tempore latere , cum verò hostes superati fuerint , ac si fortiter aliquid fecerint , solent ad amicos redire, & victoribus se sociare. Unde dicitur 2. Reg. 23. *Populus,qui fugerat , reversus est ad casorum spolia detrahenda.*

Vel dic allegoricè, quod Jonathas , qui interpretatur columba, significat virum Religiosum vel Catholicum Christianum, qui per asperam & arctam viam pœnitentiæ, & per arduam virtutum viam debet contra Philistæos,id est,contra Dæmones & Hæreticos ascendere, & nisi provocatus non debet contra eos disputare , & sic mediante armigero suo,id est , fide vel gratia de ipsis poterit triumphare.

Saul sequens Philistæos fugientes,adjuravit populum,ne quis usque ad noctem comederet, & sic in hostes vindicare valeret,dicens: *Maledictus vir,qui comedit panem usque ad vesperam.* Populus igitur veniens ad saltum , in quo erat fluens mel super faciem agri, non applicuit manum ad os. De melle enim comedere noluit , timens adjurationem : sed prosequendo hostes ulteriùs intacto melle transivit : De isto autem melle credo , quod erat Manna, scilicet impressio aëris dulcis , pinguis & alba , qualis nuper circa Avinionem cadebat. Ista enim in regno Georgionico dicitur in tanta quantitate super herbas , arbores & lapides in æstate cadere, quod multas sarcinas solent quotidiè colligere. Qualecunque igitur fuerit mel, Jonathas adjurationem patris ignorans , & summitatem virgæ, vel intingens comedit , & illuminati sunt oculi ejus, quapropter quia contra adjurationem patris fecerat, cum Dominus ad transgressionem juramenti respondisse nollet , Sorte deprehensus à patre adjudicatus morti fuit , ipsumque pater occidere voluit, D sed eum populus liberavit.

Per mel intelligitur dulcedo prosperitatis mundanæ , quia revera illi, qui Philistæos, id est , Dæmones & vitia persequuntur , à tali melle abstinere jubentur,& per abstinentiam cum rege suo Christo hostes morum & fidei persequuntur; sæpe tamen fit , quod Jonathas filius regis,qui causa victoriæ fuerat, id est , aliquis Religiosus, vel devotus, qui aliàs multa bona fecerat , comedens de tali melle, postquam gustans de mundi dulcedine reperitur , à patre suo rege Christo morti adjudicetur,nisi meritis & precibus populi exigentibus,id est , sanctorum precibus liberetur. Illi enim , qui mundi delitias gustant,& maximè illas , quas pater eorum Christus prohibuit,carnales delectationes amant (quia scilicet propriè designantur in melle,quia *favus distillans,labia meretricis.* Prov. 5.) nisi sanctorum precibus adjuventur , & nisi ipsis alia opera bonorum suffragentur, mortis perpetuæ pœnam portant. Unde Apoc. 10. *Erat in ore meo tanquam mel dulce,& cum comedissem, amaricatus est venter meus.*

Vel dic,quod mel est sacra scriptura , in qua quando virga intellectus intingitur,& per studium comeditur,oculi mentis per discretionem illuminantur. Idem dic de melle devotionis & compassionis, &c.

Vel allega;quomodo reges inviolabiliter debent servare verbum suum,& quomodo in casu justitiæ non debent parcere cuicunque , etiam filio delinquenti , sicut iste , qui propter transgressionem E filium volebat occidere,& maximè quia juraverat. Simile habetur Dan. 6. *Scito Rex , quia decretum Medorum est atque Persarum, ut omne illud, quod constituerit Rex,non liceat mutari.* Exemplo regis justi , qui pro filio suo in adulterio deprehenso sibi unum oculum , & filio alium fecit erui,ne legem , quam contra adulteros fecerat,de perdendis duobus oculis,contingeret immutari,& ne delictum impunitum aliquo modo maneret.

Hic habes,quod quemcunque viderat Saul virum fortem & aptum ad præliandum, sociabat eum sibi.

Sic verè Prælatus sibi debet associare consiliatores suos, socios & familiares facere,& in beneficiis, & officiis , & dignitatibus constituere & præferre , quos ad præliandum contra Dæmones, vitia atque Hæreticos cognoverit fortes esse , & quos in scientiis, & moribus viderit aliis præpollere. Unde

Jud. *De universis autem urbibus accepit sibi auxiliatores viros fortes ad bellum.*

* * * * * * * *

Capitu-

Digitized by Google

Capitulum decimum quintum. Textus. Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus.

Moralitatum Cap. XI.

DOminus mandavit (ut hic habetur) populum Amalechitarum destrui, & omnia ipsorum bona, oves, & boves, suppellectilia anathematizari, omnia demoliri, & nihil prorsùs ad vitam servari, nec de bonis ejus aliquid custodiri. Nocuerat enim populus Amalechitarum filiis Israël ascendentibus de Ægypto, & ideò dixerat, quod *deleret memoriam Amalech sub cœlo*, ut patet Exod. 17. Saul ergo recensito populo contra Amalech properavit, populumque ejus in ore gladii interfecit, & Agag regem ipsius vivum cœpit: pepercit autem Saul & populus Agag regi Amalech, & optimis gregibus ovium & armentis, & omnibus, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea, sed quicquid vile & reprobum fuit, demoliti sunt. Reprehensi igitur sunt Saul & populus, quod ista non consumpserant, sed reservaverant; atque avaritiam suam palliare volentes, dixerunt, quod ista meliora ad sacrificandum domino custodierant. Quo Dominus indignatus Saul ad perdendum regnum condemnavit, & obedientiam esse meliorem victimis dixit: *Melior est obedientia quàm victima, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.*

Saul Rex significat mundi Principes, & Prælatos, populus verò suus significat inferiores Judices, & Ballivos, quia revera Dominus vult, quod populus Amalech, qui interpretatur lambens sanguinem, id est, populus peccatorum, sanguinem, id est, delitias carnales lambentium, vel etiam in sanguine crudelitatis se delectantium, qui filiis Israël, id est, hominibus in deserto hujus vitæ, quo de Ægypto tendunt in Hierusalem, & de mundo ad patrem, non cessat officere vel nocere, vel aliàs in virtutum itinere impedire, destruatur, & ordinavit, quod Saul & populus suus, id est, Principes, Prælati, Judices, & Officiales, illos malos extirpent, & quod mediante justitia ipsos de medio justorum tollant, & quod eos puniant, corrigant & castigent, quodque de bonis ipsorum nihil penitùs concupiscant, & quod justitiam faciendo, ad bona punitorum per avaritiam non respiciant aut attendant. Matth. 13. *Exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis ardentis.* Sed revera iste Saul & populus suus, quibus facta est ista commissio, id est, Superiores & Judices inter istos malos puniendos, distinctionem faciunt, quia scilicet pinguioribus, & ditioribus parcunt, quicquid verò vile & reprobum est, id est, pauperes & viles personas demoliuntur, consumunt & puniunt. Propter quod procul dubio regnum spirituale, & æternale amittunt. Quia breviter illud est verum, quod nostri Superiores, & Judices pauperes impotentes, qui se defendere nequeunt deprecando, demoliuntur: pingues verò, & divites sustinent, & eis etiam delinquentibus parcunt. Undè Innocentius: *Pauperum causas cum mora negligitis, divitum cum instantia promovetis, & illis rigorem ostenditis, in istis ex mansuetudine dispensatis, &c.* Vide si vis in manipulo curatorum, c. de ambitione. Nec valet excusatio istorum, quæ sequitur, quia scilicet isti non debent, ut sacrificent Domino, sibi spolia Amalech reservare, & ut dent eleëmosynas, pauperum divitias congregare, quia revera Deus non approbat ista. *Non* enim *sunt facienda mala, ut eveniant bona,* ne quidem sub colore justitiæ, nec vult, quod quis inobediens sibi fiat, ut acquisitis divitiis se velle eleëmosynas facere dicat. Cujus tamen contrarium quasi
G omnes faciunt, qui pro bona causa se aggregare divitias dicunt, ut patet in Religiosis, qui scilicet velle ædificare monasteria se dicunt, in usurariis & cupidis, qui se velle eleëmosynas dare asserunt, & prætendunt, cum tamen dicatur de illis Eccles. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui immolat filium in conspectu patris.*

Si vis, allega de severitate, id est, de sæva veritate Dei, quæ quandoque punit peccata patrum in filiis usque in tertiam, & quartam generationem. Transierant enim plus quàm quatuor generationes, ex quo patres Amalechitarum nocuerant filiis Israël in deserto, quorum tamen nequitiam isti eorum filii nunc planxerunt, juxta illud Thren. 5. *Patres nostri peccaverunt & non sunt, & iniquitates eorum portavimus.* Verùm tamen supponendum est, quod ista ideò sunt vera, quia isti filii fuerunt imitatores nequitiæ patrum, ut patet de isto Agag, cui dixit Samuel 2. Reg. 15. *Sicut gladius tuus matres absque filiis fecit, ita ut fiat sine liberis mater tua.*

Capitulum decimum sextum. Textus. Dixitque Dominus ad Samuelem: usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim?

Moralitatum Cap. XII.

HIc habes, quod David fuit minor fratrum, de quo non speravit pater, quòd patet, quia fratres suos omnes per ordinem Samueli obtulit, qui & in pascuis erat, ubi oves pascebat, qui insuper percutere citharam, & propulsare dæmonem noverat, & qui fortis robore, & bellicosus, prudens in verbis, & pulcher visu, decorusque facie erat, & in regem fuit electus & unctus, & ad regnum Israël per Dominum ordinatus, ad regis Saulis servitium assumptus, & eidem postea substituturus. Sauli enim citharistam petenti fuit dictum de David: *Vide Bethleëmitem virum fortem, bellicosum, prudentem verbis, & pulchrum visu & scientem psallere, & Dominus* H *est cum eo,* quapropter eum accersens Rex advocavit, & armigerum suum fecit.

Sic verè dico, quod illi, qui sunt cæteris minores per humilitatem, & qui à patre, id est, à parentibus carnalibus non præponuntur per carnis affectuosam sedulitatem, sed qui gregem pauperum student pascere per pietatem, & per eleëmosynæ largitatem, qui sciunt citharam scripturæ pulsare per prædicationem, qui sciunt dæmones, id est, peccata seu vitia de cordibus hominum expellere, per conversionem ad pœnitentiam, qui sunt fortes ad resistendum, qui sunt bellicosi ad hæreticos & impios oppugnandum, nec non contra dæmones, & vitia pugnandum, qui sunt prudentes verbis ad discretè loquendum, cum quibus scilicet est Dominus per gratiam ad eos adjuvandum, & qui sunt pulchri visu ad honestè conversandum. Tales dico digni sunt ad servitium regis Christi assumi, illius substituti & Vicarii in Ecclesiæ dignitatibus, & beneficiis fieri, & in Reges, & Prælatos eligi, & inungi, Dan. 1. Unde mandatum fuit enuncho per regem Nabuchodonosor, quod *introduceret de filiis Israel pueros de semine regio, decora facie, eruditos sapientiâ, cautos scientiâ, doctos disciplinâ, qui starent in palatio.*

Vel si vis allega, quod ille, qui est minor & contemptibilior, & de quo minus speratur, quandoque in Regem, vel Prælatum eligitur, vel ad aliquam dignitatem vel gradum erigitur, & illi, qui digniores & meliores esse creduntur, & qui à patre suo mundo tanquam primogeniti præferuntur, in electionibus repudiantur, & à Deo postponuntur. Eccl. 1. *Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portavit diadema. Multi potentes oppressi sunt valide, &c.*

Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam, quapropter David, qui sciebat psallere, quæsierunt, quo percutiente citharam refocillabatur Saul, & melius habebat, & spiritus malignus ab eo fugiebat.

David est prædicator, cithara est sacra scriptura. Psal. 56. *Exurge Psalterium, & cithara.* Quia revera, si Saul, qui interpretatur abutens, id est, si aliquis propter abusum rerum temporalium efficiatur furibundus, vel propter malam concupiscentiam; vel exagitetur spiritu nequam per superbiam vel invidiam, vel per aliquam malam complacentiam, spirituque Domini, id est, spiritus sanctus, vel Dei gratia ab eo recedat propter iniquitatem & malitiam, sæpe A fit, quod dum David, id est, prædicator scripturæ citharam tangit & dicit, & sonum bonæ instructionis emittit, ipsum Saulem, id est, peccatorem convertit, ita quòd spiritus malus, id est, mala voluntas ab eo recedit, & morbus sui peccati alleviatur & sistit. Et idem dic de sono orationis, cujus melodia, si à David, i. est, à viro justo fiat, diabolus, eam sustinere non potest, dicens illud Gen. 3. *Vocem tuam Domine audivi in Paradiso*, i.e. orationem tuam, quam facis ad dominum tuum.

Vel dic, quod citharæ sonus significat memoriam passionis Christi, &c. ut supra: diabolus enim valde odit talem sonum, ideò viro sancto solet dici illud Amos 6. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, cantica lyræ tuæ non audiam.*

Vel dic, quod David est Christus, qui scilicet mediante cithara crucis spiritum malignum, sc. Luciferum fugavit, & salutem, id est, Adam, quem propter abusum pomi vetiti Dæmon obsederat, liberavit.

Vel dic, quod cithara est caro nostra, quam dum per pœnitentiam tangimus, spiritum malignum, i. e. peccatum, seu etiam malam voluntatem à Saule abutente, id est, anima peccatrice fugamus. Unde Job. 30. *Versa est in luctum cithara mea.* Vel dic, quod cithara est plectrum linguæ, quam pro certo si per confessionem sonuerimus, statim abutens anima sana erit. Et ideò benedicitur Isai. 23. *Sume citharam, circumi civitatem meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum.*

Vel dic, quod Saul insaniens significat aliquem Divitem, seu Principem iracundum. Quem pro certo si furentem, & provocatum viderimus, necesse est, quod ipsum cum cithara, i. cum dulcis locutionis melodia leniamus, & spiritum malignum iracundiæ ab ipso fugere faciamus. Unde in Prov. 25. *Patientiâ lenietur Princeps.* Illud enim generaliter dic, quia pro certo quando homo est plenus maligno spiritu & voluntate, & quando insanit, vel per concupiscentiam spiritualem, vel per iracundiam, actualiter meliùs ut communiter alleviatur, sanatur, & corrigitur, quando Prælatus vel Prædicator seu quæcunque castigatio cum melodia, cum verborum dulcedine, cum dulcique inductione circa eum modulatur. Unde B in Prov. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus excitat furorem,* quia sicut dicitur Eccl. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Ista autem potissimè pertinent ad David, respectu Saulis, id est, ad subditum respectu Domini, Prælati seu Regis. Vel ad filium respectu patris, quia sc. iram talium debet mulcere, & cum humilitate & patientia pertransire.

Vel dic, quod Saul Rex Israël, est Deus Deum videntium, quia pro certo, si contra nos propter peccata insaniat, cithara nostra, id est,

Digitized by Google

crucis memoria,oratioque vel confessio ipsum placeat,ut supra.Hic inveni notatum, quod licet asinus sonum citharæ libenter audiat,si tamen ipsam in via inveniat , eam pedibus frangit,& calcat. Sic multi sunt,qui verbum Dei libenter audiunt,ipsum tamen transgrediendo frangunt, & vilipendendo calcant & premunt, vide infra, quomodò Saul suum citharistam voluit confodere, 1. Reg. 18. &c.

In hoc capitulo ponitur, quod quando David in servitium Saulis Regis Israël se transtulit,sibi unum asinum plenum panibus præsentavit.

Sic verè Religiosus,qui servitium Regis Christi,id est,statum Religionis dignè cupit intrare,debet sibi illum asinum , id est , corpus suum proprium laboribus pœnitentiæ deditum,cum panibus, scilicet,cum bonis operibus , vel cum eleemosynarum subventione seu lachrymosis singultibus præsentare, dicens illud Psal. 14. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.*

Capitulum decimum septimum. Textus. Congregantes autem Philistiim agmina sua in prælium.

Moralitatum - Cap. XIII.

PHilistiim contra filios Israël congregati,Goliam Getheum principaliorem,& fortiorem in suo exercitu habuerunt,qui scilicet in altitudine sex cubitos cum palmo habebat , & armis æreis armatus erat. Cum igitur iste populum Dei molestaret , accidit, C quod Isai filium suum David ad visitandum fratres suos , qui erant in exercitu, mitteret, ut sc. illis Ephipolentæ , Epli dico, id est, tres modios,decemque panes & decem formulas casei deportaret. David igitur videns Gigantem,continuò populo Dei maledicere; accensus zelo, baculum suum sumpsit, & quinque limpidissimos lapides de flumine eligens in pera sua reposuit , & tres ipsorum contra Goliam jacens , ipsum in fronte percussit,& tertio ictu prostravit, propriumque gladium ejus extrahens,caput ejus abscidit.

Allegoricè ista exponuntur de Christo & diabolo.Sic n. est,quod à principio Philistiim,i.e. dæmones pugnaverunt contra filios Israël, i. e. contra homines; habebant autem dæmones Goliam, qui interpretatur robustus,id est,Luciferum ductorem , qui sc. ita robustus erat & fortis,quia sicut dicitur Job. 14. *Non est potestas super terram,quæ comparetur ei. Factus est,enim, ut nulli timeret.* Iste enim est,qui populum Domini,id est,Sanctos Patres, & totum humanum genus gravavit,& eidem continuò insultavit,quapropter sic accidit, quod David manu fortis,id est,Christus,fuit in locum certaminis,id est,in mundum à Deo patre suo destinatus,& missus,ut fratres suos, id est,fideles,tam præsentes,quàm futuros personaliter visitaret , & tres modios polentæ,id est,fidem sanctæ Trinitatis, nec non decem panes, & decem formulas casei,id est,præcepta legis, quæ,sc. panes vitæ,& morum formulæ possunt dici,eisdem concederet, atque daret. Undè dicitur Luc. 19. *Homo quidam abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.* Et sequitur. *Et servis suis tradidit decem minas.* Iste igitur zelo salutis populi sui & animarum contra Goliam,i.e. diabolum,baculum crucis accepit, & quinque lapides, id est, quinque pretiosa vulnera in torrente passionis recepit, quorum virtute Golias iste percussus est & prostratus , & populus fidelium liberatus. Ideò dicitur Luc. 1. *In quibus visitavit nos oriens ex alto,ut de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* Tandem verò iste diabolus gladio proprio occiditur, in quantum mundi Philosophi,& Hæretici,quibus mediantibus diabolus animas occidit,Christi inspiratione conversi sunt,ità quod in caput primi magistri sui diaboli,seipsos retorserunt, in quantum contra eum prædicaverunt,& ejus malitias detexerunt,& eum capite,id est,intentione sua fraudaverunt, qualis, scilicet, gladius fuit Dionysius, Augustinus,&c. Psal. 36. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Et si vis, dic de armis ejus gloriæ, id est, de malis Clericis, & Religiosis, qui D sunt arma diaboli. Dic quod omnia erant ærea, quia hi habent velut æs,sonum bonæ locutionis , sed non habent sensum devotionis vel compassionis.

Vel etiam mali,qui sunt diaboli arma, ærei possunt dici , quales sunt detractores,& clamorosi & brigosi. Undè Job. 40. *Ossa Bohemoth sicut fistulæ æris.*

Hic habes, quod David ante victoriam Goliæ,dixit se vicisse Leonem,& ursum,& gigantem (sicut dicitur hic) ipse David vicit. Sic verè vir justus debet vincere spiritualiter tria sc. Goliam magnum, rusticum,i.e. mundum;ursum,qui diligit dulcia,i.e. carnem;leonem, i.e. superbum diabolum. Istud potissimè debet esse in religioso , qui mundum vicit per votum paupertatis , carnem per votum castitatis, diabolum per votum obedientiæ & humilitatis. Vel gigas cum magno ventre est insatiabilis avaritia,ursus lambens est luxuria,leo erecto collo incedens est superbia, etiam ut supra.

Vel dic quod David,i.e.Prælatus, quando videt, quod leo,& ursus,vel diabolus, veniunt ad gregem fidelium subditorum devorandum,statim debet occurrere prædicando. Idem de Philistino, &c. quia sc. Prælatus ista tria,sc.leonem, i. e. diabolum, ursum lambentem,i.e. Hæreticos, Goliam armatum, i. e. Tyrannos debet vincere, ipsisque se opponere , ne gregem vel populum domini possint per vitia devorare. Vel isti significant Tyrannos,&c. ut supra.

Cum David contra Goliam gigantem singulare certamen intrare vellet,Saul armis suis, sc. galea,lorica , & aliis vestimentis suis ipsum induit , sed quia non habebat consuetudinem portandi arma, ista statim deposuit,& baculum,& peram, nec non quinque lapides de torrente accepit , quorum tribus projectis in tertio ictu Goliam, prostravit.

Sic verè,si contra Goliam,i.e. diabolum, qui continuè per tentationes nobis insultare,prævalere volumus,necesse est, quod arma & vestes Saulis,i.e. bona temporalia hujus mundi,qui sc. Saul,i.e. abu- E tens dicitur , mentaliter dimittamus, quodque baculum,i.e. crucis memoriam assumamus , & quinque lapides torrentis, i. e. quinque Christi vulnera de suæ passionis torrente in pera conscientiæ reponamus. Quia revera si ipsum cum istis , i. e. cum passionis Christi memoria in fronte,hoc est dictum,in principio, quando,sc. tentare incipit, utpotè quando tentatio adhuc est in cogitatione , percutimus,contra ipsum,sc.prævalemus, quia pro certo, quando homo in principio tentationis,Christi passionem crucemque ipsius & vulnera adducit ad memoriam, faciliter de hoste reportat triumphum & victoriam. Ideò benè dicitur. Hebr. 10. *Deponentes omne pondus,& circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen,aspicientes in autorem fidei & consummatorem Jesum,qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.*

Vel dic,quod tres lapides, quibus diabolus seu ejus tentatio prosternitur, tres partes pœnitentiæ significant. sc. contritionem, quæ diabolum & peccatum in capite percutit, confessionem,quæ in eodem veniens loco,ictum alium sibi addit,satisfactionem, quæ tertio succedens, ipsum ex toto prosternit , dum tamen in fronte,i.e. in principio juventutis & tentationis ista veniant, &c. Ut supra. Ipse etiam diabolus cum gladio proprio occiditur , quando peccatum vel tentatio,quâ ipse credit hominem occidere, facit hominem magis humilem , in quantum ipse se videt succumbentem & fragilem, & sic proprium telum suum in caput ipsius retorquetur. Ps. 36. *Gladius eorum intret in corda eorum.*

Vel dic,quod isti tres lapides sunt fides, spes & charitas,quia sc.fides percutit fortiter,spes fortiùs,charitas fortissimè.

Vel dic, quomodò providentia Dei facit, ità benè vincere inermem, sicut armatum.

Vel dic contra illos,qui excusant se de armis portandis,i.e.de actibus virtuosis faciendis propter inconsuetudinem, sicut David. *Non possum* (inquit (*sic incedere,quia nec usum habeo.* Vel dic, quod Religiosus,qui vult prævalere contra Carnem & diabolum, arma carnalia debet dimittere, & spiritualia accipere , sc.crucis memoriam, &c. dicens illud Apostoli 1.Cor.10.*In carne ambulantes,non secundùm carnem militemus. Arma enim militiæ nostræ nõ sunt carnalia.*

Vel dic,quoad hoc moraliter , quod David manu fortis & vultu desiderabilis, est Prælatus, qui debet esse fortis benè operando,& vultu desiderabilis , amicabiliter conveniendo, & honestè conversando. F Iste igitur ad prælium contra Philistiim,i.e.contra dæmones, vitia,& Hæreticos debet currere , fratres suos subditos,i.e.conscios debet visitare,& victualia spiritualia & temporalia eisdem portare, arma Saulis. i.e. sæculi pompam debet dimittere, baculum pastoralem debet accipere , & de torrente sacræ scripturæ debet quinque lapides,i.e. continentiam quinque sensuum, vel etiam divinæ legis doctrinam eligere,& sic poterit contra Goliam,i.e.contra diabolum, vel contra Carnem,Hæreticos vel Tyrannos viriliter triumphare.

Hic dicitur, quod David posuit arma Goliæ,quem occiderat, in tabernaculo suo. In quo notatur , quod quando quis de Carne vel diabolo prævaluit,arma ejus, i.e. peccata,à quibus impugnatus exiterat,in tabernaculo cordis sui debet reponere,ut sc. peccata studeat perpetuæ memoriæ commendare , & recidivam continuè formidare,vel adeptam victoriam ad gloriam Dei ordinare. Undè Eccles. 5. de propitiatu peccatorum. *Noli esse sine metu.*

Capitulum decimum octavum. Textus. Et factum est cum complesset loqui ad Saul.

Moralitatum Cap. XIV.

CUm vidisset Jonathas, quod David victoriam habuerat contra hostes,conglutinata est anima ejus cum anima David, expoliavitque se tunicâ suâ,& vestimentis suis usque ad gladium, arcum & baltheum,& dedit sibi.

Sic verè bonus religiosus debet per perfectam charitatem David, id est,Christo conglutinari, & ideò vestimentis bonorum temporalium se debet per contemptum & abdicationem spoliare , gladium omnis crudelitatis dimittere,arcum potentiæ,& jurisdictionis sæcularis contemnere,baltheum gloriæ,& magnificentiæ temporalis totaliter abdicare, & omnia Christo dare , sc.amore ipsius de ipsis non curare,& sic Jonathas,i.e. columba simplex, & humilis, David,qui fecit victoriam in Israël, i. e. Christo poterit in statu Religionis vel Ecclesiæ dignificè adhærere,maximè quando considerat, quod iste est,qui Goliam, i. e. diabolum voluit vincere, & populum liberare, dicens cum Petro. *Ecce nos reliquimus omnia,& secuti sumus te,&c.*

Hic dicitur, quod cum Saul arreptus à diabolo insaniret, David Citharam percutiebat,ut eum de dæmonio liberaret. Qui lanceam arripiens, voluit David ad parietem transfigere , sed David scivit

pruden-

Digitized by Google

prudenter lanceam declinare. Audierat enim Saul, quod mulieres sibi David prætulerant, quando redeunti de prælio acclamaverunt: *Saul percussit mille, & David decem millia.* A die autem illa non rectis oculis ipsum aspiciebat, sed ipsum omninò occidere proponebat, dato, quod ipse David hostes ipsius continuè vincebat.

Illud allega, quod invidia proprio benefactori non parcit, & maximè quando in laude sibi præfertur, & quando virtus ejus pullulat atque crescit. Non potest enim invidus talem hominem respicere, dato quod ab ipso plurima beneficia recipiat, quinimo dato quod in præsentia ejus citharam melodiosè tangat, id est, dato quod dulciter tangat, hoc est, loquatur & respondeat, & ad votum sibi servire studeat, lancea tamen ipsum perforare, id est, tribulationibus & injuriis fatigare nititur & tentat. Unde Senec. *Si nullos inimicos facit injuria, multos tamen facit invidia.*

Vel dic, quod Saul insaniens est peccator, qui scilicet, citharistam, qui eum à diabolo liberare nititur, id est, prædicatorem, qui citharam verbi Dei sibi tangit, & pro ipso sanando, & à potestate diaboli, id est, vitiorum salvando eidem prædicat, & affatur, quandoque transfigere, diffamare atque injuriari, & sibi etiam invidere conatur. Unde dicitur Proverb. 25. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.*

Vel dic, quod Saul est diabolus, qui, scilicet, citharistas, id est, prædicatores, summè nititur, ad parietem, id est, ad carnem per luxuriam cum lancea tentationis transfigere, ne officium prædicandi & spiritualiter citharizandi, valeant impendere: quapropter isti debent tali lancea, quantum poterunt præcavere, & ideo tam diabolus, quàm homo durus & obstinatus, videntur dicere illud Amos: *Aufer à me tumultum canticorum tuorum, carmina lyræ tuæ non audiam.*

Vel dic, quod David, qui erat pulcherrimus & rufus, significat histriones, quorum, scilicet, cantus Rex Israël, id est, Prælatus, vel Religiosus non debet eligere, sed eos & omnem inanem lætitiam abdicare.

Vel dic, quod iste significat adulatores, qui in auribus hominum citharizant, & semper verba melodiosa & placentia eis cantant. Istos igitur debet Rex Israël, id est, bonus Princeps vel Prælatus lanceâ reprehensionis percutere, & à se penitus submovere, dicens illud: *Aufer à me.*

Saul maligno spiritu exagitatus, prophetavit in medio domûs suæ.

H Istud exponunt quidam sic, quod aliqui sunt prædicatores, qui prophetant, id est, prædicant amore terrenorum, in medio domus suæ, id est, propter commodum privatum, non sicut justus, de quo dicitur Eccl. 5. quod *in medio Ecclesiæ aperuit os suum.* Isti igitur à spiritu maligno exagitantur, qui scilicet de spirituali negotio lucrum terrenum adipisci conantur. Apostolus Philippens. 2. *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi.*

Capitulum decimum nonum. Textus: Locutus est autem Saul ad Jonatham filium suum.

Moralitatum Cap. XV.

David maritus Michol filiæ Regis de lecto, in quo credebatur esse, aufugit, ut iram Saul declinaret. Uxor verò ejus statuam in lecto David loco ipsius posuit, pellemque caprarum posuit super caput ipsius, & ipsam operuit vestimentis. Cum igitur Rex mandavit pro David, venientes apparitores ejus crediderunt invenire David in lecto, & loco ejus statuam cum vestibus & pellibus invenerunt.

Per istam Regis filiam intelligitur Ecclesia, quæ est filia Regis Christi, per David verò bonus Ecclesiasticus & Prælatus. Per lectum David spiritualem Prælaturam & beneficium intelligo, in quibus David, id est, bonus Prælatus quiescit. Ista est igitur veritas, quia, recedente & fugiente David, id est, bono Prælato de hoc mundo ad patrem, & lectum suum, id est, Prælaturam vel beneficium vacuum demittente, sæpe fit, quod uxor ejus, id est, Ecclesia ponit statuam, id est, præfert aliquam statualem personam in loco & lecto, id est, in statu, gradu, & officio ipsius, qui scilicet ad modum statuæ nec motum bonæ operationis, nec sensum discre-
A tionis habet, sed potiùs qui circa caput mentis pellibus carnalis affectionis regatur, & vestibus temporalis possessionis per avaritiam involvatur. Et ideo breviter hodie fit, quod illi, qui in lecto Ecclesiæ David, id est, illi, qui bonum & prudentem Prælatum invenire se credunt, ibi pro certo statuam cum pellibus caprinis & vestibus, id est, personam ignorantem plenam carnali affectione, & solùm involutam aliquali honestæ conversationis veste, vel aliquali possessione inveniunt, quia hodie Prælati circumeunt in melotis, qui sunt pelles vilissimæ, significantes divitias, & in pellibus caprinis, quæ sunt pelles fœtidissimæ, significantes carnis delitias & delectationes.

Vel dic secundùm aliquos moraliter, quod David, id est, vir justus debet à lecto conscientiæ & imaginationis suæ recedere, in quantum, scilicet se non debet justum reputare. Uxor enim sua, Prudentia debet in lecto cordis ponere statuam cum pellibus caprinis, quod fit, quando facit hominem se peccatorem, ignorantem, casurum, & fœtidum existimare, & quando lictores, id est, id est, dæmones veniunt, ut David, id est, virum justum de præsumptione tentent, mirantur, quando loco David statuam inveniunt, & quando loco peccatorum, virtutis timorem, & peccatorum considerationem attendunt, & sic illusi sine damno recedunt.

Videns David consummatam malitiam Saulis contra se, fugit ad Samuelem. Ad quem cum misisset Saul nuntios, ut David raperent, & adducerent, missi illi venientes in Najoth, David cum Samuele, & etiam Prophetarum cunetum cum eis invenerunt. Sicque factum est, quod ipsi lictores, qui rapiendum David fuerant missi, irruente in se spiritu ad prophetandum cum aliis sunt conversi, quibus moram trahentibus, Saul alios lictores misit, qui & ipsi prophetare cœperunt, quod etiam tertii similiter fecerunt, ita quod nulli ad suum Dominum redierunt, sed cum Samuele & David prophetando remanserunt. Ad ultimum verò & ipse Saul personaliter venit, & statim facto super se spiritu Domini, vestimentis suis se expoliavit, & nudus tota die & nocte cum aliis prophetavit.

Illud potest allegari, quomodo valde proficit societas bonorum Religiosorum, illos videre & frequentare, & verba eorum attendere, & audire, quia revera sæpe accidit, quod etiam ipse Saul & lictores, id est, ipsi mali mundi Principes & Tyranni in ipso actu malæ voluntatis suæ, quando bonos Religiosos & sanctos prospiciunt, & vitam & mores eorum attendunt, & eorum prophetias & laudes & doctrinas, & prædicationes audiunt, statim spiritu Dei tanguntur, & in alios viros se convertunt, ita quod B
sæpe fit, quod ipsi cum Prophetis prophetare, id est, cum eis religiosè vivere volunt, & depositis vestimentis bonorum temporalium, & etiam habitus sæcularis, Christo nudi, & pauperes laudes reddunt. Sicut de quodam Rege Francorum legitur, quod cum Romam ad peregrinandum iviset, per montem Casinum transivit, & visa conversatione sanctorum monachorum, spiritus Domini in eum insiliit, & depositio regio cultu, sumptuque monastico habitu, ibi cum ipsis religiosè vixit. Quod etiam de lictoribus Tyrannorum missis pro martyribus capiendis quotidie fiebat, quia ipsi auditis eis convertebantur, & cum eis martyrium patiebantur. Unde de Christo legitur Joan. 7. quod ministri missi, ut eum comprehenderent, cum hoc facere ausi non fuissent, Pharisæis increpantibus, quod eum non abduxerunt, responderunt, dicentes: *Nunquam sic locutus est homo.* Unde & ipsi Pharisæi dixerunt Joan. 3. *Nunquid & vos seducti estis.*

Vel ista possunt etiam allegari, quod *spiritus, ubi vult, spirat,* quia etiam quandoque in ipso actu malæ voluntatis homo convertitur, & Propheta Domini efficitur, ut de Paulo exemplariter invenitur. *Potens est enim Deus, de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Lucæ 3.

Ad finem, quod David posset scire voluntatem Saulis, utrum erat contra se confirmata; cap. 20. Jonathas amicus suus certum super hoc dedit signum, scilicet, quod David in agro juxta lapidem fecit abscondi, ordinans, quod post prandium ipse ad spacium ad muros ascenderet, & tres sagittas versus illam partem trajiceret, & puerum ad quærendum sagittas mitteret, & si cognosceret patrem sibi placatum, puero diceret, *intra te sunt.* Si verò patris videret consummatam malitiam, tunc diceret, *ultra te sunt.* Videns autem Jonathas Saulem in prandio contra David furentem, statim post prandium ad muros ivit, & sagittas duas in agrum, ubi David latebat projecit, & puerum ignorantem ad quærendum sagittas misit, & cum diceret, *non sunt ibi sagittæ, ultra te sunt,* fugiendi signum, & recedendi spacium David dedit.

Istud inveni expositum allegoricè sic. Per Jonatham intelligitur Deus Pater, per David ejus Filius Christus, Saul verò Rex, qui C
inter epulas David mortem desiderabat, cœtum Sacerdotum, & Principum Judæorum significat, qui in epulis paschalibus Christi mortem tractabant. Puer vero Jonathæ Judaici populi in ætate puerili, & ignorantiæ significat. Jonathas igitur, id est, Deus Pater duas sagittas, id est, duo genera divinorum alloquiorum ad David absconditum in agro, id est, ad Christum latentem sub littera legis, scil. Psalmos & Prophetas noscitur direxisse, & ad sagittas hujusmodi colligendas puerum suum, i. e. puerum Judaicum transmisisse, qui scil. sagittas divinorum alloquiorum receperunt, & scripserunt, & in avaritiam synagogæ eduxerunt. Veruntamen David, id est, Christum, qui sub lapide tabularum legis latitabat, & in agro hujus mundi occultus venerat. Esa. 46. *Vere tu es absconditus,* non potuerunt cognoscere, nec etiam, quem sagittæ hujusmodi, id est, litteræ scripturarum, quas colligebant, significarent, David, id est, Christum sciverunt animadvertere, imo absq; eo, quod ipsum per fidem caperent atque in eum crederent, dimiserunt abire. Unde dicitur Joan. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt. In mundo erat, & mundus eum non cognovit.*

Vel dic, quod David est peccator, qui fugit ab ira Christi, salvaturque etiam à lapide, id est, à cordis duritia, in qua latuerat, & à qua per pœnitentiam egreditur, quando Jonathas, 1. columbi-

Digitized by Google

nus prædicator, & simplex, sagittas divinorum eloquiorum ad ipsum dirigit, & quando verbis, & reprehensionibus ipsum sagittat arguit atque ferit.

Hic habes, cap. 21. quod David fugiens Saulem, venit in Nobe ad Achimelech Sacerdotem, petiitque ab eo panes pro se & pueris secum ductis. Cui, cum dixisset Sacerdos: *non habeo panes pro laicos ad manum, sed tantùm panem sanctum, si mundi sunt pueri, comedant, maximè à mulieribus.* Dixit David, *quod vasa puerorum sancta sunt; porrò via polluta est; sed dante Domino sanctificabitur.* Sibi ergo dedit Sacerdos panem sanctificatum, gladiumque Goliæ, qui involutus pallio in tabernaculo à die, quo Goliam occiderat, semper fuerat reservatus.

Sic verè, quando David & pueri sui, id est, Christiani veniunt ad Sacerdotem in paschate pro pane Eucharistiæ sumendo, ante omnia Sacerdos debet curare, an sint mundi atque casti, debetque eis dicere, quod iste panis non est laicus, imò sanctus, & solùm
D à sanctis, & mundis hominibus assumendus. Quos cum sanctos, & mundos, & bene confessos esse cognoverit, debet eis panem sanctum tradere, nec non gladium timoris Domini, atque etiam memoriam Crucis, quâ scil. Golias, id est, Diabolus jugulatus extitit, debet eis assignare, quia pro certo sicut puero datur panis, & baculus, ut panem à cane defendat, sic etiam Christiano gladius Crucis vel Divini amoris cum pallio humilitatis traditur, ut panem istum seu Sacramentum, & ejus virtutem, Diabolus ab eo nunquam tollat. Isti autem tanquam sancti sint, viam tamen suam pollutam dicere debent, in quantum respectu tanti Sacramenti semper se debent immundos, & inutiles existimare. Unde Jac. 3. *In multis enim offendimus omnes.*

Vel dic (sicut allegat Salvator) quod istos panes sanctos, quos non licebat laicis comedere, sicut patet 1. Reg. 21. David laicus famelicus comedit, quia *necessitas non habet legem.*

Vel dic, quod gladius Goliæ est detractor, qui est gladius Diaboli, secundùm quod Psalm. 56. dicitur: *Lingua eorum gladius acutus.* Isti sunt igitur, qui in templo Religionis habitant, & involuti pallio, id est, habitu religioso vel dissimulato humilitatis, & charitatis zelo homines feriunt & cruentant. Iste enim est gladius, qui proprium dominum occidit, & detractor est ille, qui proprio domino, scil. Prælato non parcit. Psalm. 36. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.*

Doech Idumæus fortissimus pastorum Saulis, de quo non cavebatur, erat in tabernaculo, quando Sacerdos panes & gladium dedit David, qui cum Sauli hæc retulisset, interfecti sunt Sacerdotes.

Ex hoc nota, quod semper ab insidiis est præcavendum, & maximè, quando negotia tangunt Principes vel Magnates, ubi scil. non advertitur, adest aliquis, qui loquitur, propter quod multa mala sequuntur. Ideò benè dicitur Eccl. 10. *In cogitatione tua non detrahes Regi. Aves enim cœli deferunt illi.* Quilibet enim gaudet referre Prælatis, & Principibus, quicquid videt. Ideò benè dicitur Eccl. 8. *Coram extraneo ne facias consilium, nescis enim, quid pariet, &c.*

Capitulum vigesimum primum. Textus: Venit autem David in Nobe ad Achimelech Sacerdotem.

Moralitatum Cap. XVI.

E DAvid fugiens Achis Regem Geth, cum perpendisset se esse cognitum, timens, ne quid à Philistæis, qui inimici erant filiorum Israël, pateretur, finxit se in Regis præsentia furiosum, mutavitque os suum, & impingebat in ostia parte clausa, & defluebant salivæ de ore ejus. Quæ videns Achis, ipsum fore David nullatenùs credidit, sed ipsum tanquam furiosum expulit, & sic sub colore insaniæ periculum evasit, & in speluncam Odollam fugit atque venit, ubi scilicet fratres ejus ad eum congregati sunt, & illi, qui erant in angustia & amaro animo, & qui premebantur ære alieno, ad eum convenerunt, & factus est eorum Princeps, eique adhæserunt.

Dic allegoricè, quod David est Christus, Achis verò designat populum Judæorum, quia revera David Dei filius in Geth, qui interpretatur torcular, vel opprimens in oppressionem mundi, & miseriæ veniens, se in aliam personam, id est, in hominem carnem assumendo mutavit, in torculari Passionis more insani, voluntariè scilicet mortem assumendo apparuit, propter quod & Herodes eum tanquam insanum veste alba illusit, quapropter Achis Judaicus populus ipsum esse Deum, id est, Dei filium seu Messiam non credidit, sed ipsum & ejus fidem expulit, & eum expellendo occidit, dicendo scilicet illud Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* Et illud Joan. 19. *Tolle eum, &c.* Ita, quod iste in speluncam sepulchri descendit. Fratres igitur ejus, id est, Apostoli & Discipuli ad eum per fidem descenderunt, & omnes, qui erant ære alieno pressi, id est, debitis peccatorum constricti. Omnes illi etiam, qui in angustia tribulationis, & in amaro animo tribulationis & contritionis erant positi, scilicet gentiles & alii peccatores plurimi ad eum convenerunt, fidemque ejus susceperunt, & factus est eorum Princeps, cum tanquam Deum & Dominum crediderunt, dicentes illud Isa. 3. *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster.* Vel dic, quod quandoque expedit stultitiam simulare. Unde Cato: F

Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Et in Proverb. *Respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.*

Vel dic, quod hodie solùm illi, qui sunt inopes, angustiati & tribulati, ad David, id est, ad Christum, vel ad speluncam Odollam, id est, ad Religionis statum conveniunt, ipsumque pro duce eligunt. Divites verò nec de David, id est, de Deo, nec de religione sua contendunt: unde Jacob. 2. *Pauperes elegit Deus Apostolos.* 1. Cor. 1. *Videte fratres vocationem vestram, quomodo non multi potentes, non multi nobiles secundùm carnem, sed infirma mundi elegit Deus.*

Vel dic, quod pro certo illi, qui sunt fratres David, charitatem sectando, & fraternitatem diligendo, & illi qui sunt inopes, scil. voluntariè divitias contemnendo, & illi, qui sunt in amaro animo, de peccatis pœnitendo, & illi, qui sunt in angustia, tribulationes sustinendo, & illi, qui pressi ære alieno, id est, qui sunt boni divites, mundi æra & divitias, onus & pressuram reputando, ad David, i.e. ad Christum per gratiam veniunt, & in spelunca paradisi discipuli ejus fiunt, taliumque personarum dux & Rex efficitur, & ipsi tanquam Principi perpetuò famulantur: unde ipse est, qui dicit Isai. 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu & timentem sermones meos.*

Capitulum vigesimum secundum. Textus: Abiit ergo David inde, & fugit in speluncam.

Moralitatum Cap. XVII.

HIc habes, quomodo Doech interfecit Sacerdotes Domini, scil. octoginta quinque viros indutos ephot lineo, & quod solùm Abiathar aufugit & evasit.

Sic verè Doech, qui interpretatur mortuus, id est, peccatum carnis, quod fœtet, vel Doech, qui intetpretatur sollicitus, id est, Diabolus, qui *circumiens quærit, quem devoret.* Sacerdotes, id est, viros ecclesiasticos, qui lino continentiæ sunt induti, summè nititur occidere, à cujus occisione solùm Abiathar, qui interpretatur ros, G
id est, solum illos, qui divinæ gratiæ rore sunt imbuti, contigit mirabiliter se salvare.

Capitulum vigesimum tertium. Textus: Et annuntiaverunt David dicentes: Ecce Philistiim.

Moralitatum Cap. XVIII.

HIc iterùm habes, quod Jonathas cum David in deserto fœdus inivit, & sic legitur cum David ter iniisse fœdus, scil. primò & semel in domo, secundo in agro, tertio hic, scil. in deserto.

Sic verè Deus cum justo homine tripliciter fœdus facit, scil. in domo conscientiæ per contritionem, in agro eloquentiæ per confessionem, in deserto pœnitentiæ per satisfactionem.

Vel dic, quod Jonathas cum David viro justo confœderatur & jungitur, quando ipsum invenit in domo cordis & cogitationis per sui ipsius considerationem. Quandoque opulento per activæ vitæ fœcundam operationem. Quandoque in deserto Religionis vel vitæ contemplativæ, per secretam sæculi abdicationem.

Vel dic, quod primum pactum fit per fidem in domo cordis & cogitationis. Secundum per charitatem bonæ operationis. Tertium per spem in deserto tribulationis. Quando enim homo cum Deo illi triplici modo jungitur, constat, quod sibi firmiter copulatur; unde dicitur Eccl. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur. &c.*

Caput vigesimum quartum. Textus: Ascendit ergo David inde, & habitavit in locis.

Moralitatum Cap. XIX.

CUm Saul actualiter persequeretur David, accidit, quod pro H
ventre purgando, speluncam intraret, in cujus profundiori parte David cum variis suis fugerat, & latebat. David igitur sibi quanquam persecutori misertus, ipsum occidere noluit, sed oram clamydis ejus præscindens, & de hoc cor suum percutiens, pœnituit ipsum: *Absit*, inquit, *ut extendam manum meam in unctum Domini.* Quo facto ipse inimicum suum Saulem ad fletum provocavit.

Istud potest allegari, quomodo homo nobilis corde non debet occultè, vel periculòsè aliquem percutere, sed potiùs publicè debellare; quinimò, si hostem in potestate sua invenit, debet sibi parcere, & maximè quia videt ex casu, & à fortuna, & ex Dei providentia, & non ex propriis viribus subjectionem hujusmodi factam esse. Quia sic dicit Senec. *Sufficere debet victori, vindicare potuisse.* Et idē de Morib. *Magnarum virium est lædentem negligere.*

Tali

Digitized by Google

Tali enim modo inimicus meliùs vincitur, & ad fletum, & dolorem provocatur. Ideo dicit Seneca, quod *parcendo meliùs vinces.* Sicut potest haberi exemplum de Julio & Antonio, de beneficiis Senec. Unde Proverb. 25. *Si sitierit inimicus tuus, potum da illi, &c. Sic enim faciens, carbones congeres super caput ejus.*

Vel dic, quod in spelunca Religionis vel Ecclesiæ quandoq; invenitur Saul malus Rex, id est, malus Prælatus, qui solùm quærit ventrem suum purgare, id est, malam voluntatem implere, & stercora diversorum vitiorum & criminum, per operis executionem exteriùs revelare. Sicut ad literam patet de multis, qui solùm ad hoc Speluncam Religionis vel Ecclesiæ intrare quærunt, & ad hoc ibi dominantur & præsunt, ut fœtorem diversorum vitiorum emittant, & ut superbiam, luxuriam, vindictam & avaritiam exerceant. Quandoque etiam in ista invenitur David, id est, bonus subditus, qui solùm ibi quærit latere, & à mundi tumultu se abscondere, & orationi, & devotioni vacare: unde Matth. 6. *Intra cubiculum tuum, & ora patrem tuum in abscondito.* Quid igitur? Pro certo talis David, id est, bonus subditus, licet videat Regem, scilicet Superiorem suum talia facientem, & mala opera sic exequentem, dato quod etiam sit inimicus & persecutor suus & suorum, non debet tamen in eum manum mittere, nec eum impugnare, vel diffamare, sed defectus suos benigniùs, quantum poterit, supportare, quinimo si quid de clamyde famæ suæ
A detrahendo præsciderit, & si obloquendo de Prælato linguam suam laxaverit, seipsum redarguere, & cor suum percutere debet: Unde Exod. 22. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Sic etiam de Oza dicitur 2. Reg. 6. quod morte percussus interiit, quia manum ad arcam vacillantem misit, ad denotandum, quod subditus non debet etiam Prælatum vacillantem, & delinquentem detrahendo tangere, cum ad ipsum non pertineat de Majoribus judicare. Exemplo Constantini Imperatoris, qui in Concilio generali libellos Episcoporum, ubi eorum crimina vel accusationes continebantur, concremari mandavit, dicens, quod *Majorum vitia non sunt à Minoribus judicanda.*

Capitulum vigesimum quintum. Textus: Mortuus est autem Samuel, & congregatus est universus Israël.

Moralitatum Cap. XX.

NAbal dives & magnus, cujus possessio erat magna, morabatur in Carmelo. Iste tamen erat pessimus & malitiosus. Uxor verò ejus Abigail erat prudentissima, & pulchra. Factum est igitur quod cum iste oves suas tonderet, & tonsoribus convivium faceret, misit ad eum David, qui latebat tunc temporis in deserto, pro se & sociis suis benedictionem & gratiam, cibos seu viaticum petiturus. Ille autem non solùm noluit ipsis dare aliquid, sed incepit obloqui de David & injurias dicere, & ipsum servum fugitivum vocare. Quo audito David iratus, statim ipsum cum omnibus suis, quæ habebat, voluit perdere, nisi sapiens uxor ejus Abigail occurrisset. Ista enim audita fatua responsione viri sui statim munera paravit, & in occursum David cucurrit, & verbis prudentissimis simulque muneribus ante missis, iram ejus placavit. Ista igitur tunc viro suo ebrio indicare noluit, sed in crastino periculum, in quo fuerat, indicavit sibi, & dixit, propter quod emortuum est cor ejus intrinsecùs, & factus est quasi lapis, & post decem dies defecit, & mortuus est.

B Iste Nabal, qui interpretatur stultus, significat aliquem malum civitem, & maximè Prælatum, Principem vel Superiorem, qui in deserto hujus mundi, licet sit malitiosus, & pessimus, divitiis tamen abundat, Psalm. 92. *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.* Isti igitur ad laniendas oves, id est, ad excoriandos simplices & pauperes continuè vacant, & etiam tonsoribus suis, id est, Ballivis & familiaribus suis, ad istam rapinæ tonsionem servientibus convivia, & festa præparant, & ipsis beneficia, & officia, & alia lucra temporalia subministrant, & indè David, id est, Christo, qui in persona pauperum clamat, & petit pro eleemosynis, nihil dant, sed potiùs ipsos servos David, id est, ipsos pauperes vituperant atque molestant, & murmurando & maledicendo ipsum David, id est, Christum blasphemant. Unde dicitur: *Inter epulas maledicebant Abimelech.* Quid igitur? pro certo non restat, nisi quod David, & viri sui, id est, Christus cum Angelis suis contra tales irruat, nisi fortè uxor eorum sapiens, id est, prudentia ipsos arguat, & dona, & eleëmosynas Christo, & pauperibus ejus tribuat, & per humilitatem & patientiam ipsi David, Christo obviet, & occurrat, quæ iram ejus impediat & compescat. Ideo benedicitur Eccles. 26. *Mulieris bonæ beatus vir.*

Vel illud allega, quod Nabal, id est, Prælatus tunc debet magnum convivium facere, & magnum gladium habere, quando oves suas, id est, id est, subditos potest tondere, & nudos & pauperes mentaliter & spiritualiter facere, & vellus bonorum temporalium de affectione ipsorum auferre, exemplo Abrahæ, qui tunc magnum convivium fecit, quando filium suum Isaac ablactavit, i. e. à lacte bonorum terrenorum per contemptum abstraxit. Vel è contra dic de malis Prælatis, & Dominis, qui tunc temporis summè gaudent, quando subditos suos excoriare, & bonorum temporalium vellere privare possunt, & quando sufficientem occasionem C excoriandi, & deprædandi eos inveniunt. Job. 3. *Gaudentque vehementer, cum inveniunt sepulchrum.* & loquitur de illis, qui fodiunt aurum.

Vel illud allega, quod quamdiu homo est ebrius, & in ipso fervore malæ voluntatis, non debet exasperari, vel corrigi, sed potiùs dissimulari & supportari, sed in crastino, cùm ira aut ebrietas cessaverit, debet tangi. Unde Eccl. 31. *In convivio ne proximum arguas.* Et sequitur, *ne premas eum in repetendo.* Non solet enim homo ebrius vel iratus objurgationi acquiescere, qui tamen refrigeratus solet patienter, cum corrigitur, sustinere.

Vel dic, quod Nabal, qui interpretatur stultus, est peccator, qui est pessimus, & malitiosus, immisericors, injuriosus, ingratus, oblivioſus, obstinatus, & cervicosus. David enim pastores ejus, & & greges ejus defenderat, & ideo fuit ingratus, &c. Talis igitur, cujus cor emoritur & lapidificatur, per obstinationem post decem dies, i. e. decem mandatorum transgressionem moritur, & morte temporali, & perpetuâ condemnatur. Unde Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Capitulum vigesimum sextum. Textus: Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes.

Moralitatum Cap. XXI.

CUm Saul persequeretur David, & in medio exercitûs sui in tabernaculo quiesceret, & dormiret, scyphumque aquæ, & hastam ad caput suum haberet, & David de monte descenderet, cautè tabernaculum Regis intravit, ipsumque dormientem inveniens, hastam, & scyphum abstulit, & rediens in montem iterum ascendit, & clamare incipiens hujusmodi verba dixit: *Nonne respondebitis verbum? Ingressus est unus de turba, ut interficeret Regem. Vivit Dominus, quia filii mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum unctum. Ubi inquit, est hasta Regis, & ubi scyphus, &c.* Abner igitur meritò reprehenditur, qui Dominum suum non custodivit, sed dormiens ipsum in periculo dimisisse probatur.

Per David, qui in montibus morabatur, & interpretatur manu fortis, in hoc loco possumus Diabolum intelligere, quia, scil. valdè est fortis, & in hoc loco in montibus, id est, in superbis, vel in elatione superbiæ semper dignoscitur habitare. Unde Job. 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Et Job. 40. *Huic montes* D *herbas ferunt.* Per Regem Israël Christum intelligo, per Abner vero, qui interpretatur patris lucerna, intelligitur ratio. Ista est igitur veritas, quòd Rex Israël Christus contra David manu fortem, id est, contra Diabolum superbum, & montosum militans, quandoque in Sacramento Altaris, vel etiam spiritualiter per gratiam in tabernaculo cordis humani recipitur, ut ibi quiescat, habitet, & moretur. In nullo enim loco Christus dulciùs dormit, quàm quando in mundo corde per gratiam requiescit. Unde Cantic. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Sed revera ad hoc, quod Rex iste in corde humano possit suaviter requiescere, tria debent eum sociare, scilic. Abner Princeps exercitus virtutum, i. e. lucerna rationis, quæ vigilet; hasta, id est, memoria Crucis, quæ sustentet; scyphus aquæ, id est, humor devotionis, compassionis, & compunctionis, qui irriget. Sed revera quandoque fit, quod iste vigil, id est, ratio ità mundi delitiis delectatur, quod à cura diligentiæ tepescit, ità quod dormiens hebetatur. Et tunc procul dubio venit unus de terra, scilicet Diabolus, qui in tabernaculum per tentationes se ingerit, & hastam, & aquam, scilicet Crucis memoriam, seu divini timoris lanceam, devotionemque, & compunctionem tollit, & clamoribus malarum cogitationum Regem inquietat, & in corde quiescere non permittit. *Quis es tu,* inquit, *qui clamas, & inquietas Regem?* Concludi igitur potest, quod Abner, id est, ratio, quæ non vigilat, sed ad Regem latronem diabolum intrare, & ipsum spoliare permittit, meritò debet redargui, & mortis filia nuncupari. Matth. 24. *Vigilate igitur, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique.*

Capitulum vigesimum octavum. Textus: Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philistiim.

Moralitatum Cap. XXII.

HIc ponitur cap. 27. cum David ad Achis Regem Geth fugis- E set, & omni die à convicinis gentilibus multas raperet prædas, & cum ipsius Regi gentili prædicaret, quod dictas prædas non à gentilibus, sed à filiis Israël apportaret, de quo idem Rex summè gaudebat, idem David tali utebatur cautela, quia, scil. nec viro, nec mulieri parcebat, sed ne contra eum loquerentur, omnes generaliter occidebat.

Istâ

Digitized by Google

Istâ cautelâ generaliter utuntur multi latrones, quia scilicet eos, à quibus possent revelari, postquam rapuerunt, occidunt, & qui alias parcerent, nulli parcunt.

Mortuo Samuele, cum Philistini congregarentur, & insurgerent contra Saul, & Dominus sibi respondere nollet per somnia, nec per Sacerdotes, nec per Prophetas, mulierem Phythonissam adiit, & Samuelem suscitare popposcit. Qui statim Pythonicè per scientiam suscitatus, eventum belli sibi prædixit, & quod in crastino cum filiis suis moriturus esset, sibi certissimè revelavit. Quod etiam eventus rei postèà comprobavit. De ista suscitatione, scilicet, utrum fuerit vera anima Samuelis, quod ponit Augustinus sup. Eccl. 46. Insuper utrum fuerit spiritus malignus, ut ponit Beda in glossa Actor. 16. non est præsentis negotii disputare.

Hic solum moraliter dico, quod Saul significat rumorum investigatores, qui, scilicet, multoties solent audire illud, quod nunquam voluissent evenire, quia pro certo sæpe fit, quod dum suspicios us diligenter inquirit, & à vivis, & à mortuis perscrutari contendit, sæpè infortunium invenit, propter quod displicentiam mox incurrit. Ideo dicitur Eccl. 3. *Non est necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis, in supervacuis rebus noli scrutari.*

Vel dic, quod Samuel Propheta, & tamen mortuus, significat virum scientificum, & peccatorem, qui revera multa vera, & bona solet dicere, & prædicare, licet non faciat, ita quod non restat nisi hoc, quod dicitur Matth. 23. *Quod dicunt, facite, &c.*

Capitulum trigesimum. Textus: Cumque venissent David, & viri ejus in Sicelech.

Moralitatum Cap. XXIII.

¶ DAvid sequens Amalechitas, pro eo, quod Sicelech succenderât, & viros, & mulieres captivos ducebant; puerum Ægyptium, quem infirmantem, & lapsum Dominus suus dimiserat, invenit. Quem in ductorem eligens, Amalechitas discumbentes, & edentes, & bibentes, & quasi festum facientes invenit, quos occidens, prædam, quam tulerant, reportavit, captivatum populum liberavit, & etiam de bonis acquisitis in illo bello æquam portionem illis, qui in bellum descenderant, & illis, qui lapsi ad sarcinas remanserant, dispensavit.

Iste puer Ægyptius, quem Dominus suus lapsum, & infirmum dimiserat, significat quosdam pauperes homines tenebris tribulationum, & miseriarum obtectos, (quia, scilicet, Ægyptus interpretatur tenebræ) vel & infirmitatibus, & miseriis fatigatos, à Domino suo, scilicet, à mundo contemptos, & prætermissos, quia revera sæpè fit, quod cum David, id est, Deus Amalechitas, qui interpretantur terram lambentes, id est, homines terrena diligentes, vult comprehendere, & convertere, quandoque de uno paupere homine solet ductorem, id est, Prælatum, vel prædicatorem facere, quo, scilicet, tandem mediante, & cooperante solet tales mundanos, carnales, & avaros capere, & eos per pœnitentiam mortificare, & vitam carnalem in eis occidere, & eos virtutibus & fidei subjugare. Vel pone, quod sicut Ægyptius cooperatur David ad Amalechitas vincendos, & inveniendos, sic mali cooperantur quandoque bonis ad dæmones vincendos, vel ad malos alios puniendos, ut patet de bonis Prælatis, & Principibus, qui malis Officialibus & stipendiariis utuntur ad justitiam exequendam. Apostolus Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

G Vel dic exemplariter de liberalitate, & curialitate boni Principis, qui scilicet lapsis, & remanentibus debet compati, & omnibus æqualiter condividere, & partiri. Unde dicitur Lev. 6. *Cunctis filiis Aaron æqualiter per singulos dividetur.*

Vel, si vis, allega contra malos Tyrannos, qui nunc lætantur, & luxuriantur in prædis, quas à filiis Israël, id est, à bonis Christi fidelibus rapuerunt. Sed David, id est, Christus subitò quandoque, dum non advertunt, irruit super eos, & per mortem & infortunia eos interficit, & illa, quæ rapuerunt in mundo bona, ipsis subtrahit. Unde Luc. 12. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem parasti, cujus erunt? &c.*

Capitulum trigesimum primum. Textus: Philistiim autem pugnabant adversum Israël.

Moralitatum Cap. XXIV.

SAul vulneratus à sagittariis, (pro eo, scilicet, quod totum pondus prælii versum fuit ad Saul) ab armigero suo se occidi popposcit: timens, quod Philistini venientes ipsum occiderent illudentes. Cum igitur armiger ipsum occidere nollet, ipse Saul super gladium suum incubuit, quod & armiger suus similiter, statim fecit, & sic uterque proprio gladio interiit, & defecit.

Saul Rex significat Superiorem, & Rectorem, in quem pro certo totum pondus prælii, id est, tota sarcina tentationum vertitur, in quantum Diabolus debellare Superiores præ cæteris conatur, ut scil. eorum exemplo faciliter devincantur. Sæpè igitur fit, quod postquam iste Superior à sagittariis, i. e. à dæmonibus per tentationes est vulneratus, proprio gladio, i. e. proprio consensu seipsum interficit, in quantum peccato voluntariè consentit, & in præsentia armigeri, i. e. in conspectu subditorum suorum seipsum per H vitia transverberat, & transfigit, cujus exemplo procul dubio armiger ille, id est, subditus quicunque statim ad simile provocatur, & etiam morte simili per vitia jugulatur. Sicut enim dicit Gregor. *Vitium Rectoris facile trahitur à subditis in exemplum.*

Vel dic, quod illi, qui propriis gladiis transfixi sunt, invidos, & detractores designant, qui revera proprio gladio, id est, propria invidia, vel odio seipsos ante omnia vulnerant, & doloris sui jaculo se cruentant. Psal. 36. *Gladius eorum intret in corda eorum.*

Vel dic, quod armiger Saulis est adulator Principis, qui scilicet, magistrum suum noluit interficere, quia isti Dominos suos nolunt corrigere, vel gladio veri percutere, & ideò isti Domini proprio gladio, id est, propriâ vindictâ, & potestate, quam habent, seipsos occidunt, in quantum seducti à suis armigeris, & adulatoribus, & Officialibus, & Ballivis, dicto gladio, seu dominio abutuntur. Ipsi tamen armigeri, id est, adulatores, seu mali Consiliarii, immunes non evadunt, qui scil. ipsi propriis gladiis pereunt, in quantum propter abusum potestatis sibi commissæ, spiritualiter, & æternaliter se occidunt. Istud etiam dici potest contra Confessores, & Prædicatores frequentantes curias Principum, qui scil. libentiùs solent adulari, quàm verum dicere, qui nec audent Magnates reprehendere, & sic uterque solet perire, sicut bene patet in Ezech. 3. *Ipse impius in iniquitate sua, quam operatus est, morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Et ideo talibus Superioribus loquitur Scriptura: *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Et sequitur Isa. 9. *Et erunt, qui beatificant, solventes, & qui beatificantur præcipitati.*

Mortuis Saule, & filiis ejus super montem Gelboe, venerunt Philistini ad spoliandum mortuos, & invenerunt Saulem, & tres filios ejus mortuos, & interfectos, jacentes in monte Gelboe, & præsciderunt caput Saul, & spoliaverunt eum armis suis, & miserunt per terram Philistinorum per circuitum, ut annunciaretur in templo idolorum, & in populis. Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, & suspenderunt corpus ejus in templo Bethsan. Sed viri Jabes Galaad de nocte venientes, cadavera Saulis, & filiorum ejus mortuorum de muro tulerunt, & succensa civitate secum apportaverunt, & juxta Jabes civitatem propriam sepelierunt.

Philistini, qui interpretantur poculo ruentes, sunt Dæmones, A qui, scil. poculo superbiæ inebriati, de empyreo cœlo corruerunt. Postquam igitur isti super montem Gelboe, *ubi nec ros, nec pluvia descendit*, id est, super mundi altas dignitates, & excellentias, Saul, & tres filios ejus, id est, animam, & tres potentias ejus, gladiis tentationum percusserunt, utpote, qui primum filium scil. intellectum, occiderunt per ignorantiam. Secundum verò filium, scil. affectum per concupiscentiam, Tertium filium, scil. memoriam, per gratitudinis obliviscentiam, ita quod iste cum filiis suis in bello jam mortuis jacet in terra per terrenorum affectum, & avaritiam, statim procul dubio convertuntur ad caput rectæ intentionis sibi tollendum, & ad eos armis, id est, virtutibus aliis spoliandos, & ad eorum mortem, i. e. peccata denuntiandum, publicandum, & diffamandum, ipsos quoque in muro Bethsan, id est, in mundo per affectionem affigunt, & per elationem suspendunt. Bethsan enim interpretatur domus dormientis, domus securitatis, domus abundantiæ, & fertilitatis, significans satis propriè mundum istum, qui revera est domus dormientium, id est, delitiosorum, domus securorum, id est, superborum, & obstinatorum, domus abundantiæ, id est, divitum, & opulentorum. In ista igitur civitate, id est, mundo, mortui peccatores suspenduntur, & ibi per affectionem nimiam affiguntur. Unde dicitur Jud. 14. *Suspendite caput Holofernis super muros.* Viri verò Jabes Galaad, id est, justi, cadavera talium tollunt, in quantum, scil. malam malorum vitam, & mortem memoriter recipiunt, & in corde suo sepeliunt, & abscondunt, & sic ex consideratione malorum seipsos corrigunt, & convertunt. Unde Proverb. 14. *Per agrum pigri hominis transivi, & ecce totum operuerunt vepres, & spinæ. Quod cum vidi, adhibui cor, & exemplo didici disciplinam.*

Vel etiam de de cadavere, id est, de morte pœnæ potest intelligi, quia revera quando aliquis Tyrannus à Dæmonibus occiditur, suspenditur, & in inferno necatur, in justi corde sepeliendus est, ut pœna tali caveatur. Psalm. 57. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

Moralitatum Primi Libri Regum FINIS.

MORA-

Digitized by Google

B

MORALITATUM LIBER DECIMUS
In Secundum Librum Regum.

Capitulum primum. Textus : Factum est autem, postquam mortuus est Saul.

Moralitatum Cap. I.

DRætermitto adulationem Amalechitæ, qui Saulis coronam portabat, & atmillam, qui etiam Saulem se occidisse jactabat, ex quibus David gratiam se adipisci sperabat, sed tamen David ipsum protinùs interfecit.

In quo notari potest, quod Rex, Princeps, vel Prælatus non debet adulatores audire, vel recipere, nec eos, etiamsi munera offerant, & sic etiam inimicos suos se gravasse asserent, diligere, sed potiùs corrigere, vel punire.

Vel dic, quod quandoque homo credit inde reportare præmia; unde reportat damnum, vel vituperium. Unde Hierem. 14. *Expectavimus pacem, & ecce turbatio.* Prætermitto etiam de planctu David, & maledictione montium Gelboe, nec non de adventu David in Hebron cum duabus uxoribus, per quod designant quidam Christum ad Ecclesiam cum duobus populis venientem, & ibi etiam regnantem, &c. Et etiam transeo de morte Azahelis cursoris velocissimi.

Veruntamen sterilitas per montes, ubi nec ros nec pluvia cadebat, post imprecationem istam secundùm aliquos accidit, quinimò ex tunc steriles fuerunt, qui ante fertiles fuerant, cæteri verò montes à Domino fuerunt visitati.

Per istos verò à visitatione Domini destitutos possunt intelligi quidam obstinati incorrigibiles peccatores, in quibus scil. nec ros devotionis, nec pluvia misericordiæ, aut compassionis potest cadere, quinimò semper sicci, indevoti, & quoad bona opera steriles permanere volunt, cæterisq; vicinis, & sociis prosperantibus, & lætantibus, & virtutum, & operum copiâ exuberantibus, isti soli consueverunt steriles permanere, ita scil. quod eos Dominus quasi desperans de ipsorum salute, non visitat, scil. inspirando, vel corC rigendo, imò ipsos in propria sterilitate dimittit, de eorum salute, ut apparet prima facie, non curando. Unde istis videtur dicere illud Ose. 4. *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ.* Ista etiam quantùm ad quosdam miseros possunt applicari, qui, scil. in temporalibus sunt infortunati, quod nullum bonum potest eis evenire. Undè talibus potest dici illud Ezech. 35. *Lætare universa terra, in solitudinem te redigant.*

Dicitur cap. 2. *Azahel erat cursor velocissimus, sicut unus ex capreis, qui est in campis.* Iste igitur persequebatur Abner Principem exercitus Israël, & quamvis ipsum Abner dulcibus verbis à persecutione retraheret, cessare tamen noluit, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinavit. Quo viso Abner, aversâ hastâ, ipsum in inguine percussit, & statim mortuus cecidit.

Istud exponitur moraliter de Prælatis, & subditis, quia Abner dux, qui interpretatur, patris lucerna, intelligitur esse bonus Prælatus, per Azahel verò cursorem intelligitur instabilis subditus, & protervus, vel aliquis malus Princeps, quia pro certo quandoque contingit, quod Azahel, id est, aliquis malus, & protervus subditus Principem, & Ducem Ecclesiæ Prælatum persequitur, & tunc primò debet ipsum dulciter movere, & à cœpto malo proposito benigniter refrænare. Qui si cessare noluerit, tunc hasta severæ sententiæ debet adhiberi, utpote quia tunc debet excommunicari, vel acriùs castigari. Veruntamen ista hasta dicitur aversa fuisse, quia revera Prælatus debet cautè, quantò plus potest, & quasi hastam virium advertens, peccatorem ex obliquo percutere, vel arguere, ut sic possit à superbia sua cadere, & à furore malorum operum cessare, qui si ex directo percuteretur, posset faciliter ampliùs insanire. Quod potissimè in correctione Principum debet esse, quia pro certo, nisi isti ex obliquo, & ex indirecto percutiantur, sed potiùs apertè, & evidenter aggraventur, statim in furiam convertuntur, & sic nullatenus superantur: lignum enim, & non ferrum debet ad istos verti, & obtusa correctione, non aspera, debent percuti, & sic solent faciliùs per humilitatem cadere, & per pœnitentiam mortificari, & per disciplinam debitam superari. Unde Seneca dicit: *Parcendo melius vinces, quàm puniendo.*

D Vel dic, quod Abner est Diabolus, qui patris lucerna pro eo dicitur, quia luce limpidi intellectus vigere dignoscitur. Azahel autem, qui interpretatur videns Deum, virum justum significat, qui Deum per contemplationem vider, & contra Diabolum diligenter currit, & pugnat. Igitur sæpè fit, quod Azahel iste, id est, homo justus propriam fragilitatem non attendens, sed de cursu bonorum operum suorum plus debito præsumens, Abner, id est, Diabolum nimis ardenter insequitur, & ex viribus propriis contra ipsum prævalere conatur. Quod videns Diabolus, statim aversâ hastâ, id est, aliqua tentatione indirecta ipsum percutit, utpote quia præteritas carnis delitias sibi ad mentem reducit, & in inguine, id est, in genitalibus per luxuriam ipsum lædit, & sic spiritualiter occiditur, qui indiscretè, & ultrà vires Diabolum impugnare se credit, & qui de propriis viribus ultrà posse confidit. Quod potissimè ad novitios religiosos, & conversos pertinet, qui in principio plùs debito sunt ferventes, quapropter faciliter delinquunt, & maximè per luxuriam, in qua cadunt. Ideò benè docet Apostolus 1. Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.*

Vel dic, quod Diabolus homineni, aversâ hastâ, in inguine percutit, quando de peccato contra naturam ipsum tentat & lædit.

Capitulum tertium. Textus : Facta est ergo longa concertatio inter Domum David, & inter domum Saulis.

Moralitatum Cap. II.

ABner, qui interpretatur patris lucerna, ad David uxorem suam Michol reducens, quam vir suus sequebatur plorans, per Joab ad medium portæ reducitur, à quo in dolo loquente percussus in inguine occiditur.

Sic verè dum lucerna fidei, id est, prædicator nititur ad Deum David, id est, ad Christum, uxorem suam, id est, Ecclesiam reducere, & à viro carnali, id est, à mundo, & à mundi amore sejungere, & omnes tribus Israel, omnia genera hominum cum ipso confœderare: sæpe fit, quod Joab Diabolus ipsum dolosè per tentationem ad se reducit, & in inguine ipsum per luxuriam percutit, & sic eum in medio portæ spiritualiter occidit, dum medietatem virtutum suarum, scil. bonam vitam sibi subtrahit, aliam verò medietatem, scilicet, doctrinam solùm dimittit sibi, ita quod ille sic dimidiatus, & in medio positus, potest dicere Isa. 38. *Ego dixi, in medio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Justus ex duobus constat, ex vita, scilic. & doctrina, sed quando unum illorum tollitur, tunc in medio constituitur, & spiritualiter mediatur.

Capitulum quartum. Textus : Audivit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron.

Moralitatum Cap. III.

ISboseth Rex Israel dormiebat super lectum suum in meridie. Ostiaria autem domus purgans triticum, obdormiebat, dum purgabat. Habebat autem idem duos viros Principes latronum Rechab, & Baana fratres, qui tollentes spicas, & videntes dormire regem, domum ejus latenter intraverunt, spicas tritici assumentes, & in inguine percusserunt, & eum impiè jugulantes, caput ejus in Hebron ad David detulerunt, & exindè reportare præmium crediderunt. Veruntamen David istud ipsorum facinus abhorruit, & quia innocentem occiderant, ipsos statim interfici fecit.

Ista exponunt Sancti moraliter sic: Dicunt enim, quod Isboseth Rex Israel significat spiritum, seu animam, quia pro certo ille semper habet in custodia sui virum, & mulierem, id est, rationem fervidam, vel inertem. Ista igitur est veritas, quod quando Isboseth, id est, animus noster constituit sibi custodem ostiorum, id est, sensuum, non virum, sed mulierem, id est, non rationem virilem, & discretam, sed magis tepidam, atque mollem, revera sæpè fit, quod dum ista ancilla ostiaria, id est, tepida ratio, triticum debet purgare, id est, virtutes, à vitiis separare, ipsa in delectationibus dormit, & curam sollicitudinis, & vigilantiæ per negligentiam derelinquit, & statim veniunt latrones, id est, dæmones, vel tentationes, quæ spicas, id est, virtutes deprædantur, & domum mentis, id est, januas sensuum ingrediuntur, & regem istum, scilicet animam lapsam dormientem, & emollitam, per calorem meridianum, & per concupiscentiæ fervorem invenientes, statim contra eam debacchantur. Et quia homo citiùs inclinatur ad luxuriam, quàm ad alia vitia, ideò ipsum dicuntur primo in inguine, id est, in carne per luxuriam percutere, & sic per consensum, caput, id est, mentem solent sibi subtrahere, & per diversa vitia ipsum capere, & gravare. Et sic Isboseth, qui interpretatur vir confusionis, custode fœminâ, moritur, quando animus, qui sui custodiam non virum, sed fœminam, id est, non virtutem, sed mollitiem posuerat, à spiritualibus hostibus jugulatur. Fortis enim, & vigil sensus vigilans, non dormiens, nec negligens, seu muliebris apponi debet, ut fores cordis custodiat, *quem scilicet nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat,* secundùm Gregorium. Unde janitori præcipit, ut vigilet, Marci 13.

Vel dic, quod Rex est Prælatus malus, vir confusionis, & vanus, qui scil. in domo sua, & in statu suo dormiens, & in honore susceptо plùs debito se delectans, in portis domus suæ, id est, in curis, & negotiis hospitii sui, nec non in beneficiis Ecclesiæ, vel in judiciis, quæ antiquitùs fiebant in portis, quandoque ponit, & assignat mulieres, & non viros, personas molles, & non homines virtuosos, qui etiam in delitiis dormiunt, nec ad opera sibi injuncta invigilant per diligentiam, aut attendunt. Sic ergo fit, quod Latrones, & Tyranni, & eorum Officiales, & Ballivi, istorum domos, id est, Ecclesiarum possessiones intrant, & spi-

F

Digitized by Google

& ſpicas, id eſt, divitias eorum rapiunt, & devaſtant, caputque id eſt, capitale iſtius regis auferunt, & obripiunt. Et quia ſic dormientes, & negligentes inveniunt, ideo bona ipſorum tam Prælatorum quàm ſubditorum rapiunt, & devaſtant. Non debet ergo Superior negligenter dormire, nec in Eccleſiarum januis, officiis, & beneficiis muliebres, & ſomnolentos, & deſides inſtituere, & locare, ſed potiùs viros, id eſt, virtuoſos & vigiles ibi ordinare. Bene ergo dicitur Luc. 2. quod *paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.*

Vel dic ad litteram, quod multi ſunt hodiè Eccleſiaſtici, vel Prælati, qui ad cuſtodiam camerarum ſuarum non habent viros, ſed mulieres, quapropter latrones, i. e. vitia iſtos opprimunt, & etiam latrones mundi, i. ſæculares Principes eos per rapinas confundunt.

Vel dic, contra proditores, quos ſcil. David, id eſt, bonus Prælatus non debet diligere, imò dato etiam, quòd in favorem ejus proditionem faciant, debet tamen eorum facinus abhorrere, & eos ſeveriter caſtigare, Exemplo Alexandri Magni, qui duos Principes Darii, qui ipſum fugientem occiderant, & inde gloriam ab Alexandro ſperabant, ſuper ſepulchrum ipſius Darii fecit ſuſpendi, ſicut ſcribitur in libro Philoſophorum moralium Cap. de Alexandro.

Vel, ſi vis, allega contra eos, qui tenent ſecum malos homines, homicidas & latrones, quia iſti quandoque in ſuum proprium magiſtrum inſurgunt, & eum deprædantur, vel perimunt, & occidunt. Exemplum de Actæone, quem canes ſui comederunt. Exemplum etiam iſtis noſtris temporibus de Duce Athenarum, quem ſui proprii ſtipendiarii proditionaliter occiderunt. Iſte enim niſi ſecum latones tenuiſſet, nunquam per eos occiſus fuiſſet. Benè ergo docetur Eccl. 9. *Juſti viri ſint tibi convivæ.*

Capitulum quintum. Textus: Et venerunt univerſæ tribus Iſraël ad David.

Moralitatum Cap. IV.

HDAvid cum iret debellare populum Jebuzæum, qui habitabat in Hieruſalem, dictum eſt ſibi ſic: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.* Promiſit ergo David ducatum, ſeu Principatum illi, qui prius Jebuzæum percuteret, & qui fiſtulas dogmatum tangeret, & qui cæcos & claudos, odientes animam David, abſtuliſſet. Quæ omnia Joab feciſſe legitur, & ideò ex tunc exercitûs Princeps factus fuit, ſicut hic, & alibi reperitur 1. Paralipp. Cœpit igitur David arcem Sion, & eam ædificavit, & in ea habitavit.

Dic, ſi vis, myſticè, quod David eſt Prælatus, Superior, cujus ſcil. cura debet eſſe Hieruſalem, i. e. Eccleſiam vendicare, & eam de manu Jebuzæorum, & Tyrannorum, vel Vitioſorum penitùs liberare, & exinde claudos, id eſt, vacillantes in fide, & moribus, & cœcos, & ignorantes, & obſtinatos penitùs abdicare, & ab Eccleſiæ promotionibus effugare. Unde hic dicitur 2. Reg. 15. *Cœcus, & claudus non ingrediantur in templum Domini.* Quid ergo debet facere iſte David, ſc. Prælatus ſuperior? Pro certo ipſe debet edictum proponere, quod ille ſubditorum ſuorum in exercitu Eccleſiæ erit Dux, & Prælatus, & beneficiatus, & præmiatus, qui ad hujuſmodi opera erit primus, ipſumque debet ducem, i. e. Prælatum, & Officialem, vel beneficiatum in Eccleſia facere, qui Jæbuzæos, i. e. Tyrannos, & peccatores ſciverit per prædicationem percutere, fiſtulas, & aquæ ductus malarum ſcientiarum reprehendere, & tangere, & cœcos, & claudos, i. e. malas perſonas obſtinatas, & malitioſas, quæ, ſc. animam David, i.e. bonum Prælatum, ut communiter, odiunt, eradicare penitùs, & auferre, & ſic iſte talis poterit Joab, qui interpretatur pater, comparari, qui ſc. pater, & ſuperior merebitur ab aliis appellari, & tanquam paſtor, & pater, major præ aliis ordinari. Iſa. 9. *Pater futuri ſæculi, Princeps. Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.*

Si vis, dic moraliter, quod David eſt Deus, qui Hieruſalem, id eſt, animam à Jebuzæis, id eſt, à malis cogitationibus mundat, & fiſtulis malæ doctrinæ eam evacuat, claudos, id eſt, claudicationem malitiæ, vel inconſtantiæ; cœcos, id eſt, cœcitatem ignorantiæ inde fugat, & ipſam virtutibus ædificat, & in arce Sion, id eſt, in ſpelunca mentis ſpiritualiter habitat, & ibi per gratiam perſeverat. Pſalm. 124. *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.*

Vel dic de Chriſto, qui ut habitaret in arce Sion, id eſt, in utero Virginis glorioſæ, voluit indè Jebuzæum, & cœcos, & claudos auferre, &c. ut ſupra.

A Vel dic allegoricè, quod Hieruſalem, i.e. Eccleſia, à qua Chriſtus Jebuzæum, i.e. gentilitatem ejecit, percuſſit, & deſtruxit, cæcos, & claudos, i.. Phariſæos, & ſcribas abſtulit, fiſtulas omnes falſæ ſcientiæ, & malæ doctrinæ fregit, & eam virtutibus, bonis perſonis ædificavit, & ibi per fidem, & gratiam habitavit, & Joab, id eſt, Patres ſpirituales, Prælatos, & Prædicatores eſſe majores in Eccleſiæ exercitu ordinavit. Unde Apoc. 2. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipſi populus ejus erunt.*

Vel, arx Sion eſt religio, quæ magis eſt alta, & ſpeculatrix æternorum, quæ interpretatur ſpecula. Iſtam igitur Chriſtus in Hieruſalem, in Eccleſiam ædificavit. & eam habitationi propriæ deputavit. Dicens Pſal. 131. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Hic habes, quomodo David fuit inunctus ſuper totum Iſrael, & dico, quod legitur, David ter inunctus fuiſſe. Primò 1. Reg. 16. in Bethlehem, in ſignum Regis futuri. Secundò in Hebron ſupra domum Juda, ut patet 2. Reg. 2. Tertiò ſuper totum Iſraël etiam in Hebron, ſicut hic patet.

Sic dico verè, quod Electi tripliciter à Deo oleo conſolationis unguntur. Primò per gratiam, ſecundò per animæ gloriam, tertiò in reſurrectione per corporis ſtolam: Pſal. 44. *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præconſortibus tuis.*

Capitulum ſextum. Textus: Congregavit autem rurſum David omnes electos ex Iſraël.

Moralitatum Cap. V.

DAvid ducente arcam Domini in Hieruſalem, & eam cum univerſo populo, & inſtrumentis muſicis inducente, contigit, quod boves calcitrarent, & arcam plus debito declinarent. Quod videns Oza ſacerdos, manum ad tenendum appoſuit, & ſtatim indignatus Dominus ipſum in temeritate ſua percuſſit, qui continuò mortuus periit, & defecit. Cauſas autem iſtius percuſſionis aſſignat ſcholaſtica hiſtoria, dicens, quod aliqui dicunt, quod illud accidit ſibi, quia tetigerat arcam, cum non eſſet ſacerdos. Alii dicunt, quia poſuerat arcam ſuper plauſtrum, cum ipſam humeris portare deberet. Alii dicunt, quod nocte illa dormierat cum uxore ſua, & ideo à tactu arcæ debuerat abſtinere. Videns igitur David Ozam percuſſum, introducere arcam in domum ſuam timuit, quapropter ipſam in domum Obededom declinavit, verùm quia illi Dominus benedixit, ipſam poſtea David in propriam domum B introduxit.

Allegoricè arca iſta Chriſtum, & ejus fidem ſignificat. David verò Populum Judaicum deſignat, quia verè dato, quod David, i.e. Populus Judaicus arcam iſtam, i. Dei filium in principio deduceret, & cum jubilis, & canticis in ipſum crederet, & ſperaret, & de adventu ipſius congauderet; veruntamen ſic factum eſt, quod David, id eſt, Populus Judaicus, quando iſtam arcam, id eſt, Dei filium ſuper plauſtrum novum, id eſt, in pura humanitate portatum vidit poſitum, & Deum factum hominem prædicari audivit, ſtatim hujuſmodi arcam, id eſt, Chriſti incarnati fidem recipere formidavit, quapropter ad alienam domum, i.e. ad gentilem populum iſta arca, ſcil. Chriſtus, cum fide ſua tranſiit, propter quod ipſe Dominus continuè benedicit ipſum, finaliter tamen David, id eſt, Judaicus Populus, iſtam arcam, id eſt, Chriſtum, & ejus fidem recipiet, & eum in domum ſuam introducet, cum ſcil. juxta verbum Apoſtoli, *intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſalvus erit.* Rom.

Vel, ſi vis, allega hic contra mundanos amicos, qui, ſcilicet amici ſunt, quamdiu vident proſpera, dimittunt verò hominem, quando inſtant pericula, & adverſa. Iſtud potiſſimè eſt contra Eccleſiaſticos, qui, ſcil. more David videntes, quod arca in Eccleſia, homines occidebat, ſcil. in principio, quando, ſcil. quaſi omnes Epiſcopi, & Clerici martyrizabantur, ipſam dimittebant, & de ejus ſtatu & beneficio non curabant, & eam Obededom, id eſt, veris C Martyribus relinquebant. Nunc autem quia vident, quod iſta arca, ſcilicet Eccleſia, non occidit homines, ſed potiùs eos in temporalibus benedicit; ideò quilibet eam exemplo David habere contendit, ipſamque & ejus dignitates jucundè recipit, & admittit. Breviter ergò, multi ſunt, qui onera, & pericula ſolent aliis dimittere, lucra verò, & commoda, quando occurrunt, ſolent pro viribus vendicare.

Vel iſta allegantur de Corpore Chriſti, quod ſignificatur in arca, quia ſcilicet, quando ab indignis recipitur, ſæpè fit, quod mortem animæ & corporis ſortiuntur. Unde Apoſtolus 1. Cor. 1. *Qui manducat & bibit Corpus & Sanguinem Domini indignè, judicium ſibi manducat, & bibit.* indignus autem reputatur ille, qui per carnis delectationem ſe maculat, & ille qui Sacerdotis, i. e. ſacri ducis mores, & ſanctitatem repudiat, & ille qui onus pœnitentiæ impoſitum, quod portare debuerat, non per ſe, ſed per alium circumportat, qui, ſcilicet, aliis pœnitentiæ onus imponit, & illud movere cum digito nunquam curat. Tales igitur ſuper temeritate, & indignitate ſua à Deo percutiuntur, & tactu Sacramenti Corporis Domini indigni reputatur, & quandoque miraculosè occiduntur. Quod conſiderans David, id eſt, juſtus, debet timere, quandoque ex reverentia à receptione arcæ, id eſt, à perceptione Sacramenti ceſſare, & pœnas indignè recipientium ultra formidare: *Celebrare enim quotidie nec laudo, nec vituperо*, dicit Auguſtinus. Unde de tali timore poteſt dici illud Pſalmo. 57. *Juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* Vel dic, quod arca ſignificat Prælatum, ut viſum eſt Exod. 25. Boves, qui trahunt arcam, carnales parentes ſignificant, ſeu quemcunque carnalem affectum. Plauſtrum verò novum deſignat ipſius Prælati dignitatem, & ſtatum, & maximè novitor ſibi

Digitized by Google

ter sibi datum,Oza, qui Sacerdos non erat, & cum uxore dormierat,significat carnalem subditum,& insufficientem,& imperfectum, à sacerdotio, id est, à sacerdotum moribus alienum, & à sacerdotali dignitate semotum. Si igitur contingat arcam super plaustrum novum positam,id est, Prælatum super novam dignitatem constitutum in moribus vacillare, & per recalcitrationem boum interiorum,id est,motuum carnalium,& boum exteriorum, id est, amicorum carnalium,& sæcularium à rectitudine justitiæ declinare, non interest Ozæ primò,id est,cuilibet subdito, & maximè qui non est Sacerdos,id est,homo scientificus,vel perfectus; sed potiùs qui cum uxore jacuit,id est,quando est carnalis, luxuriosus, vel infectus, in istam arcam,id est,in Prælatum manum mittere,id est, ipsum corrigere,vel arguere, vel obloquendo de ejus vacillatione se intromittere,quinimo magis debet sub dissimulationis diverticulo pertransire. Alias si irreverenter illam arcam tangeret, mortem æternam, pro temeritate præsumptionis suæ facilè poterit reportare. Ad quod facit illud de historia tripartita, quod scil. Constantinus Imperator de criminibus Episcoporum noluit judicare, sed potiùs libellos contra eos oblatos voluit concremare. Cuilibet igitur oblocutori potest dici illud supra. *Quare non timuisti manum mittere in Chri-*
D *stum Domini?* 2. Reg. 1. Similiter etiam habes supra 1. Reg. 26. Et,sicut dicitur 2. Reg. 1. David fecit illum occidi,qui manum in regem Saulem jactaverat se misisse, ad denotandum, quod illi subditi digni sunt pœnâ, qui per rebelliones, & diffamationes contra Prælatos proprios movent bella. Ista tamen sunt contra multos subditos, qui quamvis sint pessimi, non cessant tamen Prælatos suos tangere,& obloquendo, seu molestando vexare, cùm dicatur Exod. 28. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.*

Ex eodem Capitulo sexto. Textus. Nuntiatum est Regi David, quod benedixit Dominus Obededom.

Moralitatum Cap. VI.

CUm David duceret arcam Domini in domum suam, mira exultatione gaudebat,& accinctus ephot lineo, organa manu tangebat,& cum choris, & buccinis, coram Domino saltabat, & ad quoslibet sex passus bovem, & ovem Deo immolabat, & sic honorem regium humilitate prævia in laudem Domini captivabat. Quem uxor sua Michol filia regis Saul vilipendens cœpit redarguere, & istis verbis lætitiam ejus increpare: *Quam* (inquit) *gloriosus fuit Rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est,quasi nudetur unus de scurris?* Cui David legitur respondisse, dicens: *Ludam, & vilior fiam, & humilis ero in oculis meis,& in conspectu Domini,qui elegit me.* Ista possunt allegari exemplariter,quomodo nulla potest esse tanta potentia, tanta majestas,tanta sublimitas,tantaque felicitas,vel prosperitas, quin quando de reb. divinis agitur, & quando ad cultum Dei, & ejus honorem venitur, statim debet humiliari, vestibus prosperitatis mundialis exui,& per compassionem, & contritionem mundari, Ephot lineo, id est,munditiâ cordis indui, & lætitiâ mentis repleri, saltus bonorum affectuum facere, & sacrificia bonorum operum adimplere, ovemque innocentiæ, & bovem fortitudinis, & constantiæ per singulos sex passus, id est, per senarium operum misericordiæ
E Domino offerre, & immolare. Et dato quod Michol filia regis, id est,quæcunque nobiles personæ actus, & humilitatem ipsius reprehendant,non debet tamen propter hoc cessare, sed gloriam sibi datam Deo attribuens,debet devotionem, & humilitatem mundi, scil. festivitatibus anteferre, & sic in eo verificabitur illud Eccl. 3. *Quantò major es, humilia te in omnibus.* Constat enim, quod superbi humiles vilipendunt. Michol David in corde suo despicit, quando fastum superbiæ præmittit. Job. 12. *Diridetur justi simplicitas.* Vel dic,quod mulieres quandoque viros suos,qui sunt devoti, & humiles,despiciunt, & eos, quando sunt superbi, & fastidiosi,ampliùs diligunt. Vide hic si vis, pulchram glossam Gregorii de humilitate David.

Capitulum decimum. Textus. Factum est autem post hæc, ut moreretur Rex filiorum Ammon.

Moralitatum Cap. VII.

DAvid cum misisset servos suos ad consolandum Hanon regem super mortem patris sui, qui de novo decesserat; Ille credens, quod ad explorandum venissent, nuncios illos valde vituperavit. Barbas enim medias rasit, & vestes medias usque ad nates præscidit, & sic eos ad David Dominum eorum remisit. Quod David cognoscens, misit eis obviam, & ut, quousque barbæ eorum recrevissent, manerent in Hiericho, ipsis mandavit, Ammonitas tamen severiter postea vindicavit, quia, scilicet, Hanon regem occidit, civitatem ejus Rabath destruxit, & sibi suum populum subjugavit. Illud potest allegari exemplariter, quod vitium ingratitudinis durissimè vindicatur. Iste n. consolatorem derisit, & ser-

vos ipsius confudit,quapropter ipse, & populus suus finaliter periit. Vel dic,quomodo mala suspicio multoties est causa multorum malorum, quia,scilicet, iste propter malam suspicionem, exploratores istos servos David legitur dehonorasse, & ex hoc damnum, non præmium reportasse. Vel dic, quod mali consiliarii sunt quandoquè causa multorum malorum; principes enim Hanon leguntur sibi consilium illud dedisse, propter quod ipse, & Principes sui leguntur pœnas lugubres persolvisse. Vel dic moraliter, quod David est Christus, servi sui sunt Ecclesiastici, vel etiam quilibet Christianus. Ammon autem, qui interpretatur dolor, Diabolum significat, & populus Ammonitarum, qui interpretatur populus mœroris,& malorum spirituum, peccatores significat. Ista igitur est veritas, quod Hanon Rex filiorum Ammon, id est, Diabolus Rex omnium malignorum,qui sunt populus mœroris &æternæ tristitiæ, F
damnatorum spirituum,servos David,id est, Ecclesiasticos, vel fideles summè nititur spiritualiter deturpare,& in persona eorum ipsum David,id est, Christum offendere, & gravare. Cum enim servorum Christi formositas in duobus consistat, scil. in barba prudentiæ, & virilitatis, & in vestibus honestæ apparentiæ, & honestatis, Diabolus in istis duobus ipsos detruncare satagit, & eos per tentationes,& delectationes,in virilitate, & honestate dimittit. Sic enim fit, quod istos à virilitate effœminat, & à sapientia hebetat, & sic barbam dimidiam eis truncat. Quod potissimè fit, quando discretionem,quæ per barbam intelligitur, eis dimidiat, utpote quia discretionem temporalem eis dimittit, & spiritualem ejus penitus detruncat. Isa. 15. *Omnis barba radetur in triviis.* Ultra hoc etiam vestes honestatis multis præscindit, & eos per luxuriam inficiens, nates eorum, id est, ipsas partes verecundas, hoc est dictum, ipsa opera suæ luxuriæ denudat omnibus,& ostendit,& sic hodie Diabolus servos David, id est, multos viros Ecclesiasticos vituperat, & confundit,& vituperabiles eos reddit,in quantum barbam prudentiæ,& vestes decentiæ eis tollit. Unde Isa. 2. *Ambulavit servus* G
meus Isaias nudus,& discalceatus. Et ibidem: *& discoopertis natibus.* Ista potissimè dici possunt de hypocritis, qui, scilicet, barbas & vestes medias perdiderunt, in quantum virilitatem & honestatem exteriùs retinent, illam verò, quæ intùs in conscientia debet esse, penitùs amiserunt, ita quod isti sic dimidiati possunt dicere illud Isa. 38. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, &c.* Quia igitur pro certo tales sic denudati, non sunt digni coram David, id est, coram Christo, nec in Ecclesia militante, nec triumphante apparere,ideo in Hiericho,quæ interpretatur odor ejus, id est, in pœnitentia,quâ nihil suavius redolet Deo, debent manere, ut sic barbam amissam,id est,virilitatem, & virtutem possint acquirere, & sic se dignè Deo præsentare, & coram Deo in paradiso, vel etiam in beneficiis Ecclesiasticis ministrare. Unde Exod. 23. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Iste autem David, id est, Christus finaliter contra istum regem filiorum Ammon, id est, Diabolum in Judicio dimicabit, & civitatem, id est, reproborum congeriem igne perpetuo concremabit, & eum interficiet, & damnabit, & sic electorum suorum casus, & injurias, quas Diabolus nunc attentè persequitur, vindicabit. Vel dic, quod isti semiberbes significant proditores,& fallaces, qui, scilicet, mediam barbam non habent, in quantum bona intentione carent. Vel dic contra inconstantes, qui,scilicet, pro media parte sunt fœminei, & imbecilles, in quantum nunc sunt desides, nunc viriles. Istam figuram credo me exposuisse in sermone. *Lætare Hierusalem.* Vel dic, quod barba,id est, virilitas servorum David, id est, virorum Ecclesiasticorum duas partes debet habere, scilicet, sanctam vitam, & bonam doctrinam. Sed pro certo Diabolus unam istarum partium multis solet aufferre,in quantum scilicet, bonam vitam solet ab eis tollere, sanam verò doctrinam solet eis dimittere, & sic isti valdè à Diabolo deturpati dicuntur, quia pro certo nihil Ecclesiastico turpius, quam quod malè vivat, & prudenter, & scientificè prædicet, & loquatur. Non est enim ita turpe nihil scire, quàm malè vivere, & multa scire. Ideò dicitur Jacob. 4. quod *scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* In isto capitulo habes, quod multæ nationes, quibus filii Israel aliquando servierant, id est, Philistini,Edom & Ammon,ipsis subjectæ factæ fuerunt, & eis versa vice servierunt. Hoc ad fortunam rerum potest applicari, quæ, scilicet, volvitur, ita quod illi, qui aliquando dominati fuerant, subjugantur, & qui servierant, dominantur, sicut in mundi nationibus plurimis invenitur. Unde Hier. 49. *Possidebit Israel possessores suos.* Vel dic moraliter, quod virtute David, id est, gratiâ Christi accidit, quod homo, qui aliquando aliquibus malis nationibus, & variis peccatis servierat, ipsis subjectis, superior efficitur, ita quod sibi spiritualiter famulantur, in quantum recordatio ipsorum ipsius humilitatem perficit, & sic ad bonum ipsius ordinantur. Isa. 14. *Erunt capientes eos, qui se ceperant, & subjicient exactores suos.*

Digitized by Google

Capitulum undecimum. Textus. Factum est autem vertente anno, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere.

Moralitatum Cap. VIII.

H HIc habes de peccatorum David gradibus. De ambulabat enim in solario domûs. Ecce otiositas. Vidit balneantem se Bersabee. Ecce curiositas. Cupivit, ecce malè consentiens voluntas. Imprægnavit. Ecce luxuriæ voluptas. Virum ejus revocans, ipsum ad dormiendum cum ea inducit. Ecce excusationis fallacitas. Tandem ipsum proprias literas mœroris sui deferentem interfici jussit. Ecce proditionis, & homicidii temeritas. Sic igitur patet, quomodo unum peccatum ad aliud trahit, & quomodo de modico ad majus pertransitur. Hier. 6. *De malo ad malum egressi sunt.* Urias occisus est propter literas, quas portavit, sic Christus, & sancti propter doctrinam Evangelicam, quam docebant. Vel dic, quod diabolus illum per tentationes libenter occidit, quem cum literis, vel scientiis esse cognoscit. Vel dic, quod Urias significat Judæos, vel etiam malos scientificos, qui scilicet, portant literas mortis suæ, in quantum, scilicet, ex literis, quas noverunt, mors illis sempiterna ducatur. Sicut patet in malis Prælatis, vel prædicatoribus, qui semper solent contra se prædicare. Vel etiam de Judæis, qui nolunt credere, quod scriptura sua docet. Et mortem æternam merebuntur ex suis literis reportare. Apost. 1. Cor. 3. *Litera occidit.* Vide supra lib. 7. de columba.

Capitulum duodecimum. Textus. Misit ergo Dominus Nathan ad David. Qui cum venisset ad eum.

Moralitatum Cap. IX.

HIc habes, quomodo David fuit à Nathan reprehensus sub figura ovis subreptæ. Peccatum suum humiliter recognovit, & propriarum suarum uxorum sibi futura adulteria indicavit, dicens: A *Uxores tuas in oculis tuis dabo proximo tuo, & dormiet cum eis in conspectu solis hujus.* Illud allega exemplariter, quod nullus, quanquam sit Rex, vel magnus, debet esse ita protervus, quin quando peccasse se cognoscit, & super hoc à Nathan Propheta, id est, ab aliquo prædicatore, vel Prælato, vel alio bono viro redarguitur, debeat se humiliter habere, & peccatum suum recognoscere, & emendationem promittens veniam postulare. Unde dicitur Eccl. 3. *Quantò major es, humilia te in omnibus.* Vel dic, contra adulteros, quibus justo Dei judicio sæpe contingit, quod sicut aliorum uxores maculant, sic & alii uxores eorum fœdent, juxta illud Sap. 11. *In quo peccat quis, in hoc punietur.* Illud, quod ponitur hic, scilicet, quod Joab videns, quod capienda erat Urbs aquarum, scilicet Rabath, mandavit David, quod veniret, &, ne sibi victoria ascriberetur, civitatem caperet, & deleret. Ad hoc potest allegari quod Joab miles, id est, quicunque justus nunquam debet sibi victoriam contra diabolum ascribere, sed totum David, id est, Deo attribuere, & dato, quod per se possit tentationem vincere, tamen David, id est, Christi auxilium implorare debet, & ei, non sibi, victoriæ laudem dare. Ad quod etiam applicant aliqui illud Apoc. 4. *Viginti quatuor seniores coronas suas accipiebant, & in conspectu throni ponebant*, ad denotandum, quod corona nostra, id est, gloria victoriæ nostræ, si quam habemus, Deo est attribuenda, & in conspectu throni majestatis suæ per humilitatem proprio capiti tanquam non habita, ex proprio capite deponenda, & ei, qui eam dedit, reddenda, & per gratiarum actionem ascribenda, qui, scilicet, ipse est, qui dat coronam gloriæ triumphanti. Ps. 20. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Factum est autem post hæc, ut Absalon filii David sororem.

Moralitatum Cap. X.

B AMnon Primogenitus David, Thamar sororem suam, fingens se infirmum, pro faciendis sibi forbitiunculis à patre petiit. Quam repertam de concubitu requisivit, & renuentem oppressit. Qui tandem post concubitum, ipsam mirabiliter odivit, & à se corruptam, & violatam ejecit. Talis amor, qui ex corruptione nascitur, faciliter in odium vertitur, & nunquam perseverare probatur, ut sæpè videmus, quod matrimonia, quæ ex tali amore proveniunt, malo fine multoties terminantur, unde dicitur Matt. 15. *Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabatur.* Vel dic, quod iste primogenitus David est Lucifer, qui *fuit principium viarum Dei.* Job. 40. Quia pro certo sororem suam, id est, animam rationalem libenter per peccatum mortale corrumpit, & concubitum maledictionis, & consensûs ab ea petit, & sub spe fraternitatis, id est, sub colore boni ipsam opprimit, & confundit. Quâ cum usus ad diversa vitia pro libitu fuerit, ipsam de domo sua, id est, de mundo per mortem ejicit, & excludit, & ita falso amore, quem prætendit, in perpetuum odium commutato, ipsam vilem in infernum expellit. Ideò benè dicitur, quod *majus fuit odium, quo oderat eam, amore, quo ante diligebat.* Ista igitur per janitorem expulsa, talarem tunicam, quæ erat vestis filiarum Regis, legitur concidisse, & positis manibus super caput cinere conspersum clamans, & ejulans recessisse. Sic misera anima peccatrix, & corrupta, nunquam de cætero digna dici Regis Christi filia virgo, talarem tunicam, id est, gratiam, & charitatem scindit, cinerem, id est, acerbitatem perpetui remorsûs induit, clamans, & ejulans, id est, dolens, & desperans de hoc mundo recedit. Isa. 47. *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylonis, non est solium filiæ Chaldæorum.* Vel dic, quod Thamar, id est, anima peccatrix à diabolo corrupta, quando ad domum Absalon; id est, ad Christi gratiam per pœnitentiam revertitur, tunicam talarem, id est, malam perseverantiam, quæ talum, id est, ad finem attingit, debet per contritionem rumpere, cinerem, id est, mortis memoriam capiti mentis imponere, & per confessionem clamare, & rugire. Vel vide istam figuram contra ambitiosos aliter expositam in Repertorio morali, titulo de accumbere, in litera. David audito facinore filii sui Amnon super violatione sororis, non corripuit eum, super hoc nolens eum contristare, cum supra modum eum diligeret, eo quia primogenitus suus erat. Sed quia David punire noluit ipsum Amnon, Absalon frater Thamar eum satis citò post interfecit. Sic verè sæpè fit, quod dum parentes, seu Prælati subditorum, nepotulorum, & filiorum scelera non corrigunt, perditionis ipsorum causa sunt, quia Deo ordinante quibus impiè parcitur, in aliquod magnum infortunium cadunt, & sic tam ipsi quàm parentes tristitiam majorem incurrunt. Ideò benè dicitur Prov. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium.*

Capitulum decimum quartum. Textus. Intelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor Regis versum esset.

Moralitatum Cap. XI.

ABsalon, qui propter mortem fratris ad terram alienigenarum fugerat, per solertiam Joab, & mulieris Thecuæ revocatus à patre David, mansit in Hierusalem, faciem tamen patris usque ad duos annos non vidit. Ait autem hic scriptura de ejus pulchritudine, scilic. quod à planta pedis usque ad verticem non erat in eo aliqua macula, quodque, quia gravabat eum cæsaries, singulis annis capillos tondebat, & eos ducentis siclis ponderis publicè ponderabat. Post hoc autem fuit Absalon ad patrem introductus, & dato sibi osculo, ad gradum pristinum restitutus. Sic verè dico, quando peccator de terra longinqua, id est, de statu peccati, Joab, id est, prædicatore, vel Prælato procurante, & muliere Thecuita, id est, Beata Virgine, vel divinâ gratiâ suffragante, per pœnitentiam redit ad patrem, non tamen propter hoc statim faciem patris videt, nec statim Deus arridet, sed adhuc contemplationi, spirituali prægustationi dissuetus, à Deo aliqualiter longè manet. Post hoc tamen lapsu temporis, sua hebetudo acuitur, & ad spiritualia paulatim assuescens, ad osculum charitatis admittitur, & ad speculationem, & visionem paternæ gloriæ sublevatur, & sic verificatur illud Eccl. 10. *Si hebetatum fuerit ferrum, & hoc non, ut prius, multo labore acuetur.* Sicut D etiam de illo cœco dicitur Marc. 8. quod statim clarè non vidit, imò ipse dicebat. *Video homines sicut arbores*, sed tandem restitutus est, ita ut videret clarè omnia, quia pro certo visus mentis non statim ex toto illuminatur, imò per gradus, & paulatim ad perfectionem istam pervenitur, & sic post lapsum, & reditum Absalonis, id est, post pœnitentiam peccatorum ejus pulchritudo describitur, ut sic homo post peccatum posset fieri formosus, & pulcher diceretur in moribus. Dicitur igitur esse Absalon, qui interpretatur pater pacis, id est, peccator Deo per baptismum & pœnitentiam pacificatus, habere pulchritudinem virtualem, quod à planta pedis usque ad verticem capitis, id est, ab effectu ad rationem, vel à principio usque ad finem, non debet in ipso aliqua peccati macula reperiri, & quia cæsaries cogitationum, quæ, scilicet, capiti, id est, menti adhæret, ipsum quandoque possit gravare, & in capite mentis calorem concupiscentiæ generare, debet singulis annis ad minus ipsam per confessionem tondere, ipsos pilos vitiorum, & malarum cogitationum per discretionem mensurare, seu ponderare, & sic spiritualem pulchritudinem retinere, vel conservare, & capitis, seu mentis munditiem procurare. Unde Dan. 5. *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Eccl. 42. Et alibi. *Quodcunque dederis*, id est, quicquid confiteberis, *numera & appende.* Volens Absalon vocare ad se Joab amicum suum, cum venire recusaret, præcepit segetes ejus comburi, quo facto statim Joab ad eum venit, & quod præcepit Absalon, adimplevit. Absalon, qui interpretatur pater pacis, est Deus, qui, scil. amicum suum, id est, hominem ad se meliùs advocat, & invitat, quando segetes ejus concremat, id est, quando temporalia sibi subtrahit, & tribulationibus ipsum gravat. Psal. 15.

Mul-

Digitized by Google

Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Vel dic quod Absalon usus est unâ cautelâ, quâ plerumque aliqui utuntur, quia scilic. quandoque alteri ex certo proposito non malo animo injuriantur, ut saltem sub titulo factæ injuriæ ejus colloquio, seu notitiâ perfruerentur: sicut Job. 23. de seipso, & de Deo dicit: *Os meum implebo increpationibus, ut sciam verba, quæ respondeat mihi:* Joab verò ad Absalon non venisset, nec ejus negotium fecisset, nisi prius ipsum Absalon offendisset. Vel dic, quod Joab princeps, id est, Deus quandoque ad Absalon, id est, ad peccatorem, postquam multum offendit eum, & segetem fidelium igne tribulationis afflixit, vel segetem virtutum in se ipso igne concupiscentiæ consumpsit, libentiùs quandoque venit, & in eum misericorditer convertendo negotium salutis, & expeditionis suæ procurat efficaciùs. Et facit exemplum de Paulo, & Magdalena. Ideò benè dicitur Rom. 5. *Ubi superabundavit delictum, superabundat & gratia.*

Capitulum decimum quintum. Textus. Igitur post hæc fecit sibi Absalon currus, & equites.

Moralitatum Cap. XII.

F Absalon filius David fecit sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum, & quia ambiebat ad regnum, ideò in porta palatii stabat, & cunctis de longè ad judicia venientibus applaudebat, & patri suo detrahens se justè judicaturum jactabat, & extensa manu sua, illos qui ipsum ad salutandum venerant, apprehendebat, & osculum eis dabat, & dicebat: *Videntur sermones tui recti, sed non est, qui te audiat constitutus à rege. Quis me constituat judicem super terram, ut recte judicem?* Sic igitur ipse Absalon cor populi ad se traxit, & inventa opportunitate regnum invasit, & proprium genitorem à regno depulit, concubinas ejus fœdavit, & ipsum occidere attentavit. Revera sic faciunt ambitiosi in collegiis, & in claustris. Currus enim, & equites, sive mundi pompam sibi aggregant, justos judices se esse simulant, omnium sociorum suorum sibi amicitias applaudendo, & adulando, osculando, & familiaritatem ostendendo procurant, & sic contra patrem, id est, contra Prælatum, vel Superiorem consultationem facientes, ipsum litibus & accusationibus impugnant, ita quod quandoque de propria sede, & dignitate ipsum ejiciunt, atque fugant. Concubinas ejus, id est, amicos, & familiares ejus vituperant, atque gravant, & quod deterius est, quandoque mortem illius machinantur, & tractant, & finaliter loco ipsius imperant, atque regnant. Unde dicitur 3. Reg. 16. *Irruens Zambri percussit, & occidit Hela regem Israel, & regnavit pro eo.* Ideò benè dicitur: *Filius contumeliam facit patri.* Micheæ. 7. Sequitur. *Et inimici hominis domestici ejus:*

Capitulum decimum sextum. Textus. Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba.

Moralitatum Cap. XIII.

Hic habes, quod Siba videns David regem fugitivum, & in deserto peregrinum, panes, & vinum, & alia encenia attulit, & Mephiboseth magistrum suum accusavit, & sic Rex possessiones Mephiboseth sibi dedit. Semei autem de genere Saul regi maledicebat, & de crepedine montis lapides in eum jaciebat, & multis injuriis lacessens ipsum virum sanguinis appellabat. Istud potest allegari contra quosdam adulatores, qui quando vident proximum suum, & maximè quando vident Principem, vel G Prælatum in aliqua necessitate constitutum, solent sibi adulari, & per se ei munera præsentare, & offerre, & sic Regem, vel Superiorem amicum sibi facere, & placare, tandem verò solent detrahendo alios accusare, & eos deponi, & gravari, pro viribus procurare, & sic hæreditatem innocentis, id est, beneficium, vel officium absentis solent quandoque cum fraudulentia reportare. Unde Gen. 27. *Venit germanus tuus fraudulenter, & surripuit benedictionem tuam.* Malum igitur, & periculosum est, quod Rex vel Superior sit nimis credulus, & maximè nisi præsens sit accusatus, sicut in illa civitate antiqua antiquitùs scribebatur, ubi judicia reddebantur: Audi alteram partem. Si enim David Mephiboseth prius audivisset, hæreditatem suam sibi non abstulisset, nec ejus adversario credidisset. Aliud de Semei potest allegari contra malitiosos, qui, scilic. odium, invidiam & malitiam, quam habent contra aliquem, quamdiu ipsum viderint prosperari, dissimulare, & tandem, cum in tribulatione viderint positum, solent contra eum insurgere, & ipsum injuriis verbalibus & realibus impugnare, & ideo bene dicitur Eccl. 12. *In oculis suis lachrymabitur inimicus, & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine. Si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem.* Illud, quod David impedivit occidi Semei maledicentem sibi dicens: Quid si Dominus præcepit sibi, vade, & maledic David, &c. potest allegari quod vir prudens, quando infortuniis videt se tribulatum, non debet statim ad vindictam contra injuriantes prorumpere, sed potiùs considerare, quod talis tribulatio ex Dei providentia provenit, & quod propter sua demerita à Domino hæc procedit. Unde Amos 3. *Non est malum in civitate, quod non facit Dominus.* Vel possent ista de Semei & David allegoricè applicari ad Christum, qui exiens Hierusalem & portans crucem, & contumeliis, injuriis, opprobriis, verberibus, &c. lacessitus, & satiatus, nudis pedibus ad locum passionis & mortis properavit, &c.

Capitulum decimum septimum. Textus. Dixit ergo Achitophel ad Absalon: Eligam mihi duodecim millia virorum.

Moralitatum Cap. XIV.

Achitophel summus consiliarius David, cujus consilium in illo tempore erat, quasi si quis consuleret Dominum, fuit primus, qui Dominum suum negavit, & qui Absalon adhæsit, & qui intrare ad patris concubinas sibi consuluit, & qui David occidere voluit, & promisit. Cujus consilium super oppressione David, Chusi Arathites impedivit, quare idem Achitophel dolore, & invidia stimulatus, abiens laqueo se suspendit: ut dicitur in hoc cap. Illud potest allegoricè dici de Juda, qui, scilicet, per istum Achitophel figuratur, qui interpretatur frater meus irruens, frater meus tractans, frater meus devorare cogitans. Ille enim Judas cum David, id est, cum Christo familiarior consiliarius fuit seu Apostolus, & tamen quia mortem ejus excogitavit, & tractavit, & cum turbis Judæorum super ipsum irruit, ideò à societate ipsius, & à gratia, & à gloria cecidit, & recessit. Iste enim Absalon pessimo David filio, id est, populo Judaico noscitur adhæsisse, & David, id est, magistrum suum Christum negasse, & de eo occidendo consilium præbuisse, & finaliter ad literam laqueo se suspendisse. Unde dicitur Act. 1. *Suspensus crepuit medius.* Vel ista possunt allegari, quod illi, qui in domo, familiaritate, & consilio alicujus sunt majores, & qui sibi videntur propinquiores, & fideliores, & famâ & reputatione apud populum potiores sunt, quandoque in suo amore inconstantiores, & si infortunia sibi accidunt, ad recedendum ab eo promptiores, & ad persecutionem ipsius acriores fiunt Ps. 40. *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Vel istud dic contra superbiam, vel invidiam, quæ, scilic. istum tanto dolore affecerunt, quod quando vidit consilium suum repudiari, & alterius approbari, quod ipsum ad suspensionis laqueum attraxerunt. Vel dic moraliter contra malos Ecclesiasticos vel Prælatos, qui scilic. in domo David Christi, quæ est Ecclesia, aliis præponuntur, & in sensu, & consilio & mundana sapientia apud homines exaltantur, & sicut ad literam videmus de multis Advocatis & Clericis, & de multis Prælatis, & scientificis, quorum dicta & consilia Dei præsagia esse reputantur, qui tamen in moribus sunt ipsi magistro suo Christo infideles, & ad persecutionem ipsius, quæ fit per vitia & peccata, aliis proniores, in quantum, scilic. isti ut communiter aliis sunt pejores. Isti enim dicuntur Achitophel, id est, fratres cogitantes. Unde dicitur Sopho. 3. *Diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas, caduca & terrena tractantes per negotiorum mundialium diligentiam,* quia, scilic. omnia tractamenta & mundi negotia transeunt per manus eorum. Unde Ezech. 11. *Filii hominis hi viri, qui cogitant iniquitatem & tractant consilium pessimum in urbe hac.* Item fratres irruentes per rapinam & sævitiam: sicut patet, quia isti nemini parcunt, sed per exactiones contra pauperes & subditos irruunt atque currunt. Unde Job. 6. *Super pupillum irruitis, & subvertere nitimini amicum vestrum.* Item dicuntur fratres cadentes, quia, scil. isti cadunt à statu sæcularis eminentiæ, per infortunia temporaliter; cadunt à statu hujus vitæ, per mortem corporaliter; & finaliter; cadunt ab obtentu æternæ gloriæ in infernum æternaliter, ubi scilicet, ad patibulum inferni suspenduntur, & ad extremum supplicium condemnantur crudeliter & perenniter. Unde Isai. 24. *Qui fugit à voce fortitudinis, cadet in foveam, & qui se explicuerit à fovea, tenebitur laqueo.*

Capitulum decimum octavum. Textus. Igitur considerato David populo suo constituit super eos tribunos.

Moralitatum Cap. XV.

Absalon contra patrem insurrexerat, in prælio victus fuerat. Nam cum in mulo sederet, & sub quercu frondosa transiret, caput ejus, cum, ut dictum est, ejus cæsaries erat magna, adhæsit quercui, & in illo suspensus est inter cœlum & terram, mulus autem cui insederat, pertransivit. Quod videns Joab, tres lanceas in corde Absalon infixit, quem adhuc palpitantem decem juvenes armigeri David occiderunt, & tandem ipsum in foveam magnam projecerunt, & magnam lapidum congeriem desuper portaverunt. Per Absalon intelligitur ambitiosus vel quicunque peccator, qui, scilicet, regnum temporale & mundi B

Digitized by Google

prosperitatem desiderat, contra patrem suum Deum, & contra Prælatum præliatur, & certat, & in mulo carnalis voluptatis & hebitate mentis equitat, cæsariem capillorum, id est, cogitationum & curarum solicitudinem multam habet, quercui, id est, mundanæ dignitati & gloriæ sæcularium per desiderium adhæret, & ex toto conatu mentaliter ibi pendet. Et bene inter cœlum & terram pendere dicitur, quia, scilic. ambitiosus nec in terra, id est, inferiori statu manere est contentus, nec ad cœlum, id est, ad altitudinem, quam appetit, venire potest, nec eam consequitur, imo semper in vana spe & in pendulo commoratur. Unde Zach. 5. *Elevaverunt amphoram inter cœlum & terram.* Joab igitur, qui interpretatur inimicus, id est, Diabolus inveniens hominem sic pendentem, & instabiliter manentem, & ad illa, quæ consequi nequit, carnaliter anhelantem, ipsum tribus lanceis, id est, tribus principalibus vitiis, scilic. luxuria, superbia, & avaritia solet confodere, & postquam mulus, id est, corpus suum per mortem transierit, & eum dimiserit, solet eum Diabolus in manus decem juvenum, id est, in manus omnium Dæmonum tradere, qui, scilicet, decem dicuntur pro eo, quod super transgressores decem mandatorum machinantur, ut patet de bestia abyssi, quæ decem habebat cornua. Apoc. 13. Quem, scilicet, palpitantem & dolentem ipsum in inferno solent occidere, & punire, & sic solet Absalon, id est, peccator ambitiosus de rebellione & ambitione sua, quam scilicet contra Deum patrem suum, vel Prælatum facere nititur, triste salarium reportare. Unde dicitur Eccl. 46. *Contra Dominum pugnare non est facile.* Vel dic moraliter, quod Absalon, qui insurgit contra patrem, est caro, quæ insurgit contra spiritum, vel peccator, qui surgit per inobedientiam contra Deum, quia pro certo iste debet adhærere quercui, id est, cruci per pœnitentiam & per passionis devotionem, debet ab eo mula, id est, carnalitas fugari per abstinentiæ maceratione[m]: debet in altum suspendi, per spem, & contemplationem, debet à Joab, id est, à Prælato, tribus lanceis, id est, triplici reprehensione contra tria principalia vitia transfigi per correctionem & redargutionem, & sic debet decem jC venibus, id est, decem mandatis legis tradi per executionem, & ab eis interfici, & occidi per carnalis vitæ interruptionem & destructionem, & in foveam mortis vel inferni debet projici per futurorum tormentorum considerationem, & cumulus lapidum, id est, congeries bonorum documentorum debet super eum aggregari per prædicationem. Unde illud Thren. 3. *Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem supra me, &c.* De duobus nuntiis, qui regi victoriam & mortem Absalon nuntiaverunt, Chusi, scilic. & Achimaas dicitur, quod Achimaas, qui ultimus cucurrit, quia per viam compendii scivit ire, prius ad regem pervenit. Sic verè multi sunt, qui tardiùs incipiunt, & tamen per compendium religionis, paupertatis vel pœnitentiæ transeunt, & sic alios, qui vadunt per viam mundi communem, præcedunt, & ad regem Christum primi perveniunt. Ideo bene de ipsis dicitur, Matth. 26. *Erunt novissimi primi & primi novissimi.* Hic adverte, quod dato quod Absalon actualiter patrem impugnaret, mortemque ejus pro viribus appeteret, ipse tamen David caput paternæ misericordiæ non est oblitus, imo ipsum pessimum filium suum diligebat, & mortem illius prohibebat. Unde & de ipso mortuo summè doluit, & ipsum etiam miserabiliter flevit dicens: *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det ut moriar pro te?* In hoc notari potest, quod quando Prælatus videt filium, id est, subditum suum errantem, & se etiam aliquoties impugnantem, non debet ad vindictam moveri, sed potiùs sibi compati, & de morte spirituali & æternali ipsius flere pariter & contristari. Dolendo n. & compatiendo debet ipsum punire, & puniendo deflere, & pro eo dolere. Quod etiam facit Dominus, Ezech. 18. *Qui, scilic. non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, &c.* quia scilic. sibi non placet, quod oporteret eum hominem in æternum punire. Unde dicitur Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Quod etiam ad primum factum applicari potest, dato quod à filio injurietur, sibi tamen compatitur, & de ejus infortunio contristatur. Psal. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se. Recordatus est, quoniam pulvis sumus, & homo sicut fœnum & flos agri.* Hic nota, quod David flevit pro iniquo filio mortuo, & tamD men non flevit pro innocente filio defuncto, ut patet supra. 2. Reg. 12. Hic notatur quod magis est flenda mors malorum quàm bonorum, qui, scilic. mortui vadunt ad æternam gloriam, isti verò tendunt ad æternam miseriam. Ideo bene dicitur Eccl. 22. *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit, nequissimi autem nequissima vita super mortem fatui.* Quamvis Absalon fuit pulcherrimus, fuit tamen nequissimus, & morte turpissima consummatus. Hoc etiam non solum in ipso videtur, imo etiam in omnibus, qui magis gratiis præ cæteris prædi[ti] fuerunt, qui, scilic. ut communiter præ cæteris deliquerunt, vel morte magis misera decesserunt, sicut apparuit de primo Angelo, qui cecidit, de primo homine, qui peccavit, de Salomone, qui idololatravit, de David, qui adulterium & homicidium commisit, de isto Absalone, qui contra patrem ambivit, de Samsone, qui cœcus in ruina domûs defecit, de Julio Cæsare, qui confossus in senatu periit, de Milone, qui à bestiis devoratus fuit, de Seneca, qui apertione venæ in balneo defecit, de Plinio Philosopho, quem favilla ardentis montis consumpsit, de illo Philosopho dicto, quem turma canum comedit, de Æsculapio patre Medicorum, qui fulmine periit, de Alexandro Magno veneno perempto, de Julio in concilio gladiis confosso, de Cyro gladio truncato, capite ejus in sanguine volutato. Et tamen constat, quod Lucifer fuit subtilissimus, Adam in scientiis perfectissimus, Salomon sapientissimus, David Propheta maximus, & virtutibus sanctissimus, Absalon pulcherrimus, Samson fortissimus, Milo robustissimus, Seneca moralissimus, Plinius studiosissimus, & Julius Imperator strenuissimus, Alexander Magnus potentissimus, &c. In istis igitur notari potest, quod non est bonum gratiis & gloriis, viribus & virtutibus præ cæteris aliquoties abundare, quia scilic. tales, dum exinde superbiunt, solent dies suos miserabiliter consummare. Melius est igitur mediocrem quàm summum in gratiis naturalibus tenere statum, infimum quàm supremum. Unde dicitur 4. Reg. 14. *Contentus igitur esto gloriæ tuæ, & sede in domo tua.*

Capitulum decimum nonum. Textus. Nunciatum est autem Joab, E quod Rex fleret, & lugeret filium suum.

Moralitatum Cap. XVI.

CUm David reduceretur à populo, Mephiboseth filius Jonathæ, qui, scilic. cum esset infans de manibus nutricis suæ ceciderat, & ideò claudus erat, propter quod rege fugiente non ierat, quia servus suus ipsum contempserat, & sibi sternere asinum noluerat, regi revertenti obviam venit, & sibi illotis manibus & intonsa barba occurrit, vestesque suas non laverat, postquam fuerat Rex ejectus. Iste igitur cum se excusaret, & servum suum, qui se contempserat, accusaret, Rex qui hæreditatem ejus eidem servo dederat, sicut prius dictum est supra, eandem hæreditatem inter eos dimidiavit, & dimidietatem hæreditaris dicto Mephiboseth reliquit, aliam verò medietatem dedit servo suo, dicens: *Fixum est quod locutus sum, tu & Siba dividite possessiones.* Mephiboseth qui interpretatur os confusum, significat peccatorem, qui bene dicitur os confusum, quia os ejus confiteri peccata sua nolens confunditur. Ille est igitur, qui semper in moribus claudicat, & per inconstantiam nunquam in rectitudine stat, imo semper per inconstantiam vacillat, & per malitiam nunc ad unam partem, nunc ad aliam se dilatat. Unde dicitur 3. Reg. 18. *Usquequo claudicatis in duas partes?* Quando enim nutrix nostra, scilic. Beata Virgo vel divina gratia, hominem in peccatum cadere permittit, statim Diabolus in eo claudicationem inconstantiæ & malitiæ introducit. Nullus enim in rectitudine justitiæ perseverat; nisi nutrix sua, id est, divina gratia ipsum manu teneat, & conducat. Ille etiam toto tempore vitæ suæ claudus, inconstans & delitiosus in moribus efficitur, qui tempore infantiæ, & juventutis de manibus nutricis suæ, scilic. divinæ gratiæ per peccatum cadit, vel de manibus nutricis, id est, de manutenentia Prælati per Apostasiam vel obstinationem recedit. Unde Prov. 32. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Iste est igitur, cui servus, id est, corpus proprium obedire recusat, sed potius per carnales motus contra ipsum murmurat, & rebellat, asinum humilitatis sibi non sternit aut præparat, sed potius hæreditatem suam, scilic. æternam gloriam sibi subtrahit, & apud regem Christum eum odibilem reddit. Quia igitur iste Mephiboseth, id est, peccator, cum rege Christo per immutationem non ivit, sed potiùs ipse peccator indignè & in pannis vilibus regi Christo ad eum in altaris sacramento in Paschate revertenti, vel in judicio ad mundum ut omnes judicet, redeunti occurrit, ita quod pedes affectionis non lavit, barbam mundanæ sapientiæ, vel pilos temporalis opulentiæ non rasit, vestesque exterioris conversationis & apparentiæ non mundavit. Ideò à rege reprehenditur, & hæreditas, seu prosperitas sua dimidiatur sibi, in quantum scilic. una pars, hoc est, corporalis opulentia, seu corporalis vita sibi dimittitur. Alia verò pars, scilic. æterna vita, & gloria sibi penitùs denegatur, quia revera, qui Christo ad futurum judicium venienti, vel in sacramento altaris appropinquanti, vel etiam in ramis palmarum in Hierusalem intranti, vel insuper in Incarnatione, & Nativitate, vel Adventu impurus & illaqueatus & immundus Deo occurrerit, medietatem bonorum suorum, scilic. bona animæ, gratiam & gloriam sibi tollit, portionemque suam sibi truncat, dimidiat, & præscindit. Unde Dan. 3. *Divisum est regnum tuum, & datum est Persis & Medis.* Et ideo dicitur 4. Reg. 8. *Tolle tecum munera & vade in occursum viri Dei*, munera, inquit ibidem, id est, virtutes.

Illud quoque quod Mephiboseth commensalis regis David cum rege fugitivo, seu in tribulatione posito non ivit, sibi tamen ad pristinam gloriam restituto obviam venit. Ad hoc potest allegari, quod mundani amici dato, quod sint alicujus commensales, & domestici, & dato quod in mensa sua consueverunt assistere, & tanquam speciales amici constituti, si tamen ipsum ad tribulationem venire conspicuunt, statim eum fugiunt, & dimittunt, & cum eo ire renuunt. Sed pro certo quando ad pristinum statum seu gradum restituuntur, tunc sibi occurrere, & applaudere profitentur,

Digitized by Google

G tur, ac si in vera permansissent amicitia, ipsumque in prosperitate repositum comitantur, & de ingratitudine & inconstantia se excusare pro viribus moliuntur. Eccl. 6. De istis igitur bene dicitur: *Est amicus socius in mensa, & non permanebit in tempore tribulationis.* Item quod hic dicitur, quod Semei, qui primò regi fugienti insultavit & maledixit, ipse prius de domo sua occurrit, cum ipsum in pristinam gloriam restitui vidit. Hoc potest allegari, quod qui homini in tribulatione posito injuriantur, si rursum ad statum promotionis venerit, ipsi occurrunt, applaudunt & adulantur.

Capitulum vigesimum. Textus. Accidit quoque, ut ibi esset vir Belial nomine Sæba.

Moralitatum Cap. XVII.

POpulus Israel, qui prius à David, sequendo pessimum sed pulcherrimum filium ejus Absalon, recesserat, finaliter victo Absalon ad David est reductus, sed cum altercatio esset inter populum, quis esset propinquus ipsi David regi, contigit, quod Sæba filius Bochri tubâ cecinit, & populum Israel ad sequendum David divertit, & magnam populi multitudinem ad se traxit dicens: *Non est nobis pars in David, nec hæreditas in filio Isai. Revertere ad tabernacula tua Israel.* Post istum autem misit David milites, scil. Joab, & Abisai, qui Sæba interfecerunt, & caput ei abstulerunt, & universum populum Israëliticum ad David reduxerunt. Sic verè quando universus mundi populus in principio à David, id est, à Deo recessit, & pulchrum ejus filium licet pessimum, scilic. Luciferum per idololatriam diuturnis temporibus secutus fuit, juxta illud Job. 21. *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Tandem Absalon, id est, Lucifero in arbore suspenso, id est, in cruce victo, ad regem suum Deum per fidem rediit, & ipsum recepit, & credidit. Verùm quia in principio fuit inter istos redeuntes quædam controversia, quia, scil. aliqui se aliis præferebant, & apud regem, id est, apud Deum se digniores dicebant, ut patet, quia Judæi Græcos contemnebant, & Græci Judæos, id est, ex Judæis conversis invidebant, ut dicitur Act. 6. Apostolorum, quod *factum est murmur Græcorum adversus Hebræos.* Ita quod aliqui dicebant. 1. Cor. 1. *Ego sum Pauli, alii autem, & ego*
H *Apollo*, & sic inter eos divisus erat Christus. Ideo occasione hujus dissensionis, Sæba filius Bochri, id est, cœtus hæreticorum, tubâ suæ prædicationis incepit canere, & à sequelâ veri David, id est, à fide Christi populum retrahere. Sæba egressio, Bochri primogenitus interpretatur, quia qui sunt hæretici, à Deo recedunt & egrediuntur, & esse filii Bochri, id est, Luciferi, qui Dei fuit primogenitus, creatura noscuntur. Illi igitur inter cæteros fuerunt Arrius, Nestorius, Donatus, Mahometus, & alii similes, qui tanquam filii Diaboli populum perverterunt, novas sectas & hæreses invenerunt, & magnam partem mundi ad se & ad suos errores traxerunt, & ad literam patet de Græcis, Sclavis, Ungaris, Ruthenis, Georgianis, Armeniis, Nestorianis, & Nubianis aliisque schismaticis Christianis, qui, scilicet Sæbæ, id est, Hæreticorum buccinas audientes, à vera fide Christi, & à sua Ecclesia recesserunt, & David Regem suum Christum, & Ecclesiam dimiserunt. Unde iste Hæretici benè æquiparantur illi draconi, de quo Apoc. 12. dicitur, quod *cauda ejus traxit secum tertiam partem stellarum, & misit eos in terram.* Et dicit Hier. 2. *Dixit populus meus. Recessimus, non veniemus ultra ad te.* David igitur noster Christus milites suos Augustinum, Gregorium, Ambrosium, & alios Doctores & prædicatores post illos misit, ita quod istis mediantibus capita erroris eorum in magna parte abstulit, & ad veram fidem multos convertit, quia, scilicet per istos & ipsorum doctrinam plurimi schismatici quotidiè convertuntur. Unde dici-
A tur Jos. 4. *Reversa sunt aquæ in alveum suum.*

Ex Capitulo vigesimo. Textus. Dixit itaque Joab ad Amasam, Salve mi frater.

Moralitatum Cap. XVIII.

ILlud autem quod hic ponitur: *qui interrogant, interrogent in Abela;* in quo datur intelligi, quod illa civitas erat antiquitùs locus consilii, qui, scilicet, Abela lugens seu miserabilis interpretatur.

Igitur locus consilii dicitur, quia pro certo consilium, & sapientia apud lugentes & tristes, id est, apud homines considerationi, & sollicitudini deditos, à mundi delitiis abstractos, meliùs quam apud cæteros invenitur. Unde dicitur Eccl. 7. *Cor sapientium, ubi est tristitia.* De Amasa autem proditiosè à Joab interfecto, pro eo, quod David promiserat sibi ducatum populi, quem Joab amittere metuebat, ad hoc potest adduci, quomodo ambitio hominis aliquoties est sibi causa mortis. Iste nequaquam occisus fuisset, nec Joab eum unquam occidisset, nisi officium suum, scilicet populi principatum propter eum amittere timuisset. Non ambiat igitur homo aliis imperare, & maximè aliorum officia usurpare, & præcipuè si propter suam promotionem necesse est alium à statu proprio declinare, quia ille, qui videt statum suum propter eum deficere, solet quandoque contra eum insanire, dicens: Qui nostra tollit, inimicus est, Apostolus ait 2. Cor. 5. *Nolumus expoliari, sed supervestiri.*

Capitulum vigesimum primum. Textus. Facta est quoquè fames in diebus David tribus annis jugiter.

Moralitatum Cap. XIX.

CUm fames triennio in terra Israël perseverasset, David consuluit Dominum, quæ poterat esse causa famis. Qui respondit: Propter Saul & domum ejus, qui injustè Gabaonitas occiderat, & sub fictione zeli fidei, pro eo, scilicet quod Gabaonitæ non erant de populo Israëlitico, jusjurandum, & pactum irritum fecerat, de quibus omnibus habetur supra, Josuæ. 9. fames hujusmodi facta erat, & ideo David, cum Gabaonitas, qui remanserant, quid pro satisfactione peterent, interrogasset, & ipsi septem viros crucifigendos de stirpe Saul postulassent, septem viros ipsius Saulis nepotes, vel filios ipsis tradidit, quos Gabaonitarum populus illico crucifixerunt, & sic fames in terra cessavit, & fertilitas supervenit. Respha verò mater aliquorum ipsorum juxta cruces lectulum supra petram sibi stravit, & aves & bestias de cadaveribus abigens diebus pluribus sociavit, quos tandem David de crucibus deponi jubens, honorificè sepelivit. Attende tamen, quod dicit historia, quod isti filii Saul fuerant in B
culpa de Gabaonidis occidendis. Allega ista, quod quandoque peccato unius puniuntur multi. Solus enim Saul peccaverat, & domûs ejus peccaverat, & tamen fames totum populum affligebat. Vel allega illud, quod quando aliqua pars est injuriata, tunc judex potest remittere pœnam, quando ipsi parti injuriatæ videt factam competentem satisfactionem, nullo tamen modo debet relaxare supplicium, quousque parti læsæ fuerit satisfactum, sicut hic videmus, quod Deus famem non legitur relaxasse, quousque Gabaonitis constitit satisfactum fuisse. Vel allega illud, quod pietas provocat pietatem. Pietas enim matris provocat pietatem regis ad ipsa cadavera deponenda & sepelienda. Vel dic, quod Saul significat Adam, propter cujus culpam fames, id est, carentia divinæ gratiæ erat in mundo. Ad placandum igitur Deum, & ad fertilitatem gratiæ & virtutum impetrandam, necesse fuit, quod septem viri de stirpe sua, id est, Christus & universitas martyrum crucifigerentur, & per martyrium in satisfactionem hujus delicti vel malefacti occiderentur, ut sic Dei patris justitia placaretur, & virtutum & bonorum copia redderetur. Mater igitur istorum crucifixorum & martyrum scilic. sancta mater Ecclesia, ipsos debet per compassionem deflere. Rex verò Deus pater ipsos solet in cœmiterio sepelire. David nominatur hic à Deo datus, Filius saltûs, Polimitarius, Bethleemites. Et infra 2. Reg. 23. *Egregius psaltes Israël tener-* C
mus ligni vermiculus. Et dicitur primo à Deo datus, quia à Deo fuit electus, filius saltûs, quia de saltu, ubi custodiebat oves, assumptus fuit, polimitarius, quia in aspectu fuit pulcher atque politus Bethleemites, quia in civitate Bethlehem fuit natus, egregius psaltes, quia ad psallendum in organo, cithara & psalterio fuit edoctus, tenerrimus ligni vermiculus, quia super omnes fuit tener, mitis, & misericors, & tamen ad modum illius vermis, qui teredo dicitur, dignoscitur fuisse durus: unde licet in se tenerrimus, tamen ad perforandum ligna durus, id est, ad pugnandum contra protervos homines fuit fortis & durus. Omnia ista nomina possunt competere Prælato, quia revera iste debet esse à Deo datus non à carnali affectione, nec prece, nec munerum oblatione, sed per specialem vocationem & canonicam electionem. Isa. 9. *Parvulus datus est nobis, & erit principatus ejus super humerum ejus, &c.* Debet esse filius saltûs per altam & elevatam contemplationem, & per omnium subditorum discretam gubernationem, saltus enim sunt loca alta, & prærupta in desertis & sylvis, in quibus animalia solent pasci. Unde Isa. 29. *Carmel in saltum reputabitur.* Debet esse polimitarius, id est, seipsum poliens per honestam conversationem. Unde Gen. 37. *Fecerat sibi Jacob tunicam polimitam.* Debet esse Bethleemites, quod interpretatur domus panum & refectionum, quia ipse debet alios reficere per doctrinæ & eleëmosynarum subventionem, ut possint sic alii dicere de ipso illud Luc. 2. *Transeamus usque ad Bethlehem, & videamus hoc verbum, &c.* Debet esse egregius psaltes per melodiosam Dei laudem & prædicationem. Ps. 100. *Psallam & intelligam in via immaculata.* Debet esse tenerrimus ligni vermiculus, quia, scilicet quantum ad se, ipse debet habere piam & benignam affectionem, quantum verò ad protervos, debet esse durus per severam justitiam & correctionem. Vermiculo enim nihil mollius dum tangitur, & nihil durius, dum tangit, quia etiam fortia ligna perforat, & corrodit. Sic Prælatus, quando tangitur, id est, quando requiritur, debet inveniri pius, benignus & mollis, quando verò necesse est, quod aliquem per correctionem tangat, debet inveniri durus, rigidus atque fortis. Unde dicitur: *Elegit eum Do-*

Digitized by Google

minus adhuc puerum & tenellum. Ec ſic iſte propriè dicitur David, qui interpretatur manu fortis,& vultu deſiderabilis, quia, ſcilicet, ipſe debet ſe exhibere amicabilem, & deſiderabilem, benigniter & liberaliter ſe habendo. Pſal. 131. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Et fortem atque ſtabilem & virilem tribulationibus & tentationibus reſiſtendo,& Dæmones,id eſt,Hæreticos,Tyrannos, malos ſubditos potenter & ſeveriter reprimen-
D do,Hier. 23. *Suſcitabo David germen juſtum, & regnabit rex & ſapiens erit.*

Banaias unus de fortibus David, inveniens leonem in ciſternam cecidiſſe,& ne ratione nivis citò exire poſſit, ad ipſum cum baculo potenter proſiliit & eum in fovea interfecit. Sic verè Chriſtus cum baculo crucis invaſit & interfecit leonem Diabolum, & in ciſterna nivis tempore, id eſt, in tempore frigoris & paſſionis perſonaliter deſcendit, ubi ipſum ligavit, proſtravit & vicit. Vel dic, quod ſi quis vult vincere leonem Diabolum, debet per conſiderationem in ciſternam inferni deſcendere, & baculum crucis per ſpem & devotionem ſecùm habere, & contra eum per bona opera inſurgere, & ſic in nive, id eſt, in divini timoris frigore de ipſo poterit triumphare. Unde ipſe tunc dicere poteſt illud 1. Regum 17. *Nunquid ego canis ſum, quia tu venis ad me cum baculo.*

Cum Philiſtini eſſent cum exercitu ſuo circa Bethlehem, deſideravit David de aqua ciſternæ, quæ erat ad portam Bethlehem. *Si quis* (inquit) *mihi daret potum de aqua ciſternæ, quæ eſt ad portam Bethlehem, &c.* Quod audientes tres robuſtiſſimi viri, ſcilicet Jonathas, Abiſai & Sobeth, per caſtra Philiſtinorum irruperunt, & aquam hauſtam de ciſterna obtulerunt regi. Qui ſcilicet audaciam eorum admirans, aquam bibere noluit, ſed fundens eam ſuper terram,Domino libavit: *Non* (inquit) *ſanguinem iſtorum hominum, qui profecti ſunt in animarum periculum, bibam.* Iſtud allega, quod ſervi magnorum dominorum quandoque ſe magnis exponunt periculis, ut faciant voluntatem dominorum
E ſuorum. Vel allega, quomodo audaces fortuna juvat. Vel dic moraliter, quod dato, quod David, id eſt, quicunque Superiorum quandoque deſideret aquam temporalium divitiarum, ſi tamen contingat, quod aliqui fortes ſui, id eſt, aliqui ipſius Officiales & Ballivi, in periculum animarum ſuarum talem aquam divitiarum per rapinas & exactiones de ciſterna, quæ eſt in medio Philiſtinorum, de burſa pauperum ſubditorum abſtrahant, & offerant Regi, Principi, vel Prælato Domino ſuo, pro certo ipſe non debet bibere, nec recipere talem aquam, id eſt, talem temporalem ſubſtantiam, cum mortis & æternæ damnationis periculo à ſuis malis familiaribus raptam vel acquiſitam, non debet aliqualiter deguſtare. *Abſit* (inquiens) *à me, ut ſanguinem, id eſt*, ſanguinolentam rapinam,& animarum periculum iſtorum hominum *bibam.* Debet igitur talis ſuis malis Officialibus, qui, ſcilicet, non timent periculo æternæ damnationis ſe exponere, ut poſſint Magiſtris ſuis pecuniam congregare, tunc, quando talia ſibi volunt offerre, illud Davidis opponere Pſal. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo?* Ac ſi dicat, non debeo comedere carnes, id eſt,divitias pauperum ſubditorum, nec debeo potare ſanguinem,id eſt, peccatum veſtrûm fœtidorum hircorum. Cujus tamen contrarium faciunt multi, quia non curant, cum quanto peccato, vel periculo divitiæ à ſuis malis Judicibus & Exactoribus acquirantur, dum tamen eis offerantur, ipſaſque non refutant, ſed potiùs amplexantur, & ſic de raptis & malè acquiſitis libenter comedunt, & veſcuntur, juxta doctrinam Apoſtoli, 1. Cor. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Quinimò quandò ipſi ſciunt, quod talia ſunt malè acquiſita; ipſi videntur dicere ipſis, qui talia offerunt, illud, quod Judæi dixerunt Judæ dicenti: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.* Quid ad nos? tu videris. Vel dic, quod David, id eſt,homo quando appetit aquam ciſternæ Bethlehem,id eſt, gratiam & gloriam paradiſi, quæ propriè dicitur Bethlehem, id eſt, domus panis,ſtatim tres fortes ſui, ſcilicet contritio, confeſſio & ſatisfactio, id eſt, fides, ſpes & charitas, debent exercitum vitiorum irrumpere, & talem aquam fortiter procurare. Undè hic dicitur: *Hoc fecerunt tres robuſtiſſimi.*

Capitulum vigeſimum quartum. Textus. Et addidit furor Domini iraſci contra Iſraël.

Moralitatum Cap. XX.

F ADdidit furor Domini iraſci contra Iſraël. Factumque eſt, quod David tumens, & glorians de multitudine ſubditorum præciperet populum numerari. Quod dum Joab exequitur, iratus Dominus octoginta millia plebis occidit, ita quod David Angelum percutientem evaginato gladio, ut extenderet manum in Hieruſalem, vidit. Cui per hæc verba flebiliter dixit: *Ego ſum* (inquit) *qui peccavi, ego qui iniquè geſſi, iſti qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur obſecro manus tua contra nos.* Quibus verbis Dominus placatus Angelum ceſſare fecit, & de ejus mandato ibidem altare conſtruxit, in quo etiam loco Abraham prius filium ſuum immolare voluerat. Salomon poſteà etiam ibi templum fecit. Quod tractat Gregorius ſatis fusè, & ſupponit, quod pro qualitatibus ſubditorum diſponatur vita regentium, ut ſcilicet, ſæpe pro malo Gregis delinquat etiam vita Paſtoris, & ſecundùm merita plebium, diſponantur corda Rectorum. Vide ibi gloſſam Sic igitur ſupponit Gregorius, quod populus iſte meruerat, quod David Rector eorum peccaret, & ſic ex peccato ejus non ipſe, ſed populus, qui alias meruerat, pœnam portaret. Adhuc poteſt illud allegari, quod non ſolum mala vita Superiorum ſubditos inficit, imo etiam peccatum ſubditorum Superiores lædit. Et hoc quidem mirum, quomodo occulta Dei juſtitia ad hoc ſe poſſit extendere, quod peccatum ſubditi populi poſſit apud Dei juſtitiam taliter demereri, quod ex hoc Prælati bonitas poſſit ad culpam laxari, ut occaſione delicti Prælati poſſit delinquens populus caſtigari. Magna igitur apud Deum videtur eſſe inter Prælatos & ſubditos connexio, quando unius in alterum redundat iniquitas. Vel allega iſta, quomodo Princeps vel Prælatus ſi videt populum ſuum propter ejus peccata puniri, debet ſummè dolere, & pro ovibus ſuis velle pœnam ſubire, & potiùs in perſona ſua, quæ delinquit, pœnam appetere, & ſuſtinere, cum pœna ſua exactores debeat tenere. Vel dic moraliter, quod in lege præceptum erat. Exod. 30. Quod quoties populus numeraretur, quod quilibet ſolveret certum cenſum, ſcilicet dimidium ſicli, qui quidem cenſus Domino applicaretur, & in uſus tabernaculi poneretur, quo facto nulla plaga in populo ſequeretur. Num. 1. Duo igitur inveniuntur populum numeraſſe, ſcilicet Moyſes, ſed quia cenſum ſolvit, plaga in populo nulla fuit. Item David hic, ſed quia ex ſuperbia numeravit,& cenſum Domino non ſolvit, ideo plaga ſecuta eſt, quæ populum minoravit. G

Sic verè quoties aliquis numerat, & recogitat ſuum interiorem populum, id eſt, ſuarum gratiarum & virtutum cumulum, ſtatim debet cenſum, ſcilicet gratiarum actiones Deo offerre, & cum Moyſe pro qualibet perſona, id eſt, pro qualibet virtute & gratia debet ſpecialem cenſum, id eſt, ſpecialem recognitionem offerre, & ſic non contingit per iſtum ſuum populum diminui vel perire. Si verò homo in ſuperbiam & præſumptionem evectus populum ſuum meritorum ſuorum numerat, & conſiderat, ſi cenſum gratiarum actionis non ſolvat, nec totum tribuat Deo, ſed ſicut David ex hoc gloriam ſibi quærat, neceſſe eſt, ut contra eum plaga divinæ punitionis veniat in iſtum populum ſuum, ut ſcilicet virtutum ſuarum cumulum diminuat. Neceſſe eſt igitur cenſum gratiarum actionis ſolvere, alias non licet homini numerare ſua merita. Exemplo Job. 31. & Pauli, qui ſua merita numerant, ſed ex hoc non ſuperbiunt, ſed potiùs actiones gratiarum propinant, ſicut de Paulo patet 2. Cor. 22. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Vel dic, quod tunc Angelus, id eſt, divina ſententia gladium tribulationis reponit, quando David, id eſt, peccator ſe humiliat, & ſe dignum puniri recognoſcit, & ſe percutiendum judicat, & exponit, & maximè quando in loco temporali, id eſt, in Eccleſia, vota & ſacrificia, id eſt, orationes & bona opera ſolvit.

Moralitatum libri Regum ſecundi finis.

MORALITATUM LIBER UNDECIMUS IN LIBRUM REGUM TERTIUM.

Capitulum primum. Textus. Et rex David ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies.

Moralitatum Cap. I.

REx David ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cumque cooperiretur veſtibus, non calefiebat: quapropter H ſervi ejus quandam Sunamitidem Abiſac nomine adoleſcentulam, virginem pulcherrimam de cunctis filiabus Iſraël quæſiverunt ad hoc, ut ſtaret coram eo, & foveret eum, dormiretque cum eo, & calefaceret; ipſe verò Rex in ſinu puellæ dormiret, ipſa autem eidem per omnia miniſtraret, & eam adduxerunt. Adducta igitur ad Regem, omnia præmiſſa fecit, & quamvis ipſam Rex diligeret, ipſam tamen carnaliter non cognovit. Rex iſte ſignificat Chriſtum, qui ſcilicet ætatis habebat plurimos dies, quia ſicut dicitur: *Egreſſus ejus à diebus æternitatis*, qui tamen dato, quod multis veſtibus, id eſt, multis ſanctorum bonis operibus à principio operiretur, nunquam tamen adhuc per charitatis incendium ad aſſumptionem carnis calefiebat, quouſque per omnes fines Iſrael virgo cæteris pulchrior, & munditior, ſcilicet Abiſac, quæ interpretatur patris incendium, Sunamitis, qui interpretatur mortificata & beneficiata, id eſt Virgo Maria, quæ ſcilicet iſtum Dominum patrem, & creatorem ſuum per charitatem incendit, & ſe per pœnitentiam, & humilitatem mortificavit, quæ ſibi

Digitized by Google

ſibi divinitùs fuit quæſita, & ad ejus obſequium ordinata. Iſta enim coram eo ſtetit per orationem, ſibi miniſtravit per ſubjectionem: ipſum fovit per devotionem, cum ipſo dormivit per contemplationem, & ſic eum calefecit per dilectionem, & hoc in tantum, quod eum inclinavit ad beatam Incarnationem. Iſta igitur propriè Abiſac, id eſt, patris incendium dicta fuit, quia patrem ſuum Deum per amoris incendium in tantum calefecit, quod ipſum regem cœli & Dei filium in ſinu ſuo, id eſt, utero virginali per beatam Incarnationem dormire & reclinare coëgit, & abſque hoc quod carnaliter cognoſceretur, in ſeipſa Deum hominem, & hominem Deum fecit. Ideò bene dicitur Pſalm. 44. *Audi filia, & vide, &c.* Et infra. *Concupivit Rex decorem tuum, quoniam*
A *ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Vel applica ad quamlibet virginem, vel quamlibet animam, quæ ſcilicet ad Dei miniſterium & ſervitium eligitur & ad ſtandum coram eo in Religione vel in Eccleſia ordinatur, quia, ſcilicet iſta debet eum per devotionem fovere, & per charitatem calefacere, & ad dormiendum, & quieſcendum per gratiam in ſinu conſcientiæ debet eum per bona opera inclinare, virgo tamen integra mente & corpore ſemper debet manere, & caſtitatem perpetuam ſervare, & cuſtodire. Unde Apoſtolus 2. Cor. 11. *Deſponſi vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Adonias ſenior inter filios David elevabatur dicens: *Ego regnabo*, fecitque ſibi currus, & equites, & confœderatus eſt cum Joab Principe & Abiathar Sacerdote, victimas immolavit, filios regis & multos de populo ad convivium vocavit, & ſe regem eſſe, & vocari abſque mandato & ſcientia patris ſui tunc temporis ordinavit. Deo tamen ordinante contrarium factum eſt, quia, ſcilicet ipſo cum ſuis convivium celebrante, frater ſuus Salomon Junior, qui ab ipſo vocatus non fuerat, mediante interceſſione matris ſuæ Betſabeæ, & Nathan Prophetæ, & Sadoch ſacerdotis, quos etiam contempſerat Adonias, per ipſum David in regem fuit ſublimatus, & ſuper mulam regis poſitus, & in Sion in regem per Sadoch ſacerdotem inunctus in throno David cum magno gaudio conſtitutus. Salomon enim matrem ſuam, Sadoch, & Nathan, & totum robur exercitûs ſecum habuit, & ideo regnum à patre citiùs impetravit. Adonias verò & convivæ ſui audito, quod alius regnabat, fugerunt, & ſic regni ambitio & convivii lætitia in triſtitiam verſa fuerunt. Illud poteſt applicari exemplariter contra ambitioſos, qui, ſcilicet, contra voluntatem David Dei Regna, id eſt, Prælaturas, officia & beneficia ambiunt, & ad finem quod ipſa citiùs obtineant, Joab & Abiathar, id eſt, Principes & Prælatos ſibi confœderant & adjungunt. Feſta & convivia celebrant, & ſe regnum & regimen obtenturos opinan-
B tur, & credunt. De Salomone verò ſapientè, & de Nathan Propheta, & de Sadoch ſacerdote, & de perſonis ſapientibus & ſanctis Prophetis Deum colentibus non curantes, ipſos non advocant, ſed repellunt. Verùm ſæpe fit, quod Salomon pacificus filius David junior, id eſt, aliqua ſimplex perſona inter alias junior, de qua, ſcilicet non ſperabatur, & quæ ad regnum & prælaturam non machinabatur, quæ, ſcilicet, habet pro ſe matrem, id eſt, Virginem Glorioſam, robur exercitus, id eſt, Martyres, Nathan Prophetam & Sadoch ſacerdotem, id eſt, Prophetas & Confeſſores. Iſtis mediantibus à patre David Deo ſuo in Regem, Prælatum & ſuperiorem eligitur, gratiâ Dei inungitur, & in throno ſeu cathedra, id eſt, in dignitate, officio vel beneficio collocatur. Alius verò qui omninò ſperabat, repellitur, ita quod ejus feſta & convivia in triſtitiam convertuntur. Ideò benè dicitur Eccl. 11. *Quod multi potentes oppreſſi ſunt validè, & inſuſpicabilis portabat diadema.* Illud enim quandoque fit, quod qui minùs ſuperbit, & ambit, & minus ſperabat, obtinet, magis verò ſperans & ambiens ſuperſedet. Vel illud allega ſic, quod Adonias, qui præoccupavit regnare, fuit privatus regno, Salomon verò, qui expectabat, ad regnum fuit aſſumptus, bonos & malos ſignificant. Quia, ſcilicet mali, qui nunc regnare volunt, & intendunt, citò poſt mortem mundi regno privantur, boni verò qui patienter expectant, ad cœli regna poſtea promoventur. Bene igitur dicitur Thren. 1. *Quod bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.* Vel dic, quod Salomon junior ſignificat perſonas ſimplices & ignorantes, quia revera ſæpè fit, quod licet regnum & regimen Eccleſiæ ſeu beneficium debeatur primogenito filio, ſcilicet Adoniæ, id eſt, perſonis antiquioribus & provectis, nihilominus ſæpe fit, quod juvenis & inſcius ad Patrem & ad Prælatum ſuperiorem mittit dominam matrem ſuam, id eſt, carnalem affectionem, vel ad literam, aliquam ipſius concubinam, quæ bene Bethſabee, id eſt, puteus ſatians dicitur, pro eo quod tales Prælati oblectamentis talium ſatiantur, mittit etiam ad eum Prophetas & Sacerdotes, aliquos majores Dominos, cum quibus ante fecerat pactum ſuum. Sic ergò fit, quod talibus fautoribus intercedentibus, mulaque carnalis amoris ſeipſum ferente, iſte in regem, id eſt, Prælatum vel beneficiatum eligitur, vel inungitur. Adonias verò, qui interpretatur Dominus, id eſt, juſtus & prudens ſubC ditus, cui de jure debebatur dominium, reprobatur. Unde dicitur Eccl. 16. *Vidi ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum. Vidi ſervos in equis, & principes ambulantes quaſi ſervos ſuper terram.* Vel dic, quod David, id eſt, bonus Prælatus non debet curare de juvenili ætate, dum tamen præcedat alios in ſenſûs maturitate, debetque in promotionibus juvenem præferre antiquis, dum tamen ipſe juvenis ſit Salomon, id eſt, ſapiens, pacificus & mitis.

Capitulum ſecundum. Textus. Appropinquaverunt autem dies David, ut moreretur.

Moralitatum Cap. II.

DAvid conſtituto Salomone in regno, cum videret diem mortis ſuæ appropinquare, voluit facere ſuum teſtamentum, præcepitque Salomon filio ſuo, quod Joab quamvis ſibi ſemper fuerit fideliſſimus, cognatuſque ſuus germanus, pro eo quod duos Principes Iſraël, Abner, ſcilicet, & Amaſan proditoriè occiderat, faceret occidi, Semei, qui ſibi maledixerat, à facie Abſalon fugienti, præcipit puniri, filios verò Berzelai Galaaditæ, qui ſibi cum victualibus occurrerant in deſerto, mandavit præmiari, & convivas menſæ Salomonis, ut antea, ordinari. Per David intelligitur Deus Pater. Per Salomonem verò Deus filius, ab ipſo Rex Iſraël, id eſt, Rex fidelium conſtitutus. Igitur iſti Salomon punitionem malorum & præmiationem juſtorum mandavit, quia pro certo Deus Pater Chriſto filio ſuo omne judicium dedit, atque ad puniendum malos, promovendumque bonos ordinavit. Unde dicitur Job. 5. *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio.* Vel dic, quod David eſt bonus Prælatus, qui revera propter familiaritatem quamcunque vel conſanguinitatem, quam habebat cum Joab, id eſt, cum aliquo ſcelerato, non debet ipſum impunitum dimittere, quinimo cum Salomone quem regem conſtituit, id eſt, cum judicibus ſuis, quos aliis præfecit, debet de punitione ipſius ordinare, dicens illud Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere.* Vel iſta allega contra teſtamentum uſurariorum & raptorum, qui ſcilicet quamdiu vivunt, juſtitiam facere, nec de bonis nec malis, reſtituendo quod debent, volunt, ſed hæredibus & ſucceſſoribus ſuis ſolent omnia commendare. Iſti enim ſunt *qui imponunt onera gravia ſuper humeros filiorum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Matt. 23. Unde quidam nugatoriè de uſurariis dicebat, quod in tota una parentela non poterit damnari, niſi unus, & hoc, quia pater committit emendas ſuas filio, & ille onus teſtamenti ſuſcipiens, & pro tempore vitæ ſuæ nihil inde faciens, cum ad mortem venit, mandat etiam filio, & ille ſimiliter filio ſuo, & ſic deinceps. Et ſic (ut dicebat) ſolus ultimus, qui non habet, cui mandat, damnabitur. Alii verò qui ſucceſſores onerant, ſalvabuntur. Adonias Abiſac Sunamitidem in uxorem D appetens, ex hoc cautè ad regnum ambiens, quamquam ſuper hoc mater regis intercederet, & quamquam rex petitionem matris in genere conceſſiſſet, quod petebat, tamen non conſequitur, ſed occaſione ambitionis à Salomone occidi mandatur. Hoc allegatur, quod nulla perſona ita propinqua nobis, ſive mater fuerit, ſive frater, ſi tamen petat à nobis vel malitioſè vel ſimpliciter, rem nobis inutilem vel nocivam, quin eam refutare debeamus, & dato quod prius in genere conceſſerimus, quin adhuc illud debeamus reſcindere, & quin etiam quemcunque fratrem vel amicum contra ſtatum noſtrum ambientem debeamus corrigere vel punire. Juxta illud: *In male promiſſis reſcinde fidem.* Volens Adonias Abiſac ſibi dari à rege in uxorem, primo ad Bethſabee matrem Salomonis recurrit, ad intercedendum pro ſe ad proprium filium ſuum ipſam miſit. *Bene* (inquit illa) *loquar pro te Regi.* Venit igitur Bethſabee ad Salomonem regem, ut loqueretur ei pro Adonia, & ſurrexit rex in occurſum ejus, ſeditque ſuper thronum ſuum, poſituſque eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dextram ejus. Dixitque ei rex Salomon, *Pete mater mea. Neque fas eſt, ut avertam faciem meam.* Quæ ait, *Detur obſecro Abiſac Sunamitis Adoniæ* E *fratri tuo uxor.* Adonias de regno excluſus moraliter deſignat peccatorem, aut genus humanum, quod à paradiſo fuit expulſum: Sunamitis ſignificat divinam gratiam. Rex verò Salomon ſignificat Chriſtum: mater vero ejus Bethſabee ſignificat benedictam Virginem Mariam. Iſta igitur eſt veritas, Adonias, id eſt, peccator vult Sunamitidem, id eſt, divinam gratiam, uxorem & amicam à rege Chriſto impetrare, ante omnia ipſe debet matrem regis, id eſt, Beatam Virginem per orationem & devotionem adire, & eam inter ſe & Deum interceſſitricem & intermediam ponere, & pro certo Rex Chriſtus, petitionem matris neſcit denegare. Vel allega de aſſumptione beatæ Mariæ Virginis, quia, id eſt, tunc mater regis, id eſt, beata virgo venit ad ipſum in cœlum, qui ſibi aſſurgens ſtatim juxta ſe conſtituit ſibi thronum, & ad dexteram ſuam conſedit, dulciterque ibi ipſam ordinavit honorificè. Iſta igitur pro Adonia, id eſt, pro humano genere, quod regnum ſuum, id eſt, paradiſum amiſerat, pro eo quod ante tempus regnare voluerat, continuè poſtulat. Cui, ſcilicet Rex Chriſtus petitionem ſuam exaudit dulciter & confirmat. *Pete* (inquit) *mater mea nec fas eſt, ut avertam faciem mem.* Hic habemus, quod cum Joab propter homicidia, quæ commiſerat, Semei verò propter maledictionem,

Digitized by Google

quam in David intulerat, ex ordinatione David occidendi essent, voluit occulta Dei providentia alias causas exhibere extrinsecas, ut sub colore alio posset illos iniquos de his criminibus castigare. Joab enim contra Salomonem cum Adonia se posuit, cujus occasione metuens ad tabernaculum fugit, & cornu altaris tenens, ex mandato Salomonis occisus fuit. Semei verò à Salomone concessum fuerat, quod domum in Hierusalem sibi faceret, & quod in illa manens vivere posset, & quod quacunque die exiret Hierusalem, interiret, sed post triduum annorum cum dictam sententiam oblivioni dedisset, audito quod servi ejus fugerent ad Achis regem Geth, ad reducendos servos suos ivit, & Hierusalem exivit. Sed cum rediret ad Salomonem, statim occisus est. Et sic divina providentia viam & occasionem præbuit, quod ipsum per Salomonem justè punivit, & quod maledicendo David meruit, sibi dedit. Hoc exemplariter patet, quomodo justitia Dei occulta, sub occasione unius peccati quandoque punit aliud, & quando dato, quod aliquod crimen videbatur alicui dimisisse, Deus scit loco & tempore causas alias subjungere, quarum occasione & illud, quod alias reliquerat, scit punire. Unde Job. 24. *Deus inultum abire non patitur.*

Vel dic, quod Hierusalem est Religio vel Ecclesia, in qua dum per fidem manemus, per gratiam vivere possumus. Si autem inde per peccatum vel Apostasiam eximus, mortis culpæ & gehennæ
F nos periculo subjugamus. Vel dic secundùm Stephanum de Longotono contra illos, qui in Hierusalem, id est, in claustris vel in Ecclesiis vel beneficiis suis personaliter residere nolunt, sed in Geth, id est, in mundo vagantur & incedunt, quia, scilicet isti mortem culpæ & pœnæ multoties incurrunt, exemplo Gen. 34. Dinæ, quæ domum patris egrediens corrupta fuit. Et Esau, Gen. 27. qui ad venationem exiens, benedictionem amisit. Vel dic quod Semei est in discretus Prælatus, qui cum immoderato zelo servos & subditos suos à Hierusalem, id est, à statu gratiæ fugitivos quandoque reducere nititur, sed dum ipse etiam de Hierusalem per immoderatum zelum & per austeritatem egreditur, morte æterna mulctatur, & sic sæpè fit, quod dum Semei, id est, Prælatus servos fugientes, id est, subditos delinquentes per nimiam austeritatem reducit, ipse, scilicet quantum ad animam, mortem vitiorum incurrit. Melius est ergo, quod tales impuniti dimittantur, quàm quod eos nimis indiscretè reducendo in Hierusalem exeatur, & mors perpetua incurratur. Unde dicitur Matt. 8. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.*

Vel dic, quod ille servis suis Hierusalem fugientibus, eos in Geth sequitur, qui malorum subditorum vitam imitatur, propter quod mors perpetua reportatur. Vel dic, quod Salomon tres personas occidit, in quo, scilicet notatur, quod bonus rex & rector suiipsius debet in se ipso tria vitia, scilicet peccatum voluptatis, quod significatur in Adonia, qui cum Sunamitide contrahere voluit; peccatum oris, quod significatur in Semei, qui ore suo David maledixit; peccatum operis, quod designatur in Joab, qui manualiter duos innoxios interfecit, occidere.

G *Capitulum terium. Textus.* Confirmatum igitur regnum in manu Salomonis.

Moralitatum Cap. III.

DEus apparens Salomoni in excelso Gabaon, concessit sibi quod peteret, quicquid vellet. Et quia non petiit divitias nec longam vitam, aut, inimicorum vindictam, sed sapientiam. Ideo Dominus non solum sapientiam sibi dedit, imo etiam divitias & gloriam sibi superaddidit, & adjunxit. In quo notari potest, quod qui petit justa & necessaria, est dignus obtinere, & recipere, non solùm illa, sed etiam superabundantia. Vel dic, quod sapientia divitiis antefertur, quod patet, quia Salomon de ejus postulatione magis quàm divitiarum commendatur à Domino. Unde dicitur Prov. 3. *Pretiosior est cunctis opibus, &c.* Duæ mulieres meretrices venerunt ad Salomonem, petentes judicium, pepererant ambæ in eadem domo, sed cum nocte una illarum dormiens proprium filium oppressisset, cautè puerum mortuum alteri meretrici dormienti supposuit, & infantem ejus vivum cepit. Quæ tandem evigilans, & infantem mortuum clara luce intuens, suum non esse comperit, quapropter viventem puerum à Salomone sibi reddi poposcit. Salomon igitur volens probare, quæ vivi mater esset, afferri sibi gladium imperavit, & infantem vivum per medium scindi, & matrum cuilibet dari partem ordinavit, ac mandavit. Matris igitur pueri vivi super filium dividendū ac occidendum statim viscera sunt commota, & incepit à rege petere, quod non occideretur, sed potiùs alteri matri daretur. *Obsecro* (inquit) *Domine mi rex, date huic infantem vivum, & non occidatur.* Altera autem è contrario clamabat: *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.* Ex his igitur cognitum est matrem pueri esse illam, quæ ipsum nolebat occidi; quapropter Salomon præcepit filium ei reddi. Ista exponunt quidam allegoricè de Synagoga & Gentilitate, quæ, scilicet ambæ mulieres meretrices dici potuerunt, pro eo quod ambæ idola aliquoties coluerunt, virum suum legitimum, scilicet Deum, & fidem ipsius aliquoties dimiserunt. Unde Ezech. 23. *Fili hominis: Duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, quæ fornicatæ sunt in Ægypto.* Illæ igitur ambæ ad Salomonem, id est, ad Deum per fidem venerunt, & in una domo quæ est Ecclesia, per bona opera pepererunt, sed revera de istis matribus una, scilicet Synagoga filium, id est, populum suum per errorem & incredulitatem suffocat, & filium alterius, id est, populum gentilem ad Christum conversum, vel sibi attribui vel occidi proclamat, in quantum totum mundum istum vel ad fidem suam debere converti, vel alias damnari existimat, & nullam gentem præter se salvari sperat. Sed gladius Salomonis, id est, Dei sententia contra- H
rium invenit, quæ viventem filium, id est, salvandum populum alteri, scilicet gentilitati credenti & non sibi assignat. Vel dic, quod ista verba, quæ hic ponuntur, possunt esse verba gentilitatis conversæ: *Ego & mulier ista habitabamus in domo*, scilicet in Hierusalem, ubi scilicet gentilitas primò credidit, quam alibi, sicut patet in Centurione, qui dixit, *Verè filius Dei erat iste. Cumque peperissem, peperit & hæc*, quia scilicet post credulitatem gentilitatis in Centurione multi de Hierusalem crediderunt. Sed *ista dormiens* in lege, *filium suum*, credentes suos, scilicet Jacobum & Stephanum *morti tradidit, filium verò alterius*, scilicet conversos ex gentibus per errores *furari & occidere contendit.* Vel dic melius, quod duæ mulieres, quæ ad Salomonem veniunt, sunt duæ sectæ hominum, quæ sunt Catholica & Schismatica, quæ Christum credunt, & maximè prima istarum significat Ecclesiam Græcam & Orientalem, apud quam alia mulier, id est, Latina & Occidentalis Ecclesia dicitur peperisse, in quantum ista mediante Christo noscitur credidisse, & fidem ab ea suscepisse. Sed pro certo ista prima mulier, id est, primitiva & Orientalis Ecclesia, & illa quæ primò credidit, Græcia, jam effecta hæretica & schismatica, filium suum, id est, populum suum per errores suffocat, filium verò viventem, id est, populum alterius mulieris, seu Ecclesiæ Occidentalis sanè credentem, subtrahere, & ad errores suos convertere tentat, filiumque suum mortuum, id est, populum suum hæreticum, & damnatum, ad ubera alterius matris, id est, provincias, & terras Ecclesiæ Catholicæ, in quantum potest, apponit, & dilatat; Salo- A
mon tamen, id est, Christus, gladio suæ occultæ justitiæ istud impedit, quia viventem populum esse filium Occidentalis Ecclesiæ ostendit, & Græciæ suum mortuum derelinquit. Unde dicitur Matt. 8. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Vel dic, quod ista mulier, quæ mortuum filium alteri voluit attribuere, & viventem infantem sibi ascribere, Synagogam vel Schismaticam Ecclesiam designat, quarum utraque, scilicet filium, id est, populum suum, qui in veritate est mortuus, dicit vivum, & in vita gratiæ constitutum, filium verò seu populum alterius, scilicet Ecclesiæ Catholicæ, qui in veritate est vivus & sanctus, dicit esse mortuum, id est, incredulum & damnatum. Ezech. 13. *Interficiunt animas, quæ non moriuntur, & vivificant animas, quæ non vivunt.* Vel dic, secundùm Gregorium, quod mater ista, quæ filium, quem lactabat, occidit, malum prædicatorem significat, qui, scilicet subditos, quos per doctrinam lactaverat, in delitiis torpens & dormiens, per malam vitam occidit, & necat. Vel illud applica contra quosdam, qui scelera sua aliis imponunt, & aliorum bona sibi attribuunt & ascribunt, & sic filium suum mortuum aliis tradunt, & alterius filium viventem furantur & surripiunt. Dicunt enim, *filius tuus mortuus est, meus autem vivit.* Vel dic, quod illæ duæ mulieres sunt mundus & Religio, quia, scilicet mundus filios suos per vitia suffocat, religio verò viventes & justos servat, mundus tamen ad ubera Ecclesiæ, id est, ad beneficia religionis, filios suos mortuos, id est, peccatores & malas personas non cessat apponere, & ab ipsis uberibus viventes filios, id est, bonas personas non cessat subtrahere, & ipsas ad se, id est, ad mundana vitia pro posse attrahere. Quos quando habere non potest, solet eos Salomonis gladio, id est, cunctis tribulationibus esse dignos dicere. Vel dic, quod ad Salomonem, id est, ad Prælatum veniunt hodie duæ mulieres, una, scilicet Ecclesia bona, quæ quandoque filios & subditos suos ut communiter habet viventes & bonos. Alia est carnalis affectio seu etiam parentela, quæ ut communiter habet filios mortuos, id est, ignorantes & imperfectos. Inter istas ergo magna est apud Salomonem, id est, apud Prælatum altercatio, qua quælibet dicit filium suum vivere, & alterius filium mortuum esse, quia quælibet allegat illos, quos proponit, esse meliores, & alios deteriores, sicut patet, quia parentela Prælatorum illos, quos sibi offert, asserit sufficientes esse & dignos, illos verò, quos Ecclesia vel Capitulum promovere nititur, asserit mortuos & ineptos. Ista ergo mala mulier, carnis scilicet affectio, vel carnalis parentela Salomonis, id est, Prælati omnino ab uberibus matris alterius, id est, à bonis beneficiis Ecclesiæ viventes filios suos, id est, bonas personas ipsius elongat & subtrahit, & suos malos mortuos, scilicet ignorantes B
nepotulos, ibi ponit. Salomon tamen, id est sapiens Prælatus, mediante gladio justitiæ, debet alteri muleri, scilicet Ecclesiæ, filium viventem, scilicet bonas personas tribuere, & ad ipsius beneficia seu ubera apponere, malæ verò mulieri, scilicet carnali parentelæ vel affectioni, debet parvulos mortuos assignare, & eos ipsi nutriendos dimittere, vel de eis non curare, dicens, scilicet quod

Digitized by Google

quod ſequitur : *Date huic infantem vivum : Hæc enim eſt mater ejus.* Juxta illud Matt. 8. *Dimittite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Vel dic, quod iſta mulier mala eſt Diabolus, de quo ſcilicet poteſt dici illud Eccl. 25. *Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris.* Iſta enim eſt, quæ omnes filios ſuos per culpam & pœnam occidit, Thren. 2. Unde dicitur: *Nunquid comedunt mulieres parvulos ſuos ad menſuram palmæ ;* Filios verò viventes, id eſt, ſanctos viros, qui ſunt filii alterius matris Eccleſiæ vel Chriſti, ſibi ſubtrahere nititur, & eos per peccatum in filios adoptare, & uberibus mundanæ delectationis lactare conatur, ſuos verò mortuos peccatores, id eſt, filios ſceleratos, ad ubera alterius matris, id eſt, ad dignitates, & beneficia Eccleſiæ furtivè, & ſimoniacè introducit, & ſic de filiis ſuis filios Eccleſiæ facit, & de bonis filiis Dei & Eccleſiæ, filios ſuos, id eſt, peccatores facere nititur & contendit, dicens Eccleſiæ illud, quod ſcriptum eſt Ruth. 1. *Populus meus & tuus unum ſunt.* Quos quando ſuos facere nequit, tunc ſaltem ipſos dividendos per diſcordiam, invidiam, & ſollicitudinem procurat, & gladio Salomonis, id eſt, tribulationibus ipſos detruncandos & affligendos proclamat. Dicit igitur: *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur.* Ac ſi diceretur. Ex quo non poteſt mala mulier totum habere, nec ex toto ad peccatum convertere, ipſum tamen poteſt per ſollicitudinem dividere, ut quod poteſt, ſibi profectò valeat procurare; ut patet de religioſis & clericis in temporalibus implicatis, qui quia diviſi ſunt, partim Dei, & partim Diaboli fiunt. Unde dicitur 2. Reg. 19. *Tu & Siba dividite poſſeſſiones.* Vel dic quod mulieres ſignificant Religiones Mendicantes, quæ ſcilicet coram Deo contendunt, & aliæ ipſis ſe præferunt, & ſuos filios viventes, & aliorum mortuos eſſe dicunt. Cujus, ſcilicet, veritatem gladius Salomonis, id eſt, divina ſententia in judicio comperiet, quando ſingulorum meritum patefiet, &c. Vel dic, quod talis altercatio videtur eſſe inter mundum & religionem, quia ſcilicet religio dicit filios mundi eſſe mortuos, & ſuos ſolos eſſe vivos, ut patet de multis præſumptuoſis religioſis, qui omnes alios præter ſuos exiſtimant per peccatum mortuos, & defectos eſſe. Econtra verò mundus filios religionis perditos & mortuos temporaliter reputat, & ſuos ſolos in proſperitate vivere gloriatur, & clamat. Vel dic quod duæ mulieres ſunt Veritas & Hypocriſis, quarum una, ſcilicet, Hypocriſis, habet filium mortuum, id eſt, opera vitioſa, & tamen dicit & fingit, ſe habere filium vivum, id eſt, opera virtuoſa. Et econtra de Veritate & juſtitia, quorum ſcilicet, filius vivit, id eſt, quorum ſunt opera bona, ſæpe dicitur illud, quod hic dicitur, filius tuus mortuus eſt, id eſt, quod alia habeat opera inutilia, quæ ſcilicet nulla debeant conſequi præmia. Iſta igitur altercatio modo non bene deprehenditur, quia quicquid ſit vivum, quid mortuum, quæ hypocriſis, quæ veritas, nunc neſcitur, in fine tamen, ſcilicet, in judicio, gladius divinæ ſententiæ iſtud inveniet, quando merita, & demerita ſingulorum univerſis Deus oſtendet. Unde Apoſtolus 1. Cor. 3. *In igne declarabitur uniuſcujuſque opus, quale ſit, &c.*

Capitulum quartum. Textus. Erat autem Rex Salomon regnans ſuper omnem Iſraël.

Moralitatum Cap. IV.

DUodecim duces habuit Salomon, qui per ſingulos menſes adminiſtrabant cibaria menſæ ſuæ, & habebat Salomon equorum curulium, & equeſtrium, & onera portantium infinitam multitudinem, & præcedebat ſapientiâ omnes Orientales, fecitque tria millia parabolarum, & quinque millia carminum, & diſputavit de natura arborum & herbarum, de naturis etiam piſcium, avium & beſtiarum, ut dicitur in capitulo iſto. Et Salomon, cum vellet ædificare domum domini, miſit ſibi Hyram rex Sydoniorum cedros, & abietes de libano, præparaveruntque biblii & artifices ligna, & lapides ad ædificandum domum domini, ita quod in monte dolabantur, quadrabantur & præparabantur, & deinde
D in Hieruſalem portabantur, ſicut hic dicitur 3. Reg. 5. Et ſic actum eſt, quod dum templum in Hieruſalem ædificaretur, vox ſecuris vel mallei non eſt audita, & hoc, quia materia antea fuerat præparata. Revera talis Salomon fuit Chriſtus, qui, ſcilicet, fuit rex ſapiens, & pacificus, & ſuper omnes homines ſapientiâ inſignitus. Apoſtolus Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Et Eccleſiaſt. 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei.* Iſte igitur duodecim præfectos, id eſt, duodecim Apoſtolos habuit, qui ſibi in fide, & opere ſervierunt, ut menſæ ſuæ, id eſt, Fidei vel Eccleſiæ cibos, id eſt, fideles multiplices miniſtrarent. Pſal. 127. *Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.* Tria etiam genera equorum, id eſt, bonorum ſubditorum habet, ſc. equos curules, id eſt, religioſos, qui currui, id eſt, regulæ ſunt aſtricti: equeſtres, id eſt, Prælatos, & clericos, qui ſpirituali militiæ ſunt dedicandi: onera portantes, id eſt, ſæculares, qui oneribus negotiorum mundialium ſunt ſubjecti. Unde Abacuc. 3. *Feciſti viam equis tuis.* Hyram igitur rex gentilis gentilitatem deſignat, quæ ſcilicet cedros, & abietes, id eſt, altos, & ſublimes philoſophos ad Salomonem, id eſt, ad Chriſtum, & ad fidem ipſius, de libano, id eſt, de mundo miſit, de quibus pro magna parte domus Dei, id eſt, Eccleſia ædificata fuit, ut patet Cant. 3. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, &c.* Servi etiam ipſius regis Hyram, ligna & lapides, id eſt, ſanctos viros per martyria doluerunt, & in monte hujus mundi præparaverunt, & ad Salomonem regem, id eſt, ad Chriſtum in Hieruſalem, id eſt, in paradiſum cœleſtem E
miſerunt, & ſic ſibi ad ædificationem cœleſtis templi materiam præparaverunt, & eidem obſequium præbuerunt. 1. Par. 22. Unde conſtituit latomos ad cædendos lapides. Et in Evangelio Joan. 16. *Erit,* (inquit) *Ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* In Hieruſalem igitur cœleſti, ubi Chriſtus ædificat templum ſuum, vox ſecuris vel mallei non auditur, nec pœna vel tribulatio ſentitur, quia pro certo lapides, id eſt, ſancti, qui ſunt materia hujus templi, prius in hoc mundo per tribulationes dolantur, & per virtutes quadrantur, & ſculpuntur. Igitur quando ibi aſcendunt, nequaquam ampliùs turbabuntur, ſed in tranquillitate in Dei ſanctuario collocantur. Unde Apocal. 7. *Non eſurient neque ſitient amplius, neque cadet ſuper eos ſol, neque ullus æſtus, quoniam priora tranſierunt.* Vel iſta allega contra ligitioſos clericos, qui, ſcilicet, dum templum Eccleſiæ in præſenti ædificatur, & regitur, nulla vox murmurationis aut querelæ, diſſenſionis aut diſcordiæ debet audiri, ſed omnia tranquillè, & pacificè fieri, & quilibet lapis, id eſt, quilibet perſona patienter in loco, & gradu ſibi debito, collocari. Eſaiæ 10. *Non fuit qui moveret pennam, & aperiret os, & ganniret.* Vel dic quod ſecuris & malleus ſignificant miniſtros crudeles. Ictus vero iſtorum ſignificant illatas tribulationes, voces verò talium denotant terrores, & comminationes. Quando igitur Salomon, id eſt, Prælatus ædificat, & regit templum Eccleſiæ ſibi ſubjectæ, valde debet curare, quod omnia tranquillè peraganiur, & quod ſecuris & malleus, id eſt, crudelis miniſter & Officialis procul tollatur, & quod vox, & ictus omnis tribulationis, & turbationis, & talium ibi nullatenus audiatur, ne aliqua crudelis exactio ſimplicibus inferatur. Unde Job. 3. *Vincti pariter ſine moleſtia, non audierunt vocem exactoris.*

Cap. 5. Hyram rex gentilis adminiſtravit materiam Salomoni ad templum ædificandum, Salomon verò oleum, & triticum ſibi dabat, & domum ipſius nutriebat, ſervi etiam Hyram cum ſervis Salomonis templum ædificaverunt, ligna & lapides paraverunt. Hyram eſt mundus. Salomon eſt Chriſtus, quia verè mundus adminiſtrat Chriſto materiam, id eſt, perſonas, de quibus templum Eccleſiæ conſtituitur. Salomon verò, id eſt, Chriſtus, adminiſtrat mundo cibaria, id eſt, triticum doctrinæ, & oleum gratiæ & miſericordiæ, quibus mundus ſpiritualiter alimentatur, ſervi verò Hyram, & Salomonis, id eſt, ſervi mundi & Chriſti, id eſt, homines boni & mali paſſim templum ædificant Eccleſiæ, in quantum cum ſervis Chriſti multi hypocritæ, & mali verbum Dei F
prædicant atque docent. Unde Apoſtol. Phil. 1. *Quid enim?* inquit, *dum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur.* Unde 2. Tim. 2. idem dicit, quod *in domo magna non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea & fictilia.*

Capitulum ſextum. Textus. Factum eſt ergo quadringenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſraël.

Moralitatum Cap. V.

ÆDificavit Salomon domum domini de dolatis lignis & ſectis lapidibus, & diſtinxit eam in tres diſtinctiones, in altum, quarum inferior domûs in duo dividebatur, ſcilic. interiori oraculo, & exteriori domo. Sic igitur factum eſt, quod omnes parietes templi inferioris tabulis cedrinis, pavimentum verò abietinis operiebatur, & deſuper tabulas laminis aureis omnia per circuitum tegebantur, nihilque erat in templo, quod non auro undique tegeretur. Fecit quoque Salomon, anaglypha, id eſt, cælaturas & tornaturas in tabularum juncturis, ut nec quidem aliqua rima ſeu diſtinctio deprehendi poſſet. In medio verò tabularum ſculpſit imagines prominentes, ſcilic. Cherubin atque palmæ. Sic verè, quando verus Salomon Deus templum Eccleſiæ facere voluit, ipſum de lapidibus ſectis & quadratis. id eſt, de perſonis ſanctis, fortibus & ſolidis ædificavit. Templum enim illud de quadruplici materia conſtabat, ſcil. de lapidibus ſectis, & tabulis cedrinis, abietinis, & laminis aureis. Sic verè Eccleſia Chriſti habuit viros, ſcilic. Martyres, qui per martyria fuerunt ſecti, tabulas cedrinas, id eſt, Confeſſores, qui per contemplationem fuerunt alti, & qui per virtutes fuerunt ſculpti, tabulas abietinas, quæ minoris ſunt valoris, id eſt, bonos Sæculares, qui in pavimento, id eſt, & infimis in mundo fuerunt poſiti, laminas aureas, id eſt, Doctores, qui ſplendore ſapientiæ fuerunt lucidi, in quibus, ſcilicet, omnibus erant virtutum imagines, picturæ, & ſcientiarum characteres, ſcripturæ, & concordiæ, ligamina, & juncturæ, quia ſcilicet, inter tabulas templi, & inter perſonas Eccleſiæ anaglypha, id eſt, tornaturæ erant charitatis, quæ nullam rimam diſſenſionis aut diſcordiæ apparere permittebant. Unde Job 41. *Una*

uni-

Digitized by Google

uni conjungitur, & nec ſpiraculum quidem incedit per eas. In ipſis etiam debent ſculpi inter cætera duæ ſpeciales figuræ, ſcilicet palma, quæ ſignificat victoriam, & Cherubin, quod ſignificat ſcientiam, quia, ſcilicet, Cherubin interpretatur ſcientiæ plenitudò, ad denotandum, quod omnes perſonæ Eccleſiæ & fideles, debent habere palmam, id eſt, vitæ perſeverantiam & victoriam, diſcretionem, ſcientiam, & ſapientiam. Unde Apocalyp. 7. *Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Et breviter in templo iſto non debet eſſe aliquid, quin auro charitatis & ſapientiæ veſtiatur, ut ſic tam tectum, quàm parietes, & pavimentum, id eſt, tam ſuperiores quàm mediocres, quàm etiam inferiores fide & moribus ſplendere videantur. Apocal. enim 21. *Ipſa civitas aurum mundum.* Tres autem partes habuit iſtud templum, quia Eccleſia tres ſpeciales habuit ſtatus, Prælatorum, conjugatorum, & continentium ſeu Eccleſiaſticorum, qui etiam in duos ſtatus ſubdividitur, ſcilicet in ſancta ſanctorum, & in ſancta, id eſt, in Eccleſiam Regularem & Sæcularem. Iſti enim ſunt tres ſtatus ſalvandorum, qui in Noë Prælato Ezec. 14. Job conjugato, & Daniele continente ſignificantur. Ideo bene poteſt dici illud Geneſ. 29. *Vidit puteum in agro, treſque greges ovium accubantes.* Quod autem templum in monte fuit, factum fuit ad denotandum, quod Eccleſia Chriſti ſurſùm in monte paradiſi debet mentaliter manere, & manentem civitatem hic non quærere, ſed de futura potius cogitare, dicens illud Apoſtoli Phil. 3. *Noſtra converſatio in cœlis eſt.*

Vel dic, quod templum eſt anima, cujus tres partes ſunt, tres potentiæ, ſcilicet, ratio, memoria, & voluntas. Una verò iſtarum, ſcilicet, ratio duplex eſt, quia ſcilicet, eſt dare rationem ſuperiorem & inferiorem, & intellectum ſpeculativum, & practicum. Componi igitur debet iſtud templum conſcientiæ vel animæ ex lapidibus quadratis, id eſt, ex conſtantiæ ſtabilitate conſtare debet. Unde Iſaiæ 54. *Sternam per ordinem lapides tuos:* ex tabulis cedrinis, id eſt, ex contemplationis ſublimitate, quia *cedrus alta libani.* Unde dicitur Ezechiel. 27. *Cedrum de libano tulerunt, ut facerent tibi malum.* Malus enim navis, altitudinem contemplationis deſignat: ex tabulis abietinis, id eſt, ex juſtitiæ rectitudine ſeu æquitate, abies enim arbor eſt rectiſſima. Unde Ezechiel. 28. *Abietes de Sanir delaverunt in remos tuos.* Ex laminis aureis, id eſt, ex ſapientiæ claritate. Item: Aurum opus decoris tui. Debet etiam eſſe in monte, id eſt, in paradiſo per affectionem; Pſalm. 15. *Quis aſcendet in montem Domini?* Debet habere cælaturas, & ſculpturas, id eſt, multiplicitatem virtutum, & perfectionum, inter quas, ſcilicet, ſpiritualiter debet habere imaginem Cherubin, id eſt, ſcientiam, & diſcretionem, & imaginem palmæ, id eſt, perſeverantiam, & conſummationem. Et breviter nihil in ea debet eſſe, quin totum auro tegatur per ſplendidam converſationem, & ſic dicitur de ea illud Apoſtoli 1. Corinth. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Qui igitur templum Dei violaverit, deſtruet illum Deus.*

In interiori oraculo facta ſunt duo oſtia de lignis olivarum, & ſculpta erant in eis Cherubin & palmæ, quæ omnia auro cooperta erant. Poſtes autem oſtiorum quinque angulos habebant. Quia per templum Eccleſia intelligitur, bene videtur, quod per domum exteriorem, quæ erat major, intelligitur ſtatus laicorum, per interius verò oraculum deſignatur ſtatus & congregatio clericorum. Oſtia igitur iſtius oraculi, Prælatos ſignificant, per quos alii ad fidem, & ad Eccleſiam, nec non ad Eccleſiaſtica beneficia intrant. Unde dicitur Joan. 10. *Ego ſum oſtium. Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde* (ſicut faciunt Simoniaci & intruſi) *ille fur eſt, & latro.* Videamus igitur, qualia debeant eſſe oſtia domus Dei, ſcilicet, Prælati. Dico igitur, quod debeant eſſe duo, quia debent eſſe combinati per charitatem, debent eſſe de lignis olivarum, quia oleum eleemoſynarum debent fundere per pietatem, habere poſtes cum quinque angulis, id eſt, virtutes, quæ faciunt quinque ſenſuum diſcretam ſagacitatem, & continentiam, debent habere Cherubin, id eſt, ſcientiæ plenitudinem, debent habere palmas, id eſt, victoriæ & perſeverantiæ longitudinem, debent habere anaglypha ſeu cælaturas, id eſt, virtutum pulchritudinem, debentque ad modum oſtii eſſe volubiles per diligentiæ ſolicitudinem, & per omnia debent eſſe cooperti ſpirituali auro per ſplendidam converſationis ſanctitatem, quamvis, prò dolor, hodie multi magis conentur ſe cooperire auro naturali per avaritiæ turpitudinem. Unde ſupra ibidem dicitur, quod *nihil erat in templo, quod non auro tectum erat.* Ideo de talibus Eccleſiæ oſtiis ſeu Prælatis poteſt dici illud Ezechiel. 41. *Bina oſtia erant in templo: & in ipſis oſtiis cælatura erat Cherubin & ſculpturæ palmarum.* Vel ſi vis, omnia iſta expone de prædicatoribus, quibus mediantibus ad mores, & ad vitam intratur, & de ſacerdotibus, & rectoribus, per quos laici ad ſacramenta Eccleſiæ admittuntur.

Domus etiam exterior templi duo habebat oſtia de lignis abietinis, quæ habebant poſtes de lignis olivarum cum quatuor angulis, quodlibet verò illorum oſtiorum erat duplex, & ſe invicem tenens aperiebatur, ipſaque oſtia auro opere quadrato ad regulam aperiebantur, & palmæ, & Cherubin in eis ſculpebantur. Quia ſicut dictum eſt, domus templi exterior ſtatum laicorum deſignat, ideo bene poſſunt per oſtia domus hujus ſæculares principes, & judices denotari, quia revera iſti debent eſſe duo per communem ſui & aliorum diligentiam, quia, ſcilicet, non debent eſſe unus, ſcilicet, toti ſui, per proprii lucri avaritiam, & per ſingularitatis parſimoniam. Debet etiam eſſe quilibet duplex per Dei, & per Chriſti charitatem binariam, & debent ſe invicem tenere per pacem, & amorem, & concordiam, & ad ſe invicem converti, & applicari per mutui adjutorii convenientiam. Undè Ezechielis 41. *Ab utraque parte bina erant oſtia, quæ in ſe invicem applicabantur.* Iſti igitur debent eſſe de lignis abietinis, quæ ſunt recta; atque in ſe debent habere poſtes olivarum, quæ ſignificant pietatis, & miſericordiæ dulcedinem, quæ quatuor debent habere angulos, id eſt, conſtantiæ, & ſtabilitatis quadraturam, & fortitudinem. Res enim quadrata non faciliter volvitur, ſic verè nec prudens homo faciliter à verbo vel à propoſito ſuo mutatur, nec prece nec pretio, adverſitate vel proſperitate, adulatione, vel detractione, à rectitudine variatur. Et ideo tale oſtium, id eſt, talis Superior opere quadrato ad regulam dicitur formatus, ad denotandum, quod ipſe debet eſſe per conſtantiam quadratus, & per temperantiam regulatus. Unde Apocal. 21. *Civitas in quadro poſita eſt.* Operiantur iſti auro, id eſt, honeſtæ converſationis fulgore, ſculpantur imagine Cherubin, id eſt, ſcientiæ ſplendore, & decorentur picturâ palmæ, id eſt, perſeverantiæ ſeu victoriæ potentiâ, vel vigore Apocal. 7. *Palmæ in manibus eorum.* Vel omnia iſta potes allegare de quolibet viro regulato charitate, & pro juſto ad alia dilata, ut ſupra. Hic dicitur quod in templo erant feneſtræ obliquæ, quæ exteriùs erant ſtrictæ, interiùs verò latæ, propter palmæ interiùs receptum dilatabatur, & multò plus quam videretur, intus de lumine fundebatur. Sic verè dico, quod in templo Eccleſiæ illi, qui ſunt Prælati ſuperiores, vel illi, qui ſunt feneſtræ, per quas templum illuminatur, ut Prædicatores, Doctores, cæteri, debent exterius quoad aſpectum exteriorem eſſe ſtricti, interiùs vero quoad aſpectum bonorum ſpiritualium debent eſſe lati, & obliqui, id eſt, occaſionaliter lux bonorum exemplorum ſuorum templum Eccleſiæ illuminabit, & obliquè, id eſt, inductivè & circumſtabiliter lux ſuorum documentorum alios ſpiritualiter illuſtrabit. Vel dic quod feneſtra, id eſt, ingreſſus in templum paradiſi primò eſt arctus, deinde latus, quia *arcta eſt via, quæ ducit ad vitam,* Matth. 7. & ideo obliquus poteſt dici; pro eo quod cum difficultate poteſt intrari.

Vel dic quod ingreſſus in templum Eccleſiæ, vel ad Eccleſiaſtica beneficia, ſtrictus & difficilis eſt in principio. Poſtquam autem homo introierit, gaudioſus eſt & latus, & ideo obliquus dicitur, quia per multas circumvolutiones & circumſtantias ibi ſubintratur.

Vel dic de feneſtra cordis, quæ debet eſſe ſtricta ad exteriora, lata verò ad interiora, quia parum & ſtrictè debet exteriora diligere, & de ipſis accipere, latè vero, & humiliter debet ad conſiderationem ſuorum interiorum ſe dilatare & obliquè circumire, id eſt, per conſiderationes diverſas debet lucem gratiæ in templum conſcientiæ introducere, ac plusquam appareat, debet de iſto lumine poſſidere. Vel dic quod feneſtræ illæ ſunt Religioſi, quia ſcilicet, à parte exteriorum & mundanorum ſe debent ſtrictificare, à parte autem interiorum, ſcilicet, quantum ad illa, quæ ad religionem, & Dei cultum pertinent, ſe debent ſpiritualiter dilatare Pſal. 17. *Eduxit me in latitudinem, ſalvum me fecit, quoniam voluit me.* Vel dic, quod tales feneſtræ ſunt malitioſi & injuſti judices, quia pro certo iſti à parte commodi exteriorum ſubditorum ſunt ſtricti, quia ſcilicet, de illis parum curant, à parte tamen interiorum, id eſt, quantum ad propriam utilitatem lati ſunt, quia ſcilicet, ad omnia devoranda per rapinam, & avaritiam ſe dilatant. Unde Abac. 2. *Quia dilatavit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.* Trabes templi exceptis ſolis capitibus exteriùs non apparebant, latebant enim interiùs infra domum, & auro undique tectæ erant, parietes etiam tabulis cedrinis tegebantur, ita quod de lapidibus parietum nullus penitùs videbatur. Trabes quæ ſurſum in ædificio ſunt ſuſpenſæ, & de pariete in parietem protenſæ, ſignificant viros contemplativos in altum, id eſt, in paradiſum per affectionem ſuſpenſos per charitatem ad utrumque parietem, & ad Deum, & ad proximum extenſos. Unde dicitur Sap. 8. *Attigit à fine uſque ad finem fortiter, &c.* Parietes verò ſignificant bonos ſubditos vel activos, quia revera tam de iſtis parietibus quàm trabibus, id eſt, de iſtis contemplativis vel activis, religioſis vel clericis, ſuperioribus vel ſubditis, nullus debet bona ſua exteriùs per inanem gloriam propalare, ſed potiùs virtutes ſuas, ſanctamque affectionem ſuam debet ab aliorum viſibus abſcondere. Unde Apocal. 16. *Beatus qui cuſtodit pallium ſuum, ne nudus ambulet.* Sola enim capita, id eſt, bona exteriora, eorum opera, & tabulæ cedrinæ, quæ ſunt imputribiles, id eſt, verba indefectibilia & honeſta debent apparere, lapides vero, id eſt, interiores & fortiores virtutes, quæ magis ſunt ſpeciales, debent oculos

Digitized by Google

los hominum fugere & latere. Unde dicitur Matth. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Cum templum habeat tria cœnacula seu interstitia, sic fiebat, quod per cochleam ascendebatur de inferiori ad medium, & de medio ad tertium vel ad supremum. Est autem cochlea via vel scala gradualis circumvoluta & tortuosa, quæ scilicet, vitis dicitur, quæ occulta erat in parietibus, & solum ostium videbatur. Sic verè, cum templum, & Ecclesia in suo universo habeat tres status, scilicet, inferiorem, quæ est vita præsens: medium, qui est status animæ separatæ post mortem; ultimum & superiorem, qui est status hominum post resurrectionem, id est, post resumptam corporum stolam: sic est, quod per cochleam purgatorii, (cujus scilicet sola janua, videlicet mors, per quam ibi intratur, est nobis nota: ipsa verò via, qualis est, dubitamus & ambigimus, atque circumvoluta est nobis penitùs, & ignota, & inuncta) de inferiori ad medium, id est, de statu mortalitatis ad statum beatitudinis animarum ascenditur, & tandem per resurrectionem corporum de isto medio ad tertium pervenitur. Unde Hierem. 50. *De monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui*, id est, mundi. Vel dic, quod cum istud templum Ecclesiæ militantis tres habeat partes, scilicet, statum incipientium, proficientium, & perfectorum, constat, quod mediante cochlea virtutum, & bonorum operum, cujus, scilicet, janua est baptismus vel pœnitentia, quæ cunctis patet, de uno ad alium ascendimus, & de inceptione ad perfectionis cumulum pervenimus Ps. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* Vel dic, quod cum Ecclesia habeat tres partes, scilicet, illos, qui hic sunt in miseria, & illos qui sunt in purgatorii angustia, & illos qui sunt superius in cœlesti lætitia, sic est, quod per cochleam perfectionis, ubi, scilicet, sunt multæ revolutiones, multi gradus, multæ virtutes, quæ tamen ab oculis aliorum debent esse absconditæ & ignotæ, de isto infimo ad medium, de mundo ad purgatorium, de purgatorio ad paradisum debet quilibet pervenire Psalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Vel dic, quod cochlea significat Dei providentiam, quæ revera multis circumvolutionibus nobis est ambigua, & aspectibus humanæ notitiæ multum incognita & ignota. Unde Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Solum enim ostium illius cochleæ, id est, solùm quædam exteriores causæ, vel occasiones divinorum judiciorum nobis apparent. Quæ sint autem interiores viæ vel causæ, vel quot, & quantis circumstantiis illud agatur de templo Ecclesiæ militantis, quantùm ad interstitia seu gradus promotionum; quantis agatur de templo conscientiæ, quantùm ad gradus virtutum & perfectionum, quibus agatur de templo cœlestis patriæ, quantùm ad gradus salvationum, istud est verum, quod sola cochlea, id est, sola divina providentia & gratia est via per quam ascenditur. Et si quæratur, quomodo de uno statu ad alium, & de imo ad supremum venitur, dicendum est, quia scil. nullus est, qui temporaliter sive spiritualiter possit ascendere, nisi in quantum occulta Dei providentia decreverit viam dare. Unde dicitur Joh. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* In templo facta sunt tria tabulata seu deambulatoria circumquaque, & in quolibet factæ sunt luriculæ, id est, appodiatoria, in quibus possent inniti inferius respicientes, sicque erat secundùm Bedam, quod inferius medio & supremo erat latius, supremum verò cæteris erat strictius & brevius. Sic verè, cum in Ecclesia sint plures perfectionis gradus, utpote inferior, in quo significatur mundus. Medius, in quo designatur status Ecclesiæ. Et superior, in quo designatur status religiosorum; istud debet esse, quod quantò status est superior, tantò debet esse strictior & arctior, & quantò homo vult ad superiorem perfectionis statum ascendere, tantò debet arctiorem vitam ducere, & tenere. Quod etiam ad illos, qui ad gradus honoris ascendunt, referri potest, quia pro certo, quantò altiorem gradum in Ecclesia obtinent, tantò per strictiùs deambulatorium, id est, per arctiorem pœnitentiæ viam deambulare debent, ut sic in mundo, qui inferior est, sit vita latior, in Ecclesia strictior, in religione verò, & in Prælatura arctior. In quocunque deambulatorio seu statu debent esse luriculæ, id est, appodiamenta spei & fiduciæ, quibus homo innitatur, ne per peccatum & desperationem corruere compelliatur. Sed pro certo videtur, quod templum modernum in contrarium versum est, quia, scil. inferiora sunt strictiora quàm media, & media quàm superiora, laici plus quàm clerici, clerici plus quàm religiosi vel Prælati. Quinimo quantò in Ecclesia ascenditur altiùs, tantò ibi vivitur latius & lætius. Unde istud est hodie templum illud, quod vidit Ezech. 41. Itaque in superioribus latius erat templum. Vel dic, quod de illo templo Ezechiel potest dici, quod templum Ecclesiæ strictum sit in hac vita per tribulationes, sursum verò in patria latum erit per consolationes. Malleus & securis non sunt audita in templo cum ædificaretur, &c. Unde, ut supra, Pavimentum & parietes de triplici constabant materia, scilic. de lapidibus, tabulis lignis, & auro. Sic verè justi ex tribus constare debent, scil. ex lapide id est, ex fidei soliditate, ex tabulis, id est, ex spei sublimitate, ex auro, id est, ex charitatis pretiositate, Apostolus 1. Cor. 13. *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, & charitas: major enim horum est charitas.* Templum in longitudine duas partes habebat, scil. priorem & communiorem, quæ erat ad Orientem; posteriorem & secretiorem, quæ erat ad Occidentem. Per partem enim Orientalem in primam domum egrediebatur, & deindè in sanctuarium, id est, in domum Occidentalem, ubi erat arca, altare, Cherubin, & ubi propitiatorium accendebatur, & una domus ab alia per quendam lignum parietem dividebatur. Sic verè cum Ecclesia habeat duas partes, scilicet Militantem & Triumphantem, illud est verum, quod in Oriente, id est, pro tempore hujus vitæ est prima domus, scilicet, Ecclesia Militans, tandem verò in Occidente, id est, in tempore, post mortem succedit pretiosum sanctuarium paradisi, scilicet, Ecclesia Triumphans. Ideo de illis duabus materiebus potest intelligi illud Psal. 41. *In die mandavit dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.* Ac si dicat: In die præsentis vitæ debet acquiri misericordia & gratia in Ecclesia Militante. In nocte verò vel in Occidente mortis percipietur canticum & gloria in Ecclesia Triumphante. Fecit Salomon in oraculo duo Cherubin de lignis olivarum, quæ habebant decem cubitos in altitudine, & decem in latitudine. Quælibet enim ala cujuslibet quinque cubitos habebat, & sic alarum extensio decem cubitorum erat. Posuit igitur Cherubin in medio oraculi, ita quod quilibet Cherubin unam alam usque ad parietem oraculi protendebat. Alia verò ala alter alterum contingebat. Opus autem unum in duobus Cherubin, ita quod quilibet in omnibus alteri similis erat, & unusquisque faciem suam ad domum alterius vertebat. Ista possunt applicari ad viros scientificos ac profectos à Salomone, id est, à Deo, & oraculo Christi constitutos, & maxime ad Ecclesiasticos, & Prælatos. Cherubin enim interpretatur plenitudo scientiæ. Dico igitur, quod isti debent duo esse per mutuam charitatem, de lignis olivarum, per dulcissimam pietatem, alter alteri similis, per morum conformitatem, & per abdicatam omnem cæremonicam singularitatem, debet alter alterum attingere, per concordiam, & unitatem. Parietes, id est, socios, & vicinos debent contingere, per amicitiam, & liberalitatem; & vultum suum, id est, considerationem, & curam suam debent ad exteriorem domum, id est, ad populum vertere, per boni regiminis executionem, seu orationem, seu prædicationem. Auro verò debent esse cooperti, per bonam & fulgentem conversationem, & sic habebunt in latitudine decem cubitos, id est, decem præceptorum complementum & perfectionem. In altitudine vero æternæ sublimitatis finaliter habebunt decem cubitos, id est, denarium retributionis supernæ, & ita isti Cherubin dicetur illud Ezechiel 28. *Plenus sapientiâ & perfectus decore in delitiis paradisi Dei fuisti.* Sequitur. *Aurum opus decoris tui, Cherubin extentus, & protegens posui te in monte sancto Dei.* Vel dic, quod duæ alæ viri perfecti, maximè boni & scientifici Prælati, sunt vita contemplativa & activa. Ala, quæ contingit parietem, id est, Deum, est contemplatio, quæ scilicet, quinque habet cubitos, quia scilicet, contemplatio seu consideratio consistit in quinque scilicet, in meditatione sui, mundi, judicii, inferni & paradisi. Sui, quàm vilis, sit in ingressu, quàm miser in progressu, quàm flebilis in egressu. Item quàm impugnatus à dæmonibus, quàm lacessitus tentationibus, quàm allectus delectationibus, dejectus tribulationibus, quàm implicatus criminibus, depauperatus virtutibus, irretitus malis consuetudinibus. Mundi etiam, scilic. quàm fallax, quàm vanus, quàm instabilis, quàm insanus. Judicii, quàm terribile hoc sit. Inferni, quàm tristabilis. Paradisi, quàm consolabilis sit, &c. Dic de quolibet circumstantias, ut sic de istis quinque cubitis, scilicet, quinque pennis illius alæ posset dici illud Exod. 38. *Facies altare holocausti quinque cubitorum.* Holocaustum quasi totum incensum, significat contemplationem seu contemplativam vitam, in qua, scilicet, homo totum se ipsum offert. Ala autem, quâ Cherubin contingit aliud Cherubin socium suum, significat vitam activam, quâ scilicet, alius alterum perficit, & quâ alter cum altero justo vivit, & quâ homo proximum suum spiritualiter, & temporaliter diligit atque tangit, & ista quinque habet cubitos seu pennas. Prima est docere. Secunda est corrigere. Tertia nutrire. Quarta consolari. Quinta supportare. Ala igitur activæ vitæ seu etiam superni amoris cum istis pennis ad proximum debet volare, & ipsum quintupliciter tangere & juvare. Unde bene dicitur Joan. 6. *Est puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos.* Vel dic, quod duplex ala est duplex charitas, Dei scilicet, & proximi, quia scilicet, ala, quâ diligimus Deum, habet quinque pennas, in quantum, scilicet, Deus à nobis diligitur propter quinque, scilic. propter vulnera quinque, quæ propter nos tulit. Vel propter quinque beneficia, quæ nobis contulit, quæ sunt creatio, redemptio, à peccato conversio, culpæ remissio, gloriæ concessio. Ala verò charitatis supernæ habet alia quinque, quæ superiùs sunt dicta, &c. Et sic vide de Cherubin Exod. 25. ubi multa dixi. Hic ponit Comestor, quod Latomi quendam lapidem, quem habebant, multoties voluerant ponere in diversis locis templi, sed virtute divina

na

Digitized by Google

na sic fiebat, quod lapis ille in nullo loco poterat adaptari, quia contingebat illum lapidem majorem & minorem, vel incompositionem inveniri, quapropter ad partem fuerat rejectus, & ab ædificatoribus reprobatus. In fine tamen cum murus, & paries templi perficeretur, & in superiori angulo deficeret lapis unus, tentaverunt magistri, si fortè ille lapis, qui toties fuerat reprobatus, ibidem aliqualiter conveniret. Quod utique cum grandi omnium admiratione contingit, quia, scilicet, ille lapis convenientissimè fuit situs, ac si factus fuisset ex certo proposito, atque ità in illo superiori angulo positus fuit & adaptatus. Illud exponitur de Christo tam historicè quàm propheticè. Historicè enim Christus exponit hoc de se ipso impletum fuisse, ubi dixit Judæis, se esse lapidem reprobatum, & tamen in angulo constitutum, quia
A pro certo isti, qui tunc erant artifices templi, Synagogæ, scilicet Pharisæi, & Principes Judæorum, quando viderunt istum lapidem vivum, scilicet, Christum Deum & hominem, ipsum statim repudiaverunt, & ad nullum bonum opus utilem judicaverunt, sed ipsum, & fidem ejus penitùs reprobaverunt, & tamen ille contra spem omnium, nutu Dei factus est lapis angularis, consummator templi Ecclesiæ Dei, duos parietes in unum angulum, id est, duos populos in unam fidem colligans, & ipsum templum Ecclesiæ, cui præsidet, ornans, perficiens, & consummans. Crediderunt enim Judæi, quod quando Christum repudiaverunt & occiderunt, quod de ipso ampliùs merito non fieret, & quod nomen ejus eo mortuo, deperiret, & tamen in capite Ecclesiæ ipse positus, & totius religionis, & gratiæ caput factus est. Unde dicitur Psalm. 117. *A domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, &c.* Vec dic mysticè, quod artifices seu ædificatores templi, Ecclesiæ vel Patriæ, significant Prælatos, Principes, Judices, & Magistros, quia revera sæpe fit, quod quando aliquis lapis alicubi est locandus, utpotè quando vacat aliquod beneficium vel officium, ad manus eorum venit aliquis lapis, id est, aliqua persona bona, quæ eis præsentatur, vel de qua fit ejus mentio specialis, sed pro certo locum pro ipso nunquam reperire poterunt, ipsumque nunquam congruum vel utilem pro aliquo beneficio reputant, sed potiùs postponunt, & reprobant, & alios minus idoneos promovebunt, & in ædificatione Ecclesiæ collocabunt; ast quamvis illud ex malitia faciant, Deus tamen occultè illud vult, & permittit fieri, quia ordinat talem sic rejectum ad melius tempus reservari, juxta illud Job. 12. *Deridetur justi simplicitas*, lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. Quid ergo? Procul dubio sæpe fit, quod tandem contra spem omnium solo nutu divinæ providentiæ locus illius lapidis sic rejecti advenit, & quod in angulo superiori, id est, officio vel beneficio excellentiori, ab ædificatoribus, id est, electoribus & promotoribus, pro lapide angulari, id est, pro Prælato constituitur, & tunc magnâ admiratione omnium ad statum arduum promovetur, & quia ab omnibus contemptus & rejectus fuerat, super omnes sublimatur. Psalm. 112. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus.* Fatui igitur sunt, qui bonas personas nituntur rejicere & contemnere, quia nesciunt, quid de ipsis Deus decrevit ordinare. Et sæpe sit, quod ille, qui amplius calcatur & reprobatur, magister reprobantium sæpe efficitur, & super eos Dominus exaltatur. Unde dicitur Ecclesiast. 11. *Oculus Dei respexit pauperem, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus, & mirati sunt multi, & honorificaverunt Deum.*

B Vel si vis, dic, quod aliqui lapides, id est, aliqui homines sunt ita protervi in principio, quod ad nullum bonum sunt utiles, nec ad aliquod officium vel beneficium sunt habiles, quinimo necesse est, quod ab artificibus, id est, à prælatis reprobentur, & pro nihilo inter alios computentur, qui tamen quandoque nutu Dei taliter convertuntur, quod finaliter in templo Religionis vel Ecclesiæ in angularem lapidem, id est, in Prælatum vel Dominum promoventur, vel saltem quod persona bona & solennis efficitur, ita quod lapis angularis apud alios reputetur. Allega ut supra.

Capitulum septimum. Textus. Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis.

Moralitatum Cap. VI.

Fecit Salomon porticum ante faciem templi super columnas æreas constitutam, inter quas duæ erant columnæ cæteris eminentiores, quæ in altitudine viginti octo cubitis protendebantur, & inferiùs basibus æreis sustentabantur. Habebant desuper ærea epistylia, & à quibus per gyrum dependebant ducenta mala granata, super epistylia vero ærea capitella quinque cubitorum collocabantur, quæ undique liliis æreis coronabantur. Latera autem columnarum, & epistyliorum retibus & catenulis æreis undique dependentibus ad ornatum cingebantur, & lineâ duodecim cubitorum columna quælilet ambiebatur, & altera columna alteri similis in omnibus habebatur. Una autem earum Jachim,
C id est, infirmitas, altera verù Booz, id est, robur appellabatur, & inter duas istas in porticum seu in atrium intrabatur. In quolibet autem capitello columnæ septem versus scripturarum in circuitu sculpti erant, quæ columnæ cacumen ornabant.

Templum significat Ecclesiam Triumphantem. Porticus verò, quæ ante est, significat Ecclesiam Militantem. Cum enim in ista portico fuerint multæ columnæ, id est, multæ bonæ personæ ad sustentandam Ecclesiam constitutæ, inter cæteras fuerunt duo principales, Petrus, scilicet, & Paulus, vel Simon, & Judas, vel quicunque duo sancti, de quibus insimul prædicetur vel solennizetur. Vel etiam generaliter, quicunque boni Prælati, & perfecti, qui, scilicet, duo fuerunt per binariam charitatem, in vicem similes per morum communem conformitatem, qui scilicet bases, & fundamenta sanctæ, & solidæ fidei, hastile spei, epistylium charitatis, & capitellum quinque cubitorum, id est, discretam custodiam quinque sensuum habuerunt, septemque versus scripturarum, id est, virtutes, vel septem dona spiritus sancti, in capite columnæ, id est, mente istorum justorum fuerunt, quibus præ cæteris claruerunt. In istis etiam fuerunt malagranata, quæ sub duro cortice grana continent, & liquorum, id est, virtutum & gratiarum ubertatem. Lilia, id est, castitatis munditia, & puritas. Retia seu catenulæ, id est, bona amicitiæ, & concordiæ confœderata colligatio. Linea tota ambiens, est divinæ legis meditatio, quæ etiam duodecim habebat cubitos, in quantum in ipsa refulgebat duodecim articulorum vera credulitas & agnitio. Et sic isti bene dicuntur Jachim & Booz, id est, infirmitas, & robur, in quantum ad volendum mala sunt infirmi, ad faciendum bona robusti, & sic ad sustinendum Ecclesiam, columnæ, id est, viri stabiles sunt inventi. Omnia ista ex ære dicuntur facta, pro eo quod in omnibus moribus & actibus eorum sonus divinæ laudis & gratiarum actionibus, confessionis, & prædicationis fuit inventus, & ad eruditionem fraternam in omnem terram probatus. Ideo breviter cuilibet tali columnæ potest dici illud Hierem. 1. *Ecce dedi te in columnam ferream, & in murum æreum, & præliabuntur adversùs te, & prævalere non poterunt.* Si vis dilata meliùs, quia transeo.

Circa templum plura facta sunt domicilia seu atria, scilicet atrium interius undique circa templum, in quo erat altare æreum, & in quo sacrificabatur, & in quo psallebant cantores, & ad populum loquebantur. Cujus scilicet, formula quadrangula templum ex omni latere ambiebat, & ipsum atrium murus circumquaque cingebat, qui tres ordines lapidum diversorum colorum, & tres in altitudine cubitos continebat, qui columnas ædificii per circuitum sustentabant. Pavimentum autem hujus atrii marmoribus erat structum, & diversis imaginibus picturatum. Illud igitur atrium populus non intrabat, sed per quatuordecim gradus ascendens, sacrificia sua ad ostium atrii sacerdotibus offerebat, sicut per omnia dicit Liber Regum, & Paral. & exposuit Comestor. Extra illud atrium, sed circa templum undique descendendo per declivum collis tria alia erant atria, videlicet, atrium, mundorum hominum exterius, quod multò majus erat atrio interiori, postea atrium mulierum, postea verò in parte inferioris montis atrium omnium immundorum, in quo, scilicet immundi tam homines quàm mulieres, & gentiles adorabant, & tamen omnes illi, qui erant in omnibus atriis, licet muros haberent altissimos, templum, quod erat in montis cacumine, videre poterant, & etiam illos, qui ministrabant in interiori atrio. Si volumus ista exponere mysticè, possumus dicere quod templum significat Ecclesiam Triumphantem, atria verò quæ sunt extra templum paradisi in declivo hujus vallis miseriæ, designant Ecclesiam Militantem per spem & devotionem, ipsum templum paradisi circumstantem, & in tria atria, scilicet interius, & exterius, & inferius, id est, in statum clericorum bonorum sæcularium seu activorum; carnalium etiam, & malorum generaliter subdistinctum. Status enim clericorum significatur per atrium interius, quod erat ministrorum. Status bonorum activorum significatur per atrium exterius, quod erat mundorum. Status verò omnium malorum significatur per atrium inferius, quod erat immundorum. Igitur dico, quod atrium interius, id est, status Ecclesiasticus continet altare, id est, cultum religionis Christianæ, ubi adoratur; continet ad literam ministros, à quibus sacrificium Eucharistiæ quotidiè immolatur, continet doctores, à quibus populus eruditur. Debet ergo atrium religionis vel Ecclesiæ per quatuor virtutes cardinales quadratum, & muro regulares observantiæ esse circumseptum, ubi, scilicet, tres ordines lapidum, id est, tria religionis vota, vel tres Theologicæ virtutes, vel tres pœnitentiæ partes, vel Sanctæ Trinitatis fides reluceant, & super quem murum columnæ atrii, id est, bonæ personæ Ecclesiæ stare, & perseverare debeant. Pavimentum autem istius atrii inferiores Ecclesiasticos significat, quia pro certo debent per constantiam esse marmorei, & ad resistendum vitiis fortes, nec non ad labores pœnitentiæ tolerandos, stabiles atque firmi, & imaginibus & picturis virtutum & conversationis honestæ undique venustati. Istud ergo atrium, id est, statum Ecclesiasticum nullus, nisi esset de genere Levitarum, id est, nullus, nisi esset bonus & sanctus, debet intrare, sed sufficere debet populo laicorum, quod per quatuordecim gradus, id est, per septem virtutes, & per septem Spiritus sancti dona possint ad perfectionem ascendere,

Digitized by Google

dere, & ſacrificia, & oblationes ſuas ſacerdotibus, & Eccleſiaſticis offerre, & per eos domino miniſtrare. Igitur de iſto atrio dicitur illud Pſal. 133. *Qui ſtatis in domo domini, in atriis domus Dei noſtri. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta.* Vel dic moraliter, quod atrium interius ſignificat cor, quod, ſcilicet, debet eſſe per quatuor virtutes cardinales quadratum, tribus ordinibus lapidum, id eſt, tribus Virtutibus Theologicis circumcinctum, columnis, id eſt, virtutibus roboratum, pavimento marmoreo, id eſt, humilitate ſtabili, & firma ſtratum, & imaginibus, id eſt, honeſtis exemplis pictum, & circa templum paradiſi per devotionem & deſiderium conſtitutum. In ipſo enim debet eſſe altare, id eſt, oratio, miniſtri, id eſt, ſubjectio, cantores, id eſt, gratiarum actio, doctores, id eſt, diſcretio, ſacrificium, id eſt, contritio, quia *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus* eſt, Pſal. 50. in eo nullus de populo debet intrare, id eſt, quod ab eo debeat excludi omnium malarum cogitationum contentio, & ſic dicetur atrium ſacerdotum, quia ſacerdotes & viri Eccleſiaſtici debent habere talia atria, id eſt, talia corda & conſcientias. Unde dicitur 1. Paral. 4. *Sanctificavit Salomon medium atrii ante templum.* Atrium exterius erat quædam maxima Baſilica ſeu domus in circuitu templi, in qua viri mundi ad orandum conveniebant, in cujus aliqua parte nummularii ſedebant, & in alia parte animalia volatilia pro ſacrificiis vendebantur. Erant etiam juxta illud atrium circa porticum Gazophylacia, id eſt, domus, in quibus ſacrificanda reponebantur, F circa latera erant paſtoforia, id eſt, domus, in qua ſacrificantes de ſacrificiorum partibus coram domino comedebant, erant etiam ibi cathedræ, in quibus ſedebant doctores, ſicut in Gymnaſio, ſuedræ, in quibus ſedebant auditores, ſicut in Conſiſtorio, exedræ, in quibus ſedebant acceſſores ſeu judices, ut in Locutorio ſeu Judicio. Si vis, dic, quod illud atrium ſtatum bonorum laicorum deſignat, in quibus ſunt nummularii & mercatores animalium, id eſt, juſtæ, & licitæ negotiationes; paſtoforia, id eſt, hoſpitales refectiones; gazophylacia, id eſt, ſacrificiorum bonorum repoſitiones; cathedræ, id eſt, ſtudia, doctrinæ, lectiones; ſuedræ, id eſt, auditorum obedientia & ſubjectio; exedræ, id eſt, judicia, conſilia, & bonæ civiles ordinationes, &c. tranſeo. Atrium mulierum ſecundùm Comeſtorem, erat ſub atrio virorum, ſcilicet, in declivi montis, quod ab occidente clauſum erat, quod etiam ab aquilone, & meridie, & oriente tres portas habebat, per quas intrabatur, & muro alto undique cingebatur, & ibi mulieres mundæ, & non aliæ, adorare, & ingredi permittebantur. Sic verè circa templum Sanctæ Eccleſiæ ſunt atria mulierum, id eſt, ſtatus religionis & collegia Sanctimonialium fœminarum. Talia enim atria, debent eſſe in declivi & deſſenſu, per humilitatem & ſubjectionem, debent circumire templum, ſcilicet, paradiſi per affectionem & devotionem, debent habere murum altum, id eſt, regularem obſervantiam & profeſſionem, debent habere tres portas, id eſt, trium votorum januas, per quas intrare habent ad perfectionem & ſalvationem. Clauſæ debent eſſe in occidente, id eſt, à parte mundanorum bonorum per terrenorum contemptum, & abdicationem. A parte verò auſtri, id eſt, à parte bonorum ſpiritualium, debent eſſe apertæ per bonorum affectionem, & à parte aquilonis, id eſt, à parte infernalium tormentorum, per timorem, & meditationem, & à parte orientis, id eſt, à parte ſpiritualium gaudiorum per amorem, & contemplationem. Mundæ igitur mulieres, ſcilicet, caſtæ, & virgines, debent in tali atrio, id eſt, in tali religione eſſe. G Aliæ verò immundæ & indignæ ibidem ingredi non debent. Thren. 4. *Recedite polluti, clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere.* Vel allega hic, quod atrium fœminarum erat ſub atrio virorum, ad denotandum, quod mulieres debent eſſe ſubjectæ viris, Apoſtolus Coloſſ. 3. *Mulieres ſubjectæ ſint viris ſuis.* Et illud: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Gen. 5. Inter atria templi erat unum, quod erat atrium immundorum, in quo ſcilicet immundi tam viri quàm mulieres, quàm etiam gentiles conveniebant, & ibi dominum adorabant. Sic verè ante templum Eccleſiæ videmus quædam atria pro immundis, id eſt, ſectis Chriſtianorum, Schiſmaticorum, Peccatorum, & Hæreticorum, qui omnes ſe dicunt de corpore Eccleſiæ eſſe, & ibi nituntur ſecundùm ſectam ſuam dominum adorare. Per quod atrium ſtatus peccatorum, qui ſunt in Eccleſia, poſſunt intelligi, qui ſunt abominabiles & immundi. Unde Apocal. 11. *Atrium autem, quod eſt foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud, quoniam datum eſt gentibus, & civitatem ſanctam calcabunt, &c.* quia ſcilicet illi inter fideles, qui magis calcant (quando poſſunt) Eccleſiam, ſunt iſti, qui ſunt in illo atrio, Schiſmatici Chriſtiani vel domeſtici, impii vel Tyranni. De altari holocauſti, quod fecit Salomon in interiori atrio, ac de candelabris ac menſa, & multis aliis ſimilibus tranſeo, quia ſupra lib. Exodi fuit dictum. Ejuſdem enim formæ erant illa ſicut & iſta, excepto, quod iſta fuerunt majoris quantitatis quàm illa.

Sed adverte hic, quod in atrio interiori fecit Salomon mare ſeu lavatorium æneum, fuſile, quod ſcilicet decem cubitos habebat in latitudine, quinque in profunditate ſeu altitudine, tres verò digitos in ſpiſſitudine. Erat autem in parte inferiori ſtrictum, à parte verò ſuperiori latius. Unde ſuperiùs circa labium, quod erat in latum diffuſum, quod & erat ad modum calicis ſeu repandi lilii factum, reſticula triginta cubitorum ipſum cingebat, in fundo verò reſticula decem cubitorum ſufficiebat. Superiùs igitur circa labium ſeu limbum erant duo hiſtoricarum ſcripturarum ordines, ſub ipſa verò erat baſis ærea, quæ duodecim æreos ſeu fuſiles habebat boves, boves enim duodecim ænei & fuſiles mare portabant, quorum tres ad orientem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, tres ad aquilonem; & ſic per quatuor mundi partes vultus ſuos convertebant, poſteriora verò intus ſub mare mittebant, facies verò eorum per quatuor ternaria exteriùs apparebant. In illo igitur mari miniſtri altaris pedes & manus lavabant, H & ſic puri & mundi domino ſacrificium offerebant.

Iſta multipliciter poſſunt exponi, & primò quædam moraliter placet exponere. Nam quia ſuperiùs per atrium interius cor ſeu conſcientiam intellexi, ideo per illud mare ſeu lavatorium, quod erat in atrio, volo pœnitentiam ſeu cordis amaram compunctionem, vel lachrymarum lavatorium deſignare. Neceſſe eſt enim, quod cor bonum lavatorium habeat, ut ſacerdos noſter, ſcilicet, affectus per lachrymas purificatus & lotus, ad altare dignus immolaturus accedat, Pſal. 25. *Lavabo inter innocentes manus meas, &c.* Dico igitur; quod illud mare, id eſt, amara & lacrymoſa contritio, debet habere decem cubitos in latitudine, in quantum debet dolere de decem legis mandatis non adimpletis. Item quinque cubitos in altitudine, in quantum debet triſtari de quinque ſenſibus non diſcretè cuſtoditis. Item tres digitos in ſpiſſitudine, in quantum debet plorare de tribus virtutibus Theologicis, non habitis vel obtentis. Item labium ſeu limbus ejus ſuperior, debet eſſe ad modum calicis vel lilii, in quantum debet dolere de calice, id eſt, divina paſſione non recordata, de lilio, id eſt, de caſtitatis munditia non ſervata, & ibi etiam debent eſſe ſculptæ imagines hiſtoricæ, in quantum & ipſe debet dolere de vita, & hiſtoria ſanctorum nullatenus imitata. Et ſic debet eſſe in una parte ſtrictum, & in alia latum, in quantum de ſterilitate parſimoniæ, & de lata rapacitate avaritiæ plus debito frequentata pœnitere oportet. Duodecim etiam boves per trinitates diverſos debet habere, in quantum debet lugere de fide Sanctæ Trinitatis, quam debito modo non habuit, & de fide duodecim articulorum perfectè non credita vel retenta; etiam reſticula triginta cubitorum, & decem ipſum cingere debet, in quantum triſtari debet de fructu triceſimo, & de denario perditis, id eſt, de æterna mercede pro peccatis amiſſa. Si igitur lavatorium noſtrum lachrymoſæ compunctionis omnes iſtas conditiones habeat, bene poteſt ibi homo, & pedes, & manus lavare, id eſt, affectus, & A opera mundificare, & ſic poteſt digna ſacrificia ſeu Euchariſtiam, vel bona opera immolare. Bene igitur dicitur Joan. 9. *Vade lavare in natatorio Siloe.* Et 4. reg. 5. *Vade lavare ſepties in Jordane, & recipies ſanitatem.*

Vel dic, ſi vis, quod lavatorium illud eſt pœnitentia, quæ homines mundificat, quæ ſcilicet dicitur mare, quia eſt amara per contritionem, & dicitur eſſe fuſilis, quia funditur, & diſſolvitur per compunctionem: dicitur ænea, quia ſonat, & clamat per confeſſionem. Dicitur decem cubitorum, quia decem mandata facit adimplere per ſatisfactionem. Item iſta habet in profundis quinque cubitos, quia iſta reparat quinque ſenſus ſpirituales, ſcilicet, viſum diſcretionis, auditum ſubjectionis, tactum compaſſionis, guſtum devotionis, odoratum conſiderationis, tres digitos habet in ſpiſſum, in quantum, ſcilicet, iſta delet tres culpas principales, ſcilicet, peccatum cordis, oris & operis. Dic, ſicut ſupra ex toto; Eò quod illud, de quo contritio dicitur dolere, pœnitentiam facit in illo ditare, & hoc recuperare & habere. Porro in mari ſacerdotes lavabantur 2. Par. 4. & tamen hodie videtur poſſe dici illud, quod de Chaldæis, id eſt, de vitiis dicitur Hierem. quod *mare æneum, quod erat in domo domini, confregerunt.*

Vel dic quod mare eſt vir perfectus, per pœnitentiam amarus, per prædicationem æneus, & ſonorus, aquis ſcientiarum plenus, obſervantiâ decem mandatorum, continentiâ quinque ſenſuum, efficaciâ trium virtutum, vel trium religionis votorum menſuratus, hiſtoriis bonorum exemplorum pictus, decimo, & triceſimo retiaculo, id eſt, denario æternæ retributionis, & fructu triceſimo, & ſpe triplicis dotis animæ fretus, & duodecim bobus, id eſt, duodecim Apoſtolis, & eorum vitæ, fidei & doctrinæ per imitationem immixtus. Si quis autem talis fuerit, mare ſeu lavatorium dici poterit, quia ad lavandum, ſeu purificandum alios documentis, & exemplis meritò dignus erit, ut ſic de viris juſtis exponatur illud Ezechiel. 1. *Aſpectus rotarum & opus earum quaſi viſio maris.* Vel dic, quod mare ſignificat ſacram ſcripturam, quæ in atrio Eccleſiæ ad oſtenſionem criminum ponitur, ut ibi ſacerdos, id eſt, viri Eccleſiaſtici à ſuis maculis expientur. Eſt igitur illud mare fuſile, quia à Deo fuit fuſum, id eſt, in igne Spiritus ſancti conflatum per inſpirationem. Æneum; quod eſt durum metallum & forte, quia æternam, fortem, veram, & immutabilem habet durationem. Decem cubitorum in latitudine, propter decem mandatorum, quæ continet, inſtitutionem. Quinque cubitorum in profundo, propter quinque ſenſuum exhibi- B

Digitized by Google

tionem. Duorum ordinum historiam, id est, duorum testamentorum narrationem. Tres digitos in spissum, in quantum continet Trinitatis fidem. Triginta cubitos habet in superiorem, & decem in inferiorem ambitum, in quantum æternæ gloriæ, quæ consistit in denario perfectionis, & in ternario visionis, fruitionis, & tentionis continet repromissionem. Labium habet ad formam calicis; in quantum ista potat, & inebriat in se studentes per divinam eruditionem. Et est illud labium ad modum repandi lilii, quia habet puram & castam locutionem, Psalm. 11. *Eloquia domini, eloquia Casta.* Strictum est inferiùs, latum superiùs, in quantum hic inferiùs pro tempore hujus vitæ strictam habet, & obscuram expositionem. Sursum verò in patria claram habebit suorum secretorum cogitationem. Duodecim boves per ternaria copulatos sub se continet, in quantum duodecim Patriarchas vel duodecim Apostolos sub se habet, qui per quatuor mundi partes portaverunt Trinitatis fidem & devotionem. Boves enim, id est, Apostoli, & Apostolici per ternarium copulari dicuntur, in quantum in fide Trinitatis conveniunt, quam per quatuor mundi partes prædicare noscuntur. Isti autem partim latent, & partim apparent, quia, scilicet viri sancti partim per virtutum suarum occultationem latitant, & partim per bonorum exteriorum, & documentorum ostensionem se monstrant, & sic sub mari sacræ scripturæ studendo, & eam implendo continuè perseverant, & ipsam pro viribus sustinent atque portant, Psalm. 76. *In mari via tua, &c.* Vel etiam isti quoad faciem, id est, quoad exteriora opera nobis apparent, sed quoad futura & posteriora præmia, à nobis absconduntur, & latent. Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, &c.* Isti autem bene boves ærei dicuntur, quia sicut fortissimi boves terram coluerunt, & tandem per Martyrium immolati fuerunt, & ad modum æris sonum
C prædicationis emiserunt, quia sicut in Psal. 18. dicitur: *In omnem terram exivit sonus, &c.*

Vel si vis, dic, quod isti boves ærei, qui sonum habebant, & non sensum, sunt carnales prædicatores, qui sub mari sacræ scripturæ perambulant, & eam se portare gloriantes, sonum bonorum virorum prædicando emittunt, sensum tamen devotionis non habent. Unde Ezechiel. 17. *Nervi & carnes ascenderunt, & extensa est super eos cutis, & spiritum non habebant.* Isti enim sunt, qui posteriora sua celant, & facies ostendunt; quoniam posteriora, id est, carnalia sua opera à membris posterioribus dependentia pro viribus celant, & contegunt, faciem verò suam, id est, exteriorem conversationis pulchritudinem, scilicet, quam habent, libenter manifestant, & se etiam pro ternario colligunt, in quantum sub triplici voto, vel sub fide Trinitatis, vel in tribus virtutibus Theologicis se vivere dissimulant, & fingunt. Unde communiter enim, sive hypocritæ, sive usurarii, sive proditores, vel falsi amici faciem non dorsum nituntur ostendere, in quantum exteriorem applausum (qui per faciem innuitur) conantur aliis ostendere. Immunda verò posteriora sua, id est, malam intentionem, & turpium operum suorum vilitatem, à visibus aliorum semper vellent latere, similes *illis sepulchris dealbatis, quæ* (sicut dicitur Matth. 23.) *apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum.* Et sicut isti boves ab invicem aversi erant, ita quod dorsa sibi invicem, non facies convertebant. Sic & tales mali homines non solent per dilectionem se respicere, sed facies cordis ab invicem divertere, dorsum verò oblivionis, despectûs, & odii alter ad alterum applicare, in quantum, scilicet, alter solet alterum fugere, & odisse. Unde Hierem. 18. *Verterunt dorsum & non faciem.*

Vel dic quod mare istud significat Baptismum, quod dicitur esse rotundum, quemadmodum orbis, qui in eo debet ablui. Fusile, quia divina gratia ibidem solet infundi. Æreum, quia per sonum prædicationis debet virtus ipsius undique circumfundi. Liliatum etiam habet labium, quia per istud solent animæ ad modum lilii dealbari. Calicis etiam habet formam, id est, in quantum virtus passionis Christi, quæ calix est ab eodem dicta,
D solet in eo monstrari. Iste ergo decem cubitos in latum, quinque in altum, tres digitos in spissum dicitur habere, in quantum quicquid contra decem mandata committitur, vel per abusum quinque sensuum delinquitur, quicquid per tria principalia vitia, scilicet superbiam, avaritiam, luxuriam incurritur, totum in Baptismi lavatorio deportatur. Funiculo verò vel reticulo triginta cubitorum superiùs, & decem inferiùs cingebatur, in quantum in Babtismo spes æternæ retributionis, & denarii promittitur. Denarius enim numerus ter ductus triginta constituit, quia pro certo denarius perfectæ, & æternæ retributionis, qui datur in vinea Domini laborantibus, in tribus, scilicet, in fruitione, visione, & tentione consistit. Duodecim etiam boves, id est, quatuor ternaria divisim isti mari subsunt, in quantum duodecim articuli in fide sanctæ Trinitatis per quatuor mundi plagas diffusi Baptismali gratiæ annexi sunt, & in quantum baptizati per universa mundi climata fidem sanctæ Trinitatis credunt. In isto igitur mari sacerdotes lavabantur, quia pro certo omnes, qui Baptismo purificantur, sacerdotes, id est, sacri duces efficiuntur, sicut bene patet, ubi Petrus loquens fidelibus dicebat 1. Pet. 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Istud est enim mare, in quo omnes maculæ vitiorum stringuntur, & in quo omnia peccata submerguntur, & oblivioni traduntur. Exod. 15. & Psalm. 135. *Submersi Pharaonem, & exercitum ejus in mari rubro.*

Fecit Salomon decem luteres seu urnas æreas, rotundas, & fusiles, quarum orificia erant stricta. Venter verò, & fundum aliquantulùm magis latum, eratque latitudo interior unius cubiti, & dimidii, altitudo verò quatuor cubitorum, habebat autem quilibet luter basem æream sibi deputatam, miro artificio fabricatam, erant autem isti luteres in atrio sacerdotum ante portam positi, quinque à dextris, & quinque à sinistris depositi, & ad intingendos, & lavandos pedes, intestinaque lavanda, & sacrificanda erant specialiter deputati.

Sic verè dico, quod in atrio Ecclesiæ Militantis ad finem, ut E
hostiæ immolandæ, id est, pœnitentes seipsos Domino in altari pœnitentiæ sacrificantes haberent, ubi à suis sordibus seu criminibus lavarentur, necesse fuit ibidem luteres, id est, sacerdotes seu confessores constituere, & ipsos in publico à dextris, & à sinistris, id est, divitibus, & pauperibus assignare, ut sic quicunque eis indigeret, possit eos pro libitu reperire, & culpam suam confitendo abstergere vel lavare. Unde dicitur Zachar. 13. *Erat fons patens Domui David, & habitatoribus Hierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Et pro certo ille debet habere ventrem latum, & os strictum. Venter enim illius est voluntas, vel affectus, quia, scilicet, affectio sua debet esse lata per charitatem, & largitatem. Os tamen ipsius debet esse strictum per abstinentiæ parcitatem, & per secreti absconsionem, & loquendi raritatem & maturitatem. Illud enim summè confessorem decet, & etiam quemlibet virum perfectum, os parvum, & strictum habere, & verba pauca, & matura dicere, & secretum scire, abscondere, & celare. Unde Eccles. 28. *Ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Tales igitur luteres, id est, sacerdotes, & confessores, debent esse decem, in quantum sub decalogo mandatorum debent vivere. Unde dicitur Luc. 17. *Ecce decem mundati sunt.* Debent esse quinque hinc, & quinque indè, in quantum discretionem quinque sensuum ad dexteram, & sinistram in prosperis, & adversis debent habere, & quatuor cubitos in profundo, in quantum quatuor Cardinales Virtutes debent interiùs possidere; unum verò cubitum latitudinis in summo, in quantum unum Deum debent credere; latitudini tamen isti medius cubitus adjungitur, in quantum fidei de Divinitate, fidem etiam de humanitate debent superaddere, & sic super basem locandi sunt, in quantum per fidei, & spei firmitatem super Christum debent tanquam super solidum firmamentum insistere, & sedere. Unde Apostolus 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter illud, quod positum est, quod est Jesus Christus.*

Bases æreæ super quibus ponebantur luteres, mirabilis fuisse schematis describuntur.

Sicut enim hic scribitur, & Comestor exponendo declarat, bases istæ ex quatuor tabulis ad invicem adunatis constabant, quæ quatuor in latum faciebant, quatuor in longum, tres verò cubitos in altum, & sic formam quadratam possidebant basis hujus. F
Harum verò tabularum anguli eminentes, quatuor columnas quadratas constituebant, quæ columnæ in summitate sui quosdam humeros habebant, quæ similitudinem manus hominis, & pedis aquilæ prætendebant, super quos collocatæ erant tabulæ transversales, in quibus luteres infigebant. In parte verò inferiori, & in quatuor angulis basis, quatuor rotæ fusiles inferebantur, quæ axes, canthos, radios, & modulos habebant, & undique proprias sculpturas habentes, sibi invicem in omnibus assimilabantur. Igitur quælibet basis proprias sculpturas habebat, quia in columnis figuras avium, hominum & arborum, in lateribus verò tabularum formas boum, leonum, coronarum, seu etiam plectarum, & Cherubin continebat. Isti tamen leones, & boves sunt sculpti, ad lora seu cathedras, ac essent ligati ad tabulas, & ad colla habebant, quæ inferiùs dependebant.

Istæ bases possunt diversos status Ecclesiæ, id est, diversarum perfectionum ordines significare, quæ scilicet plures luteres plenos aquæ, id est, lavacrum scientiarum, gratiarum, & lacrymarum sustinent, quibus hostiæ, id est, sæculares se balneant, atque mundant. Dico igitur, quod quælibet talis basis, id est, quælibet Religio vel quilibet Ecclesiæ status debet habere quatuor cubitos in longum, id est, observantiam quatuor Evangeliorum, quatuor cubitos in latum, id est, continentiam quatuor virtutum Cardinalium, tres cubitos in altum, id est, possessionem trium virtutum Theologicarum. Igitur talis basis constabat ex quatuor rotis, ex quatuor tabulis, ex quatuor columnis, & ex superiori tabula transversali cum suis quatuor angulis, & multiplicibus figuris, imaginibus, & sculpturis. Columnæ igitur illæ significant in Ecclesia Prælatos, & Superiores, tabulæ designant collaterales, & mediocres. Rotæ verò, quæ inferiùs sunt, denotant subditos, & inferiores.

Digitized by Google

res. Columnæ igitur, id est, Prælati debent esse quadrati per constantiam, elevati per vitæ eminentiam, humeros debent habere, id est, fortitudinem, & patientiam, quæ scilicet continuant
G manus hominis, id est, activam bonorum operum efficaciam. Pedes aquilæ, id est, contemplativam scientiam. Manus enim operationem denotat, quæ pertinet ad activam vitam. Pes verò aquilæ, quæ clarissimè videt, sapientiam designat, quæ pertinet ad contemplativam vitam, quæ duo scilicet debent esse in Prælato. Istæ etiam columnæ, id est, Prælati, debent habere sculpturas virtutum, & morum, quia pro certo in eis debent inveniri subventio, & nutritio. Figuræ avium, id est, superiorum elevatum desiderium, & affectio. Figura hominis, id est, cum ratione, & scientiâ dijudicans discretio. Istæ enim sunt sex sculpturæ, id est, sex virtutes, quæ columnas nostras, id est, Prælatos summè decent, scilicet patientia, fortitudo, bona operatio, contemplatio, eleemosynarum largitio, cœlestium affectio, & discretio, quæ videlicet manus hominis, pedes aquilæ, arbores, aves, homines significant; quæ etiam quatuor debent esse, in quantum in quadruplicitate virtutum Cardinalium manere debent, & sic de talibus columnis poterit dici illud Hierem. 1. *Dedite in columnam ferream, &c.* Et illud Exod. 36. *Fecit columnas de lignis Setim.*

Vel dic, quod basis ista potest significare viros perfectos, quæ (ut supra dictum est) debet constare ex multis, scilicet ex quatuor columnis, ex quatuor tabulis, ex quatuor rotis, & ex quatuor humerulis, ex multiplicibus imaginibus, & sculpturis, ex multiplicibus dimensionibus, & mensuris. Habeant igitur quatuor columnas, id est, quatuor Virtutes Cardinales, quæ scilicet in ædificio morum sunt primæ, & principales columnæ, scilicet justitiam, fortitudinem, temperantiam, & prudentiam. Unde Exod. 36. *Columnas habebit quatuor cum basibus totidem.* Item habeant qua-
H tuor rotas, id est, quatuor bonas affectiones, gaudium de bono, dolorem de malo, spem de præmio, timorem de supplicio, Ezech. 1. *Apparuit rota una super terram habens quatuor facies.* Ista enim sicut in axa cordis debent volvi, & discurrere; modulos tamen, id est, modum, & temperantiam, radios, id est, claritatem, & prudentiam, canthos, qui curvi sunt, id est, humilitatem, & reverentiam, debent habere, ut sic gaudium à dissolutione, timorem à desperatione, dolorem ab impatientia, & murmuratione, spem à præsumptione possint defendere, & servare, Ezec. 10. *Ecce quatuor rotæ juxta Cherubin.* Item habeant quatuor tabulas, id est, quatuor charitatis latitudines, scilicet amorem Dei, amorem sui, amorem amici, & dilectionem inimici. Unde supra eodem. *Fecit Salomon quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas.* Sequitur. *Tabulatis cedrinis vestivit totam cameram.* Item habeant quatuor rotas, id est, quatuor humeros ad similitudinem manus hominis, & pedis Aquilæ, id est, quadruplicis gratiæ soliditates, scilicet gratiam prævententem, gratiam adjuvantem, gratiam perficientem, & gratiam consummantem. Istæ enim quatuor gratiæ dicuntur humeri, quia portant onera. Manus, quia faciunt opera. Pedes aquilæ, quia rapiunt æterna munera, & ideo de ista quadruplici gratia operativa potest exponi illud Ezech. 1. *Quatuor manus sub pennis eorum in quatuor partibus.* Item habeant imagines, & sculpturas, & sic pro certo dico, quod debent habere leonem, id est, severitatem asperè punientem, bovem, id est, maturitatem dulciter corrigentem, Cherubin, qui scilicet, habeat alas, id est, contemplationem sublimiter volitantem, coronam, id est, perseverantiam, præmium, & victoriam reportantem, formam hominis, id est, discretionem, & sapientiam, formam arboris, id est, vigorem honestatis, & bonam apparentiam, formam avis, quæ scilicet non cogitat de crastino, id est, terrenorum contemptum, & displicentiam, lora dependentia, id est, charitatis vinculum, & colligantiam. Unde de talibus virtutum sculpturis potest dici illud, *Sculptura subtus labium, ambiebat illud* 3. Reg. 7. Duos ordines sculpturarum historiarum, ut de viris Ecclesiasticis dicat scriptura illud Isaiæ 53. *Ponam in jaspidem propugnacula tua, & omnes lapides tuos in lapides sculptos.*

De mensuris verò quatuor, & trium cubitorum, dic ut supra.

Vel si vis dic, quod in basi Ecclesiæ tam leones, quàm boves, id est, Prælati, quàm subditi, loris disciplinæ debent ligari, & eisdem subjacere, & humiliter se subjugare. Unde Eccl. *Jugum & lorum curvant collum durum.*

Sicut hic in principio hujus cap. dicitur, Salomon ante om-
A nia ædificavit domum Domini septem annis, & octavo anno complevit, postea ad ædificandum domum sibi, domum uxori, domum saltûs quasi communitati, se convertit, & domum suam annis tredecem consummavit. Minore igitur tempore ædificata est domus Domini, & antequam aliæ domus sæculares, quamvis difficilioris, & sumptuosioris fabricæ in omnibus extitisset. Et hoc (ut dicit Comestor) quia in ædificatione domus Domini tam rex quàm populus fervebat, & in ædificatione aliarum remissiùs laborabat.

Ista possunt exemplariter allegari, quod illa, quæ pertinent ad Deum, & Dei cultum, sunt omnino prius facienda, quamvis sint difficiliora, quàm nostra negotia Hier. 48. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Alia litera habet, *negligen-*

ter. Rex enim Salomon, id est, quicunque discretè, & pacificè seipsum regens, priùs & ante omnia debet ædificare in seipso domum Deo, per gratias, & virtutes. Postea verò sibi, & uxori, & populo potest licitè providere, & de utilitate tam sui, quàm aliorum attentiùs cogitare. Christus enim valde est festinus, vult enim, quod sibi, antequam nobis, serviamus, & quod honorem ipsius spiritualem nostris temporalibus commodis præferamus. Unde ipsius videtur esse illa vox 3. Reg. 17. *Fac mihi primum subcinericios panes, tibi autem, & filio tuo facies postea,* quia pro certo prosperiùs nostra facimus, quando de illis primò, quæ ad Deum pertinent, cogitamus. Unde Matth. 6. *Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Salomon ædificavit quatuor domos, scilicet, domum Deo, domum filiæ Pharaonis, domum sibi, & domum saltûs. Sic verè homo in se debet moraliter ædificare per devotionem, & jugem memoriam domum Deo, ipsum per gratiam hospitando; domum reginæ, id est, Beatæ Virgini, ipsam per devotionem in mente habendo; domum sibiipsi, de salute propria cogitando; domum saltûs, id est, pœnitentiam, per eam de mundo ad Patrem saltando.

Vel dic, quod quilibet debet in Hierusalem, id est, in mente sua quatuor domos ædificare, & ea sibi per magnam memoriam complanare, scilicet, domum Dei, paradisum, domum saltûs seu præcipitii, id est, infernum, domum reginæ, scilicet, animæ, id est, corpus proprium, domum suam, id est, mundum. Habe igitur in mente, & considera; quanta sit domûs paradisi fœlicitas. Unde Baruch. 3. *O Israël, quàm magna est domus Dei!* Quanta est domus inferni periculositas. Ista est enim domus sal- B
tûs, in quam qui præcipitantur, rumpunt sibi collum, unde Job. 30. *Scio quod morti trades me; ubi constituta est domus omnis viventis.* Quanta est domus animæ, id est, proprii corporis fragilitas, dicitur Job. 4. *Qui habitant domus luteas, & terrenum habent fundamentum.* Quanta sit domus suæ, scilicet mundi vanitas, & rimosa debilitas, dicitur Matth. 7. *Descendit pluvia, & venerunt venti, & ruerunt super domum illam.*

Capitulum nonum. Textus. Factum est autem, cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini.

Moralitatum Cap. VII.

HIc dicitur, quod Salomon populum, qui remansit de Chananæis, quos filii Israël subjugare nequierant, subjugavit, & tributarios fecit, de filiis verò Israël neminem servire coegit, sed eos bellatores, & duces, & ministros suos fecit.

Sic verè noster Salomon Christus, non vult quod aliquis filius Israël, id est, aliquis Christianus fidelis servitute peccati prematur, sed potiùs, quod in nobilibus officiis, scilicet in virtutum, & bonorum exercitiis eidem famuletur, gentiles verò, id est, malos, & peccatores sibi tributarios, & servos efficit, in quantum Dei providentia ipsos ad serviendum, & proficiendum bonis compellit, & in quantum eorum malitiis ad salutem fidelium utitur, & ipsorum nequitias ad bonum electorum ordinat, & disponit. Et inde est, quod Dominus, Nabuchodonosor pessimum, servum suum vocat Jerem. 25. Pro eo quod ipse contra servos pestilentes eo tanquam baculo usus fuit, unde dicitur 2. Reg. 8. *Facta est Syria serviens David, &c.* Unde & Dominus dicit Ezech. 29. *Nabuchodonosor servitute servivit mihi adversus Tyrum.* C

Vel dic, quod filii Israël sunt viri Ecclesiastici, qui pro certo non debent servire, nec opera servilia facere, nec se in servilibus mundi officiis occupare, sed duces aliorum, scilicet, per scientiam, & eruditionem, & bellatores contra vitia, & ministri quantum ad spiritualia obsequia debent esse. Servitium verò hujusmodi debent Chananæis, id est, sæcularibus dimittere, qui regi Salomoni Christo debent in hujusmodi officiis, negotiis, & litigiis deservire, unde bene dicit Apostol. 1. Corinth. 2. *Pretio magno empti estis, nolite fieri hominum servi.* Ideò bene dicit idem Apostol. 1. Cor. 6. *Secularia judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Cujus tamen contrarium faciunt hodie filii nostri Israël, id est, Clerici, Religiosi, & Prælati, qui scilicet, servire Principibus, & officiis, & negotiis sæcularibus gloriantur, & libertatem spiritualem, quâ servire Deo deberent, dedignantur; qui tamen deberent attendere illud Actor. 6. *Non est æquum nos dimittere verbum Dei, & ministrare mensis.*

Hic dicitur, quod rex Salomon fecit classem in Asiongaber, qui est portus maris rubri, & adjunctis servis Hyram regis Tyri viris utique nauticis, & gnatis maris cum servis suis, misit eos in Ophir, quæ est insula maris Indici, ut inde afferrent sibi aurum. Qui scilicet, primo anno quadringenta viginti auri talenta, sicut hic dicitur, &, sicut in capitulo, &c. semper illic de termino in terminum deferentes redibant, & Salomoni aurum, & argentum, dentes elephantorum, & pavones, & simias deferebant. Magnificatusque est rex Salomon divitiis, & sapientiâ super omnes reges terræ, & universa terra desiderabat videre faciem Salomonis; & audire sapientiam ejus, & singuli deferebant ei munera,

Digitized by Google

vasa scilicet argentea, & aurea, vestes & arma bellorum, equos, & mulos, sicut hic dicitur 2. Paral. 9. *In diebus ejus tantum fuit argenti in Hierusalem, sicut & lapidum, & cedrorum, sicut etiam sycomororum. Ita quod argentum in Hierusalem tunc temporis nullius valoris reputabatur, cum auri summa copia haberetur.* D Ista possunt exponi allegoricè de Christo. Constat enim quod Salomon, id est, Christus classem seu navium multitudinem, id est, diversorum statuum Ecclesiæ turbam in mari pœnitentiæ statuit, & ibi cum servis suis, id est, cum sanctis, & Catholicis viris servos Hyram regis gentilis, id est, servos mundi, videlicet Philosophos viros, & nauticos, & maris, id est, naturæ rerum fluxibilis sapientes, & gnaros, qualis fuit Dionysius, adjunxit, in quantum ipsos ad fidem convertens suis fidelibus sociavit. Isti igitur per mare pœnitentiæ navigantes de Ophir, id est, de mundo ad ipsum Salomonem, id est, Christum multas divitias spirituales detulerunt, & ipsum, & civitatem Hierusalem, id est, Ecclesiam tam Militantem, quàm Triumphantem multipliciter bonis personis, virtutibus, & scientiis ditaverunt. Constat enim, quod isti nautæ tam Hyram quàm alii adjuncti attulerunt ad Christum aurum, id est, sapientiam, argentum, id est, eloquentiam, dentes elephantorum, hoc est ebur, id est, castimoniam, pavones, scilicet aves pictas, id est, honestam apparentiam, simias, bestias summè agiles, id est, laborum, & operum diligentiam.

Vel alio modo isti nautæ attulerunt Christo (in quantum, scilicet eos ad fidem converterunt,) aurum, id est, Philosophos, & sapientes, argentum, id est, Poëtas, & eloquentes, dentes elephantorum, id est, crudeles Tyrannos, & Principes omnia devorantes, pavones curiosos, & in pennis, id est, in exteriori pulchritudine seu prosperitate gloriantes, simias, id est, hypocritas, hoc est, hominum rationabilium, & sanctarum personarum non rem sed effigiem, id est, similitudinem prætendentes. Sic igitur Salomon noster fuit in Ecclesia ditatus, & super omnes reges, id est, super omnes Deos magnificatus Psalm. 96. *Nimis exaltatus est super omnes Deos.* Sibi enim quotidie offeruntur munera, id est, boni religiosi, qui voluntariè Deo donantur. Vestes, id est, viri misericordes, qui alios fovere, & calefacere dignoscuntur, arma bellica, id est, viri scientifici, qui corpus Ecclesiæ à maculis hæreticorum protegere comprobantur, equi, id est, boni obedientes, qui supernæ disciplinæ subjiciuntur, & muli, id est, boni rustici, & laici, qui omnibus laboribus sæcularibus exponuntur, vasa etiam argentea, & aurea, id est, viri, qui sapientiam, & eloquentiam profitentur. Talibus igitur muneribus Christus ditatur, & in Hierusalem, id est, Ecclesia spiritualiter fœcundatur, & sic verificatum est illud Ps. 71. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, &c.*

E Vel dic, quando Salomon, id est, sapiens Prælatus regnat in Hierusalem, id est, in Ecclesia, tunc verè ab hominibus honoratur, & diligitur, & à regibus & nautis, id est, à majoribus, & minoribus donis, & divitiis fœcundatur. Unde Job. 41. *Sternet sibi aurum quasi lutum.*

Vel dic, quod quamdiu Salomon, id est, Christus, in Hierusalem, id est, in religione, vel Ecclesia per devotionem regnavit, scilicet in Ecclesia primitiva, tanta copia auri, id est, bonorum spiritualium ibi fuit, quod argentum, ardens gentem, id est, divitiæ mundanæ nihil ibidem reputabantur, & à viris Ecclesiasticis pro nihilo habebantur. Quapropter tunc reges terræ, & nautæ, id est, principes, & populares ipsi Christo, & civitati suæ Hierusalem, id est, Ecclesiæ undique munera offerebant, redditus, & proventus dabant, & sic Ecclesiam divitiis cumulabant, eo, scilicet quod ipsas non amare, nec reputare divitias tunc videbantur. Nunc verò è contrario, quia apud nos argentum divitiarum diligitur, ideò à regibus, & à nautis, id est, ab ipsis sæcularibus non solùm nihil nobis offertur, imò etiam quod prædecessores sui nobis dederunt, per eos surripitur. Ecclesia enim divitiis, quando ipsas non diligebat, solebat abundare; nunc autem, cum ipsas appetit, ad sufficientiam non potest de eis invenire. Unde Eccl. 11. *Si secutus fueris, non apprehendes, &c.*

Vel dic quod Salomon cùm esset ditissimus, omnes offerebant sibi. Sic verè hodie illis, qui plus habent, ut communiter magis datur. Ideo dicitur Matth. 25. *Habenti dabitur, & abundabit, &c.*

Capitulum decimum. Textus. Sed & regina Saba, auditâ famâ Salomonis.

Moralitatum Cap. VIII.

F Hic dicitur, quod cum Salomon esset sapientissimus, universa terra desiderabat videre faciem ejus, & audire sapientiam ejus. Unde & regina Saba venit in nomine Domini, audita famâ ipsius, tentare eum in ænigmatibus suis. Intravitque Hierusalem cum comitatu multo, & cum infinito auro & lapidibus pretiosis, aromatibus & camelis. Et instructa à rege super omnibus, quæ petivit, videns sapientiam ejus, cibos mensæ suæ, habitacula servorum, ordinem ministrantium, vestesque eorum, & pincernas domumque, quam ædificaverat, & holocausta, quæ offerebat, non habebat ultra spiritum præ stupore, quapropter admirando dixit ad regem: *Verus est sermo, quem audivi. Non credebam narrantibus mihi. Ipsa veni, & vidi. Majora sunt opera tua, quàm rumor, quem audivi. Beati sunt servi tui, qui stant coram te, & audiunt sapientiam tuam.* Deditque Salomoni aurum, & aromata, & lapides pretiosos.

Illud exponunt Doctores de Ecclesia de gentilitate collecta: quia scilicet regina Saba, quæ gentilis erat, id est, ipsa Gentilitas, ubi per fidem venit ad Salomonem Christum, cum comitatu plurimo, & multitudine conversorum, & fidei secreta cognovit, quamplurimum mirata est de sapientia ejus, id est, de Verbo Incarnato, quod est Sapientia Dei patris; vel de sapientia & scientia sacræ scripturæ, & Doctorum Ecclesiæ sagacitate præclara mirata est: & de cibis mensæ suæ, id est, de Sacramento Eucharistiæ, de vestibus servorum, id est, de honestate virtualis apparentiæ, de habitaculis servorum, id est, de diversis statibus Ecclesiarum, de ordine ministrorum, id est, de diversis Ecclesiasticorum gradibus, de pincernis, qui vina scientiarum propinant, id est, de Ecclesiæ Doctoribus, de domo ædificata, id est, fidelium congregatione, de sacrificiis oblatis, id est, de bonorum operum executione. Hoc enim videns, & considerans hæc Gentilitas, id est, populus de Gentilitate conversus, obstupuit, & statim in Dei laudem exultando prorupit. *Non credebam*, inquit, *narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi;* quia ad litteram gentiles non possunt credere bonas virtutes, & perfectiones, & quæ sunt apud Christi fideles, donec veniant, credant, & videant universa, & tunc pro certo Christo dicunt: *Beati servi tui, qui stant coram te.* Tunc etiam ista, scilicet Gentilitas, per fidem, à Salomone Christo edocta, aurum philosophiæ ei obtulit, & lapides pretiosos diversarum virtutum tibi contulit, & aromata sanctitatis, & bonæ famæ in Hierusalem, id est, in Ecclesia militante protulit, & diffudit, sive etiam ab ipso reciproca dona, & munera gratiæ, & gloriæ deportavit. Unde dicitur Luc. 6. *Date, & dabitur vobis.*

Vel dic, quod ista regina est anima, quæ à vitiis purgata, ad Salomonem Christum in Hierusalem cœlestem cum comitatu multo, scilicet Angelorum, nec non cum auro, & lapidibus pretiosis diversarum virtutum finaliter ingreditur, & regis Christi sapientiam; ac ministrorum, id est, Sanctorum, & Angelorum ordinem; ciborum mensæ, id est, æternæ refectionis plenitudinem; & dulcedinem vestium, id est, corporum glorificationem; pulchritudinem domûs, id est, cæli magnitudinem; sacrificiorum, id est, Dei laudum multitudinem non immeritò admiratur; ac se non potuisse credere, quod oculus vidit, asserit; & servos Dei, qui faciem ejus vident, & coram ipso per immortalitatem stant, & manent, beatos, & glorioso prædicat, & fatetur. *Beati*, inquit, *servi tui*, id est, sancti, *qui stant coram te, & vident faciem tuam, & audiunt sapientiam tuam*, quia sic dicitur Psal. 143. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, beatus populus, cujus Dominus Deus, &c.*

Fecit Salomon Rex thronum de ebore, & vestivit ipsum auro fulvo nimis, & fecit sublimitatem throni rotundam à parte posteriori, & duas manus hinc inde tenentes sedile; & duo leones juxta singulas manus stabant; sex quoque gradibus ascendebant ad thronum, & duodecim leunculi super gradus, & sex hinc, & sex inde sedebant.

Per istum thronum potest intelligi Beata Virgo, quam Salomon, pacificus, Dei filius ædificavit, & in ea personaliter habitavit, & sedit. Unde Ezech. 1. *Super similitudinem throni similitudo hominis desuper.* Ista enim dicitur esse de ebore, quod significat castitatis candorem; operta fuit auro, quod significat sanctitatis splendorem; unum sedile in se habuit, quod significat humilitatis decorem: quia scilicet humilitas fuit proprium sedile, quo mediante Dei filius sedit in Virgine, Psal. 46. *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Habuit igitur ista duas manus scilicet timorem, & amorem, quæ sedile humilitatis tenuerunt; habuit duos leones, scilicet, Joseph, & Joannem, qui istum thronum custodierunt; habuit duodecim leunculos, id est, duodecim Apostolos, qui sibi obsequendo subservierunt; habuit sex gradus, id est, sex pietatis opera, quæ ipsam in altam perfectionis sanctitudinem elevaverunt. In posteriori verò parte, scilicet post hanc vitam, rotunditatem, id est, coronam æternæ gloriæ, *quam sibi angeli præparaverunt*, accepit, 1. Cor. 9. *Unde fecit Rex solium eburneum grande, & vestivit illud auro mundissimo* hoc cap. H

Vel dic, quod iste Thronus significat celsitudinem Ecclesiasticæ dignitatis, vel sublimitatem cujuslibet juridicæ potestatis, in quo scilicet Salomon Rex, id est, Prælatus, Princeps, vel Judex habet sedem, & justitiam facere, & tenere Psal. 9. *Sedisti super thronum, qui judicas æquitatem.* Igitur dico, quod in throno multa debent concurrere, scilicet ebur mundum, & candidum, hoc est, munda intentio, vel innocentia. Aurum, hoc est, clara discretio, vel sapientia. Sedile, id est, mentis tranquillitas, & temperantia. Manus hæ sunt porrecta largitas, & munificentia. Leones hi sunt fortis severitas, & justitia. Sed gradus hi sunt sex opera pietatis, benignitatis, atque clementiæ. Duodecim leunculi hi sunt bonorum Officialium, & Consiliariorum societas, & concomitantia. Posterior verò rotunditas hæc est finalis, brevis, & rotunda expeditionis celeri-

Digitized by Google

celeritas,& festinantia. Omnia ista debent in throno Prælaturæ,seu potestatis judiciariæ occurrere ; & ille, qui in throno sedet, debet his omnibus præpollere,& sic de tali Judice, vel Prælato dicet Dominus illud Ps. 88. *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum,& testis in cœlo fidelis.* Et si vis, dic,quod manus istius dicantur esse duæ, quia scilicet munificentia Prælati ad duo se extendit, scilicet ad indulgendum, & ad tribuendum. Leones autem isti dicuntur duo, quia justitia Prælati in duobus consistit, scilicet in absolvendo, & condemnando. Duodecim leunculi
A esse feruntur,quia scilicet Officiales,& Advocati,qui ante thronum, id est, in curia Dominorum in diversis officiis sedent, debent duodecim articulos credere, & doctrinam duodecim Apostolorum tenere, duodecim fructus spiritûs portare, & coronam duodecim stellarum promereri, & expectare ; quia scilicet de eis debet dici illud Apocal. 14. *Sine macula sunt ante thronum Dei.*

Vel si vis,dic quod duo leones magni sunt duo Assessores ; leunculi verò Judices inferiores.Vel si vis,dic in malo,quod thronus curiæ, & status Prælatorum, Judicum, & Principum modernorum, est hodie deauratus per divitiarum cumulationem, quia scilicet,hodie non quæritur nisi aurum. Est etiam ibi sedile, ubi sedet Salomon manibus sustentatus per multiplicem adulatorum obsecutionem. Est à duobus leonibus associatus, per crudelem Consiliariorum, atque Assessorum ambitionem. Ibi sunt diversi gradus, & ostia multa intermedia, per quæ transire oportet, qui faciunt aditûs difficultatem, & hoc quia ibi sedent leunculi, id est, Officiales Ballivi, qui avaritiam diligunt, & rapacitatem.

Vel etiam diversi gradus sunt diversa inferiora officia hujus curiæ,in quibus scilicet, leunculi sedent, id est, crudeles Judices, qui omnimodam sectantur iniquitatem,Ps. 103. *Catuli leonum rugientes,ut rapiant, & quærant à Deo escam.* Quia breviter circa thronos, &curias Dominorum, tria genera personarum in diversis gradibus, & officiis habitare noscuntur,scilicet,manus, leones,& leunculi,id est, adulatores Principem sustentantes, magni Consiliarii cuncta leonicè devorantes ; inferiores, & majores Ballivi, ut leunculi, quicquid possunt, crudeliter rapientes, ut sic de tali Judice in tali throno sedente, & de tali malo Prælato in prælationis culmine præsidente exponatur illud Ezech. 19. *Mater tua leæna cubat inter leones, in medio leunculorum nutrivit catulos suos.* Unde etiam talis Prælatus sic associatus potest dicere illud Dan. 14. *Qui sedebat in medio leonum*, id est, in medio crudelium servorum ; Judex enim, vel Prælatus deberet dici pater iste, cum mater hodie sit leæna, &c.

Vel dic, quod thronus,in quo sedet Rex noster Christus,est Ecclesia, quæ debet habere ebur,scilicet viros castitate nitentes ; aurum, id est, viros sanctitate fulgentes ; sedile, id est, viros æquitate pollentes ; manus,hoc est viros bonis operibus abundantes; leones, id est,viros virtute,& gratiâ præeminentes ; & gradus, id est, viros status suos custodientes, & Ecclesiam defendentes. Unde dicitur 3. Reg. 7. *Sculpsit inter coronas, & plectas,leones, boves, & Cherubin.*

Vel dic, quod thronus iste significat æternæ gloriæ sedem, & dignitatem, ad quam scilicet per gradus sex operum misericordiæ ascenditur, & in qua in auro æternæ scientiæ, & ebore munditiæ sedetur,& cum leonibus, & leunculis, id est, cum sanctis majoribus, & minoribus habitatur.

Vel dic,quod ad thronum Prælaturæ non citò quis provehendus est, sed per gradus diversorum officiorum superiùs est trahendus.

Vel dic,quod thronus Dei est viri justi conscientia, quæ pro certo debet habere ebur continentiæ, aurum sapientiæ, sedile justitiæ, leones fortitudinis, & constantiæ, manus bonæ operationis, gra-
B dus prudentiæ, & ordinationis, leunculos obedientiæ, & subjectionis, rotunditatem simplicitatis, & virtutis, seu carentiam omnis angulositatis, & deceptionis, & sic de tali solio, sive sede potest dici illud Apoc. 22. *quod sedes Dei, & agni est in illa,* scilicet in anima viri justi.Quia sicut dicit sapiens : *Anima justi sedes est sapientiæ.* Ita quod tunc dicet Dominus illud Isaiæ 66. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.*

Vel si vis, dic, quod ad altare Domini prohibebatur ascensus per gradus, ad thronum tamen Salomonis regis habebatur ascensus.

Sic verè dico, quod licet ad promotiones, & dignitates sæcularium Principum per gradus consanguinitatis, & affinitatis, id est, per acceptionem personarum habeatur accessus ; ad altare tamen Christi, id est, ad dignitates Ecclesiæ, non debent inveniri tales gradus, sed nulla consanguinitatis affectione servata, omnibus justis indifferenter facilis debet patere ingressus.

Fecit Salomon ad magnificentiam regni status arma aurea, & vasa aurea, & suppellectilem auream. In domo enim saltus fecit ducenta aurea scuta, & vasa aurea, & quodlibet siclorum sexcentorum, trecentas plectas aureas ponderum laminarum auri per singulas, & ducentas lanceas aureas, ut dicitur 1. Paral. 9. Juvenes igitur flavi ista arma flava, atque aurea ante regem, quando equitabat, ad decorem portabant, & post in domo saltus ipsa ponebant. Scutis igitur aureis Salomon suam civitatem munivit, sed sicut infra dicitur 3. Reg. 11. filius ejus Roboam juvenis, & fatuus post ipsum regnavit, contra quem ascendit Rex Ægypti Sesach, & depopulatis thesauris domûs Domini, etiam scuta aurea inde

tulit, loco quorum Roboam scuta ærea fabricavit, peccaverat enim populus Juda Domino, & fecerat sibi statuas, lucos effœminatos, & cultores Cybele, qui erant in terra, propter quod Deus adversus eos Sesach suscitavit, qui in Hierusalem intrans, cuncta diripuit, & vastavit. Etiam, ut posuit Comestor (sicut ajunt Hebræi) avis per quinquaginta annos super Hierusalem non volavit, ita quod ferè populus Judaicus desperavit.

Salomon est bonus Prælatus, sapiens, & fidelis, & pacificus,qui C
revera quando regit in Hierusalem, id est, in Ecclesia sancta Dei, ipsam solet in omnibus bonis temporalibus, & spiritualibus ditare, & vasa aurea,& vestes aureas, id est, scientias, & virtutes ibi fabricare, & arma aurea, id est, sanctos, & fortes virtuosos viros ibidem constituere, & locare. Unde dicitur 1. Paral. 9. *Cuncta vasa domus saltûs Libani erant ex auro purissimo.* Sed pro certo sæpe fit, quod populus Judæ, id est, populus Ecclesiasticus contra Deum peccat, & status, & mundi bona per avaritiam ; lucos, seu alta nemora, hoc est, mundi honores per superbiam adorat, & se per luxuriam effœminat, & enervat ; quapropter Deus Salomone, id est, bono Prælato ipsum privat, & loco ejus Roboam,qui interpretatur ineptus, vel dissipans populos, id est, malum, vel impetuosum Prælatum eorum peccatis creat. Unde Job. 34. *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Talia igitur videns Deus, manum suam solet laxare, & regem, populum, & civitatem Hierusalem, id est, Prælatos, subditos, & totam Ecclesiæ civitatem solet in manu Sesach regis Ægypti, qui interpretatur tenebræ, id est, manu regis tenebrarum, id est, diaboli solet dimittere, qui scilicet mediante exercitu vitiorum, & Tyrannorum thesauros domûs Domini, id est, virtutes spirituales,& divitias temporales Ecclesiæ solet diripere ; arma aurea, id est, bonas, & aureas personas, quæ revera arma Ecclesiæ sunt, solet surripere, & auferre, ita quod jam cessat avis, id est, vir contemplativus, & spiritualis super Hierusalem, id est, totam Ecclesiam volitare. Unde Hier. 4. *Omne volatile cæli jam receſſit.* Unde de Antiocho dicitur, 1.Mach. 1. quod ipse accepit altare,vasa aurea,& ornatû aureum, & thesauros occultos de domo Domini. Quid igitur ? Pro certo quia diabolus arma aurea, id est, viros sanctos de Ecclesia sustulit, jam videmus, quod Roboam, id est, mali Prælati arma non aurea, sed ærea faciunt, id est, malas personas insufficientes, non gnaras in Ecclesia constituunt, atque ponunt, & loco bonorum hominum æreos, id est, imbecilles, clamorosos, litigiosos, impatientes, & rubiginosos in Hierusalem, id est, in officiis, & dignitatibus Ecclesiæ promovent, & extollunt. Et breviter (sicut D
actum est) quod diabolus, & vitia pro magna parte bonas personas de Ecclesia sustulerunt, etiam Prælati loco bonarum impias substituerunt personas. Quod etiam apud Principes cernimus, quia scilicet, de eorum officiis, & curiis boni quotidie evelluntur, mali verò constituuntur, & pro eis in officiis eriguntur. Unde dicit Psalm. 34. *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.*

Vel dic, quod Roboam, id est, malus Ecclesiasticus, si contigerit, quod Sesach, id est, diabolus arma aurea, id est, virtutes, & scientias, quæ scilicet arma, Salomon, id est, boni Prælati antiquitus in Ecclesia fabricabant, & eam talibus armis contra hostes spirituales muniebant (dicentes illud 1. Cor. 10. *Non secundùm carnem militamus, sed secundùm spiritum. Arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia*) sibi auferat, & inde ipsum evacuet, & Hierusalem, id est, Ecclesiam suam talibus spoliet, & denudet ; non studet nec curat talia arma, scilicet, virtutes, & scientias reficere, nec eas in sua Ecclesia restituere, sed potiùs studet arma ærea, id est, æs pecuniarum recolligere, & oblitis spiritualibus, temporalia congregare. Et sic procul dubio hodie videmus in Hierusalem, id est, in Ecclesia æs pro auro, bona terrena pro spiritualibus, divitias pro virtutibus abundare. Unde dicitur Isa. 3. *Et erit pro suavi odore fœtor, &c.* Ideo bene dicit hodie sapiens illud Ecclesiastici. 3. *Vidi in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem.*

Capitulum undecimum. Textus. Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas.

Moralitatum Cap. IX.

CUm Salomon in summa prosperitate vixisset, & jam ad senium declinasset, adamavit mulieres alienigenas, quæ traxerunt eum ad Deos suos, & averterunt cor ejus, cum jam senex esset, & adoravit Deos alienos, & fecit eis Phana, & altaria in excelsis, scilicet altare Deæ Sydoniorum, quæ interpretatur præ- E
sepè : Chamos Deo Ammonitarum, qui interpretatur congregans, & Moloch Deo Moabitarum,qui interpretatur Rex. Quapropter ipso adhuc vivente, hostes sibi Dominus suscitavit, & post mortem ejus regnum ejus divisit, & filiis ejus solam decimam partem dedit.

Sic verè sæpe fit hodie, quod illi, qui majori prosperitate fruuntur, & ampliori mundi sapientâ dotantur, quandoque faciliùs per luxuriam decipiuntur, & per mulieres ad mala plurima

Digitized by Google

trahuntur. Quod etiam facilius accidit, quando homines senectute corporali premuntur, vel senectute spirituali, id est, mala consuetudine ac discretionis hebetatione gravantur, quia scilicet, tunc ad adornandum altare Deæ Sydoniorum, id est, præsepe luxuriæ; Chamos, id est, congregationem avaritiæ; Moloch, id est, regnum superbiæ faciliùs inclinantur. Bene igitur dicit ipsemet Prov. 6. *Mulier pretiosam viri animam capit.*

Vel ista allega, quod nullus pro tempore vitæ hujus de propria sanctitate debet præsumere, sed potiùs occulta Dei judicia debet formidare, quando scilicet, videt Salomonem post infusam sapientiam à Deo, post executam contra malos justitiam, post domum Dei ædificatam, & post divini cultûs latriam dilatatam, tam enormiter cadere, ut etiam contra legem alienigenas diligens, Deos eorum non abhorruerit adorare. Ita quod tam propter peccatum, quod commisisse legitur, & contra prosperitatem, quam habuit vivens, & quâ tam abundanter affluxisse dignoscitur; & pro eo, quod de ejus pœnitentia nihil penitus invenitur, necesse sit de damnatione ipsius dubitare, bene igitur dicit Apostolus 1. Cor. 10. *Qui stat, videat, ne cadat.*

Ahias Propheta indutus pallio novo, Jeroboam de Hierusalem exeunti obvians coram eo pallium suum scidit in duodecim partes, ac dividens, decimam partem Jeroboam dedit, & regnum Israel dividendum, & decem tribus sibi dandas ex parte Domini nuntiavit. Quod utique factum est, quia post mortem Salomonis decem tribus à Roboam Salomonis filio recesserunt, & Jeroboam adhæserunt. Nam cum populus convenisset, mortuo Salomone, ipsumque regem constituere vellet, & sibi paululum relaxari de jugo per Salomonem impositi posceret, & Roboam, senum spreto
F consilio, qui sibi consulebant populo acquiescere, & juvenum, qui secum nutriti fuerant, consilio usus, petitionem populi non audiret, sed gravius jugum comminatus, verba fera potiùs respondere: *Pater meus*, inquiens, *cecidit vos flagellis, ego autem vos cædam scorpionibus. Minor digitus meus grossior est dorso patris mei;* populus decem tribuum indignatus ab eo recessit, & æmulum ejus Jeroboam regem super se constituit, & elegit. *Quæ*, inquit, *nobis pars in David? aut quæ hæreditas in filio Isai? Nunc vade in tabernacula tua Israel*, sicut infra cap. sequenti reperitur.

Ista possunt allegari, quod juvenes Principes atque Reges magis diligunt juvenes quàm senes, & illos, qui secum sunt nutriti, quàm provectiores, qui sensu, & fide à suis Principibus sunt probati; quapropter quandoque talibus malè accidit, ita quod propter tale juvenile consilium, populus contra eos insurgit, & ab ipsis fugit, & recedit. A senibus igitur, non à juvenibus consilium est petendum, & ab ipsis, qui steterant coram David, id est, ab illis, qui sapientibus adhærent, & quos patres nostri fideles & prudentes compererunt, est consilium & auxilium inquirendum. Unde Tob. 4. *Consilium à sapiente require.*

Vel illud allegari potest contra duritiam, & crudelitatem Principis vel Prælati, & contra minas, & jactantiam eorundem, quæ quandoque odium populi generat, & contra se populum subditorum excitat, ita quod ad eum dimittendum, & deponendum, & ad alium substituendum anhelat; sicut videmus quotidie ad literam fieri contra crudeles Judices, & Prælatos, qui tamen si mitiùs agerent, & de rigore suo aliquid prætermitterent, pacificè viverent, & honorificè imperarent. Ideo bene dicitur Prov. 13. *Misericordia, & veritas custodiunt regem.*

C *Capitulum duodecimum. Textus.* Venit Roboam in Sichem, illuc enim congregatus erat.

Moralitatum Cap. X.

Hic dicitur, quod cum Roboam misisset Aduram principem tributorum ad populum reducendum, occiderunt eum. Lapidavit enim eum omnis populus Israel, & mortuus est.

Illud potest allegari de B. Stephano, qui fuit princeps, id est, primò incipiens, quia primus martyr. Qui cum vellet filios Israel, scilicet Judæos, qui à rege Christo recesserant, prædicando, & disputando ad ipsum reducere, & convertere, ab ipsis fuit crudeliter lapidatus. Ipse verò Israelitarum, id est Judæorum populus à suo rege Christo penitus segregatus, & alteri regi, scil. Jeroboam, qui interpretatur divisio populi, id est, Diabolo est colligatus. Unde dicitur 1. Paral. 10. *Lapidaverunt Aduram filii Israel, & mortuus est.*

Vel expone aliter, ut ad propositum 1. Jo. 4. *Noli credere omni spiritui, sed probate spiritus, si ex Deo sint.*

Vel expone aliter, sicut cap. 10. de lapidibus, &c.

Hic dicitur, quod cum filii Israel recedentes à domo David, Jeroboam inunxissent in regem, timuit ipse Rex, ne occasione templi populus, orationis & oblationis causâ, in Hierusalem reverteretur, & ab ejus dominio dilaberetur. Fecit ergo duos vitulos aureos, & conflavit, & ipsos in Bethel facto altari constituit, & convocato populo dixit: *Nolite*, inquit, *in Hierusalem ascendere, ecce Dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Et facta solennitate, hostias immolavit, & sic populum ad idololatriam traxit, & ne regnum amitteret, se & subditos suos Dæmonibus subdidit, & à vero Deo & templi frequentia deviare fecit.

Istud allega, quomodo Domini pro terrenis regnis, & divitiis acquirendis vel servandis, quandoque non verentur horrenda crimina committere, & Deo dimisso, Dæmonibus obedire. Ideo bene dicit Apostolus Ephes. 5. quod avaritia *est idolorum servitus.* H

Vel si vis dic, quod Jeroboam significat Dæmones vel hæreticos, qui scilicet, de pallio novo, seu de regno Israel, id est, de Ecclesia decem tribus seu decem scissuras tollunt, quando cultores decalogi à Domino suo scilic. à Deo pervertunt, una verò sola pars remanet, pro eo, quod electorum modicus numerus cum Christo remanet, & adhæret. Unde dicitur Matt. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone domini in Bethel.

Moralitatum Cap. XI.

Cum Jeroboam in Bethel super altare novum vitulis aureis sacrificaret, ecce vir Dei venit de Juda, & clamavit in sermone Domini contra altare dicens, quod de domo David filius Josias nomine nasceretur, qui sacerdotes excelsorum super illud immolaret, & ossa humana combureret. In signum cujus dixit, quod statim altare frangeretur, & cinis de ipso caderet, quod & factum est. Rex verò, extensa manu contra Prophetam, ipsum capi jussit, manus verò ejus extensa statim aruit, sed per preces viri Dei ad sanitatem pristinam rediit. Tandem verò lapsu temporis omnia ista completa fuerunt, quia, sicut dicitur infra 4. Reg. 23. ossa sacerdotum Baal, & excelsorum, desuper istud altare combusta per Josiam regem Juda fuerunt.

Istud potest allegari, quod in quo peccat quis, in hoc, & punitur, Quia n. sacerdotes in altari per idololatriam peccaverunt, ideo in eodem per Josiæ justitiam perierunt.

Vel dic, quod altare istud significat curiam Principum vel Prælatorum, in quo, scilic. vituli aurei, id est, ipsi lascivientes divites adorantur, & ab omnibus honorantur; sacerdotes, qui ista idola in altari isto colunt, sunt talium Officiales, & servitores, qui scilicet, in altari, & curia idoli sui, id est, mali Domini sui hostias, id est, pauperes immolant, & eorum carnes seu substantiam temporalem suis idolis, id est, suis malis Dominis offerunt, & præsentant, & de rapinis subditorum oblationes largas, & convivia superflua eis parant. Unde isti sunt, de quibus dicitur Eccl. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui offert filium in conspectu patris.* Et bene dicit, *filium in conspectu patris*; quia mali Officiales offerunt patribus devorandos filios, quando magistris suis exhibent subditos deprædandos, carnesque propriorum filiorum eis offerunt, quando de substantiis subditorum suorum, quas rapiunt, eos pascunt. Sed quid? Pro certo sæpe occulto Dei judicio, & Josiæ, id est, alicujus boni viri ministerio, quandoque fit, quod versa vice in eodem altari, in quo pecudes immolaverunt, etiam ibidem eorum ossa, id est, eorum fortitudo, & divitiæ per rapinam postea concrementur. Istud enim quotidie videmus, quod sacerdotes vitulorum, & idolorum, id est, mali Officiales, & Ballivi malorum Principum, & Dominorum, postquam in ipsorum altari, id est, in eorum officio, & curia, cui præsidebant, multas pecudes, id est, multos pauperes occiderint, & depresserint, & vastaverint, & per falsas accusationes, & actiones devorandos, & exhæredandos Magistris suis obtulerint, ipsi simili causa ab aliis postmodum immolentur; quia scilicet quandoque simili casu venit aliquis Josias, id est aliquis justus judex, qui ipsorum iniquitates reperit, & sic ipsos deponi, deprædari, & tribulari in eodem altari, id est, in eodem officio, & curia, ubi alios molestaverunt, procurat. Ideo bene dicitur Isaiæ 33. *Væ qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis? quia consummaveris deprædationem, deprædaberis.* A

Hic habes, quod prophetæ, qui venit de Juda ad increpandum Jeroboam, fuerat à Domino prohibitum, quod illic non comederet, nec aquam biberet, nec per viam, quâ venerat, rediret. Cum igitur per aliam viam in Hierusalem recederet, audivit quidam falsus Propheta, qui in Bethel senex in lecto jacebat, quæ vir Dei dixisset, & qualiter ossa prophetarum, & sacerdotum concremanda prædixisset, & quomodo altare fractum esset decidentibus cineribus, manus verò regis exaruisset, & ad preces ejus sana facta esset. Asinum itaque sibi sterni fecit, & vadens post virum Dei, ipsum subter terebinthum invenit, & ad convertendum, & comedendum in domum propriam invitavit. Cui cum responderet se non posse, cum à *Domino sibi esset prohibitum*, superaddidit propheta dicens: *Et ego propheta sum sicut & tu, & præcepit mihi Dominus, quod comedendi gratia te reducam.* Igitur vir Dei deceptus post eum rediit: Et dum comederet, apud eum sermo Dei ad ipsum malum Propheram factus est, & viro Dei sic intulit ac dixit: *Quid*, inquit, *inobediens fuisti verbo Domini, & reversus panem in hoc loco comedisti? Ecce non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuorum.* Quod factum est, quia scilicet, dum post prandium recederet, à leone occisus fuit, & in Bethel delatus extitit, & sepultus. B

In

Digitized by Google

In his possunt multa notari. Et primò quidem, quod nulli est citò consentiendum, maximè illi, quantumcunque propheta vel sanctus appareat, contra Dei præcepta, & prohibitiones credendum; cujus tamen contrarium faciunt illi, qui hypocritis, & Hæreticis credunt, & simpliciter Dei mandata propter eorum suggestiones prætereunt, & à veritatis itinere retrocedunt, & ipsis credunt fatuè, quando seipsos esse prophetas Domini, id est, justos, & Catholicos esse dicunt: quapropter sæpe fit, quod proinde à leone, id est, à diabolo devorantur, & quod triste præmium inde recipiunt, & acquirunt. Ideo bene dicitur 1. Joan. 4. *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Sic enim videntur decepti Schismatici per Hæreticos, quia scilicet, ipsos esse prophetas, & Dei nuntios æstimaverunt, propter quod ipsis simpliciter crediderunt. Sic etiam quotidie decipiuntur simplices per hypocritas, & innocentes, &c.

Vel dic, quod iste vir Dei significat prædicatorem, qui ad redarguendum idololatras, id est, peccatores, & ad ostendendum eis pœnam futuram mittitur, cui prohibetur, ut hic non comedat seu bibat, id est, de mundi divitiis, & delitiis nihil cupiat, quodque per viam, quâ venit, non redeat, id est, quod à via sumptæ professionis, & pœnitentiæ nullatenus retrocedat, sicut in scriptura à Domino prohibetur, dicente: *Qui in agro est, non respiciat retro.* Luc. 17. *Memores estote uxoris Loth.* Sed quid? Pro certo talis bonus propheta, & prædicator quandoque invenit falsos prophetas, & prædicatores, bonorum hujus sæculi amatores, qui scilicet, comedere, & bibere, id est, bona temporalia diligere sibi suggerunt, & sic à via perfectionis ipsum retrocedere faciunt & pervertunt, & sic in manus leonis Diaboli finaliter ipsum tradunt, à sepulchris patrum suorum, id est, à gloria paradisi ipsum privant occasionaliter, & repellunt. Igitur tali modo suggestori non est credendum. C Unde Deuteronom. 13. *Non audies verba illius prophetæ aut somniatoris.* Vel ista allega ad ostendendum, quanta est severitas divinæ justitiæ, quæ isti Prophetæ propter simplicitatem non pepercit, sed propter inobedientiam ipsum leoni occidendum concessit. Quid ergo? ubi non ex tentatione vel ex simplicitate delinquitur, sed scienter mandatum Domini præteritur? *Si enim in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?*

Vel istud allega, quod Spiritus sanctus quandoque prophetet per os malorum, sicut hic patet, quoniam per istum malum prophetam, pœna viri Dei prophetatur, ut scilicet, qui per os ejus deceptus fuerat, per os ejus etiam puniretur.

Vel istud allega secundùm glossam Gregorii, quod iste vir inobediendo graviter peccavit, quod subsecuta pœna monstravit. Inobedientia tamen ejusdem prophetæ in morte ejus purgata fuit, quod ex hoc apparet, ut ait, quia post mortem *leo non comedit de cadavere, nec asinum læsit.*

Vel istud allega, quod modica sunt apud Deum mors vel afflictio justorum in vita ista, dum tamen spirituale commodum subsequatur, quando scilicet, propter unam inobedientiam, virum Dei leoni occidendum voluit tradere, ut ipsum posset à reatu commissæ inobedientiæ, quæ etiam non ex malitia commissa fuerat, salvare. Bene ergò dicitur, Hebr. 10. quod *horrendum est incidere in manus Dei viventis*: & 1. Corinth. 5. *Tradidi eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.*

Vel illud allega contra inanem gloriam, quia scilicet, secundùm quosdam ille videns miracula per se facta, inani gloriâ intumuit, quapropter Deus manum suam laxavit, ut inobediens fieret, & sic ipsum postea punivit.

Vir Dei recedens de Bethel super asinum, leonem in itinere obviam habuit, qui in eum irruens mox occidit, postquam verò occidisset eum, cadaver ejus non tetigit, imo juxta corpus sedens, nec de eo comedit, nec etiam asinum læsit. Quod videns malus propheta, qui eum deceperat, ut prædictum est, & qui secundùm Josephum Princeps sacerdotum idolorum erat, cadaver ejus in sepulchro suo sepelivit, & filiis suis, quod eum, si moreretur, in eodem sepelirent, districtiùs imperavit. *Cum mortuus*, inquit, *fuero, in sepul-* D *chro, in quo vir Dei sepultus est, me sepelite.* Prædixerat enim vir Dei, quod ossa sacerdotum idolorum de sepulchris suis extracta super altare comburerentur finaliter per Josiam, sicut prædictum est 4. Reg. 23. Contra quod iste malus propheta voluit sibi providere. Quod & factum est, quia sicut dicitur infra, Josias ossa malorum prophetarum, & sacerdotum in altari Bethel, in quo idolis sacrificaverant, combussit. Veruntamen ossibus istius mali prophetæ, pro eo quod cum ossibus viri Dei sepulta erant, pepercit, ipsaque nec tetigit nec combussit.

Iste vir Dei, qui propter levem culpam inobedientiæ, seu vanæ gloriæ fuit leoni traditus, significat propriè Sanctos Martyres, qui scilicet vel ad majorem cumulum meritorum, vel ad purgationem aliquorum, quæ præcesserant, delictorum, leoni, id est, mundi Tyrannis occidendi à Domino traditi sunt: Sed in multis sic factum est, quod per mortem eorum visis miraculis, ipsi leones & Tyranni ipsos persequi cessaverunt; quinimo juxta eos per fidem sederunt, & quos viventes persecuti sunt, mortuos honoraverunt, & eisdem à se occisis, nec non eorum asinis, id est, ipsorum devotis, & servitoribus obsequium, & custodiam præbuerunt, sicut patuit de multis, qui ad honorem eorum Ecclesias ædificaverunt, & religiones etiam dotaverunt.

Vel istud allega ad commendationem animi generosi, qui scilicet, non dignatur sævire in hominem mortuum, sed in vivum, id est, non in inimicũ suum pauperem, & depressum, sed potiùs, quamdiu videt eum vivum, id est, potentem se defendere, vel robustum; quinimo sic debet esse, quod postquam leo, id est, aliquis generosus homo aliquem, dum vivit, id est, dum invenit ipsum potentem, & rebellem, & recalcitrantem; impugnaverit, si contigit, quod eum occidat, id est, quod eum superet, atque vincat, statim debet ab impugnatione cessare, & in ipsum ampliùs non sævire. Quod est contra multos, qui non solùm sæviunt in vivos, imo etiã in mortuos inimicos. Et hoc; quia cadaver eorum, id est, filios, & superstites eorundem, & asinum, id est bona eorum temporalia, vel servitores, & familiares devorant, id est, eos rapinis, & molestiis lacerant atque gravant. Unde dicitur 1. Reg. 24. *Quem persequeris Rex Israel, quem persequeris? Canem mortuum, & pulicem unum?* Quasi diceret. Non est gloria persequi hominem impotentem.

Vel si vis, dic, quod leo est bonus Princeps vel Prælatus, qui re- E vera non debet de cadavere vel de asino comedere vel ea lædere, id est, non debet pauperes rapiendo lædere, vel gravare, sed potiùs juxta eos sedere, & eos defendere, regere, & juvare. Unde Isaiæ 11. *Leo & agnus simul mordebuntur.* Quia breviter, dato quod leo, id est, Princeps leoninus invadat vivos, id est, divites, & potentes, cadavera tamen, & asinos, id est, depressos, & pauperes miseros nunquam debet gravare, sed potiùs defendere, & facere liberos, & immunes. Quod tamen est contra ignavos Principes, qui scilicet sunt ad invadendum hostes suos vivos, & potentes desides, contra tamen miseros subditos sunt rapaces.

Vel si vis, allega ista de bona societate, qualiter proficit. Sæpe enim fit, quod Deus propter bonorum societatem malis parcit, & Josias ossa mali prophetæ non tetigit, quia ipsum cum sancto viro tumulatum invenit. Sicut etiam patet Gen. 18. ubi propter decem bonos, si invenirentur in Sodoma, toti civitati Dominus se parcere promittit. Sicut etiam in Paulo apparuit, Act. 27. propter quem Dominus omnes animas, quæ erant in navi, à submersione salvavit. Bonum est igitur bonis associari, & cum ipsis personaliter copulari, quia scilicet exinde homo bonus efficitur, & eorum orationibus adjuvatur. Psal. 17. *Cum sanctis sanctus eris, & cum perverso perverteris, &c.*

Vel etiam de sepulchris allega, quia scilicet bonum est in Ecclesiis, & cœmiteriis, ubi sancti homines sepulti sunt, sepeliri, ut, cum Josias Rex, id est, Christus iniquos in judicio comburet, sibi ex societate Sanctorum, & precibus possit parci. Unde dicitur 4. Reg. 13. *Projecerunt mortuum in sepulchrum Helisæi. At ubi tetigit corpus Prophetæ; revixit homo, & stetit super pedes suos.*

Capitulum decimum quartum. Textus. In illo tempore ægrotavit Abia filius Jeroboam.

Moralitatum Cap. XII.

HIc cap. 14. & 2. Par. 12. ponitur, quomodo Sesach Rex Æ- P gypti contra Roboam ascendit, & scuta aurea abstulit, loco quorum Roboam ærea fabricavit. Sed de hoc vide supra, ubi plenè de hoc dixi.

Hic ponitur de uxore Jeroboam, quæ habitum commutavit, & de filio moribundo Ahiam prophetam interrogavit. Qui quamvis eam videre nequiret, ipsam tamen in spiritu statim cognovit, & sibi filii mortem, & domûs destructionem prædixit. *Ingredere*, inquit, *uxor Jeroboam. Quare te alienam simulas? Ego autem ad te missus sum durus nuntius.*

Illud potest allegari contra hypocritas, qui scilicet habitum conversationis suæ mutant, & alios, quàm sint, se esse simulant, ut alios decipiant, & seducant; prophetam tamen Christum decipere nequeunt, quia scilicet non ad vestes, sed ad personam, id est, non ad conversationem, sed ad conscientiam, non ad famam, sed ad vitam solet aspicere, & ideo ipsos apertè cognoscit, ipsisque durum mortis æternæ nuntium solet finaliter reportare. Nihil enim valet apud eum dissimulatio qualiscunque, quia sicut dicit Apostolus Hebr. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.*

Hic cap. 15. fit mentio de bello Abiæ regis Juda contra Jeroboam, sed de hoc plenius vide 2. Paral. 13. Ibi etiam dicitur, quod Jeroboam octoginta millia hominum contra Abiam congregavit, sed Abia ad Dominum recurrens, etiam de cultu divino, qui in templo fiebat, & de candelabro, altari, & ministris glorians, & ipsum Jeroboam, & populum ejus, qui à Deo recesserat, vilipendens, bellum commisit, & octoginta millia interfecit.

Quod ad hoc allegari potest, quod illi, qui in multitudine exercitûs gloriantur, faciliter ab illis, qui confidunt in Domino, quamvis pauci sunt, superantur.

Digitized by Google

Ibidem nempe 2. Par. 13. & hic sup. 3. Reg. 13. dicitur, quod quicunque ipsi Jeroboam regi Israël munera portabat, sacerdos idolorum fiebat.

Sic verè hodie apud malos Reges, id est, apud malos Prælatos, isti, qui manus suas implent, qui manibus plenis non vacuis ad eos veniunt, ac munera offerunt, & promittunt; sacerdotes, & beneficiati ab eis fiunt. Unde Luc. 6. *Date, & dabitur vobis.* Unde simoniaci Prælati videntur dicere illud Apostoli 2. Cor. 9. *Si spiritualia seminavimus vobis, non magnum est, si vestra carnalia metamus,* id est, si beneficia, officia spiritualia, & Ecclesiastica conferimus, etiam munera carnalia vel temporalia habeamus. G

Capitulum decimum sextum. Textus. Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Anani.

Moralitatum Cap. XIII.

BAasa occidit Nadab filium Jeroboam regem Israël, & omnem domum Jeroboam usque ad mingentem ad parietem, & regnavit pro eo. Tandem verò, quia iste pessimus fuit, & quendam prophetam sibi comminantem occidit, ideo Zambri filium ejus Hela, qui post ipsum regnavit, ebrium, & temulentum occidit, & pro eo in Israël imperavit, & totam parentelam Basa interfecit. Veruntamen satis citò pòst, cùm populus propter occasionem necis Domini sui contra eum insurgeret, ad palatium fugit, & se cum palatio concremavit.

Ista possunt allegari, quomodo Deus punit malos per malos, & quomodo Deus utitur ministerio malorum hominum ad malos alios puniendos; quinimò & Deus, ut communiter, judicia sua rationabilia per malos Angelos exequitur, & sic homo malus per malum Angelum punitur. Ideo de punitione Ægyptiorum dicitur in Psalm. 77. quod *Dominus misit in eos iram indignationis suæ, immissiones, & iram per Angelos malos.* Sicut etiam hic patet, ubi ponitur domum Jeroboam fuisse destructam, & Deus domum Baasa per Zambri destruxit.

Vel allega, quod justitia Dei quandoque punit filios pro peccato patrum, & maximè quando sunt paternorum criminum successores, sicut patet de Jeroboam, & Basa, quibus Dominus comminatus est, & tamen non ipsos, sed eorum filios dissipat. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus.*

H Vel dic, quod dato quod Deus aliquem puniendum decernat, & ex hoc in manus alicujus pessimi ipsum tradat, ipse tamen malus, qui eum occidit, propter hoc non minùs punitur, quia scilicet Deus malam voluntatem occidendi sibi non dedit; cum Deus non sit author mali, sed malæ voluntati suæ ipsum occidendum applicat, atque tradit, sicut patet, quod dato, quod ex Dei judicio Hela ceciderit, & à Zambri occisus fuerit, tamen ipse Zambri ex hoc non excusatur, quia scilicet ad Dominum suum occidendum non amor Divinæ Justitiæ, sed regni ambitio ipsum movit; Deus verò malitiâ, & proditione ipsius ad occidendum alium usus fuit, & ideo iste in tali regno prosperitatem non invenit, sed turpiter periit, & decessit. Et sic duo in isto actu concurrunt, scilicet Dei justitia, quæ occultè ordinat isti mortem, & mala voluntas, quæ ulterius aliam sibi invenit causam. Unde dicitur Lucæ 17. *Erunt duo molentes in mola una*, scilicet, Deus & homicida, *unus assumetur*, id est excusabitur, & *alter relinquetur* in culpa, scilicet homo malus.

Vel dic quod ista possunt allegari, quod *in quo peccat quis, in hoc & punitur*, Sap. 11. quia videlicet sæpe fit quod ille, qui alium lædit, eodem gladio læsionis per alium tandem perit, sicut patet hic, quod Baasa domum Jeroboam destruxerat: & multos injustè occiderat. Ideo justè factum est, ut alter domum ejus destrueret, & amicos, & filios enecaret. Ideo bene dicitur Matth. 7. *Eodem judicio, quo mensi fueritis, remetietur vobis.* Unde quotidie videmus, quod ambitiosi, qui contra regem Israël, id est, contra aliquem Prælatum vel beneficiatum insurgunt, ut regnent loco ejus, & ut obtineant statum ejus, ipsum occidunt, id est, accusant, infamant, & deponi procurant, & sic locum ejus malitiosè occupant, & usurpant, sicut fecit Baasa de Nadab. Tandem inveniunt in se vel in suis, qui simile eis faciant; & qui de regno vel officio eos expellant, & insurgant, ut patet hic de Zambri, qui regnum Basa, ipso occiso, possedit. Ideo bene dicit Seneca in proverb. *Ab altero expecta, quod alteri feceris.*

Vel dic, quod ista possunt allegari contra ambitiosos generaliter, qui scilicet non cessant, more Zambri contra regem Israël, id est, contra aliquem bonum Prælatum insurgere, ut sic possint regnum, & prælationem ipsius obtinere. Quod cum obtinuerint regnum, & prælationem ipsius, tamen vix aut nunquam ibi prosperè vivunt, quinimo palatium suum, Ecclesiam, vel officium vel
A cellarium sibi commissum, rapinis, & exactionibus comburunt, seipsos per avaritiam, & luxuriam in præsenti, & per gehennam perpetuam in futuro succendunt. Et etiam ad literam quandoque fit, quod populus subditorum contra tales insurgit, propter quod etiam temporales pœnas habent. (Unde dicitur 4. Reg. 9. *Nunquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?*) Diesque suos in tristitia, & dolore finiunt, & consumunt.

Cum in populo Israëlitico ageretur de rege eligendo, populus divisus est in duas partes, & una pars sequebatur Amri, alia verò sequebatur Thebni; finaliter tamen Amri, qui interpretatur amaricans, prævaluit; Thebni verò, qui interpretatur bonus mihi, succubuit.

Sic verè quotidie fit in electionibus Prælatorum, quia videlicet populus eligens in duas partes dividitur, & una pars unum, alia alium sequitur. Ita quod vix aut nunquam in unum consentire videntur. Unde 1. Regum 11. *Dispersi sunt, ita quod non inveniretur duo pariter.* Veruntamen sic fit finaliter, quod amaricans, id est, ille, qui est amarus & malus, prævalet; Thebni verò, id est, ille, qui bonus est aliis, dimittitur impromotus, quia pro certo sæpe fit, quod deteriores plures pro parte sua reperiunt, meliores verò deficiunt, & succumbunt. Unde in Gen. 25. *Major serviet minori.* Hic agitur de reædificatione Hiericho, sed hoc quomodo factum est, vide Josue. 6.

Capitulum decimum septimum. Textus. Et dixit Helias Thesbyres de habitatoribus Galaad ad Achab.

Moralitatum Cap. XIV.

CUm Jezabel uxor Achab prophetas Domini occidisset, & ipse Achab Rex Israël idolum Baal fecisset, propter quod Helias siccitatem trium annorum futuram in terra Israël prædixit; Dominus volens eum ab impietate Achab, & Jezabel servare, verba B talia sibi dixit. *Recede hinc* (inquit) *& vade contra Orientem, & absconde re in torrente Carith, qui est contra Jordanem, & de torrente ibi bibas, corvisque præcepi, ut pascant te.* Quod factum est. Quia scilicet cum illic absconditus moraretur, corvi afferebant sibi panem, & carnes mane, & vespere, & bibebat de torrente. Postea verò siccatus est torrens, non enim pluerat Dominus super terram, & ideo necesse habuit de loco illo recedere, & in Sareptam Sydoniorum, ut ibi nutriretur à muliere vidua, pertranssire. Quam scilicet colligentem duo ligna invenit, quæ ipsum in domo sua recepit, & de mandato domini ipsum pavit. *Vade* (inquit Dominus) *in Sareptam Sydoniorum, ibi enim præcepi mulieri viduæ, ut pascat te.*

Istud exponunt aliqui allegoricè. Dicunt enim quod Helias est Christus, torrens Carith, qui interpretatur concisio, divisio vel cognitio, Christi passionem designat, in qua etiam trans Torrentem legitur accessisse, & in qua caro sua fuit concisa, & synagoga ab eo divisa, & charitas ejus ad nos, quanta fuerit, cognita est, & visa. Igitur Christus verus Helias, scilicet; ab isto mundo recessit, & ad torrentem, id est, ad fluctus passionis, & ad fluxum nostræ mortalitatis accessit, ubi scilicet absconditus extitit, in quantum divinitatis suæ potentia ibidem sub mortalitatis imagine latitavit, Abac. 3. *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Et ibi etiam de torrente nostræ mortalitatis, & fluxibilitatis gustavit, Psalm. 109. *De torrente in via bibet.* Tunc verò corvi peccatores ad eum per fidem venerunt, & eum pane, & carnibus, id est, propriis eleemosynis, & bonis operibus, nec non Eucharistiæ fide, & sacrificio paverunt, & recreaverunt, & ipsum per devotionem propriam nutriverunt. Qualis corvus utique fuit Paulus, qui priùs carnes Martyrum devoravit, & postea ipsas, prædicando, aliis per fidem comedendas tradidit, & Deo carnes immaculati agni obtulit. Vel carnes, id est, carnales; panes, id est, justos ad fidem ejus convertit, & sic pane, & carnibus iste corvus Heliam Christum pavit. Quod etiam ad eleemosynarios referri potest, per quos in persona pauperum dominus se nutriri dicit. Unde Isaiæ 28. *Reficite lassum, & hoc meum refrigerium.* Istum etiam alius corvus, C scilicet Æthiops, qui per Philippum credidit, sicut dicitur Actor. 8. vel propriis carnibus pavit, in quantum propriam vitam carnalem ejus fidei, & servitio subjugavit. Unde Job. 31. *Quis det de carnibus suis ut saturemur?* Vel alienis carnibus, scilicet carnalibus peccatoribus, quos tandem idem Æthiops ad fidem dicitur convertisse. Finaliter tamen iste Helias Christus, siccato torrente mortalitatis per resurrectionem ad viduam gentilem, id est, ad gentilitatem jam diu à gratia Dei viduatam, (sicut dicitur 2. Reg. 14. *Heu, mulier vidua ego sum, mortuus est enim vir meus*;) per fidem transivit, quæ ipsum, & fidem ejus recepit, & duo ligna, id est, crucem, & passionem collegit, & credidit, & eum fide, & operibus in domo, id est, in conscientia vel patria aluit, & refecit. Unde ista Sydonissa videtur fuisse illa, quæ à finibus Tyri, & Sydonis egressa, (intellige mulierem de illa progenie) clamabat *Miserere mei fili David.* Matth. 15.

Dic quod ista mulier gentilis est anima peccatrix, quam pro certo cum verus Helias Christus colligentem ligna, id est, habentem memoriam, & devotionem ad crucem, & passionem reperit, libenter ad eam per gratiam venit, & de farina suæ devotionis, & de oleo suæ compassionis comedit, & ipsam in lecytho cordis multiplicat, & custodit, quousque Deus Pater pluviam æternæ consolationis eidem tribuit atque mittit. *Hydria*, inquit, *farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, quousque desuper detur pluvia.*

Vel

Digitized by Google

Vel iſta exponantur myſticè, & dicatur, quod Helias prophe-
ta, qui ſe ſtare in conſpectu domini dicit hic 3. Reg. 17. *vivit*, in-
quit, *Dominus, in cujus conſpectu ſto*, ſignificat Eccleſiaſticum bo-
num vel Religioſum, qui ſcilicet Achab peſſimum regem Diabo-
lum, & Jezabel peſſimam mulierem, ſcilicet, carnem vel mundi
proſperitatem, quæ ſcilicet propheras domini, id eſt, ſanctos vi-
ros non ceſſat ſpiritualiter occidere, formidans, & metuens, ex
domini mandato ad torrentem devotionis, & religionis in clau-
ſtro, vel in humilitatis latibulo ſe abſcondit, & à mundi gloria, &
turba negotiorum ſæcularium ſe ſubtrahit, & ſuſtollit; ubi procul
dubio ex divina providentia ſibi non deficit aliquid, quia ſcilicet
per ipſos corvos, id eſt, per ipſos ſæculares, & peccatores, &
per ipſos etiam crudeles Principes aliquoties eos Deus nutrit; in
quantum ſcilicet ipſos malos homines ad providendum, & com-
patiendum ſuis ſanctis ſervitoribus occultè inſpirat, & inducit.
D Ad quod facit exemplum de Ægyptiis, qui filiis Iſrael nutu Dei
vaſa aurea accommodaverunt, & eos theſauris propriis ditaverunt Exod. 12. Et Sap. 10. *Juſti tulerunt ſpolia impiorum.* Multa
enim monaſteria fundaverunt multi peſſimi uſurarii, eleemoſynas,
& lautas pirantias religioſis dederunt, & corvi Heliam latitantem
in Dei nutu ſpiritualiter nutriverunt. Non timeat igitur aliquis
propter inopiam in religione ſe abſcondere, quia potens eſt Deus,
& per corvos, & per viduam Sareptanam, id eſt, per malos, &
bonos eidem neceſſaria miniſtrare. Ideo de abſconſione noſtra
à mundi gloria dicitur Ruth. 3. *Lavare igitur & ungere, & in-
duere cultioribus veſtimentis, & deſcende in aream Booz, non te
videat homo.*

Sicut dicitur hic, vidua Sareptana, cui præceperat dominus,
quod Heliam nutriret, non habebat niſi modicum farinæ in Hy-
dria, & modicum olei in lecytho, quinimo, ſicut in textu dici-
tur, ipſa duo ligna colligebat, ut panem ſubcinericium faceret,
& inde una cum filio manducaret. *En*, inquit, *colligo duo ligna, ut
faciam panem ſubcinericium mihi, & filio meo, ut comedamus, &
moriamur*, quaſi diceret. Neceſſe erit mori, iſtis conſumptis, cum
non habeamus amplius, quod comedamus. Igitur Helias, quando
venit, & invenit ipſam, primitus aquam petiit: *Da mihi*, inquit, *pa-
ululum aquæ, ut bibam.* Ad quam apportandam vidua properante,
clamans poſt eam ſubjunxit: *Affer mihi*, inquit, *& buccellam panis
in manu tua.* A quo cum ipſa ſe excuſaret, quod illud, quod ha-
bebat, ſibi & filio ſuo ſufficiebat. Reſpondit: *Primum*, inquit, *mihi
de ipſa farina fac ſubcinericium panem, tibi autem, & filio tuo po-
ſtea. Hoc enim dicit Dominus, quod hydria farinæ non deficiet, nec
lecythus olei minuetur, quouſque dederit Dominus pluviam ſuper ter-
ram.* Quo audito vidua ſubcinericium panem Prophetæ fecit, & ex
tunc, quamdiu duravit ſterilitas, tam farina quàm oleum non de-
E fecit.

Iſta poſſunt allegari exemplariter, & myſticè ad plura. Et primò
exemplariter ad hoc poteſt induci, quod ſi facis ſtulto aliquam
gratiam, non contentus ipſe, ſtatim importunè petit aliam. Sic hic
fecit Helias, cui non ſufficit impetraſſe ſolam aquam, quam petie-
rat, imo & buccellam panis protinus poſtulavit. Ideo inter ruſti-
cos eſt proverbium:

Si datis ſtulto caſeum; quærit à vobis panem.

Et in hoc etiam quod ſequitur, tales importuni Heliæ æquipa-
rantur, quia ſcilicet non curant, quantum homini remaneat, dum
tamen ſibi ante omnia, quod appetunt, concedatur. *Fac mihi
primum*, inquit, *tibi autem, & filio tuo poſtea facies;* cum tamen
nullus ab alio debet petere illud, quod neceſſarium videt ſibi eſſe,
quinimo in omni gratia ſemper eſt ratio, ne egeat, attendenda. Con-
tra quos importunos dicit Sen. *Nihil petas; quod negaturus fuiſti.*

Vel etiam iſta exemplariter poſſunt allegari, quod quando
aliqua vidua, id eſt, aliqua perſona Heliam, id eſt, bonos reli-
gioſos, & ſanctos viros, ſeu Chriſtum in perſona pauperum nu-
trit, & in uſu pietatis bona ſua, farinam, & oleum, id eſt, cibos & vi-
ctualia libenter expendit, & quamvis parum habeat, manum ta-
men ad miſerandum aliis perſonis clementer extendit; Divina
providentia ſibi non deficit, ſed potiùs bona ſua ex hoc multipli-
cat. Ideo bene dicitur Luc. 5. *Date, & dabitur vobis.* Et Pro-
verb. 28. *Qui dat pauperi, non indigebit.* Sicut de Joanne eleе-
moſynario legitur, quod cum omnia pauperibus tribuiſſet, ita
quod nihil in arcis remanſiſſet ſibi, nihilominus ſperans in Deum,
in craſtinum ad arcas rediit, & ipſas plenas frumentis invenit, &
ideo nunquam debet virum miſericordem penuria bonorum ter-
rere, ſed potiùs debet pauperibus largiter dare, quia potens eſt
Deus, & ipſi bona ſua modica multipliciter facere abundare. Unde
prov. 11. dicitur. *Quia alii dividunt propria, & ditiores fiunt, alii
verò rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Unde Apoſt. 2.
Cor. 9. *Potens eſt enim Deus omnem gratiam abundare facere vo-
bis, &c.* Et iterum: *Hilarem datorem diligit Deus.*

Vel dic myſticè, quod iſta vidua eſt Eccleſia vel anima, quæ ſci-
licet duo ligna, id eſt crucem Chriſti, quæ conſiſtit ad minus ex
duobus lignis, per devotionem collegit; farinam ſacræ ſcripturæ,
oleumque divinæ gratiæ habet in hydria, & in lecytho cordis cuſto-
dit, & filium ſuum, id eſt, fidelem populum inde nutrit. Ab iſta igi-
tur Helias, id eſt, Chriſtus plura petit, ſcilicet primò aquam, quæ fa-
ciliter ſorbetur, id eſt, opera facilia, deinde ſi adhuc ipſam obedien-
tem videat, petit ab ea panem, qui cum difficultate maſticatur, id
F eſt, opera magis perfecta, & difficilia, quæ ſcilicet ſubcinericia de-
bent eſſe & ſub cinere, id eſt, ſub conſideratione noſtræ inqui-
nationis & mortis debent eſſe repoſita, & decocta. Infra eodem
3. Reg. 19. *Reſpexit Helias, & ecce aa caput ſuum ſubcinericius pa-
nis.* Helias enim in pluribus locis panem ſubcinericium comediſſe
legitur, & ad denotandum, quod Helias noſter Chriſtus in operi-
bus ſubcinericiis, id eſt, in illis, quæ fiunt cauſa mortis memoriæ;
quamprimùm delectatur. Dicat igitur quilibet illud Job. 42. *Ago
pœnitentiam in favilla, & cinere.* Si igitur talia Chriſtus impetrat,
tum farinam & oleum, id eſt ſcientiam, & gratiam, bonaque
ſpiritualia augmentat, & continuat, quouſque pluvia æterni re-
frigerii ſuper ipſam veniat, & deſcendat. Illud enim eſt verum,
quod qui bene obedit Deo in aqua, id eſt, in minoribus, dignus
eſt exerceri in pane, id eſt, in difficilioribus; & ſi bene ſe habeat,
in quantum ad ſpiritualia; & temporalia multiplicantur, & fina-
liter ipſe pluviâ æterni refrigerii conſolatur. Iſta enim, quæ hic
vel ſpiritualiter vel temporaliter à Deo multiplicantur, ſolum uſque
ad deſcenſum pluviæ durare permittuntur, quia ſcilicet adveniente
gloriâ, bona temporalia noſtra ex toto pereunt, gratiæ verò, &
virtutes in melius commutantur.

Vel dic, quod mulier eſt Eccleſia, quæ farinam & oleum, id eſt,
corpus Chriſti & ſanguinem, quod pro ſe, & filio ſuo, id eſt, ſub-
jecto populo nutriendo, cum duobus lignis, id eſt, cum crucis me-
moria decoquit, & in hydria, & lecytho cordis cuſtodit, ipſum
quoque Heliæ, id eſt, bono ſacerdoti communicat, & diffundit. Hu-
jus igitur farinæ, & olei, id eſt, corporis & ſanguinis Chriſti tanta eſt
virtus, quod dato quod continuè comedatur, ſine defectu, perpe-
tuè tamen continuum in integrum reperitur. Ideo in proſa cani-
mus: *Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille, &c.* Il-
lud etiam nunc uſque ad tempus nobis datur, ſcilicet ſolùm pro
tempore hujus vitæ, quouſque pluviæ æternæ gloriæ diſtillentur,
tunc enim adveniente lumine, ceſſabit umbra, & habitâ veritate, fi-
gura penitus ſuſtolletur. Unde Joſ. 5. *Defecit Manna, poſtquam
comederunt de frugibus terræ.*

Mortuus eſt filius viduæ mulieris, apud quam Helias hoſpita- G
batur, cujus mortem in Heliam retorquens furibunda mater in-
cepit dicere viro Dei: *Quid mihi* (inquit) *& tibi vir Dei? Ingreſſus
es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium
meum.* Quod videns Helias, filium viduæ mortuum in cœnacu-
lum, ubi manebat, detulit, ipſumque ſupra lectulum ſuum po-
ſuit, & ſe ſupra puerum tribus vicibus expandit, & ſic rogando
dominum, ipſum à mortuis ſuſcitavit, & vivum matri ſuæ com-
mendavit.

Iſta poſſunt exemplariter allegari pro quadam opinione quo-
rundam, qui ſcilicet ſecum nollent habere viros perfectos & juſtos,
timentes Deum, ne ex comparatione ſuæ malæ vitæ ad eorum ſan-
ctam vitam, Deus de ipſorum iniquitatibus recordetur, & ad oc-
cidendum filium eorum, id eſt, ad puniendum eos ampliùs exci-
tetur. Unde etiam de quibuſdam nautis audivi, quod duos reli-
gioſos, quos in navi ſua habebant, imminente tempeſtate in mare
voluerunt projicere, dicentes, quod propter eorum juſtitiam
Deus volebat ipſorum nautarum iniquitates punire.

Dic allegoricè, quod mater iſta eſt Synagoga, quæ ſcilicet He-
liam nutrivit, in adventu tamen ejus, illius filius, id eſt, populus,
qui ante vivus fuerat per gratiam, propter ſuam incredulitatem
mortem ſpiritualem, & æternam incurrit. Finaliter tamen Chriſtus
in cœnaculum Eccleſiæ eos ducet, & ſuper lectum fidei ſuæ con-
ſtituet, & tribus vicibus, id eſt, per fidem Trinitatis, quam eis in-
ſpirabit, ſuper eos incumbet, & ſic eos vivificabit per gratiam, &
matri eorum, id eſt Eccleſiæ vivos reddet. Unde dicitur Oſe. 6.
Vivificabit nos poſt duos dies, tertia die ſuſcitabit nos.

Vel dic, quod mulier eſt humana natura, cujus filius ſcilicet A-
dam cum poſteritate ſua mortuus fuerat; ſed Helias, Deus, filium
iſtum ſcilicet hominem, per incarnationem aſſumpſit, & cum in
cœnaculo ſuo, id eſt, in Hieruſalem ſuper lectum crucis expandit,
& tribus vicibus, id eſt, tribus diebus ſuper eum in ſepulchro incu-
buit, & ſic eum à culpa, quæ eum peremerat, ſuſcitavit. Allega ut
ſupra.

Vel dic moraliter, quod mater iſta eſt conſcientia, quæ filium
ſuum, id eſt, cor vel animam, videns mortuam per peccatum, de-
bet ad Heliam, ſcilicet ad Deum concurrere, qui ſcilicet, ſolet
mortuos tales in cœnaculum portare, id eſt, ſurſum ad bona æter-
na erigere, & eos ſuper lectum ſuum, id eſt, ſuper requiem felicitatis
æternæ per deſiderium collocare, & ſic ſemper ſolet gratiarum lar-
gitionem ſupra tales expandere, & tribus vicibus, ſcilicet per ſpem,
fidem & charitatem ſe eis applicare, & ſic ſolet eos à morte peccati H
ſuſcitare, & vivos & ſanctos conſcientiæ commendare, ita
quod tunc poterit dicere illud hic 3. Reg. 17.

Filius tuus vivit.

Digitized by Google

Capitulum decimum octavum. Textus. Post dies multos factum est verbum Domini ad Heliam.

Moralitatum. Cap. XV.

VOlens Helias post siccitatem triennalem & semestrem, pluviam dare terræ, prophetas lucorum, & idolorum vocavit, & sic cum ipsis coram populo pactum fecit, quod turba prophetarum bovem occideret, & super ligna in altari poneret, & quod Helias de alio bove similiter faceret, ita quod vel Dominus vel Baal diceretur Deus, qui de cœlo ignem ad vocem suorum prophetarum mitteret, qui sacrificium devoraret. Igitur Prophetæ Baal ignem de cœlo impetrare nequiverunt, quinimo se incidentes, & sanguinem perfundentes, & Deum suum invocantes, invanum laboraverunt. Helias verò oratione sua ignem de cœlo protulit, qui oblatum Deo sacrificium devoravit.

Helias propheta domini significat Catholicos, & viros perfectos & bonos, prophetæ verò Baal significant hæreticos & hypocritas homines & malignos, qui scilicet Baal, qui interpretatur devoratio, id est, proprii ventris, qui gulosè devorat, prophetæ
A sunt, & eum tanquam Deum reverentur, & colunt. Apostolus Phil. 3. *Quorum Deus venter, &c.* Igitur si volumus scire, qui istorum sunt boni & justi, videamus qui sunt illi, qui de cælo faciunt ignem descendere, id est, qui spiritum, & divinam gratiam possunt à Deo pro se, & pro aliis suis orationibus impetrare, quia pro certo illi de cœlo nihil impetrant, & dato, quod lanceolis, id est, pœnitentiis se exteriùs incidant, & dato quod multis orationibus clament, & quod bovem, id est, carnem propriam pro austeritate immolent atque macerent, sicut ad literam faciunt hæretici, & hypocritæ, non sunt tamen boni prophetæ, nec boni nec justi, sed revera Helias, id est, sancti viri, & non ficti, qui sunt fideles Catholici, ignem Spiritus sancti, & charitatis de cœlo trahunt, & sic veri Dei Cultores se ostendunt. Ideo dicitur Joan. 9. *Scimus quod Deus peccatores non exaudit, sed si quis Dei cultor est, hunc audit.*

Vel si vis, per ignem intellige serenitatem temporum, ad quam petendum, & impetrandum processiones fiunt, ut supra.

Volens Helias ignem de cœlo à Domino obtinere, altare de duodecim lapidibus fecit, & bovem unum per frustra concidens, strue lignorum suppositâ super altare membra composuit, & in circuitu altaris duas aratiunculas, id est, aquæ ductum per duo loca (secundũ Comestorem) etiam ordinavit, & cum quatuor hydrias aquæ non solum, imo secundò, & tertiò supra ligna & sacrificium fundi jussit, ita quod aquæ ductum implevit; tunc ipso orante, ignis de cœlo cecidit, qui holocaustum, lignaque, & lapides devoravit, pulveremque, & aquam lambit. Mox verò prophetas Baal, qui ignem de cœlo impetrare nequiverant, apprehendit, & eos ad torrentem Cison viriliter interfecit.

Sic verè dico moraliter loquendo, quando Helias, id est, animus vult bovem suum, id est, suam carnalem vitam Domino immolare, & ignem divini amoris, & supernæ benevolentiæ de sursum à Patre luminum impetrare, plura sunt sibi necessaria: quia pro certo ipse debet de duodecim lapidibus, id est, de duodecim articulis fidei altare suæ conscientiæ construere, & duplicem aquæ ductum, id est, duplicem lachrymosam compunctionem, unam, scilicet quæ fiat amore, & aliam, quæ fiat timore, debet fabricare, Psalm. 63. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* Debet ligna, id est sanctorum patrum exempla apponere, & bovem suæ carnalis vitæ debet confitendo per membra dividere, & per jugem memoriam in altari cordis, & conscientiæ ordinare. Unde Lev. 1. *Detracta pelle hostiæ artus in frustra concident, & subjicient in altari ignem, strue lignorum ante compositâ, & membra, quæ cæsa sunt, desuper ordinantes.* Tunc verò debet homo quatuor hydrias aquæ, id est, quatuor lachrymarum genera, scilicet pro malis commissis, & pro bonis omissis, & pro incolatu miseriæ, & pro dilatione gloriæ superfundere, quibus, scilicet tribus vicibus, hoc est dictum, pro peccato cordis, pro peccato oris, pro peccato operis debet sacrificium spiritus contribulati abluere, & ut conducant conscientiæ, etiam debet illas Hydrias humiliter implere. Unde dicitur Jo. 2. *Implete hydrias aquâ.* Quia pro certo si ista fecerit, ignis divinæ charitatis, & beneplaciti, & gratiæ de cælo, id est, desursum à Deo descendet, qui sacrificium & bovem carnalis vitæ consumet, & ligna bonorum exemplorum, aquam lachrymarum, & lapides fidei articulorum, nec non pulverem, id est, considerationem mortis, & futurorum, quæ in hoc
B sacrificio adhibita sunt, cum benevolentia recipiet, & assumet. Placebit Deo sacrificium Juda. Etiam ignis interioris charitatis tunc de cœlo inspiratur, & mittitur, à quo omnes partes cordiales sacrificii conflagrantur Thren. 1. *De cœlo misit ignem in ossibus meis.* Et tunc etiam omnes Prophetæ Baal, id est, malæ cogitationes, præsumptiones, & imaginationes, & opiniones de corde, sicut de terra Israel, extirpantur.

Cum Helias ascendisset ad verticem Carmeli, & pronus in terram faciem suam inter genua posuisset, misit puerum suum, ut septies respiceret contra mare, septima vice vidit nubeculam parvam, quasi vestigium hominis ascendentem de mari, & tunc cœli obtenebrati sunt, & nubes & venti surrexerunt, & facta est pluvia grandis valde.

Nubes ista, cujus ascensus pluviam misit in mundum, Christum significat, qui scilicet fuit nubecula per puritatem, parva per humilitatem, quasi vestigium hominis per assumptam humanitatem, ascendens de mari hujus mundi per ingressum ad æternam fœlicitatem, quia revera septem respectus amaræ vitæ in eo fuerunt, qui ascensum hujus compleverunt. Primus fuit Nativitas. Secundus circumcisio. Tertius baptismus. Quartus passio. Quintus ad inferos descensio. Sextus resurrectio. Septimus ascensio, quem scilicet secutus est Octavus, scilicet nubes, & ventus, scilicet Spiritus sancti flatus, & inspiratio, & pluviarum, scilicet donorum, & charismatum in Pentecoste larga donatio. Post ascensum C enim hujus nubis, pluvia gratiarum multiplicium fuit secuta, per quam terra humani generis fuit irrigata & bonis fœcundata Psal. 146. *Operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam.*

Vel dic, si vis, de assumptione vel ascensione gloriosæ Virginis, puræ, parvæ, humilis, & dulcorosæ, quæ scilicet post septenarium donorum virtutum, cælos ascendit, & nobis pluviarum, id est gratiarum spiritualium copiam procuravit.

Vel dic, quod quando per mandatum vel documentum Heliæ, id est, boni prædicatoris & Prælati, puer, id est, peccator, qui est infirmus & ignarus, more pueri, ad mare, id est, ad cor suum amarum, & compunctum respicit, & septies, id est, per considerationem septem peccatorum mortalium faciem ibi vertit, nubecula puræ affectionis, & cogitationis inde surgit, & pluviam lachrymarum generat, & fœcunditatem virtutum producit. Unde dicitur 2. Reg. 23. *Pluviis germinat herba.*

Helias prophetas Baal esse falsissimos & mendaces probavit, & postea ipsos interfecit.

Sic Prælatus vel Judex primò debet malos convincere, & demum ad eorum interfectionem seu punitionem debet procedere. Quod utique de falsis prophetis, id est falsis hæreticis debet fieri, quos Judex debet potiùs quàm alios peccatores extirpare. Unde Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere super terram.*

Capitulum decimum nonum. Textus. Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia, quæ fecerat Helias.

Moralitatum Cap. XVI.

CUm Helias vir constans & fortis esset, ita quod Achab impium regem redarguere non timuisset, & precibus suis mortuum suscitasset, & de cœlo ignem & pluviam impetrasset, Prophetas Baal occidisset, & ad puniendum in judicem à Deo fuisset præordinatus, sicut patet Malac. 4. A facie tamen unius mulieris vivæ Jezabel reginæ timuit, propter quod (relicto puero suo) in desertum fugit, ubi tædio affectus animæ suæ petiit, quod moreretur, & mortem, quam sibi à Jezabele inferri timuerat, à Domino postulavit, *obsecro* (inquit) *Domine, aufer animam meam,* & in umbra juniperi se subjiciens obdormivit. Angelus verò Domini eum dormientem inveniens, à somno excitat, & ad comedendum panem subcinericium, & ad bibendum aquam invitat. Qui postquam comedisset & bibisset, rursum obdormivit, & Angelus iterum ipsum tangit, & ad amplius comedendum ipsum invitat fortiùs, & inducit. *Surge,* inquit, *comede, grandis enim* D *tibi restat via.* Hic igitur surgens iteratò comedit & bibit, & quadraginta diebus, & noctibus usque in montem Dei Oreb in ipsius cibi fortitudine ambulavit.

Exponendo moraliter, Helias significat virum sanctum, Achab rex impius Diabolum significat; Jezabel, quæ fuit ejus uxor, sanguinem, carnem seu luxuriæ significat fluxum; desertum verò pœnitentiæ vel religionis significat statum; juniperus arbor pungitivarum difficultatum significat stimulum; umbra verò, quæ delectabilis est, honores, & excellentias denotat; Angelus autem Divinam inspirationem significat, panis verò subcinericius mortis significat considerationem, aqua lachrymarum compunctionem, mons Oreb paradisi consolationem, interpretatur enim Oreb mensa. Igitur est ista veritas, quod dato quod Helias, id est, homo justus, & virtutibus perfectus multis polleat virtutibus, ita quod habeat constantiam ad Achab, id est, ad ipsos Principes redarguendum, prudentiam ad falsos Prophetas, & hæreticos confutandum, & ad superandum; sanctitatem ad ignem divini amoris, & pluviam beneficiorum cœlitus impetrandum; eloquentiam ad pecchatores mortuos de morte culpæ resuscitandum; nihilominus tamen restat, quod debet summopere formidare, hoc est, debet fugere, & vitare persecutionem Jezabel, scilicet meretricem, id est, carnem propriam vel luxuriæ mollitiem & carnalitatem, & sanguinis corruptelam. Ista est enim, quæ sanctos viros persequitur, & cum omnia vicerint, ab hac tanquam à regina potentissima superantur. Unde Apocal. 2. E *Permittis mulierem Jezabel seducere servos meos, & docere fornicari & manducare.* Et ideò cum contra istam unicũ sit remediũ, scilicet

Digitized by Google

cet fugere & occasiones vitare, ergo iste Helias, id est, homo justus, relicto puero, id est, quacunque puerili imbecillitate ignorantiæ, desertum pœnitentiæ vel statum religionis quandoque ingreditur, ut ibi sub junipero, id est, sub punctionibus divini timoris, & disciplinæ regulis degens, à Jezabel, id est, à luxuria vel carnis periculis exuatur; sicut ad litteram fecerunt Eremitæ, de quibus dicitur Job 30. quod *egestate & fame steriles redibant in solitudine, & manducabant herbas, & arborum cortices*, id est, radix juniperorum erat cibus illorum. Sed quid? Pro certo sæpe fit, quod postquam homo ad desertum religionis confugit, & difficultates, & disciplinas, observantias, obedientiam, & alia gravia reperit, etiam tentationes & stimulos carnis sentit, quandoque tædio affectus, & quasi de ingressu pœnitens, mortem sibi expostulat & requirit, dicens cum filiis Israël carnalibus illud Exod. 16. *Utinam mortui essemus in Ægypto, ubi sedebamus super ollas carnium*, &c. Et ideo talis sic affectus, umbram juniperi, id est, statum eminentiæ, prosperitatisque refrigerium, & Prælationis officium in religionis deserto aliquoties sibi quærit. Quod cum obtinere potest, in delitiis & solatiis dormire incipit, & sic desertum pœnitentiæ, quod elegerat, in delitias sibi vertit. Unde Isa. 51. *ponit desertum quasi delitias, & solitudinem quasi hortum domini.* Sed revera tali sic dormienti, Angelus Domini, scilicet bona inspiratio vel consideratio, vel bona sacræ scripturæ lectio, vel bona prædicatoris vel Prælati, vel alicujus alterius viri justi monitio statim debet adesse, qui ipsum debet excitare, & somnum torporis discutere & urgere. Unde dicitur Actorum 12. quod Angelus percusso latere Petri excitavit eum dicens, *Surge velociter*; qui sibi debet dicere, quod surgat, & quod panem subcinericium, id est, suæ mortis memoriam præ oculis habeat, & aquam lacrymarum bibat, & quod causam, quare intravit desertum pœnitentiæ, attendat, & quod ad observantiam disciplinæ, quam prætermittit, redeat & accedat dicens illud Apocal. 2. *Memor esto unde exciderís, & prima opera fac.* Igitur sæpe fit, quod homo sic excitatus & monitus, à somno torporis surgit, dicens illud ad Rom. 13. *Hora est jam nos de somno surgere.* Et ad subcinericium panem & aquam, id est, ad mortem cogitandum, & ad peccata sua plangenda se humiliter vertit, Psalm. 102. *Cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.* Sed pro certo sæpe fit, quod ex fragilitate propria homo iterum obdormit, & iterum ad umbram, id est, ad mundanæ prosperitatis
F dulcedinem, quæ sicut umbra fluit, se convertit, & ideo Angelus suus, id est, ratio, vel consideratio mentis, ipsum debet excitare, & quam longa sit via, scilicet eundi de hoc mundo ad patrem, sibi debet ostendere, & eum ad diætam pristinam invitare. *Surge*, inquit, *comede, grandis enim tibi restat via*; quia scilicet, tunc ex toto suo conatu surgere tenetur, & panem, & aquam sibi oblatos, scilicet, mortis memoriam, & lacrymosam compunctionem comedere, ut sic per quadraginta dies, id est, per laborem vitæ præsentis, qui in eo numero designatur, possit ad montem Dei Oreb, id est, ad mensam paradisi fortiter ambulare. Unde Isaiæ 2. *Venite ascendamus, &c.*

Vel si vis, per Angelum intellige Prælatum, vel Præsidem, vel etiam quemlibet virum justum, & dic per omnia, sicut supra, quia iste debet subditum delidem excitare, & ad potentiam, & diligentiam invitare.

Vel dic, quod Helias est bonus Prælatus religiosis, qui Jezabel, id est, carnis pericula fugiens, ad desertum religionis venit, ubi pro certo quatuor invenit, quibus mediantibus ad montem Dei Oreb, id est, ad paradisum pertingit. Ista igitur quatuor sunt umbra juniperi, cujus cineres servant ignem inextinguibilem per annum, secundùm Josephum? hoc est, crucis pungitiva memoria, & compassio, per quam in corde nostro servatur ignis, id est, divinus amor, & dilectio. Unde Cant. 2. *Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi.* Item panis subcinericius est mortis, & incarnationis nostræ memoria, & recordatio. Unde Job. 24. *Age pœnitentiam in favilla, & cinere.* Item vas aquæ, id est, lacrymarum fletus, & inundatio Psal. 79. *Potum dabis nobis, in lacrimis in mensura.* Item Angelus incitans, id est, boni Prælati correctio, vel bonorum sociorum monitio, & exhortatio, vel sacræ scripturæ instructio, & devotionis, & contemplationis
G meditatio. Unde Tob. 5. *Angelus ejus comitetur vobiscum.* Ista enim sunt quatuor, quæ comitantur Heliam in deserto, id est, religiosum, in claustro, per quæ scilibet citiùs pertingit ad montem paradisi in cœli supercilio, vel etiam ad montem contemplationis in perfectionis fastigio, Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini? &c.*

Vel dic, quod Helias in deserto non legitur dormivisse nisi sub junipero pungitiva, nec bibisse, nisi de aqua, nec comedisse, nisi de subcinericio pane, nec locutus fuisse, nisi cum Angelo. In quibus scilicet, instruitur religiosus, quod non debet delitias quærere, non societates sæcularium, vel vaniloquia frequentare, quinimò panem subcinericium, id est, mortis memoriam, & humiliationem, sui ipsius considerationem, aquam lacrymarum & compunctionem debet comedere, & cum Angelo, id est, cum Deo, & Angelis per orationem, vel cum mente sua per meditationem debet colloquia sua facere, & aliorum silentium observare. Et si ipsum per aliquas consolationes, & delectationes aliqualiter dormire contingat, hoc semper debet esse sub junipero, id est, sub punctione divini timoris per pœnarum infernalium cogitationem, vel sub junipero, id est, sub memoria crucis, & passionis, per compassionem, & devotionem, quia pro certo religiosus in claustro debet in abstinentia vivere, silentium servare, & si quid consolationis habuerit, semper debet illud sub junipero, id est, in timore Domini, & in compunctione contritionis, & in consideratione infernalium tormentorum exercere. Unde Ezech. 12. *Fili hominis in conturbatione comede.*

Vel dic, quod Helias significat peccatorem, qui in umbra mundanæ prosperitatis dormiens, quando ab Angelo, id est, à Prædicatore Angelico excitatur, faciliter redormire, & in torporem, & negligentiam recidere comprobatur, quapropter ille Angelus, id est, prædicator, vel Prælatus ipsum iterum tenetur tangere, & ad surgendum de peccato, & de torpore negligentiæ ipsum concutere, & panem, & aquam, id est, delitiarum abstinentiam sibi injungere, & longam viam, & difficilem, quam post mortem facturus est, sibi intimare; ut in cibi illius fortitudine usque ad montem Dei Oreb, id est, ad paradisum venire possit, qui propriè mons Dei Oreb, id est, mensa interpretatur, pro eo, quod ibi æternæ refectionis mensa bonis, & laboriosis hominibus præparatur. Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.* Vel dic, quod panis ille subcinericius significat Sacramentum Altaris, ubi panis qui de cælo descendit, sub cineribus accedentium continetur, qui, scilicet, peccatori à somno peccati per pœnitentiam surgenti ab Angelo, id est, à sacerdote porrigitur, ut in fortitudine ejus in quadragenario hujus vitæ laboriosæ ambulet, & ad montem Domini, scilicet, paradisum attingere, & progredi mereatur Psal. 103. *Panis cor hominis confirmet.*

Cum Helias esset in monte Domini Oreb, & sitiret in spelunca, dictum est sibi, quod exiret, & coram Domino foris staret: *Quid*, inquit, *agis Helia? Egredere, & sta coram Domino in monte.* Ipso igitur ad ostium speluncæ egrediente, & stante, ecce spiritus fortis, & grandis conterens petras, & subvertens montes, transivit ante Dominum coram eo, sed non in spiritu Dominus. Post spiritum verò commotio, & non in commotione Dominus. Post commotionem ignis, sed non in igne Dominus. Post ignem verò transit aura lenis, & tunc in aura fuit Dominus, propter quod Helias faciem suam pallio cooperuit, & sic Domini locutionem audivit. H

Ista possunt exponi diversimodè. Helias enim in spelunca significat peccatorem latentem in spelunca carnalitatis, vel in caverna mundani amoris, qui verè est spelunca latronum. Deus enim inspirativè loquitur quandoque peccatori, & ad exeundum de statu peccati ipsum arguens, excitat, & hortatur. *Quid*, inquit, *hic agis Helia*, id est, quid facis in statu peccati, nec non in caverna, id est, in affectione bonorum sæculi? *Egredere, & sta foris in monte coram domino*, id est, egredere pœnitendo, & sta in monte paradisi cælestia affectando. Iste igitur, qui ad ostium speluncæ egreditur, quandoque ad cogitandum, de propria salute aliqualiter inclinatur, sed revera statim propter hoc sibi non adest dominus, nec statim redit ad statum gratiæ, quinimo tria sunt, quæ præcedunt in corde hominis adventum ejus, id est, gratiæ Dei. Primo enim oportet, quod veniat spiritus conterens petras, iste est timor Dei, qui petram, id est, obstinationem, & duritiam cordis frangit. Et tandem venit commotio, & hoc est, quando A homo de pœnitendo, & se de malo statu emovendo cogitat, & disponit. Post verò venit ignis, & hoc est, quando incipit fieri in corde aliqualis ad Dei amorem calefactio, & de peccatis contritio, sed pro certo nec in spiritu timoris, nec in commotione cogitationis, nec in igne imperfectæ dilectionis adhuc est Deus, Sed revera finaliter venit sibilus auræ tenuis, id est, mentis dulcedo, & devotio, & ipsius Dei per inspirationem allocutio, & ad confessionem ipsorum vitiorum sibilatio, & revelatio, & tunc ibi est dominus, quia pro certo tunc esse Deus cum pœnitente percipitur, quando peccator propria sua peccata confitetur. Unde 3. Regum 9. *Transibit per eum, & sibilabit, & dicet.* Quod autem Dominus prope sit cum homine, quando erga eum sibilus confessionis auditur, patet Isaiæ 58. Ubi dicitur: *Clamabit, & dicet, ecce adsum.* Et tunc debet homo cum pallio humanitatis faciem suam abscondere, & quasi indignum gratiâ sibi factâ, & præsentiâ Domini se putare, dicens cum Petro illud Lucæ 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.*

Vel dic secundùm Gregorium, quod spelunca est nostræ mortalitatis corruptio, à qua pro certo homo obviam Domino ad ostium egreditur, quando corporeas vires transcendens ad contemplationem spiritualium elevatur. Iste igitur tunc percipit, quod tria sunt, in quibus non invenitur Dominus, scilicet, spiritus conterens petras, subvertens montes, id est, superbia, quæ scilicet duros, & obstinatos conterit, id est, altos, & elevatos status subvertit. Item commotio, hoc est, avaritia, quæ scilicet, hominem per solicitudinem commovet, & ipsum quiesce-

re

Digitized by Google

re non permittit, Psalm. 106. *Turbati sunt, & commoti sunt sicut ebrius.* Item ignis iste est luxuria, quæ scilicet, more ignis omnia corda quanquam dura, & stabilia, succendit,& emollit. Unde Job. 31. *Ignis est usque ad fundumenta devorans.* Sed pro certo unum tantùm est, ubi dominus reperitur, scilicet, spiritus auræ tenuis, id est, spiritus agilitatis, aura puritatis, & tenuitatis, id est, humilitatis, in quo Dominus loquutur, & à nobis spiritualiter invenitur.

Vel dic si vis, ista allega, quod Deo non placent ista tria genera Judicum, seu Prælatorum correctorum malorum, vel hominum iniquorum, nec apud eos Dominus invenitur; scilicet, spiritus conterens petras; isti sunt superbi, & crudeles furiosi, qui sine discretione omnia volunt conterere, & subvertere, & sine moderamine punire, quia pro certo apud illos non est Dominus,quoniam,sic nunquam placet Domino Deo crudelitatis excessus, nec exindè sequitur aliquis utilitatis fructus, nec emendationis proventus. Unde de talibus dicitur Amos 2. quod *ipsi conterunt super pulverem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant.* Secundi sunt commotio. Ipsi sunt instabiles & ambitiosi, qui de statu ad statum se volunt continuè movere, & nunquam in eodem statu & gradu consistere, vel manere, sed nec apud istos est Dominus. Unde Hier. 14. *Dilexit movere pedes suos, & Domino non placuit.* Tertii sunt ignis, & isti sunt amari, & luxuriosi, qui scilicet, igne cupiditatis & carnalitatis ardent, & ideò per exactiones subditos incendunt, & cremant. Unde in Proverb. 20. *Ignis nunquam dicit, sufficit.* Sed nec apud istos est Dominus,quinimò de talibus dicitur illud Amos 9. *Avaritia in capite omnium, atque noviſſimum eorum gladio interficiam.* Sed revera quarti sunt sibilus auræ tenuis, id est, viri dulces, consolabiles, & benigni, Deo, & hominibus humiles. Et pro certo apud istos est Dominus quia scilicet tales Dominus diligit, & apud istos hospitatur, & venit Psalm. 146. *Diligens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.*

Hic habemus, quod Dominus locutus est Heliæ in ostio speluncæ, & statim sicut ante apparuerat Abraæ in ostio tabernaculi commoranti.

In quo notari potest, quando quis de caverna malæ conscientiæ & peccati ingreditur, statim atque ad ostium, id est, ad bonam cogitationem pervenit, Dominus manum adjutricem porrigit, & sibi per inspirationem, ut ulteriùs procedat, loquitur,& ei per gratiam se ostendit, dicens illud Apacalyp. 3. *Ecce ego ad ostium sto,& pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum,&c.*

Hic dicitur, quod cùm Helias credens se solum prophetam in Israël dixisset Domino: *zelo zelatus sum pro Domino exercituum; altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt, & pactum tuum dereliquerunt filii Israel, & derelictus sum ego solus*, audivit à domino, quod *septem millia hominum erant in Israel, qui genua coram Baal non curvaverunt, nec eum adoraverunt.* Quod utique ad hoc potest applicari, quod multi sunt boni homines, & inter homines tales nesciantur esse, quos scilicet Dominus præservat, ne cum impiis ad facinora ruant.

Potest etiam allegari, quod sæpè fit, quod aliquis de se præsumit, quòd ipse sit solus propheta Domini, id est, homo sufficiens litteratus & perfectus, nec aliquos alios similes sibi esse credit. Quando ergo in talibus virtutibus similes & perfectiores reperit, & vidit numerum aliorum bonorum promptorum ad virtutem, tunc talis fastum præsumptionis deponit. Unde de talibus potest dici, qui, scilicet, se bonos credunt, illud Job. 12. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia.Et mihi est cor,sicut & vobis, & secundùm scientiam vestram ego novi.* Helias reperit Helisæum inter duodecim juga boum arantem,qui misit pallium suum super ipsum, qui statim bobus relictis, post eum cucurrit. Veruntamen licentiam osculandi patrem, & matrem petiit, & impetravit. *Osculer*, inquit, *oro te patrem & matrem, & sic sequar te, Cui ille dixit. Vade, & reverte, quod meum erat, feci tibi.* Iste igitur statim unum par boum, in quibus araverat mactavit, & cum aratro suo coxit, & ad comedendum populo dedit, & secutus Heliam sibi de cætero ministravit.

Illud potest referri ad Apostolos, Petrum, & Andream, & Matthiam, & alios similes, scilicet qui antiquitùs inter duodecim juga boum, scilicet inter Patres veteris legis,qui à duodecim Patriarchis descenderant, araverunt, in quantum terrena cum aliis dilexerunt. Sed revera ubi ab Helia, id est, à Christo fuerunt vocati,& pallio fidei induti, statim post eum solent currere,& patri & matri, id est, cunctis amicis carnalibus valedicere studuerunt. Boves suos, & aratrum, id est, totam suam temporalem substantiam populo, scilicet pauperum, distribuerunt, & post istum Heliam Christum sequi, scilicet, imitando, & credendo, & eidem obsequi, & servire studuerunt, ut patet in Evangelio, ubi dicitur Matth. 4. *Relictis retibus & patre, secuti sunt Dominum.* Quod etiam ad quoscunque potest referri homines religiosos, qui, scilicet vocari à Deo, & pallio regularis habitus indui, summam gloriam debent reputare, parentes carnales dimittere, boves propriæ carnalitatis per pœnitentiam mactare, aratrum, id est, animum igne charitatis comburere, & sic sequi Dominum, & in religione perpetuò ministrare. Unde dicitur Matth. 19. *Reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c.*

Capitulum vigesimum. Textus. Porrò Benedab rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum.

Moralitatum Cap. XVII.

Hic habetur quod Benadab Rex Syriæ per pueros Principum non per Principes fuit superatus, quinimo in illo prælio nullus Principum est inventus. In sequenti etiam anno consilium Benadab fecit, scilicet, quod reges ab exercitu tolleret, & quod loco eorum Principes poneret, & bellatorum numerum instauraret.

Ista possunt allegari, quod quando magni viri Reges, & Principes, & Domini ad prælia non sunt apti, quod magis quandoque nocent, quàm proficiunt, quando in exercitu sunt immixti. Fortè igitur utile esset, quod nullus talium ad exercitum veniret, sed per pueros Principum, id est, per inferiorem militiam prælium fieret, quia scilicet ut communiter inferiores, & pauperes milites sunt majoribus, & ditioribus fortiores & ad præliorum opera promptiores. Tales enim Reges, & Magnates, quia præ cæteris sunt delitiis dediti, præbebit delitias regibus Gen. 41. Idcirco præ cæteris sunt inertes, & facilius possint vinci Psal. 149. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, &c.* Quæ etiam de prælio spirituali possunt intelligi, ubi plus proficiunt pauperes quàm divites, & magis infimi quàm summi, & magis subditi, quàm prælati.

Syri victi in montibus à filiis Israël dixerunt, quod Dii montium Dii eorum erant, & quia ideo prælıaverant, quapropter in anno sequenti pugnare contra filios Israël in valle decreverunt, & sic ipsos superare Diis eorum in valle nihil valentibus speraverunt.

Sic verè Syri, qui interpretantur sublimes, id est, Dæmones, qui sublimia plus debito quæsierunt, ante omnia nituntur pugnare contra filios Israel, id est, contra fideles in montibus, id est, in negotiis, & rebus spiritualibus, scilic. movendo ad superbiam, & ad errorem in fidei articulis, & in aliis sacramentalibus, ubi pro certo si vinci eos contingat, statim nituntur in valle pugnare, id est, de peccatis inferioribus, quæ scil. tangunt corporalia, & terrena, sicut luxuriâ, & avaritiâ tentare, & sic sperant contra bonos facilius prævalere. Ista est enim cautela Dæmonum, quod si in uno prælio tentatione vincuntur, statim ad tentandum de alio se convertunt, & superare in alio conantur. Vel dic, quod Benadab in primo prælio victus, non propter hoc destitit, sed ad sequentis anni spatium sperat vincere. Allega, quod dato, quod aliquis Princeps semel, vel pluries victus fuerit, non propter hoc debet cessare, sed toties bellum instaurare, quod finaliter valeat superare, sicut ad literam Romani antiquitùs faciebant, quia dato, quod ab eodem pluries victi essent, non propter hoc frangebantur, sed iterum, atque iterum, prælia instaurantes finaliter triumphabant. Unde David Joab principi exercitûs sui,audita morte Uriæ,scripsisse legitur 2.Reg. 11. *Non te frangat ista res,varius est enim eventus belli, & nunc hunc, nunc alium consumit gladius.*

Hic habemus, quod Rex Israel de clementia reprehenditur. Nam cum Benadab regem Syriæ cepisset in bello, & dato, quod esset nequissimus, ipsum non tamen occidisset, sed sub certo fœdere dimisisset, reprehensus est à propheta parabolicè sub figura. *Captivus*, inquit, *datus est mihi in custodiam sub pacto, quod si lapsus fugeret, anima mea pro anima ejus esset. Quo fugiente anima mea petitur,ut loco captivi perditi servituti, & periculo exponatur.* Quod cùm rex justum fore diceret, mox propheta dimissionem Benadab,quem Deus sibi puniendum tradiderat,in caput ejus retorsit, animam ejus loco animæ alterius futuræ pœnæ obnoxiam sibi dixit,*quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.*

Ista possunt applicari contra Judices & Superiores, qui sceleratis, & impiis parcunt, & recepto fœdere, id est, prece, vel munere illos de suis carceribus liberos, & impunitos abire permittunt, quia pro certo isti animas suas loco illorum periculo damnationis exponunt, in quantum ipsos, qui morte, vel punitione digni sunt, dimittunt, & qui à Domino per occultam providentiam ad ipsorum manus puniendi veniunt, tamen non puniunt, sed dimittunt, & impiè parcunt. Unde dicitur Num. 35. *Non accipietis pretium ab eo,qui reus est sanguinis.* Et Isai 5. *Væ qui justificatis impium pro muneribus.* Vel dic, quod propheta reprehendens regem, parabolicè loquitur, ad denotandum, quod Reges, & Principes non apertè, sed obliquè per circumlocutiones indirectas sunt arguendi, ne fortè ad deterius provocentur, si apertè, vel publicè arguantur. Sicut etiam Nathan David legitur reprehendisse in parabola de ove pauperis 2. Reg. 12. Et si vis, vide supra.

Vel dic, quod illud quod hic scribitur, *custodi virum istum, quoniam si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus*, potest referri ad Prælatos, quibus scil. dati sunt subditi in custodiam, quia pro

Digitized by Google

pro certo si propter defectum custodiæ in damnationem labuntur, animæ Prælatorum propterea ejus periculo exponuntur, in quantum, scil. de animabus subditorum reddere rationem tenentur. Et ergo benè dicitur Prælato illud Proverb. 27. *Diligenter agnosce vultum peccatoris tui, tuosque greges considera.* Unde Ezech. 3. *Ipse impius in iniquitate ejus, quam operatus est, morietur, animam ejus de manu tua requiram.*

Vel illud, quod Achab contra seipsum ignorans sententiam tulit, sicut etiam David respondens Nathan de ove pauperis subditi à divite rapta, dixerat 2. Reg. 12. *Vivit Dominus, quia filius mortis est, &c.* Potest allegari, quod illi, qui malè vivunt, & benè judicant, & prædicant, contra seipsos sententias ordinant, atque dictant. Vel etiam quicunque mali eo ipso, quod malè agunt, sententiam damnationis suæ pertractant. Unde dicitur Luc. 19. *Serve nequam, ex ore tuo te judico.*

Illud, quod hic ponitur, quod leo occidit hominem, qui Prophetam ex parte Domini se percuti præcipientem, vulnerare noluit, vel timuit, potest allegari, quod valve debemus Prophetis, id est, prædicatoribus, vel Prælatis in his, quæ ex parte Domini, i. e. in virtute obedientiæ nobis præcipiunt, obedire, aliàs verò diabolus nos poterit devorare. Quia dicitur 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam victima.*

Capitulum vigesimum primum. Textus: Post verba autem hæc tempore illo vinea erat Naboth.

Moralitatum Cap. XVIII.

GNAboth noluit vendere vineam suam Achab Regi iniquo, qui inde volebat facere hortum olerum, quinimò eidem pristino dixit: *Absit à me, ut vendam hæreditatem patrum meorum.* Quapropter Jezabel uxor Achab, Naboth, subductis falsis testibus, lapidari fecit, & sic vineam ejus Achab continuò occupavit.

Achab est diabolus. Jezabel uxor sua, est carnis concupiscentia, Naboth verò significat virum justum. Igitur sæpe fit, quod dum Achab, id est, diabolus vineam, id est, gratiam viri justi, quæ, scilicet, propino vinum æternæ consolationis, & gloriæ, nititur emere, & ab ipso per peccatum tollere, & loco ejus pretium bonorum temporalium sibi dare, tum Naboth, id est, vir justus, ad hoc non consentit, sed hæreditatem patrum suorum, scilicet, gratiam à Deo jure hæreditario dimissam, vendere contradicit. Quod videns Jezabel mulier impudica, id est, caro, falsos testes, id est, mundi fallaces delitias adhibens, lapidibus tentationum ipsum obruit, & sic ipsam vineam sibi tollit, & sic per luxuriam ipsum caro interficit, quem diabolus in tentando de magis arduis superare nequivit. Unde ista est, quæ dicit diabolo illud, quod ista Jezabel dixit Achab: *Ego dabo tibi vineam Naboth.* Vel, si vis, dic exemplariter de malitia mulierum, quæ audaciores sunt ad negotia impia, quàm viri. Ideò dicitur Eccl. 25. *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Vel allega exemplariter, quomodo Judices officiales ad mandatum Regum, Reginarum, vel Principum non verentur falsa judicia facere: & innocentes occidere, ut sic ipsis valeant complacere. Vel etiam allega, quomodo Dominæ, & Reginæ quandoque Dominis suis ignorantibus procurant fieri multa mala.

Capitulum vigesimum secundum. Textus: Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam & Israël.

Moralitatum Cap. XIX.

HCUm Achab convocasset Prophetas, ad sciendum, quid deberet accidere. Omnes una voce, bona sibi prædicârunt, & sibi prospera succedenda mendaciter asserebant, quinimò unus istorum falsorum Prophetarum Sedechias nomine cornua ferrea sibi fecit, & quod Rex cum illis erat ventilaturus Syriam, ex parte Domini sibi dixit. Igitur inter quadringentos Propheras, qui omnes uno ore Regi prospera dicebant, unicus erat verus, scilicet, Michæas Propheta Domini, quem tamen Rex Israël non libenter audiebat, sed eum potiùs odiebat, quia non sibi prospera, sed adversa prophetabat. *Odi,* inquit, *eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore.* Iste igitur solus vera Regi dixit, & cum in prælio moriturum prædixit, propter quod ipsum Sedechias falsus Propheta prædictus in faciem percussit. *Mene* (inquit) *dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi?* Rex quoque ipsum, quia contra voluntatem locutus erat, in carcerem mitti jussit, & eum pane tribulationis, & aquâ angustiæ sustentari præcepit.

Istud allega contra adulatores, qui sunt in curiis Principum & Magnatum, quia revera, ut communiter, omnes uno ore nituntur prospera dicere, & mendaciter bona, & placentia prætendere, veritatem supprimere, & cum cornibus ferreis dominorum potentiam commendare. Unde in persona Regum, vel Principum dicitur ipsis adulatoribus Isai. 30. *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, divinate nobis somnia, cesset à facie nostra sanctus Israel.* Et breviter illud est verum, quod inter quadringentos Con-

siliarios, vel Prophetas, vix est unus, qui fit Propheta veritatis, & qui veritatem dicere velit, vel audeat, vel qui, ubi de correctione, vel increpatione agitur, illud præsumat dicere, quod sibi dictat ratio, quia revera, quando aliquis talis esset ibi, qui scilicet, sit solitus veritatem dicere, non libenter à Regibus, & Magnatibus auditur, sed potiùs contemnitur, & oditur, & quod pejus est, aliquoties à Sedechia, id est, ab adulatoribus, quorum mendacia detegit, & fallacias, per falsas accusationes percutitur, & etiam ab ipsis Magnatibus, quibus verum dixit, tribulationibus, & carceribus mancipatur. Unde Apostolus Galat. 4. *Inimicus factus sum vobis vera dicens.* Unde de duobus idolis legitur, in quibus dæmones loquebantur, in quorum, scilicet, templa reponebantur plura, pro eo, scil. quod si quis furaretur, ipsa diabolus protinùs revelabat. Legitur, quod quidam juvenis thesaurum à templo fuisset furatus, & hoc unum idolum revelasset, propter quod ille qui furtum fecerat, caput ipsius idoli confregisset, accidit, quod aliquis alius ibi postea aliquid perdidit, sed tamen de revelatione furis nunquam responsum habere potuit, quinimò post multas oblationes verba hujusmodi sibi dixit: *Tempora,* inquit, *mala sunt, & homines deteriorantur, sed & si quis loquatur verum, caput ei frangitur.* Unde Senec. in quadam epistola dicit: *Si monstrabo tibi, cujus rei inopiâ laborent Magnatum fastigia, est, quod omnia possidentibus desit unus, scilicet, qui eis verum dicat, dum nemo ex animi sui sententia dicit, aut suadet, sed adulari unum est omnium amicorum officium.*

Si vis, allega, quod bonus homo nec prece, nec timore debet à veritate deviare, sed illud, quod dixerit sibi Dominus, id est, conscientia, vel ratio, debet consulere, & narrare, sicut fecit iste Michæas Propheta, cui cum omnes consulerent, quod bona Regi cum aliis loqueretur: respondit: *Vivit Dominus, quia quæcunque mihi dixerit Dominus, hæc loquar.*

Hic habes, quod Rex Israël Achab nolens cognosci in prælio, in quo, scilicet, Michæas prædixerat ipsum moriturum, habitum suum mutavit, & Josaphat Rex Juda arma ejus portabat, propter quod factum sibi malè successit, quia cum milites Regis Syriæ solum Regem Israël in prælio quærerent, & de aliis non curarent, in Josaphat, qui indutus erat armis Regis Israël, irruerunt fortiter, & nisi ipse clamasset, ipsum sub alieno habitu peremissent. Unus verò militum in incertum sagittam jaciens, Achab in curru percussit, & occidit, ita quod mortuus est vespere, & canes linxerunt sanguinem ejus, & sic verbum Prophetæ veri, quod audire noluerat, verùm fuit, nec ordinationem divini judicii propter mutationem habitûs impedivit.

Hic applica exemplariter, quod divina judicia propter humanam industriam impediri non possunt, quia casu & fortunâ quandoque sagitta jacitur, à qua ductus Dei providentia ille, qui se tueri crediderat, trucidatur. Nec potest homo se aliqua circumspectione defendere, quem Dominus decreverit impugnare. Unde Eccl. 46. *Pugnare contra Dominum, non est facile.*

Vel allega, quod quando quis ad fata ducitur propter occultum Dei judicium, & ad infortunium ruit, non inde facile relevatur, nec propter dictum boni Prophetæ, id est, per quodcunque bonum consilium, quin vadat, ipsumque ducit impetus spiritûs, & non revocatur. Unde Eccl. 7. *Vidi, quod nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Vel dic, quod qui arma, & habitum Achab, id est, conversationem malorum portat, semper est in periculo damnationis, & mortis, nisi per confessionem clamet.

Vel allega, quod periculum magnum est, quandoque alienum habitum portare, & assumere, vel alienum se fingere, quia sub aliena specie potest aliquoties quis perire per servos Regis Syriæ.

Hic dicitur, quod Rex Israël mutavit habitum, & ingressus est bellum, in quo quidem bello à servis Regis Syriæ in suo curru sagittâ percussus, occumbente sole, interiit, quem servi sui in domo sua portaverunt, canes verò venientes, sanguinem ipsius linxerunt.

Sic verè Rex Israël, Christus, assumpto habitu alieno, scilicet, humanitate per incarnationem, ingressus fuit locum certaminis hujus mundi. Apostolus Philipp. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Quem sub habitu alieno latentem, servi Regis Syriæ, id est Judæi, servi diaboli in incertum sagittam jacientes, scil. ipsum Dominum gloriæ ignorantes, quia *in propria venit, & sui eum non receperunt*, Joan. 1. supra currum Crucis occiderunt, & sic sole justitiæ occumbente, cujus tamen sanguinem, id est, cujus passionis fidem, non ipsi, sed canes, id est, gentiles lamberunt, & receperunt. Unde Job. 39. *Pulli ejus lambunt sanguinem.* Et supra 3. Reg. 21. *Lamberunt canes sanguinem Naboth.* Et ideò de isto incerto jactu sagittæ, id est, de ista ignorantia, quâ Judæi Christum ignorantes occiderunt, dixit ipsemet Dominus Luc. 23. *Pater dimitte eis, quia nesciunt, quid faciunt.* Et Apostolus 1. Cor. 2. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Moralitatum Tertii Libri Regum FINIS.

Digitized by Google

C

MORALITATUM LIBER DUODECIMUS
In Quartum Librum Regum.

Capitulum primum. Textus : Prævaricatus est autem Moab in Israël.

Moralitatum Cap. I.

REx Israël Ochozias de cancellis domûs suæ cecidit, & ægrotavit, & tunc nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, utrum scilicet de illa sua infirmitate posset surgere, misit, & recurrens ad dæmones, Dei Israël oraculum prætermisit, propter quod indignatus Dominus sibi per Heliam dixit, quod de lecto suo, super quem ascenderat, non surgeret, sed ibidem mortem incurreret, & obiret.

Sic verè sæpè fit, quando homo de cancellis temporalium dignitatum per infortunium cadit, non ad Deum Israël per devotionem recurrit, nec se ad Deum per peccatorum suorum considerationem convertit, sed potiùs Deum Beelzebub, id est, Diabolum, per divinos, & ariolos requirit, propter quod Dominus indignatus, mortem, vel aliud infortunium majus sibi mittit.

Hic describitur Helias Thesbites fuisse vir pilosus, zonâ pelliceâ accinctus renibus, de ipso etiam dicitur, quod Regem Israël viriliter reprehendit, & quod veritatem de suis infortuuiis sibi demandavit, & dixit. Farinam, & oleum multiplicavit, & viduæ filium mortuum suscitavit, Prophetas Baal occidit : duos Principes de Principibus ejus igne cœlesti à Domino impetrato succendit, sicut in libro præcedenti dictum est, pluviam subtraxit, & subtractam iterum suis precibus impetravit, ignem de cœlo mitti per sacrificium obtinuit, & Achab Regem impium viriliter increpavit, & stare se coram Domino in locis pluribus probavit. *Vivit* (inquit) *Dominus, in cujus conspectu ego sto.* Ad desertum etiam timens Jezabel fugit, ubi primò sub junipero dormiens, & tandem panem & aquam comedens ad montem Oreb transivit. Deum Israël audivit, & vidit, sicut hæc omnia patent supra 3.Reg.17.18. & 19. Tandem verò, sicut dicitur hic, in cœlum curru igneo raptus extitit, & pallium suum discipulo suo Helisæo dimisit; in quo miracula multa fecit.

D Helias, qui interpretatur robustus, significat virum perfectum, & maximè Ecclesiasticum, vel Prælatum, qui scilicet, sibi vel aliis debet dominari robustè, qui etiam debet dici Thesbytes, qui interpretatur convertens, & festinus ad intelligendum, eò quod alios debet prædicando convertere, ad intelligendum veritatem Dei vel mandata Superiorum debet festinus, & diligens semper esse. Unde in Proverb. 14. *Acceptus enim Regi minister intelligens.* Iste igitur debet habere audaciam ad malos Principes redarguendos, & ad veritatem eis dicendam, & ad ostendendum justitiam : ad malos Prophetas, & ad quinquagenarios, id est, ad Hæreticos, & Officiales ipsos puniendos, & igne severitatis cremandos; & clementiam ad farinam, & oleum indesinenter pauperibus & viduis ministrandum; constantiam ad coram Domino perseveranter standum; prudentiam ad pluviam beneficiorum temporalium, vel documentorum spiritualium, loco & tempore dandum; vel retrahendum : scientiam ad mortuos peccatores per prædicationem suscitandum : pœnitentiam ad dormiendum in deserto, vel sub junipero asperitatis : abstinentiam ad panem, & aquam gustandum : perseverantiam ad ambulandum usque ad montem Dei Oreb, id est, ad paradisum : contemplationem, & sapientiam ad Deum videndum, & alloquendum. Quæ, scilicet, omnia si habuerit, in curru igneo charitatis in cœlum ad Deum finaliter rapietur, & pallium bonæ famæ, & sanctitatis suæ hic in mundo remanens suis devotis & discipulis relinquetur. Unde Apoc. 12. *Raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.* Sic igitur quilibet vir perfectus Helias potest dici, qui Heliæ virtutes voluerit imitari, & potissimè ista possunt applicari ad sanctum Nicolaum, qui ad literam farinam & oleum, & frumenta multiplicavit, mortuos suscitavit, abstinens fuit, & jejunavit, &c.

Vel ista possunt dici de B. Joanne Baptista, qui, scilicet, Regem Herodem impium redarguit, in deserto in abstinentia, & pœnitentia vixit, aquas Jordanis baptizando divisit, &c. Unde Salvator dicit de eo: *Ipse est Helias, qui venturus est,* Matth. 11. Et, sicut E Helias, prædicando, sicut dicitur Malach. 4. Justi enim faciem Domini, antequam per gratiam ad peccatores veniat, prævenerunt, in quantum, scilicet, prædicando, exempla dando, & corrigendo sibi viam præparant, & componunt. Unde dicitur Luc. 1. *Ipse præibit ante ipsum in spiritu & virtute Heliæ.*

Hic habes, quod duo quinquagenarii Regis Ochoziæ, Heliæ Prophetæ irreverenter, & quasi imperativè locuti sunt, dicentes: *Homo Dei, Rex præcepit, descendere te.* Qui igne cœlitùs descendente, ad Heliæ imperium perierunt. *Si* (inquit) *Homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Ultimus autem & tertius quinquagenarius, qui dicitur fuisse Abdias, Propheta ad eum missus, judicio, & morte aliorum territus, genua sua coram eo curvavit, misericordiam imploravit, & humiliter quod Regem descenderet, supplicavit.

Hoc exemplariter potest exponi, quod quinquagenarii, id est, Principes sæculares, Ballivi Regum, & Principum Officiales, quantumcunque Domini, & magni, cum Prophetis, id est, cum viris scientificis, & religiosis, & sanctis loqui durè & impatienter non debent, sed potiùs reverenter, & subjectivè; aliàs digni sunt igne cœlesti cremari, & à Deo redargui, & puniri. Nulla enim temporalis potentia est, quæ viris Dei, & scientiæ, & sanctitati hominis digna sit æquiparari, quapropter quilibet tales viros honorare, & & revereri tenetur. Exemplo Cnei Pompeji, qui Possidonium Philosophum audiens, non est passus, quod lictores januam Philosophi percuterent, sed potiùs voluit, quod submissè pulsarent, sicut dicit Solinus. *Numerandus*, inquit, *post Deos Cneus Pompejus intraturus Possidonii domum tunc clarissimæ sapientiæ professoris: percuti ex more à lictore fores vetuit, & sententiæ propriæ orientis victor cessit januæ literarum.* Benè igitur dicitur Lev. 19. *Honora faciem senis.*

Vel, si vis, allega, quod humilitas locutionis proficit, dura verò nocet. Quia dicitur Proverb. 15. *Responsio mollis frangit iram; sermo durus excitat furorem.*

Capitulum secundum. Textus : Factum est autem, cum levare vellet Dominus Heliam per turbinem in cœlum.

Moralitatum Cap. II.

CUm Dominus vellet Heliam in turbine rapere, omninò se voluit de Helisæo anteà, discipulo suo expedire, dicens sibi : *Sede hic, quia Dominus mittit me in Bethel,* tandem in Hiericho, tandem ad Jordanem, Helisæus autem dicebat : *Vivit Deus, & vivat anima tua, quia non dimittam te.* Igitur cum ad Jordanem venissent, involvit Helias pallium suum, & percussit aquas Jordanis, & divisæ sunt, & transierunt per siccum. Qui cum dixisset Helisæo : *Postula quid vis, antequam tollar à te.* Petiit Hælisæus, quod spiritus duplex requiesceret apud ipsum. Quod quamvis ipsi difficile foret, concessit tamen sibi, dummodo ipsum, quando raperetur, videret. Ecce ergo currus igneus, & equi ignei divisérunt utrumque. Ascendit Helias per turbinem in cœlum, cui, scilicet pallium suum cecidit, quod Helisæus accipiens, & extremùm aquas Jordanis percutiens, ipsas iteratò divisit, & ex tunc Propheta loco Heliæ fuit.

Hæc allega, quando quis rapiendus est in cœlum per contemplationem, & per secretorum cœlestium degustationem, solitudinem debet quærere, & propriorum discipulorum, & aliorum, quamvis Sanctorum, & bonorum societatem fugere, ut sic posset securiùs in curru igneo fervidæ charitatis in cœlum ascendere, & ad amorem cœlestium se levare.

Vel allega de diligentia bonorum discipulorum, qui scilicet, bonos magistros, dominos, & Prælatos suos non debent usque ad mortem dimittere, sed etiam importunè eos sequi, & eis servire, donec spiritum scientiæ, & pallium morum, & virtuosæ conversationis, & apparentiæ possint ab eo reportare, dicentes illud Genes. 32. *Non dimittam te, donec benedixeris mihi, & benedixit, &c.*

Vel dic, quod Heliæ pallium est conversatio viri justi, qui scil. involvi dicitur pro eo, quod justi conversatio involuta, latens & occulta per humilitatem esse tenetur : etiam aquas dicitur Helias percussisse, quia scil. justorum vita, & conversatio aquas delitiarum contemplando percutit, & sic in monte siccitatem, id est, voluntariam paupertatem inducit, & sic transeundo ad vitam liberum iter facit. Item post raptum ejus, pallium discipulis imitatoribus ipsius remanet, virtute etiam cujus aquæ delitiarum dividuntur, siccantur, & condemnantur, & ad cœlestem gloriam itur, quia pro certo pallium conversationis bonæ aquas delitiarum repudiat, & siccitatem abstinentiæ, & pœnitentiæ in se, & suis imitatoribus introducit, & amat. Benè igitur videtur posse dicere quilibet imi- G tator bonæ conversationis alterius illud Josu. 7. *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & concupiscens attuli ipsum.*

Vel, si vis, dic, quod Helias dicitur ascendisse in cœlum curru in equis, in turbine, & cum dimissione sui pallii. Sic verè ad hoc, quod aliquis descendat in cœlum, necesse est, quòd interveniat currus igneus, id est, charitas : equi ignei, id est, Angelorum ministerium : & societas, turbinis impetus, id est, tribulatio, & adversitas : & dimissio pallii, i.e. corporis mors, & mortalitatis dimissa gravitas. Unde dicitur Prov. 25. *Dimittat pallium suum in die frigoris.* Cum Elisæus esset in Hiericho, viri civitatis dixerunt ei sic : *Vide,* (inquiunt) *quod habitatio civitatis est optima, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* Propter quod Helisæus vas novum afferri fecit, & sal in illud præcepit mitti. Quem in fontem mittens sanavit, & mortem, & sterilitatem ab aquis fugavit, & sic terram sterilem in fertilem mutavit.

Hiericho, quæ interpretatur luna, est mundus, qui scil. in prosperis & adversis, & in rerum naturalium discursu fluit, & refluit, sicut

Digitized by Google

ſicut luna. Iſta igitur eſt veritas, quod habitatio iſta optima dici poteſt, pro eo, ſcil. quod ibi eſt locus metendi, & virtutes, & merita congregandi, ſed pro certo ibi fluit ab initio fons peſtifer mundanæ ſapientiæ, & potiſſimè ſcientiæ gentilis, hæreticæ, & poeticæ. vel fons proſperitatis, & abundantiæ terrenæ, quæ, ſcilicet, terram cordium humanorum decipiebat, per malas complacentias inebriabat, & ſic eam inanem, & ſterilem à virtutibus faciebat. Et ideò Heliſæus Prophetа, id eſt, Deus Pater, vas novum, id eſt, Virginem Benedictam, puram, novam, juvenculam, atque mundam præparavit, in qua ſal divinæ ſapientiæ, ſcilicet, Verbum ſuum poſuit, & eo mediante fontem peſtiferum mundi, & erroris, & idololatriæ, quæ totum mundum potavit; temperavit, & ſanavit, & ſic terram cordium humanorum virtutibus fœcundavit. Unde Exod. 23. *Non erit infœcunda, nec ſterilis terra tua.*

Vel dic, quod Heliſæus eſt Prælatus, qui videt habitationem Eccleſiæ, vel Religionis eſſe de ſe optimam, & ſalubrem. Veruntamen eò quod aqua voluptatis, & proſperitatis ibi abundat, terramque ejus, id eſt, ſubditos videt ſteriles virtutibus & inanes, debet vas novum, id eſt, morum novitatem, & ſal, id eſt, correctionis acredinem, & aſperitatem adhibere, ut ſic ſterilitatem eorum poſſit in utilitatem mutare, & de malis bonos, & de inanibus virtuoſos, & utiles generare. Unde dicitur Jud. 13. *Sterilis es, ſed concipies, & paries.*

Vel dic, quod quando videt homo terram cordis ſui ſterilem virtutibus, & inanem, propter aquam voluptatis, proſperitatis, vel ſapientiæ ſæcularis, ſtatim debet ſal diſcretionis adhibere, & omnem ſterilitatem vel ſuperfluitatem, quam profluvium dictæ aquæ generat, debet per acredinem pœnitentiæ, vel per ſalſedinem prudentiæ moderare. Nam ſi ſal, & vas novum, id eſt, ſi ſalſedinem & condimentum prudentiæ, & novitatem puritatis, munditiæ, & innocentiæ adhibuerit, hujus aqua peſtifera non nocebit, imo è-
H contrario terram cordis ſterilem virtutibus affluere faciet, & non vitia, ſed virtutes effundet. Nunquam enim nocet mundi ſapientia, vel divitiarum proſperitas, ſi adſit in utendo diſcretio, & nunquam nocet delitiarum ſocietas, ſi adſit novitas munditiæ & pœnitentiæ, acredo, vel maceratio; ſed potiùs iſta juvant, & terram cordis fœcundant, dum ex earum debito uſu acquiritur meritorum cumulatio. Benè igitur dicitur Marc. 9. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.*

Vel dic, quod talis fons poteſt ſignificare malos Prophetas, atque hæreticos, etiam quoſcunque malos ſocios vel vicinos, qui, ſcilicet, aquam malæ doctrinæ, & malæ vitæ, ſterilitatemque virtutum generant in alios. Sæpè igitur fit, quod Heliſæus, i. e. Deus ſal gratiæ, & fidei in talibus immittit, & ſic illos, qui erroris fontes fuerunt, fontes veritatis ſunt, & qui ſterilitatem virtutum inducere faciebant, jam doctrinâ & vitâ alios virtutibus irrigant, & fœcundant; ſal enim divinæ fidei, & ſapientiæ malos fontes, qui corrumpebant terram Religionis, vel terram, id eſt, conſcientiam malorum, ſolet in melius commutare. Unde dicitur Levit. 2. *In omni ſacrificio appones ſal.*

Vel dic, quod fons iſte eſt ſcientia noſtra, quæ pro certo niſi ſal diſcretionis adjunctum habeat, & virtutibus nos vacuat, & non fœcundat. Ideo benè dicitur Prov. 23. *Prudentiæ pone modum.*

Hic habes, quod cum Heliſæus tranſiret per Bethel, pueri civitatis inceperunt illi illudere, & ipſum calvum vocare. Qui cum eis maledixiſſet in nomine Domini, ſtatim duo urſi de ſaltu egreſſi fuerunt, qui quadraginta duos de eis occiderunt.

Illud exponunt quidam allegoricè dicentes, quod Heliſæus eſt Chriſtus, cui ſcil. pueri, id eſt, Judæi pueriles, & inſenſati, & neſcientes quid facerent, illuſerunt: & eum calvum vocaverunt, in quantum in loco Calvariæ ipſum crucifixerunt, propter quod duo
A urſi, ſcil. Titus, & Veſpaſianus de ſaltu Romanæ civitatis immiſſi, ipſos veſtaverunt, & deſtruxerunt, & iſti pueri quadraginta dicuntur, pro eo quod revolutis annis quadraginta duobus ab aſcenſione Domini urſi iſti in Judæos irruerunt, Pſalm. 98. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde, &c.*

Vel iſta allega contra illuſores bonorum, quia pro certo urſi, id eſt, diaboli de ſaltu inferni prorumpent, qui ipſos lacerabunt finaliter, & confundent. Unde in Proverb. 19. *Parata ſunt deriſoribus ſupplicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.*

Capitulum tertium. Textus: Joram verò filius Achab regnavit ſuper Iſraël in Samaria.

Moralitatum Cap. III.

CUm Rex Moab quibuslibet annis ſolvebat tributum Regi Iſraëlitarum, ſcilicet, centum millia arietum, & agnorum, & ab eo defeciſſet, & prædictum tributum negaſſet, factum eſt, quod Joram Rex Iſraël, & Joſaphat Rex Juda, & Rex Idumææ, per viam deſerti ad præliandum contra Moab perrexerunt. Quibus tamen cum penitus aqua deficeret, Prophetam Heliſæum interrogaverunt, & pro eo requirendo verbum Domini, tres Reges ad eum in perſonis propriis deſcenderunt. Hic igitur, & primò Regem Iſraël de Idololatria redarguens, Pſaltem pro ſuſcitando Spiritu ſancto venire fecit, quo pſallente verbum Domini factum eſt ſuper eum, & de aqua danda, & de victoria obtinenda prophetavit: *Facite* (inquit) *foſſas, & foſſas, & non videbitis ventum, neque pluviam, & implebitur alveus aquis, tradetque Dominus Moab in manus veſtras.*

Allega iſta, quomodo Reges & Principes debent Prophetas, & ſervos Dei, Religioſos, Sacerdotes, & maximè viros ſanctos honorare, & non ſolùm ad eos honorabiles perſonas mittere, imò ſi ſit neceſſe, in propriis perſonis ad ipſos deſcendere. Supra hic cap. 1. dictum eſt, quod Ochozias, quia minùs idoneas perſonas, ſcilicet, duos malos quinquagenarios ad Heliam miſit; ideò ipſi igne cœleſti percuſſi ſunt. Ipſe autem reſponſum mortis reportavit. Hic autem, quia ipſi Reges in propriis perſonis deſcenderunt, ideò gratam reſponſionem & utilem reportaverunt. Benè igitur dicitur: *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes ejus ſanctifica.*

Vel allega, quomodo Propheta debet eſſe conſtans, & audax B ad malos Principes redarguendos, ſicut iſte, qui Joram legitur dixiſſe: *Si non attenderem vultum Regis Juda, non reſpicerem,* (inquit) *te.* Unde de eo etiam legitur: *In diebus ejus non timuit Principem, & potentia nemo vicit illum. Nec ſuperavit illum verbum aliquod, &c.*

Vel iſtud allega, quod ſicut ſonus melodiæ non ſolùm fugat ſpiritum malum, ſicut viſum eſt, imo excitat ſpiritum bonum, ſicut hic; ſic verè quando Pſaltes, id eſt, Prædicator pſallit melodiam verbi Dei, vel quando etiam ſervi Dei pſallunt laudes, & cantica creatoris, malus ſpiritus, ſcilicet, diabolus ſolet fugere, & terreri, bonus verò ſpiritus, id eſt, bona devotio ſolet in homine ſuſcitari, quæ ad prophetandum, & cogitandum de futuris ſolet ipſum ſpiritualiter excitare. Auditus enim verbi Dei, vel officii Eccleſiaſtici ſpiritum devotionis excitat, & ad cogitandum de futuris, ipſum elevat, & exaltat. Unde Apoc. 4. dicitur, quod cum quatuor animalia honorem, & gloriam darent Deo, Seniores adorabant viventem.

Hic habes, quod cum Dominus feciſſet pluviam in remotis montibus, & deſertis (quapropter alveus, qui deſcendebat in Moab, qui ante ſiccus erat, plenus aquis rubeis apparuiſſet) Moabitæ exiſtimaverunt, quod Reges Iſraël, Juda, & Edom, qui contra eos veniebant, ſeſe mutuis cædibus peremiſſent, & proprio ſanguine alveum repleviſſent; Hinc propter aviditatem prædæ ad deſertum exierunt, ubi exercitus mortuos crediderunt, dicentes. *Pugnaverunt Reges contra ſe, & ceciderunt ſe mutuis cædibus, nunc vade ad prædam Moab.* Quos tamen vivos non mortuos invenerunt, quia His ipſis contra ſe, congredientibus perierunt.

Illud allega contra vitium præſumptionis, & invidiæ, quia ſæpe fit, quod fatui modica occaſione ſibi proſperitatem, & aliis infortunium divinant, ut ſi videant aquas rubeas, ſanguinem exiſtimant, & de inimicorum ſuorum morte gaudentes, prædam, & lucrum proprium eſſe putant. Sed pro certo ſæpe fit, quod ubi inimicos mortuos, id eſt, defectos, & miſeros eſſe, & de hoc prædam, & lucrum reportare credunt, & ipſos invadere volunt, ipſos in ſui defenſione ita vivos, & fortes reperiunt, quod ante faciem eorum deficiunt, & ſuccumbunt. Igitur non eſt ex facili occaſione credendum, nec proprium lucrum, nec aliorum infortunium exiſtimandum, quia ſæpè fit, quod illi, qui credebantur mortui, reperiuntur vivi, & quod ubi ſperabatur lucrum, infortunium reperitur. Unde C dicitur Job. 30. *Exſpectabam bona, & venerunt mihi mala.* Non debent alii tanquam mortui vilipendi, noſtri verò tanquam vivi laudari, ſed potiùs omnes ſunt diſcretione debitâ metuendi, quia ſicut dicit Seneca: *Inimicum* (quamvis humilem) *bonum eſt, timere, &c.*

Hic dicitur, quod Rex Moab videns civitatem ſuam à tribus Regibus impugnari, cum fugere tentaſſet, & non potuiſſet, filium ſuum, qui poſt eum regere debebat, ſupra murum immolavit, & ut à diis ſuis eriperetur, proprium filium ſacrificavit. Cujus facti horror, Regem Iſraël cum populo ſuo ad recedendum coegit.

Sic verè ſæpe fit, quod peccator videns ſeſe in arcto tribulationis poſitum, ſolet diis, id eſt, dæmonibus primogenitum ſuum, id eſt, animam, ſeu animum dare, qui ſcilicet, in ſolio paradiſi ſedere debuiſſet; ut ſic ſe à tribulationis periculo liberare poſſit. Illud autem eſt verum de obſtinatis religioſis, qui ſcil. quando à Regibus Iſraël, & Juda, id eſt, bonis Prælatis, & Correctoribus infeſtari ſe vident, ſolent quandoque ad deterius prorumpere, & primogenitum ſuum, id eſt, animam ſuam diabolo, deſperando, id eſt, apoſtatando, & aliàs graviùs delinquendo offerre quapropter ipſi Prælati debent ab impugnatione, vel correctione, quandoque ceſſare, ne, ſcilicet, talem obſtinatum poſſint ad deterius provocare; & quando ex hoc vident eum deteriora facere, ab increpatione deſiſtere. Unde benè dicitur Eccl. 8. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos.*

Vel dic, quod Rex Moab eſt diabolus, qui arietes cornutos, i.e. ſuperbos agnos, id eſt, ignorantes, & carnales paſcit, & nutrit, & tamen quandoque de ipſis Regi Iſraël Chriſto facit tributum, in quantum ipſos ſuos malos ad bonorum impugnationem Chriſto nutrit, & in quantum ad Chriſtum finaliter converuntur, Deut. 32. *Cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan.* Iſte eſt, qui primogeni-

Digitized by Google

mogenitos ſuos, id eſt, mundi malos divites, & potentes, ſupra murum temporalium dignitatum interficit, & eos per diverſa crimina in inferno immolat. Unde Mich. 6. *Dabo pro ſcelere meo primogenitum meum.* Vel dic, quod Rex Moab eſt Deus Pater, cujus civitatem, id eſt, Eccleſiam, tres Reges, id eſt, tria capitalia vitia à principio infeſtaverunt, & ideo pro civitate Eccleſiæ liberanda, primogenitum filium ſuum, ſcil. Chriſtum immolavit, id eſt, immolari, & crucifigi permiſit, & ſic Eccleſiam liberavit.

D Vel dic, quod Rex Moab, qui interpretatur ex patre, populum Judaicum ſignificat, cui dictum eſt Joan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis, &c.* Iſte igitur primogenitum ſuum Chriſtum, qui dicitur primogenitus in multis fratribus, immolavit, & eum crucifigendo ſe à Romanis liberari credidit, quando dixit: *Ne forte veniant Romani, &c. Expedit, ut moriatur unus homo pro populo.* Joan. 11.

Vel dic, quod iſte Rex eſt malus Prælatus, vel etiam malus inferior Judex, vel Ballivus, qui ſcil. ut poſſit Regibus ipſum impugnantibus, id eſt, ſuis malis ſuperioribus ipſum fortè deprimere, vel corrigere volentibus ſatisfacere, ſtatim nititur ad Deos ſuos, id eſt, ad illos majores Conſiliarios, qui ipſum ordinaverunt, & promoverunt, recurrere, ut ipſis mediantibus poſſit iram Superiorum cavere; & propter hoc primogenitos ſuos, id eſt, ſubditos, & maximè Eccleſiaſticos, ſolet per rapinas occidere, & gravare, & eos Diis ſuis prædictis immolare, & carnes, id eſt, ſubſtantias eorum, uſibus iſtorum deputare, qui Dii, & fautores ſui ſacrificio prædicto placati, totaliter ſolent facere, quod Superiores ab impugnatione talium ſolent quieſcere, & ceſſare: igitur ſtatim atque iſti Ballivi, & Officiales à majoribus impugnari ſe ſentiunt, ad Deos, i. e. ad fautores, promotores ſuos recurrunt, qui, ſcil. in curia majores exiſtunt, & ipſis de carnibus, & ſubſtantiis pauperum ſubditorum munera faciunt. Iſti taliter ordinant, ut Superiores à talibus nihil quærunt, & ab ipſorum impugnatione deficiunt, & deſiſtunt. Unde iſti mali Judices, vel Ballivi, ſuorum ſubditorum, ſcilicet, vel primogenitorum depopulatores poſſunt dicere illud Mich. 6. *Dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum uteri mei pro peccato animæ meæ.* Iſti enim dant primogenitos ſuos, id eſt, ſubditos, vel ſubditorum carnes, vel ſubſtantias Diis, & fautoribus, ne hi pro ſcelere ſuo puniantur à ſuis Dominis, & Superioribus.

Vel dic, quod iſte Rex eſt uſurarius, qui ſcilicet Diis, i. e. advocatis, & Ballivis primogenitos immolat, ut eum à Regibus, & Prælatis defendant.

Vel dic, quod iſti filios ſuos ad literam Dæmonibus ſacrificant, & ordinant, in quantum ipſos ad fraudandum, & uſurandum inſtruunt, & informant, Pſalm. 105. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.*

E Vel dic, quod iſti uſurarii, & conſimiles peccatores ad literam filios ſuos ſacrificaverunt Dæmonibus, in quantum ſuos imitatores, & in malis divitiis ſucceſſores faciunt, Pſalm. 105. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonibus, &c.*

Hic habes, quod iſti Reges non petierunt niſi aquam, & tamen Dominus dedit eis aquam, & victoriam.

Ubi nota, quod Dominus Deus ſemper dat abundantiùs, quàm petitur; dum tamen, quod juſtum eſt, requiratur. Unde dicitur Jac. 1. *Dat Dominus affluenter, & non improperat, &c. ſicut volueris.*

Capitulum quartum. Textus: Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Heliſæum.

Moralitatum Cap. IV.

Mulier quædam de uxoribus Prophetarum, quæ cuidam creditori erat obligata, conqueſta eſt Heliſæo, quod creditor occaſione debiti, ſuos duos filios volebat tollere, & ſervituti ſubjugare, & cum in domo nihil haberet, præter parum olei, quo aliquoties ſe ungebat, præcepit Heliſæus, quod vaſa vacua reciperet, & clauſis oſtiis oleum in vaſis infunderet, & impleret. Hæc igitur ſupra ſe, & filios oſtium clauſit, & filiis offerentibus vaſa, oleum infundere cœpit, & ad implenda omnia vaſa oleum multiplicatum ſuffecit, & ſic, vendito oleo, creditori ſatisfecit, de reſiduo verò unà cum filiis ſuis vitam duxit. *Vende* (inquit) *oleum, & redde debitori tuo. Tu autem, & filii tui de reſiduo vivite.*

Quia igitur iſtud exponitur multipliciter à multis, non eſt neceſſe, quod de noſtro plurimum apponamus, ſed ſolùm quod aliorum dicta ſeu ſententiam inferamus. Dicunt igitur quidam allegoricè, quod mulier iſta eſt Eccleſia, quæ, ſcilicet, duos filios, id eſt, duos populos habuit, quos creditor, Diabolus, quotidie occidere, ſubtrahere, & ſubjugare, & per diverſos errores, & per peccatum contendit, & per obligationem viri ſui mortui, ſcilicet, Adæ, ipſam, & ejus filios ſibi per peccatum obligatos aſſeruit, atque abduxit. Verùm pro certo iſta edocta ab Heliſæo, id eſt, Chriſto, vaſa vacua, ſcilicet, ſubditos, & fideles, & Patres ſanctos Eccleſiæ primitivæ, qui, ſcilicet, vacui fuerunt, & pauperes in terrenis, & ab aliis ſectis, per prædicationem mutuo accepit, & modicum olei, id eſt, ſcientiæ, vel doctrinæ, vel Divinæ ſcientiæ, & gratiæ uſque ad ſummum implevit. Ita quod iſta mulier, id eſt, Eccleſia de oleo ſcientiæ, & ſanctitatis, & gratiæ iſtorum, jam creditori Diabolo, & ejus membris hæreticis ſatisfecit, & filios ſuos fideles de ſuperabundantia ſpiritualiter nutrit. Conſtat enim, quod ſcientia, & gratia Pauli, & Auguſtini, qui aliquando vaſa vacua fuerunt, ità eſt multiplicata, quod non ſolùm ſuffecit ad malitiam Diaboli, & hæreticorum deludendam, & ipſorum objectionibus ſatisfaciendum; imò etiam ſuperabundat ad nos alios, qui reſidui ſumus, bonis moribus nutriendos. Unde iſtis vaſis, id eſt, primis Doctoribus poſſumus dicere nos, & alii Eccleſiæ filii illud Matth. 25. *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* F

Vel dic, quod mulier iſta, ſcilicet, ſancta Eccleſia, habet hodie multa vaſa, id eſt, multos ſanctos, qui præceſſerunt, qui oleo gratiæ, & meritorum ſanctitate ità pleni ſunt, quod ad liberandos & nutriendos filios Eccleſiæ ſuffecerunt; plenitudo enim, & ſupererogatio meritorum Sanctorum, poteſt de pœna, & culpa pro filiis Eccleſiæ, quibus à Prælato datur indulgentia, ſatisfacere, & etiam ultra hoc nutrimentum meritorum augere, & ipſos gratiis & virtutibus enutrire. Igitur neceſſe eſt, quod Eccleſia, vel anima ad Heliſæum, id eſt, ad Papam recurrat, ut de oleo indulgentiarum creditori ſuo, id eſt, Divinæ juſtitiæ ſatisfaciat, & perſolvat, dicens illud prædictum Matth. 25. *Date nobis de oleo veſtro, &c.*

Vel illud allega, de oleo meritorum noſtrorum, quod primò oportet de debito, id eſt, de reatu, & obligatione pœnæ ſatisfacere, & de reſiduo poterimus nutrimentum æternæ gloriæ accipere.

Vel dic, quod creditor noſter eſt Divina Juſtitia, quæ, ſcil. filios duos noſtros, id eſt, corpus, & animam pro debito culparum noſtrarum nobis auferre minatur; quapropter neceſſe eſt, ut ad Heliſæum, i. e. Chriſtum, & ad Dei miſericordiam recurratur, & de oleo bonorum noſtrorum operum iſti creditori, id eſt, Divinæ Juſtitiæ perſolvatur, & de reſiduo vita cœleſtis gloriæ procuretur. Oleum enim bonorum operum primò eſt debitorum pœnæ, & culpæ perſolutio, reſiduum verò eſt ſpiritualiter nutritivum, & meritorum cumulativum; quia, ſcil. primò neceſſe eſt, quod Divinæ Juſtitiæ fiat ſatisfactio, & ſic deducto ære alieno, poterimus de reliquo vivere, & poterit fieri meritorum cumulatio, & procurari æterna vita & refectio. Cuilibet ergo videtur Divina Juſtitia dicere illud 3. Reg. 17. *Fac mihi primum, tibi autem & filio tuo poſtea.* G

Vel dic, quod ad Chriſtum debemus recurrere, ut ſcilicet, illud modicum olei, id eſt, divinæ gratiæ, quod habemus, dignetur multiplicare, ut ſuæ juſtitiæ (meritò creditori noſtro) poſſimus ſatisfacere, & vitam æternam de reliquo procurare.

Vel allega de oleo eleëmoſynæ, quod, ſcilicet, non vaſis plenis, id eſt, divitibus, ſed vaſis vacuis, id eſt, pauperibus infundi jubetur: *Accipe* (inquit) *vaſa vacua non pauca.* Etiam quod non publicè ad mundi laudem, ſed clauſo oſtio, id eſt, in occulto infundi mandatur. *Ingredere* (inquit) *& claude oſtium.* Unde dicitur Matth. 6. *Cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera.* Et revera ſi hoc fiat, oleum iſtud, id eſt, bona temporalia taliter multiplicabuntur, quod non ſolùm ad infundendum, & pauperibus dandum ſufficient, imò & inde ad lautè vivendum, & opulenter excreſcent. Unde dicitur Luc. 6. *Date & dabitur vobis, &c.* Et Apoſtolus 1. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Sequitur, *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.*

Vel allega, quod quando mulier, id eſt, aliqua perſona ab Hæliſæo, Chriſto multiplicationem olei ſui, id eſt, augmentum gratiæ ſperat fieri, primò debet oſtium ſenſuum ſuorum claudere, & ab exterioribus ſe delectationibus excludere, & in ſecretario cordis per conſiderationem includi, & per humilitatem abſcondi. Quod pro certo ſi fecerit, oleum gratiæ & meritorum ſuorum multiplicabitur, & duo filii ſui, ſcilicet, corpus & anima à creditore, Diabolo, liberabuntur, & de reſiduo meritorum nutrimentum cumulabitur, & vita gloriæ concedetur. Unde Matth. 6. *Intra in cubiculum tuum, & Pater tuus, qui videt &c.*

Cum Heliſæus quandoque apud quandam mulierem diverteret, & panem comederet, dixiſſe legitur ipſa mulier viro ſuo: *Animadverto* (inquit) *quod vir ſanctus Dei eſt ille, qui tranſit per nos frequenter. Faciamus igitur ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum, menſam, & candelabrum, & cùm venerit ad nos, maneat ibi,* quod factum eſt. Heliſæus enim devertit ſe ad cœnaculum, requievit ibi una dierum, & vocans puerum ſuum, præcepit ei, ut loqueretur Sunamitidi illi, & diceret: *Ecce ſedulò miniſtraſti nobis, quid vis, ut faciam tibi?* Huic igitur, quæ liberos non habebat, & vir ipſius ſenex erat, Heliſæus filium impetravit, quem etiam tandem mortuum ſuſcitavit. H

Mulier iſta magna, quæ etiam Sunamitis dicitur, quod interpretatur coccinea, vel captiva, voluntatem ſignificat, quæ revera dicitur magna, quia magna poteſt capere, ſcilicet Deum. Iſa. 12. *Magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Captiva dicitur, quia potentia cœca, coccinea tamen & ardens, quia per deſiderium, & concupiſcentiam eſt fervida & inflammata. Vel etiam iſta eſt anima, quæ magna eſt nobilitate, captivata tamen originali culpâ & concupiſcentiæ ſervitute; coccinea verò gratiâ & charitate, vel Sanguinis Chriſti, à quo redempta eſt, rubicundâ venuſtate. Unde dicitur

Digitized by Google

dicitur Isa. 52. *Solve vincula colli tui, filia Hierusalem.* Ista igitur debet dicere viro suo, id est, veritati vel intellectui, quod viro Helisæo, Christo (qui frequenter eos visitat; & nunc per inspirationem, nunc per scripturæ lectionem, nunc per tribulationem, & correctionem, nunc per spiritualem consolationem, nunc per temporalem subventionem ad ipsos venire, & per eos transire non cessat, & dudum per beatam Incarnationem, nunc verò per Doctorum, & Prælatorum eruditionem, finaliter verò per extremi Judicii executionem ipsos visitat, & frequentat) debeat locum opportunum parare, ut apud eam possit quiescere per gratiam, & & manere. Unde Luc. 24. *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Dico igitur, quod ista mulier cum viro suo, id est, anima cum animo virtuoso debet Christo cœnaculum & habitaculum in corde construere & locare. Ponat igitur ibi lectum, ubi Christus quiescat; ipsum virtutibus studeat ædificare, & ideò, præter cæteras inter quatuor virtutes constituere, & locare; hic lectus est mundicia, innocentia & castimonia, & continentia. *Lectulus noster floridus.* Mensa, quæ Christum in persona pauperum reficiat, hæc est pietas, eleemosyna & clementia, Ps. 23. *Parasti in conspectu meo mensam.* Sella, quæ Christum sedentem sustentet, hæc est mentis
A tranquillitas, & patientia. Unde Apoc. 4. *Ecce in cœlo sedes posita erat, & supra sedem sedens.* Candelabrum, quod domum cordis Christo illuminat, hoc est discretio, & sapientia. Zach. 4. *Ecce candelabrum aureum totum*, & procul dubio si cœnaculum cordis ista quatuor habuerit, & si puritatem, pietatem, tranquillitatem, & sagacitatem continuerit, Helisæus ibi libenter morabitur, qui filios, id est, bona opera nobis dabit, ac etiamsi per peccatum mortua fuerint, ipsa per pœnitentiam suscitabit, dicens illud Psalm. 131. *Hæc requies mea in sæculum sæculi.*

Vel illud dic, quod Helisæus non legitur locutus fuisse personaliter cum ista muliere, quanquam sancta fuerit, & bona, sed per nuntium, quin imò nomen ejus proprium secundùm Comestorem nescivit, & ideo ipsam Sunamitidem vocare generali nomine consuevit.

Allega, quod sancti viri summè debent mulierum colloquia devitare, dato quod sanctæ sint: & ab earum consortiis abstinere debent, & earum nomina ignorare. Unde dicitur Eccles. 9. *Averte faciem à muliere.*

Vel allega, quod justum est, quod servitoribus & ministris secundùm merita satisfaciamus, & postquam sedulè ministraverint, sibi suum salarium persolvamus. *Ecce*, (inquit) *sedulò ministrasti nobis, quid vis, ut faciam tibi?*

Factum est, quod filius mulieris Sunamitidis, quæ Helisæum hospitio susceperat, adveniente calore super caput ejus, moreretur. Quo contristata mulier ad pedes Helisæi se prostravit, qui pietate motus, puerum suum cum virga, seu baculo suo ad ponendum supra mortuum, ut sic suscitaretur, misit. Quod cum fecisset Giezi, filius mortuus non surrexit, scilicet, nec vox, nec sensus apparuit. Qui reversus obviam Helisæo nuntiavit. Helisæus igitur in propria persona veniens, & claudens ostium, cubiculum intrat, & super cadaver pueri super lectum incubat, & os ori, oculos oculis, membraque membris applicat, & ut calefieret caro pueri, super eum se incurvat. Tandem verò per domum aliquamdiu deambulat, & iterum ascendit super puerum, & se inclinat. Qui aperiens oculos, & septies oscitans, à mortuis suscitatur, & ipsum vivum matri suæ restituit atque donat.

Ad litteram videtur esse, secundùm quod aliqui allegoricè exnunt, talis processus factus, & in resuscitatione, & reparatione generis humani. Mulier enim ista significat Ecclesiam, cui, scilicet unicum filium, scilicet, humanum genus Deus à principio dedit, sed adveniente calore concupiscentiæ, iste in Adam per peccatum occubuit, & decessit; sed verus Helisæus, id est, Deus istum suscitare, & ad vitam gratiæ reducere volens baculum suum, scilicet, legem scriptam, puero suo, scilicet, Moysi tradidit, qui tamen mediante isto baculo, scilicet, severitate legis, istum filium, scilicet, genus humanum à morte culpæ nullatenus suscitavit, Hebr. 7. *Nihil enim ad perfectum perduxit lex.* Quapropter ipse Helisæus, id est, Dei filius in propria persona ad mortuum humanum genus venire voluit, & intrans cubiculum uteri virginalis, cadaveri, id est, carni humanæ, id est, per beatam Incar-
B nationem, se conjunxit, & coaptavit, & prædicando per mundum aliquamdiu deambulavit, & sic super lectum crucis ascendens, & carnem pueri, ist est, humanitatem assumptam in igne passionis calefaciens, ipsum genus humanum per gratiam vivificavit, & vivum, scilicet, à morte culpæ puerum septies oscitantem, id est, per septem dona, vel septem Sacramenta respirantem, matri suæ, scilicet, Ecclesiæ restituit. Unde dicitur 3. Reg. 17. *Deposuit puerum de cœnaculo, & tradidit eum matri suæ, dicens: Vivit filius tuus.*

Vel dic, quod Helisæus est Prælatus, mater est Ecclesia, filius mortuus est subditus populus, peccatis, & erroribus subjugatus. Igitur ista est veritas, quod filii mortui, id est, peccatores subditi melius suscitantur, & ad vitam gratiæ restituuntur, quando à proprio Prælato personaliter visitantur, & quando per incubationem, præsentiam, & moram ipsius calefiunt, & foventur, quàm quando solùm per baculis instructos nuntios, & vicarios, id est, ad percutiendum, & exigendum paratos, mortui, & desolati hujusmodi frequentantur. Malè ergò faciunt Prælati, vel Curati, qui populum suum principaliter non visitant, & qui nuntios & vicarios ibi mittunt, & alibi trahunt. Dicat ergo quilibet Prælatus illud Matth. 8. *Ego veniam & curabo eum.* Nuntii, & vicarii in absentia Prælati utuntur baculo duræ severitatis, Dominus verò verbo utitur, & calefactione, ac associatione pietatis, & charitatis, & ideò illi cum baculo isto, scilicet, cum virga jurisdictionis eis commissa, magis solent lædere, quàm juvare.

Vel dic, quod filius, id est, peccator, meliùs per calefactionem, quàm per baculum, id est, meliùs per mansuetudinem, quàm per severitatem vivificatur, & emendatur, & ideo illis, qui baculo duræ correctionis, vel punitionis utuntur, possunt subditi dicere illud supra 1. Reg. 17. *Nunquid canis ego sum, quia tu venis ad*
C *me cum baculo?* Ac si diceretur: Contra canes, id est, contra infideles hæreticos & obstinatos est cum severitatis baculo procedendum, contra alios delinquentes est cum benignitate & mansuetudine dimicandum.

Vel dic moraliter, quod cum quis filium suum mortuum, id est, peccatorem animum vult suscitare, debet in cubiculum per meditationem intrare, ostia sensuum per suam absconsionem, & humilitatem claudere, super cadaver, id est, super animam peccato mortuam, per contritionem, fletum, & sui discussionem incumbere, per confessionem, & orationem clamare, per satisfactionem deambulare, & sic ipsum ad vitam gratiæ poterit suscitare.

Ex Capitulo quarto. Textus: Erat autem fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo.

Moralitatum Cap. V.

Um fames esset in terra, dixit Helisæus uni de pueris suis, ut pulmentum coqueret, ut comederent filii Prophetarum. Qui vitem agrestem inveniens, & inde coloquynthidas colligens in ollam concidit, & pulmentum decoquens coram filiis Prophetarum apposuit. Qui amaritudinem sufferre non valentes: *Mors in olla, vir Dei*, clamaverunt. Ipse verò Helisæus farinam immiscens, amaritudinem temperavit.

Dic, quod ista vitis agrestis, veterem legem, vel scientiam propheticam significat, & ipsius literalem sensum designat.

Igitur quandoque accidit, quod cum Helisæus, id est, Deus, vel Prælatus, filiis Prophetarum, id est, suis fidelibus, pulmentum doctrinæ parare jubet, pueri, scilicet, pueriles, & ignari Doctores, vitem agrestem, id est, scientiam legalem, & propheticam inveniunt, & ipsas malè intelligentes, coloquynthidas, id est, aliquas malas superficiales, & apparentes scientias colligunt, & inde pulmentum amarum, id est, doctrinam hæreticam componunt, & conficiunt. Istud ergo advertentes fideles clamant aliquoties: *Mors in olla.* Quapropter Helisæus, id est, bonus Prælatus, statim debet occurrere, & farinam sacræ Scripturæ, & sani intellectûs adhibere, ut sic possit omnem hæresis, & malæ doctrinæ amaritudinem effugare. Unde dicitur Judith. 5. *Fontes amari obdulcati*
D *sunt.*

Vel dic, quod olla cum amaro pulmento est mundi prosperitas, vel ipse mundus, cujus, scilicet, pulmentum, id est, cujus delitias, & divitias, filii Prophetarum, id est, viri sancti amaras reputant, & mortales. *Mors enim in olla, vir Dei.* Istæ enim sunt, quæ amaritudinem, ac solicitudinem continent, & mortem vitiorum, & tormentorum ab uxoribus procurant, quapropter sancti viri quanquam fame, & inopiâ urgeantur, ipsas comedere, habere, vel acquirere nunquam amant, dicentes illud Job. 6. *Nunquid*, inquiunt, *comedi poterit insulsum, quod non est sale conditum, aut gustari, quod gustatum affert mortem?* Non restat igitur, nisi quod farina, i. e. discretio apponatur, & nisi quod homo hujusmodi pulmento, id est, rebus temporalibus discretè, & temperatè utatur; quia tunc nocere non poterit, licet comedatur, quinimò omnis amaritudo, quæ ibi est, in dulcedinem convertetur, in quantum, scil. ex bono usu talium merita, & gratiæ augebuntur. Prosperitas enim mundi non nocet discretè utentibus, quinimò ipsos delectat tam gratiis, quàm virtutibus. Unde Proverb. 27. *Quæ amara sunt, dulcia esse videntur.*

Vel dic, quod olla cum pulmento amaro, est mundus cum tribulationibus suis, quod quando filiis Prophetarum, id est, sanctis viris apponitur, sæpè fit, quod præ tribulationum amaritudine ad Helisæum, id est, ad Deum clamitare coguntur. *Mors*, inquiunt, *in olla.* Ipsi igitur farinam, id est, gratiam suam, & interiorem consolationem adhibent, & sic illud, quod eis primò videbatur amarum, dulce, & delectabile esse apparet. Unde dicitur Proverb. 27.

Anima esuriens pro dulci amarum sumet, sicut in Martyribus fuit visum.

Digitized by Google

Capitulum quintum. Sextus : Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ.

Moralitatum Cap. VI.

NAaman Princeps Regis Syriæ fortis, & dives, ſed leproſus erat, qui veniens ad Heliſæum, ut ab ipſo curaretur à lepra, præceptum ab Heliſæo accepit, quod in Jordane ſeptiſe lavaretur, promittente, quòd ità caro ipſius mundaretur : *Vade* (inquit) *& lavare ſeptiès in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua.* E Indignatus igitur Naaman, quod ad ipſum non egrediebatur, & locum lepræ tangendo, dominum ſuum non deprecabatur, incepit recedere, & loturam Jordanis vilipendens fluvios Damaſci & Abana, & Farfar cœpit laudare ſuper Jordanis fluvium. Ad inſtantiam tamen ſervorum ſuorum ad Jordanem deſcendens ſe lavit, & ſtatim à lepra caro ejus, ut caro pueri ſibi reſtituta fuit. Qui protinùs ad Heliſæum revertens, idololatriæ reſignavit, & duos Burdones oneratos de terra Iſraëlitici ſoli in Syriam deferens, ex tunc ſuper terram illam Dominum adoravit.

Quidam exponunt illud allogoricè, dicentes, quod iſte Naaman Syrus gentilis, gentilitatem ſignificat, quæ, ſcilicet, fortis per temporalem potentiam, dives per philoſophicam ſapientiam ſemper fuit, leproſa tamen per errores, & idololatriam erat. Hic igitur ad Heliſæum, id eſt, ad Chriſtum per fidem venit, ad cujus doctrinam & mandatum in Jordane, id eſt, in baptiſmo ſeptiès, id eſt, ſeptem crimina ſua lavit, & ſic ſanitatem gratiæ reportavit. Unde dicitur Joan. 9. *Abii, lavi & vidi.* Idololatriæ etiam tunc renuntiavit; de terra verò Iſraëlitarum, id eſt, de pulvere & & de doctrina ſacræ Scripturæ, qua mediante Deum Iſraël credidit, eum quoque adoravit.

Vel dic, quòd Jordanis iſte ſignificat flumen pœnitentiæ, & lacrymarum, vel etiam fluvium Baptiſmi, &c. Vide hoc ſupra lib. 8. c. 4. de Jordane, & meliùs eodem lib. c. 51. ubi agitur de Abana, ubi iſta exponuntur de utroque.

Vel illud dic, ſi vis, ſcilicet, quod iſte Naaman recedebat indignans, & ablutionem ſui contemnebat, & Abana, & Farfar aquas Jordanis Baptiſmo præferebat. Allega contra gentiles, qui Baptiſmum contemnunt, & aquas Damaſci, id eſt, ablutiones Machometi præferunt.

Vel allega contra regulares ſæculares, qui Jordanem, id eſt, ſacram Scripturam videntur contemnere, & fluvios Damaſci, id eſt, ſcientias mundi, ſcil. leges & medicinam, & hujuſmodi ſibi videntur anteferre, quia ſicut Apoſtolus 1. Corinth. 2. dicit : *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritûs Dei.*

Vel etiam allega contra ſæculares, qui Jordanem fluvium religionis, devotionis, pœnitentiæ, & compunctionis fugiunt, & contemnunt, aquas verò Damaſci, id eſt, mundi delitias, & divitias anteponunt : *Animæ eſurienti etiam ea, quæ amara ſunt, dulcia eſſe videntur.* Proverb. 27. Cum tamen iſta aqua ſit, quæ lepras vitiorum mundat, & quæ innocentiam reparat, ut hic cap. 2. *Sanavi aquas has, & non erit mors neque ſterilitas.* Vide ſi vis ſupra lib. 8. c. 3. de Abana.

Vel dic, quod ſervi reprehenderunt indignationem Naaman, & eum lavari fecerunt, & ſic ſanitaris ejus occaſio fuerunt. Poteſt id ad hoc allegari, quod boni familiares non debent iram, & indignationem dominorum accendere, ſed eam potiùs mitigare, & ad illa, quæ ſunt utilia, inclinare.

Vel illud allega, quod minoribus quandoque Deus revelat illud, quod majoribus denegat, & quod quandoq; minoribus inſpiratur, quod majoribus utile comprobatur. Vel allega, quod ſicut Naaman ad vocem puellæ captivæ ad Prophetam venit, & ad vocem ſervorum ſe in Jordane lavit, & ſanitatem ſuſcepit. Sic verè ſæpè accidit, quod ſervi & ancillæ dominos ſuos ad virtutes, & ad fidem invitant, ut ſcilicet, ad Prophetam Chriſtum veniant, & ad ipſum per pœnitentiam redeant, & ſic cauſa ſunt, quod ſanitatem gratiæ recipiunt, & procurant.

Vel etiam ſervi, & ancillæ, id eſt, deſpicabiles perſonæ, ſcilicet, piſcatores, Apoſtoli, Principes mundi ad fidem, & ad Baptiſmum vocaverunt, & ipſis mediantibus ſanitatem gratiæ receperunt. Unde Apoſtolus 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, &c.*

Naaman Syrus fortis, & dives, leproſus verò, ſanatus à lepra, Heliſæo munera obtulit, quæ, ſcilic. Heliſæus penitus refutavit. De quo Giezi puer Heliſæi indignans, & dicens, *pepercit Dominus meus Syro iſti, ut non acciperet, quæ portabat*, poſt eum cucurrit, G & talentum argenti, & duo mutatoria veſtimenta nomine Heliſæi petiit, & recepit. Quod Heliſæus in ſpiritu videns Giezi, ubi fuerit, requiſivit. Quem mendaciter ſe excuſantem, ad ſubeundum lepram Naaman condemnavit. *Nonne*, inquit, *cor meum præſens erat, quando vir de curru ſuo rediit, & quando cepiſti argentum & veſtes, ut emas oliveta, vineas, oves, & boves, ſervos, & ancillas? Sed & Lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo in perpetuum, & egreſſus eſt ab eo leproſus ſicut nix.*

Igitur hic adverte, quod dare munera volens, à lepra curatur, refutans munera à Spiritu ſancto illuminatur, accipiens munera, lepra, quæ alium dimiſerat, maculatur. In his igitur nota, quod quod illi, qui de mundi divitiis per liberalitatem, & eleemoſynam ſe liberant, leprâ avaritiæ ſe expediunt. Unde Luc. 11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda erunt vobis.* Item hoc nota, quod viri, qui dona & munera refutant, & qui non ſolùm ante, ſed poſt gratiam factam dona repudiant, Spiritu ſancto repleri merentur, & ad prævidendum occulta illuminantur. Unde Prov. 15. *Qui odit munera, vivet.*

Item nota, quod ille, qui pro mundatione lepræ, id eſt, pro Sacramentorum miniſtratione, vel pro gratiæ collatione munera recipit, lepram ſimoniæ, & avaritiæ incurrit, & ſe ſemenque ſuum, id eſt, hæredes & ſucceſſores ſuos, qui ſcil. ſibi in malè acquiſitis ſuccedunt, lepræ peccati ſubjicit & exponit. Unde de talibus, qui de ſimoniis, vel de uſuris divitias acquirunt, dicitur Proverb. 15. *Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam.*

Vel, ſi vis, allega, quod familiares Prælatorum quandoque ipſis ignorantibus pecunias accipiunt, & magiſtrorum nomine munera recipiunt, & ſic lepram ſimoniæ committunt, ſuoſque magiſtros diffamari faciunt, propter quod indignationem eorum aliquando incurrunt.

Vel dic, quomodo mali Officiales nulli extraneo reputant parcendum, ſed omnes potiùs ſpoliandos, ſicut patet de iſto, qui murmurando dicebat, pepercit Dominus Syro illi, &c. *Vivit Dominus, quia curram poſt illum, & accipiam ab illo aliquid.* Iſti totum perdidiſſe ſe reputant, quod alii ad domos ſuas reportant. Videtur enim ſibi, quod alii omnia debent eis dimittere, & nihil penitus retinere. Quod utique verum videtur de Officialibus curiæ Romanæ, & etiam de Curialibus Dominorum. Unde de ipſis dicitur Job. 40. *Abſorbebit fluvium, & non mirabitur, habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.* Vel dic, quod Giezi in veteri teſtamento, & Simon in novo Simoniam invenerunt. Unde pro gratia ſpirituali pretium Giezi accepit, & ſic illam vendere voluit. Simon verò pro gratia emenda pecuniam obtulit, ſicut dicitur Act. 8. Et ſic unus gratiam vendentium, alius ementium pater fuit, utraque tamen ſecta damnatur. Quia ſicut dicitur Joan. 2. H *Dominus ementes & vendentes projecit de templo.*

Capitulum ſextum. Textus : Dixerunt autem filii Prophetarum ad Heliſæum.

Moralitatum Cap. VII.

FIlii Prophetarum, qui cum Heliſæo morabantur, cum locum nimis anguſtum haberent, ad ſylvam, ut ibi ligna cæderent, & habitationem facerent latiorem, perrexerunt. Factum eſt igitur, quod ferrum ſecuris unius, quam mutuo ceperat, in aquam cecidit, propter quod ad Heliſæum nimis dolens & triſtis clamavit : *Heu, Heu, Heu,* (inquit) *Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam.* Heliſæus igitur lignum ſuccidit, & in aquam poſuit, & ſtatim ferrum, quod in imo latebat, ſupernatavit.

Iſtud à multis multipliciter exponitur. Dicunt enim allegoricè, quod Heliſæus eſt Dei filius, ſecuris eſt homo aſſumptus, qui ſcil. ferrum & lignum, i.e. corpus & animam in ſe habet, manubrium enim, i.e. corpus teneri potuit, ferrum verò, id eſt, animam collabi, & ab ipſo manubrio ſeparari & decidere oportuit. Quod ſcil. factum eſt, quando in morte ferrum iſtud, i.e. mortalis anima ad profundum fluminis, i. e. ad infernum deſcendit. Ferrum igitur iſtud virtute Heliſæi, i.e. anima, virtute Verbi per reſurrectionem ſupernatavit, & ad manubrium, i.e. ad corpus iterum remeavit.

Vel dic ſecundùm Hieronymum in Marc. 14. *Ferrum ponderoſum eſt genus humanum, manubrium eſt lignum vetitum, puer, qui ſecurim tenebat, eſt Adam, Heliſæus eſt Chriſtus, lignum, quod in aqua ponitur, eſt Crux, aqua verò eſt baptiſmus, fundus eſt infernus.* A Igitur iſta eſt veritas, quod ferrum iſtud, id eſt, genus humanum à principio de manu pueri, i. e. de manutenentia Adam, ab ipſo manubrio, i.e. ligno vetito in profundum inferni cecidit, & ſic Adam ferrum ſuum, quod malè tenuerat, tunc amiſit. Quod videns Dei filius Heliſæus, miſericordiâ motus, aliud lignum fecit, id eſt, lignum ſanctæ Crucis, quod cum aquâ, id eſt, cum baptiſmo conjunxit, & ſic iſtis duobus mediantibus ferrum iſtud, id eſt, genus humanum de profundo inferni, id eſt, de ſtatu damnationis rediit, & ſurſum ad ſtatum gratiæ & gloriæ natavit. Lignum enim & aqua, id eſt, Crux & Paſſio Chriſti & Baptiſmus genus humanum de profundo vitiorum elevavit, & per virtutem Chriſti ſurſum ad ſtatum gloriæ portavit, & ſic fit, quod illud, quod per unum lignum perditur, per alterius ligni beneficia reparatur. Unde canitur : *Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur : ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.*

Vel etiam eſt ipſe peccator, qui ſcil. à manubrio gratiæ, & manutenentia ſpei, & fiduciæ; & a manu pueri, i. e. ab auxilio miſericordiæ Dei, per peccatum decidit, & aliquando per avaritiam inferiùs in mundana labitur, vel etiam quandoque per deſperationem inferiùs ad infernum deſcendit. Unde dicitur Threnor. 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea ; poſuerunt lapidem ſuper me.*

Igitur

Digitized by Google

Igitur ad hoc, quod iſtud ferrum ponderoſum, ſcilicet, mens peccatrix depreſſa vel deſperata ſurſum ad manutenentiam pueri Chriſti redeat, & ad locum & manubrium ſuum, ſcilicet, ad ſtatum gratiæ reveniat, neceſſe eſt, quod lignum novum apponatur, id eſt, quod crucis memoria, ſpes & devotio intercedat. Quando enim lignum in aqua ponitur, id eſt, quando crucis devotio aquæ lachrymarum adjungitur, tunc verè neceſſe eſt, quod ferrum, quod ceciderat, id eſt, mens, quæ perierat, ad ſtatum gratiæ relevetur. Et de hoc videtur poſſe exponi illud Job. 14. *Lignum habet ſpem.* Quia, ſcilicet, *ſi præciſum fuerit*, ſcilicet, à ferro prædicto, quod eſt mens, *& ſenuerit in terra radix ejus, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cum primùm plantatum eſt.*

Vel dic, quod ferrum iſtud eſt peccator ſubditus, &c. ſicut ſupra. Qui pro certo quando à manu pueri, id eſt, obedientia Prælati per inobedientiam & apoſtaſiam decidit, ſe in profundum vitiorum
B immergit, & in aquam mundanarum delitiarum labitur. Ad hoc ergo quod iſte ad manubrium, id eſt, ad manutenentiam & obedientiam Prælati, & ad ſtatum gratiæ reveniat, & de profundo reſurgat, neceſſe eſt, quod iſte puer, Prælatus ad Heliſæum, id eſt, ad Deum per orationem recurrat, & quod caſum perditionemque illius, quem mutuo acceperat, & qui ſibi in commiſſo pro cuſtodiendo traditus fuerat, defleat, & quod etiam lignum, id eſt, virga correctionis, & aqua, id eſt, dulcedo compaſſionis concurrat. Quando enim & lignum & aqua, id eſt, ſeveritas & pietas adinvicem junguntur, facilè fit, quod ferrum, id eſt, peccator ad ſtatum gratiæ redeat, & à profundo vitiorum levetur. Undè dicitur Num. 23. *Tu virgâ percutis eum, & animam ejus ab inferno liberas.* Benè igitur dicitur: Sap. 14. *Benedictum ſit lignum, per quod fit juſtitia.*

Vel ſi vis, iſtud allega, quod quando quis perdit illud, quod mutuo accepit, magis debet contriſtari, quàm quando illud, quod ſuum eſt, amittit. *Heu*, inquit, *Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam*, ſicut de nutrice beati Benedicti legitur, quod capiſterium fractum deplorans, ipſius reparationem promeruit.

Rex Syriæ audiens, quod Heliſæus Propheta eſſet in Iſraël, qui omnes inſidias ſuas filiis Iſraël revelabat, miſit exercitum ſuum in Dothaim nocte, ut apprehenderent Heliſæum. Cum igitur nocte civitatem circumdediſſent, & ex hoc puer Heliſæi timuiſſet, dixit ei Propheta, *Noli timere, plures ſunt nobiſcum, quàm cum eis.* Rogavit igitur Heliſæus Dominum, quod oculos pueri aperiret, & quod oculos, id eſt, intelligentiam hoſtium excæcaret. Quod factum eſt, quia puer ejus ſpiritu illuminatus, totum montem plenum equis & curribus igneis pro defenſione Heliſæi vidit, exercitus autem cœcitate percuſſus, Heliſæum non agnovit, imò ipſum uſque ad medium Samariæ ſecutus fuit. *Non eſt* (inquit) *hæc via, nec iſta civitas, venite, oſtendam vobis virum, quem petitis, ſequimini me.* Qui ſcilicet ipſum Samariam ſecuti ſunt, & poſt cum ad preces Heliſæi oculi eorum aperti eſſent, ſe eſſe in medio Samariæ cognoverunt. Hos igitur non eſt paſſus Heliſæus à rege Iſraël percuti, ſed potiùs iſtos fecit cibis refici, & liberos ad Dominum ſuum remitti. *Non percutias*, inquit, *eos. Nec enim cœpiſti eos*
C *gladio, & arcu, ut percutias.*

Iſta poſſunt allegari exemplariter ad plura. Primò, quod Angeli mittuntur ad cuſtodiam Beatorum, qui ſcilicet, hic in figura curruum & equorum igneorum venerunt, Pſal. 90. *Angelis ſuis mandavit de te.*

Vel allega, quod ſoli pueri, id eſt, ſoli innocentes & puri ſunt digni Angelos videre, mali verò excæcantur, quod non ſolum ſpiritualia non vident, imò præſentia temporalia pericula neſciunt præcavere.

Vel dic myſticè, quod iſti ſervi regis Syriæ, id eſt, ſervi Diaboli ſignificant generaliter peccatores, qui, ſcilicet, cœcitate ignorantiæ in vita iſta percutiuntur, ità quod voluntariè in manus hoſtium ſuorum, id eſt, Dæmonum progrediuntur, & neſcientes ubi ſunt, aut quò vadunt, in manus hoſtium ſuorum, id eſt, Dæmonum ſeu vitiorum prolabuntur. Veruntamen ſæpè fit, quod ad preces Heliſæi, id eſt, prædicatoris, vel Prælati, oculi iſtorum per ſui conſiderationem aperiuntur, & à Deo per tribulationes & inſpirationes & per prædicationes vel ſcripturæ eruditiones ſtatus eorum ipſis revelatur. Undè dicitur Joan. 9. *Cum cœcus eſſem, modo video.* Et nunc ſe eſſe in medio Samariæ, id eſt in ſtatu peccati, & inter hoſtes ſuos, & in periculo mortis æternæ cognoſcunt, ſed à rege Iſraël, id eſt, Chriſti miſericordia liberantur, qui, ſcilicet, ipſos per damnationem non percutit, ſed pane doctrinæ & gratiæ eos reficit, & liberos abire permittit. Tali igitur peccatori ſic excæcato, & in medio hoſtium conſtituto, dicitur illud Hierem. 3. *Leva oculos in directum, & vide, ubi nunc proſtrata ſis.*

Vel dic, quod rex Iſraël, id eſt, bonus Prælatus, non ſolum debet paſcere ſuos, ſed etiam alienos: nec ſolum debet benefacere bonis & amicis, imò etiam inimicis extraneis & remotis.

Vel dic, quod nobiles Principes nunquam debent percutere illos, quos à caſu & fortuna vident in ſuis manibus ceciditſſe, ſed potiùs ipſos paſcere, hoc eſt, dimittere, ſi eos contingit ad ipſos per Dei providentiam advenire.

Hic habes, quod obſidente Benadab rege Syriæ civitatem Samariæ, facta eſt ibi tanta fames, quod mulieres parvulos ſuos comedebant. Undè factum eſt, quod duæ mulieres convenerunt inter ſe de filiis comedendis. *Da mihi*, inquit una, *filium tuum, ut co-* D *medamus hodiè, & filium meum cras.* Cum igitur ambæ matres unum de filiis comediſſent, altera die, cum ſecunda dare filium ſuum deberet, noluit, ſed filium ſuum abſcondit. Quo audito Joram rex Iſraël, quanquam iniquus, veſtimenta ſua ſcidit, & contra Heliſæum inſurgere voluit, & ipſum occidi mandavit. In craſtino tamen Dei nutu tanta abundantia in urbe facta eſt, quod duo modii farinæ ſtatere uno per illum in porta Samariæ venderentur, & ſic puer ille bonâ horâ, fuit reſervatus, quem ſequens abundantia de matrum impiarum dentibus liberavit.

Die, quod iſta Samariæ civitas, quæ interpretatur cuſtos Domini, ſignificat Eccleſiam, contra quam, ſcilicet, rex Syriæ, qui interpretatur excelſus, id eſt, Diabolus, qui per ſuperbiam eſt excelſus, cum exercitu vitiorum & Dæmonum ſemper pugnat. In iſta eſt igitur hodiè tanta fames avaritiæ, quod etiam matres, id eſt, Prælati Eccleſiaſtici, qui deberent eſſe magis miſericordes quàm matres, proprios filios, id eſt, proprios ſubditos rapinis & exactionibus comedunt & conſumunt. Quo audito ipſi reges ſæculares quanquam mali, indignantur & admirantur, & veſtimenta ſua ſcindunt, id eſt, Eccleſiaſticorum crimina deteſtantur: dicentes illud Thren. 2. *Nunquid comedunt matres filios ſuos ad menſuram palmæ?* Iſti igitur mali reges, id eſt, ſæculares videntes talium matrum, id eſt, Eccleſiaſticorum Prælatorum impietatem, ſolent contra Heliſæum, id eſt, contra Prælatos propter ipſos bonos ſubditos inſurgere, & famem avaritiæ, quæ in urbe Eccleſiæ viget, nituntur in ipſis punire. Dicunt enim, *ſi matres & Prælati eorum comedunt, quare & nos non habebimus partem noſtram? &c.*

Vel dic, ſi vis, quod iſtæ duæ matres ſignificant malos Judices, Officiales & Procuratores, qui ſcilicet, de comedendis ſubditis ſuis aut deprædandis & depauperādis inter ſe paciſcuntur, & in hoc contra pauperes filios fœderantur. *Comedamus filium tuum* (inquiunt) *hodiè, & filium meum comedamus cras.* Undè de malo fœdere iſtorum Advocatorum, ballivorum & Procuratorum, quo, ſcilicet unus alterum ad comedendum alterum adjuvat, hoc eſt, E ad proprios filios, id eſt, ad vicinos & ſubditos impugnandum, dicitur Iſa. 34. *Ibi congregati ſunt milvi, alter ad alterum.*

Vel poſſemus dicere, quod iſtæ impiæ duæ matres ſignificant malum Principem & malum Prælatum, qui, ſcilicet, inter ſe quandoque confœderantur, ad ſubditos alter alterius deprædandos. Et breviter hoc eſt verum, quod mali ſuperiores ſe ſolent invicem adjuvare, ut poſſint proprios ſubditos rapiendo gravare.

Vel dic, ſi vis de falſis ſociis & amicis, qui, ſcilicet, dato, quod inter ſe ſocietatem faciant, libenter tamen alios ad comedendum filium ſuum, id eſt, ad conſumendam patronum ſuum aſſociant, ubi verò pro rata debent convivium facere aliis, vel aliquid ex ſuo expendere, ſtatim videbis eos ſe abſcondere, & ſocietatis fidem non ſervare. Verſus:

Scævola dum comedis apud omnes, nullus apud te,
Aut repende vicem, aut deſine vèlle vocari.

Vel allega, quomodò providentia Dei occultè unum occidit, & aliū cuſtodit, & quomodò Deus ordinat quandoq; aliquē non inveniri, ut ſibi à periculo poſſit parci, & hoc quando remedium videt in propinquo parari. Videbat enim Deus, quod opulentia in urbe die craſtino debebat eſſe, & voluit tunc puerum abſcondi, ne ab ipſis matribus voraretur. Et ideò proverbium eſt,

Benè cuſtoditur, quem Deus cuſtodiendum decrevit.

Sicut etiam de quibuſdam ſceleratis audivi, quod cum Pariſiis ad paribulum adjudicati eſſent, factum eſt, quod in quadriga, in qua ad ſupplicium vehebantur, omnes contineri nequibant, undè unus eorum repoſitus eſt in carcerem, ut in craſtinum duceretur. Cum ergo aliqui amicorum cucurriſſent ad regem, & apportarent relaxationem omnium, jam alii inventi ſunt ſuſpenſi. Ille autem, qui in quadriga contineri nequierat, extitit liberatus. Divina enim judicia multis modis circa hominem operantur, & ad illos ſalvandos, alios verò non liberandos multipliciter variantur, Undè Deut. 32. dicitur: *Ego occidam & ego vivere faciam.*

Capitulum ſeptimum. Textus. Dixit autem Heliſæus: Audite verbum Domini, hæc dicit Dominus. In tempore.

Moralitatum Cap. VIII.

SYri obſidentes civitatem Samariæ, nocte à Domino territi ſunt, F tumultum & ſonitum audientes, ac per hoc timuerunt taliter, quod relictis tentoriis, & cuncta ſuppellectili receſſerunt. Igitur cum viri leproſi ex Iſraël ad Syriorum exercitum confugerent pro eo, quod propter famis inopiam, in Samaria

Digitized by Google

remanere nequirent; factum est ut in castris Syriæ neminem invenirent, sed aurum & argentum indè tollentes fugam Syrorum in civitate nunciarent; filiis Israël cuncta diripientibus, & in civitatem deportantibus, abundantia tanta ibi facta est, quod duos modios hordei pro uno statere argenti habebant, qui priùs proprios filios manducabant.

Sic verè moraliter loquendo, quandoque contingit, quod viri leprosi, i. e. pauperes religiosi, qui leprosi, i. e. viles & abominabiles ab hominibus sæcularibus reputantur, sicut dicitur de Christo, Isa. 53. *Reputavimus eum leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum,* vadunt ad castra Syrorum, qui erant gentiles, i.e. ad scientias Philosophicas, in quibus se. castris, i. e. in quibus philosophorum gentilium libris, & scientiis post ipsorum fugam, recessum, & mortem, isti aurum sapientiæ, & argentum eloquentiæ invenerunt. Quod respicientes per humilitatem absconderunt, nec ipsam propalando, inanem gloriam indè quærunt; sed tandem opulentiam scientiarum, quam in illis castris invenerunt, in urbe Ecclesiæ famelica prædicando nuntiant, omnemque famem ignorantiæ indè fugant. Isti enim quatuor fuisse dicuntur, in quantum quatuor virtutibus cardinalibus insigniti, & quatuor Evangeliorum doctrinis imbuti, per quatuor mundi partes prædicare noscuntur. Undè dicitur: *Inventus est vir pauper in ea, & liberavit eum sapientia sua.* Eccl. 9.

Hic scribitur de illo Principe, qui dicenti Helisæo in crastino summam fertilitatem in Samaria futuram, ubi tamen præ fame matres filios comedebant, credere noluit, & quasi deridendo cœpit dicere, *& si Dominus cataractas cœli aperuerit, impossibile est, quod tu dicis:* Helisæus autem ironicè respondens ait: *Videbis*, inquit, *& non comedes ex eo.* Quod factum est, quia in crastino fugientibus Syris, qui civitatem obsederant, propter victualia ab eis derelicta, opulentia nata est. Ille verò Princeps, qui in porta civitatis à rege fuerat constitutus, fuit in turba populi conculcatus, & sub pedibus interfectus.

Potest hoc allegari, quod fatuum est divinis verbis contradicere, G sed potiùs necesse est ipsa cum reverentia credere, & in eventu certificè confidere & sperare.

Capitulum octavum. Textus. Helisæus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium.

Moralitatum Cap. IX.

Hic habes, quod mulier illa Sunamitis, cui Helisæus filium dederat, & mortuum suscitaverat, postquam multis annis peregrinata fuisset, ad terram Israël rediit, cui rex Israël omnia, quæ priùs sua fuerant, restitui mandavit.

Sic verè anima, cujus filium, i. e. cujus animum Helisæus, id est, Deus per creationem dat, & per baptismum resuscitat, postquam diu est peregrinata per mundum in hac vita, peragrat in Israël, i. e. in Paradisum finaliter revertitur, ubi rex Israël Deus pater hæreditatem suam, se. gloriam Paradisi sibi restituit atque donat, Psal. 15. *Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi, &c.*

Vel dic, quod mulier ista post Baptismum quandoque peccando à Deo peregrinatur, tandem tamen per pœnitentiam revertitur, & tunc ad possessiones virtutum, quas antea habuerat, restauratur: pœnitentia enim post luctum facit gaudere, & omnia, quæ nostra fuerant, scilicet, virtutes, & gratias, quas homo habuerat ante peccatum, facit rehabere, cui tamen Novatianus hæreticus credidit contrarium, ut patet in historia tripartita.

Hic habes, quod Benadab rex Syriæ, qui prius in prosperitate positus, Helisæum capi & occidi mandaverat, nunc verò in infirmitate constitutus, ipsum honorari, & utrum moriturus esset, consuli mandat. In quo nota, quod multi sunt, qui in prosperitate positi, sanctos viros & religiosos contemnunt; in infirmitate verò & tribulationibus constituti, eos humiliter, & reverenter eorum orationes requirunt.

Istud etiam dic de quibusdam, qui quando sunt sani, de Helisæo, H id est, de medico parum curant; cum verò infirmi sunt, ipsum cum muneribus honorant, & visitant. Undè Eccl. 38. *Honora medicum propter necessitatem.*

Hic habes, quod Azahel dato, quod audivisset ab Helisæo, quod dominus suus Benadab rex Syriæ erat in infirmitate sua moriturus, ad ipsum tamen rediens dixit ei, quod potiùs esset sanandus, cujus contrarium factum est, quia ipsemet Azahel stragulum super faciem ejus posuit & aquam infudit, & hoc est secundùm Josephum, quod in lecto laqueo ipsum strangulavit. Qui suffocatus obiit, & ipse Azahel loco ejus regnavit.

Iste Azahel significat adulatores, quia isti dato quod sciant dominos suos infirmos, peccatores, & morti æternæ propinquos, ipsi tamen prædicant eos sanandos & tanquam justos finaliter esse salvandos. Undè isti aquam dulcium verborum semper infundunt, & sic laqueis verborum etiam ipsos irretiunt, & ità dum eos in malis justificant, mortem spiritualem sibi attribuunt. Undè Isa. 3. *Populus meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Istud ergo breviter est verum, quod causa, quare adulator Dominum suum regem, scilicet, Prælatum vel Principem suis adulationibus interficit decipiendo, ad hoc solum est, ut in curia ejus regimen, & dignitatem, & officium retinere possit, quia etiam hodie videmus, quod adulatores Dominos suos mentiendo & falsè justificando, & verba placentia loquendo suffocant, & ad hoc omnia ad ipsos attrahunt & inclinant, quatenus loco eorum, ut communiter, imperent atq; regnent; in quantum scilicet, tales præ aliis diliguntur, & à magistris suis in altis dignitatibus collocantur, & etiam, quod ampliùs est, quia quandoque potiùs quàm ipsi magistri sui imperare noscuntur: Undè de illis potest exponi illud 3. Reg. 16. *Irruens Zambri occidit Hela, & regnavit pro eo*, occidit, dico, adulando, & regnavit pro eo, domum, & hospitium gubernando, & dignitatem ab eo obtinendo.

Capitulum nonum. Textus. Helisæus autem Propheta vocavit unum de filiis Prophetarum. A

Moralitatum Cap. X.

Hic 9. cap. in fine habes, quod cum Jehu fuisset inunctus in regem, & Joram & Ochoziam reges Israël, & Juda occidisset, factum est, quod Jezabel mater Joram videns Jehu ad palatium venientem, suos oculos stibio inunxit, & parata & ornata, Jehu audacter alloquens, de hoc quod filium suum occiderat, increpavit. Qui statim de palatio ipsam præcipitari fecit, & jussit, intinctoque sanguine ejus pariete, equorum ungulis conculcanda, tandem à canibus comesta est, & juxta verbum Heliæ, in loco, ubi Jezabel fecit occidere Naboth, carnes ejus canina rabies devoravit. 3. Reg. 21.

Si vis allega, quod in quo quis peccat, in illo punitur. 2. Reg. 9. Ista enim ibidem Naboth injustè occidi fecerat, ità quod canes sanguinem ejus linxerunt, ideò occisa ibi est, & canes ipsam penitùs præter calvariam voraverunt.

Vel dic, quod illæ mulieres, quæ se superbè ornant, & ut placeant hominibus, stibio facies suas sophisticant, ex hoc quandoque displicent, & nihilominùs canes inferni ipsas finaliter devorant. Undè Hierem. 4. *Cum pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris, contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent.*

Vel dic, quod illud unguentum sophisticum hypocrysim significat, quâ inunctis hypocritis, ut regi Israël, id est, Prælatis & Superioribus placeant, quandoque contingit contrarium, quia scilicet, percepta hujusmodi fictione, non solùm non honorantur, sed de palatio, id est, de dignitate vel officio, domo, curia vel hospitio præcipitantur, & canibus, id est, Officialibus & Ballivis exponuntur. Sen. *Nihil quod simulatum est & fictum, potest esse diuturnum.*

Vel dic, quod rex Israël est Christus, qui tales destruit & deponit, & canibus infernalibus exponit.

Vel si vis, allegoricè dic, quod Jezabel significat impiam Synagogam, quæ scilicet sanguinem Prophetarum & Sanctorum sitierit, & multoties cum idolis fornicata fuerit, & stibio, id est, exterioris legis sophisticamento, & superficiali intellectu circa mentis oculos picta erat. Hanc igitur Jehu Princeps, id est, Christus depositit, & de palatio templi & legalis fastigii per Principes gentium detraxit, & canibus, id est, mundi Tyrannis undique dispersam & captivam exposuit & concessit. Undè & de Jezabel dicit dominus Apocal. 2. *Mittam eam in lectum, & qui mœchantur, &c.*

Capitulum decimum. Textus. Erant autem Achab septuaginta filii.

Moralitatum Cap. XI.

Hic cap. 10. dicitur, postquam Jehu duos impios reges Israël & B Juda, Joram & Ochoziam occidit, filios Joram septuaginta decapitari, & capita deferri mandavit, nec non fratres Abasiæ quadraginta duos, qui ad visitandum filios regis in Samariam descenderant, interfecit, totamque domum Achab, optimatesque & Principes, notos & amicos, Prophetas & Sacerdotes destruxit. Voluit igitur Prophetas Baal occidere, idolum & cultum ipsius extirpare. Iste igitur se fingens velle colere Baal, sacrificium fieri ordinavit, & sic sub colore sacrificii sacerdotes & Prophetas ipsius congregavit. Audientes igitur regem velle sacrificare idolo suo, continuò congregati sunt, & à rege munera & dona speraverunt, quinimò & vestes cuilibet ipsorum, ut magis allicerentur, dari mandavit, & ne quis fortè de servis Domini esset cum servis Baal, districtiùs imperavit. Dum igitur circa sacrificium occupati omnes stetissent, ad hoc à militibus fores ordinatè clauduntur, omnes gladio perimuntur, statuaque Baal destruitur, & in templo ejus latrinæ constituuntur, & sic cultus Baal de Israël extirpatur.

Ista possunt allegari, quod mali, undè sperant præmium, quandoque acquirunt supplicium, & quod *extrema gaudii luctus occupat.* Prov. 14. Undè si vis, dic mysticè, quod Jehu significat Deum, Baal verò significat Diabolum, quia scilicet, revera Jehu

rex

Digitized by Google

rex Israël, scilicet, Deus videtur nunc pro tempore hujus vitæ servos Baal, id est, peccatores servos diaboli diligere, in quantum solet eos ad templum Ecclesiasticarum dignitatum, & beneficiorum aliquando vehere, & promovere, & vetulos, id est, bona temporalia ipsis dare; sed procul dubio totum illud insidiosè facit, quia scilicet, omninò istos ad victimam æternæ mortis custodit, quod patebit, quia finaliter milites suos, id est, Angelos mittet, & servos Dei à servis Baal, id est; bonos à malis sejunget & separabit, & ipsos malos destruet, templum etiam Baal, id est, mundum, statuam ejus, id est, cor-
C pus reproborum, cultum ejus, id est, executionem vitiorum dissipabit totaliter & subvertet. Undè Isa. 25. *Præcipitavit Dominus mortem in sempiternum.* Et Matt. 3. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus scandala, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis.*

Vel dic, quod Jehu est bonus Prælatus, vel cautus Judex, qui quandoque solet se malum dissimulare, ut sic posset malos melius corrigere. Exemplo Constantini, de quo legitur in historia tripartita lib. 1. c. 7. quod volens probare, qui essent in domo sua viri Christiani, se velle gentiles plus quàm Christianos diligere simulavit, qui munera & dona Christum vel idola adorantibus promisit, & sic veros à fallis Christianis cognoscens, bonos & stabiles honoravit, alios verò fallaces vilipendit.

Vel dic, quod Jehu est bonus Prælatus, qui sc. cultum Baal, id est, cultum vitiorum & hæresim debet de regno & collegio suo eradicare, Prophetas etiam Baal, id est, malos & ambitiosos Clericos maximè hæreticos, & servos Baal, id est, malos inferiores Judices debet destruere & punire, & eos cautè investigare, & ne tamen bonos cum malis involvat, debet ipsos ab inimicis segregare, *Vide*, inquit, *ne fortè nobiscum sit de servis Domini, sed ut sint soli servi Baal*, & sic filii Israël, id est, viri justi de templo Baal debent latrinas facere, in quantum *mundi status & divitias & eminentias debent* cum Apostolo *stercora reputare.* Philip. 3.

Vel dic, quod Jehu est diabolus, Baal, qui interpretatur devorator, significat tria peccata, sc. superbiam, quæ devorat honores ambiendo. Avaritiam, quæ devorat divitias. Gulam seu luxuriam, quæ devorat delitias. Dico igitur, quod Jehu, id est, diabolus, pro tempore hujus vitæ se esse amicum servorum Baal, omnium peccatorum simulat, ipsosque insidiosè ad cultum illius Baal, id est, ad elevationem superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, & gulæ sollicitat; finaliter verò, ubi non cavent, ipsos spiritualiter & æternaliter percutit & occidit, & sic gaudium eorum vertit in luctum, & se esse inimicum ostendit. Benè igitur dicitur Eccles. 12. *Non credas inimico tuo in æternum.*

Hic habes, quod Jehu, qui omnia mandata Dei contra domum Achab impleverat, & cultum Baal, & ejus Prophetas destruxerat, multosque alios occiderat, à vitulis tamen aureis adorandis non abstinuit, propter quod multa mala à rege Syriæ passus fuit.

D Sic verè sæpè fit, quod Prælatus diligenter se habet in his, quæ pertinent ad justitiam & fidem, utpotè quia malos punit, hæresim & idololatriam evertit. Veruntamen vitulos, id est, florenos aureos adorat & diligit, & sic qui aliàs bonus erat, per avaritiam perit. Propter quod rex Syriæ, id est, diabolus per se & tyrannos suos sibi & regno suo, sc. Ecclesiæ plura mala facit.

Vel dic generaliter contra quemcunque avarum aliàs bonum. Undè Amos 9. *Avaritia in capite omnium, &c.*

Capitulum undecimum. Textus. Athalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum.

Moralitatum Cap. XII.

Athalia mater Ochoziæ, videns filium suum mortuum, & fratres ipsius à Jehu rege Israël interfectos, occidit omne semen regium, ut ipsa sola regnaret in Hierusalem. Tunc tamen, cum filii regis actualiter ab Athalia necarentur, Josaba regis soror filium regis parvum & nutricem ejus de triclinio furata est, & abscondit eum, eratque in templo Domini clam sex annis. Cum igitur nullus superstes de filiis regis crederetur, Joiada summus Sacerdos, vocatis centurionibus & militibus, parvulum regni hæredem, quem clam in templo nutriverat, ostendit eis, & secretè fœdus inter eos & regem pepigit, & occisâ impiâ Athaliâ, ipsum in regis solio constituit. Qui statim per longa tempora justè vixit, pecuniasque de populo congregavit, & sarta tecta templi industriâ reparavit. Quem tandem servi sui occiderunt, qui etiam mortem condignam postea sustinuerunt, sicut patet 2. Paralip. 24. & 25.

Ista exponuntur à multis primò allegoricè. Per Athaliam, quæ interpretatur Dominus temporalis, intelligitur Synagoga, quæ scilicet temporaliter non perpetuò erat in suis cæremoniis duratura, & quæ etiam temporaliter, usque ad Christi adventum, erat in terra Israël regnatura. Joas rex parvulus, id est, humilis, est Christus. Joiada sacerdos, qui interpretatur memoria Domini, vel dilectus Domini, est prædicatorum cœtus. Josaba quæ interpretatur, in quo est incensum domini, gentilitatem significat, in qua scilicet, incensum Domini, id est, fides, & oratio nunc perseverat. Igitur ista est veritas, quod Athalia, id est, impia Synagoga semen regium, id est, Christi fidem, de qua dictum E est: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ*, omnesque ipsius sectatores voluit occidere & delere, & etiam ipsum Joas, Christum scilicet, cum suis sequacibus, id est, Apostolis, & Martyribus, ut sola regnaret, & ne regnum perderet, occidere tentavit, dicens scilicet in Caipha: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne veniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem Joan. 11.* Sed procul dubio Josaba, id est, humilis gentilitas, istum & nutricem ejus, scilicet devotionem & fidem credendo rapuit, & per humilitatem abscondit, & in templo cordis posuit, ubi scilicet Joiada, id est, prædicatorum turba, ipsum prædicando nutrivit, & corpus ejus mysticum, scilicet, fidelium congeriem, usque ad virtutum perfectionem deduxit. Undè Exod. 2. *Accipe puerum, & nutrieum.* Ipsumque regem super solium Ecclesiæ constituit, & regnum in manu ejus tradidit, in quantum conversis populis ipsum regem & Dominum credi fecit, & in quantum ipsum in judicio regnaturum monstravit. Quod sc. nunc videns Athalia Synagoga tristatur, quæ etiam per milites, scil. Romanos confoditur & turbatur, templum verò Ecclesiæ ab isto rege Joas, id est, à Christo & fidelium populo, cum ministerio Joiadæ, id est, cum prædicatorum auxilio reparatur, & nunc per Dei gratiam, Synagogâ perditâ, ipse Joas Christus in templo Ecclesiæ, & in spiritualis regni solio prosperatur.

Vel dic, quod Athalia timens perdere regnum, significat Herodem, qui semen regium, id est, pueros Israël occidit, inter quos Joas, id est, Christum occidere credidit, quod non fecit; quia scilicet ad monitum sororis regis, id est, ad instinctum Archangeli Gabrielis, Joiada sacerdos, id est, Joseph, nutricem, & puerum, id est, Mariam, & Jesum tulit, & eum usque ad tempus in Ægyptum abscondit, qui tandem se in Israël regnans, id est, publicè prædicans ostendit, & se etiam regem Israël non negavit. Undè dicitur: *Tu dicis, quia rex sum ego, &c.* Jo. 18. Pòst ipsa Athalia, id est, ipse Herodes mortuus fuit; Christum Regem tamen servi sui, id est, Judæi finaliter occiderunt, de quo tamen pœnam citò post persolverunt, quando per Romanos Titum Vespasianum tam mortem quàm exilium propter necem sui Domini pertulerunt. Undè 4. Reg. 9. *Nunquid pax erit Zambri, qui interfecit Dominum suum?*

Vel dic allegoricè, quod Joas, id est, Christus, quem occidisse cre- F dit Synagoga, nunc in templo Paradisi custoditur. Finaliter tamen in die judicii super solio judicans contra eum accingetur.

Vel dic moraliter, quod Athalia, quæ interpretatur declinatio Domini, significat mundi prosperitatem, vel diabolum, vel mentis iniquitatem, quæ vel qui facit Dominum fugere, & declinare, semen regium, id est, bonum propositum, vel virtutum exercitium solet in Hierusalem, id est, in conscientia enecare, & ibi studet solus imperare, & indè Joas, i.e. memoriam Domini totaliter extirpare. Ista enim sunt, quæ memoriã Domini in mente occidunt, & quæ hominem à Deo declinant, & divertunt. Undè illud Gen. 40. *Succedentibus prosperis oblitus est interpretis sui.* Sed pro certo Joiada, qui interpretatur Domini cognitio, Joas, i.e. memoriam Domini servat, quia quando homo cognoscit, quid sit Deus, ipsum oblivioni faciliter non dat, & ipsum, & nutricem ejus, quæ est gratiarum actio, ibidem protegit. Finaliter autem Joas & Joiada, i.e. Domini memoria in Hierusalem prævalent, & Athaliam diabolum, iniquitatem vel concupiscentiam de regno cordis effugant, & per pœnitentiam ipsum interficiunt; nunquam enim potest regnum cordis destrui, quamdiu Joas, i. e. Domini memoriam ibidem contigerit reservari. Undè Tob. 1. *Quia Domini memor fuit in toto corde suo, dedit ei gratiam.*

Vel dic, quod Athalia significat ambitiosum, effœminatum, mollem, defectuosum Prælatum, qui cupiditate regnandi ad finem, ne inveniat repugnantem, studet omne semen regium, i.e. bonos subditos occidere & gravare, suppeditare vel deponere, ut sic possit securè aliis imperare. Quod etiam ad literam Tyranni facere solent, qui in principio omnes potentes occidere student, & omnes illos, de quorum potentia, justitia, vel rebellione timent, vel saltem ipsos nituntur ità deprimere, & depauperare, ut de eorum rebellione non formident, sed sæpè contingit, quod aliquis Joas, i.e. aliquis memorans Dominum, sc. aliquis subditus bonus à Deo absconditur, qui tandem de consilio Joiadæ sacerdotis, i. e. cum adjutorio Papæ istum accusans, prævalet contra ipsum, & eo victo, in loco ipsius promovetur, qui justè regnans, & dominans templum Ecclesiæ vel patriæ relevare conatur. Undè Job. 34. *Perdet multos & innu-* G *merabiles, & regnare faciet alios pro eis, &c.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Anno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda.

Moralitatum Cap. XIII.

Joas rex Israël descendit ad Helisæum propter infirmitatem, Cui præcepit Helisæus, quod arcum manu sumeret, & impositis manibus suis super manus regis, præcepit, quod fenestram aperiret,

Digitized by Google

aperiret, & traheret. Quo facto dixit Helisæus : *Sagitta salutis Domini, sagitta salutis contra Syriam.* Item præcepit sibi, quod jaculo terram percuteret, quod cum ter concutiendo fecisset, indignatus est Helisæus, quod non quinquies aut septies percussisset, asserens, quod tunc toties Syriam devicisset. *Si*, inquit, *percussisses terram quinquies, sexties, aut septies, Syriam percussisses usque ad consummationem, nunc autem tribus vicibus percuties eam.*

Dic, quod Helisæus significat Christum, qui pro certo vult & præcepit, quod Joas, qui interpretatur memoria Domini, rex Israël, id est, prædicator vel Prælatus arcum sacræ scripturæ manu bonæ operationis accipiat atque tangat, & deindè fenestram cordis per discretionem aperiat, & sic sagittas divinorum eloquiorum emittat. *Pone*, inquit, *manum tuam super arcum, aperi fenestram, & jace sagittam.* Ista enim per ordinem se debent habere, quia scilicet primò prædicator debet manum ad implendum, quod scriptura præcipit, apponere; deindè cor per discretionem aperire, & sic potest sagittam divini eloquii prædicando jactare, & maximè quia tunc solet Deus manum suam manibus suis adjungere, in quantum opera ejus solet virtualiter adjuvare. Undè dicitur Act. 1. *Cœpit Jesus facere & docere.* Ità quod tunc talis sagitta, id est, talis prædicatio sagitta salutis, contra Syriam, id est, contra diabolum solet esse, quæ corda auditorum potest usque ad in-
H tima penetrare. Undè etiam possunt tunc auditores dicere illud Job. 6. *Sagittæ Domini in me sunt.* Isti ergo præcipitur, quod jaculo reprehensionis terram, id est, terrena percutiat, quod cum negligenter exequitur, Deus quamplurimùm se conturbat, & hoc, quia quantò sæpiùs terram, id est, terrenos arguit, & percutit, tantò Syriam, quæ interpretatur sublimitas, id est, sublimem superbiam diaboli, ampliùs superat atque lædit. Et ideò de continuatione istius sagittationis sive prædicationis benè dicitur Isa. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum.*

Vel dic, quod jaculum istud significat divini timoris punitionem, vel pœnitentiæ, vel tribulationis, vel etiam contritionis, vel cujuscunque amaritudinis læsionem. Quia pro certo terra nostra, scilicet mens interior, vel caro exterior quantò sæpiùs percutitur, tantò contra Syriam, id est, contra diabolum fortiùs prævalet.

Vel dic, quod prædicator terram, id est, auditorem tribus vicibus percutit, quando de fide Trinitatis ipsum erudit; quinquies eum percutit, quando de incontinentia quinque sensuum ipsum redarguit; sexies percutit, quando de sex operum misericordiæ carentiâ ipsum corrigit; septies percutit, quando pro septem peccatis mortalibus ipsum ferit. Quantò ergo ad hujusmodi percussiones ampliùs processerit, tantò magis contra Syriam, id est, contra diabolum prævalebit, & tantò victoria sua major erit.

Hic dicitur, quod mortuo Helisæo & sepulto contigit, quod quidam sepeliebant hominem propè ipsum, sed (cum latrunculi transivissent) timentes sibi, cadaver in proprio sepulchro sepelire non ausi fuerunt, sed ut fugæ consulerent, ipsum in sepulchro Helisæi posuerunt. Quod ut corpus Helisæi tetigit, mox homo ille, qui mortuus fuerat, resurrexit.

Sic verè, si vis cadaver tuum, id est, carnalem vitam sepelire, & per pœnitentiam celare, & adhuc videas latrunculos, id est, dæmones, & vitia tibi obsistere; necesse est, quod sepulchrum Helisæi, id est, Christi, per considerationem aperias, & quod per passionis, & mortis suæ memoriam istud cadaver carnalis vitæ ibi sepelias & abscondas. Quod pro certo si feceris, virtus corporis Helisæi mortui, id est, Christi talis erit, quod ipsum cadaver tuum, id est, carnalem vitam à mortuis suscitabit, in quantum ipsam in vitam spiritualem mutabit, & de morte culpæ, & pœnæ sanabit. In tali igitur sepulchro sepeliamur, ut de morte culpæ ad vitam spiritualiter reducamur. Undè dicitur. 3. Reg. 13. *Sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est.*

A Vel allega de bona societate, quia sicut corpus sanctum sive cadaver, eum, quem tetigit, fecit resurgere; sic sanctus homo, quando à cadavere, id est, à peccatore associatur & tangitur, facit eum peccata renuere, & exemplis suis ad vitam gratiæ revenire. Undè Luc. 7. Christus ipse defuncti tetigit loculum. Et tunc dixit. *Adolescens, tibi dico, surge*

Vel dic, quod sanctum corpus alteri vitam præbuit, & non sibi, ad denotandum, quod sancti viri beneficia temporalia aliis concedunt, quæ sibi non recipiunt, sed potiùs ea spernunt.

Vel Helisæus mortuus significat prædicatorem, doctorem, aut correctorem mortuum, id est, malum, infamem, & iniquum, quia scilicet iste tactu suo, id est, correctione vel reprehensione verbali vel reali, alios mortuos, id est, alios peccatores convertendo suscitat, ipse verò à morte criminum non se levat, ità quod sibi propriè potest dici illud Matth. 27. *Vah, qui destruis templum Dei, salva temetipsum, alios salvos fecit, &c.*

* * * * * * * *

Capitulum decimum quartum. Textus. In anno secundo Joas filii Joacham regis Israël regnavit Amasias.

Moralitatum Cap. XIV.

CUm Amasias rex Juda percussisset Edom & filios Seir, & decem millia occidisset, & alia decem millia cepisset, elevatum est cor ejus in superbiam, & Joas regem Israël multò se potentiorem provocavit ad bellum. Joas autem præsumptionem ejus reprimens, & parabolam de carduo sibi scripsit, quod bestiæ saltûs indignatæ conculcaverunt carduum, pro eo quod filiam Cedri præsumptuosè filio suo petierat in uxorem, quæ cum metaphoricè sibi dixit, illum Carduum, se autem Cedrum, significans, superbiam ejus increpavit. *Carduus* inquit, *misit ad Cedrum, quæ est in Libano, ità quod filiam suam filio suo daret in uxorem. Quo indignante, bestiæ saltûs conculcaverunt carduum. Percutiens*, inquit, *prævaluisti super Edom, & sublevavit te cor tuum. Contentus esto gloriâ tuâ, & sede in domo tua, Quare*, inquit, *provocas malum, ut cadas tu, & Juda tecum?* Non acquievit autem Amasias, sed contra ipsum ad bellum prorupit, in quo sibi malè per omnia successit, quia ibi ipse fuit victus, murus Hierusalem destructus, & populus tributarius factus. Ipse verò Amasias propter hujusmodi infortunium à suo proprio populo extitit interfectus.

Istud allega, quod quandoque accidit, ut quando quis in aliquo negotio fortuito se habuit, & aliquam gloriam vel victoriam obtinuit, vel contra aliquem minorem prævaluit, quandoque in tantam superbiam erigitur, quod ad aggrediendum fortiora cor ejus elevatur, ita quod quamvis ipse non sit nisi carduus, id est, modicus & de- B
pressus, se tamen cum Cedris, id est, altis personis æquiparare conatur, & propriâ fortunâ vel gloriâ non contentus, sed ampliorem ambiens, contra arduos & ardua dimicat & luctatur. Sed pro certo Deus suam ingratam præsumptionem humiliat & conterit, & ipsum à bestiis saltus, id est, à superbis hostibus conculcari permittit, ipsumque vinci, capi, subjici, civitatem & regnum ejus destrui facit, & finaliter ipsum per proprios subditos suos perdi, occidi, vel aliàs molestari sinit, & sic quia contentus non fuerat gloriâ sibi datâ, aliud infortunium triste sibi reddit. Benè igitur dicitur Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris.* Qui enim de data gloria ingratus extitit, & majora indignè ambivit, utrumque perdere dignus est. Undè Luc. 3. *Contenti estote stipendiis vestris.*

Vel dic moraliter, quod sæpè fit, quod qui Edom, qui interpretatur sanguineus, id est, terrena & carnalia superat, exinde de se ipso præsumens, regem Israël, id est, Deum per superbiam impugnat, & ipsum contra se provocat, dum altiora cogitat, atque tentat, & dum magis in difficilibus certaminibus, stare sperat. Sed revera sæpè fit, quod à bestiis saltûs, id est, à dæmonibus, vitiis, & temporalibus conculcatur, & dum diversis malis complacentiis captus est, subjugatur, murus Hierusalem, id est, fortitudo suæ conscientiæ laniatur, ità quod finaliter per mortem perpetuam ingloriatur, & sic quia minùs meritum & minor gloria sibi non sufficit, sed proprias vires non metuens, ad difficiliora procedit, utrumque dignus est perdere, & à virtutibus cadendo vitia incurrere, & tandem ad mortem æternam flebiliter devenire. Tali igitur præsumptuoso potest C
dici illud Exod. 18. *Stulto labore consumeris; ultra vires tuas est negotium.* Meliùs est igitur in minori perfectionis gradu bonum esse, quàm altiora aggredi & perire. Undè 1. Cor. 10. *Qui stat, videat, ne cadat.*

Capitulum decimum sextum. Textus. Anno decimo septimo Phaceæ filii Romeliæ regnavit Achaz.

Moralitatum Cap. XV.

HIc fit mentio de illo nequissimo rege Juda Achaz, de quo inter cætera dicitur, quod cum quadam die Damascum ad regem Assyriorum descenderet, volens sibi placere, eo quod ipsum de manu regis Israël & Syriæ liberasset, & occiso rege Syriæ populum ejus in Cyrenem transtulisset, vidit ibi altare Damasci, & accepto exemplari ejus, misit illud ad sacerdotem Uriam in Hierusalem, ut ad similitudinem ejus altare in templo Domini fabricaret. Quo facto rex altare, æneum mare, & luteres templi, quæ fecerat Salomon, deposuit, & super pavimentum ad partem aquilonarem posuit, & ex tunc super altare novum, relicto alio, sacrificare mandavit.

Si vis, per fatuum regem Achaz intellige quosdam fatuos Prælatos vel Principes, qui scilicet de civitate sua, id est, Ecclesia vel collegio deponunt altare, mare, & luteres Salomonis, id est, bonos viros antiquos & provectos, qui scilicet sunt mare per amaram contritionem, luteres per satisfactivam operationem. Illos enim, quos in Ecclesia vel patria patres sui vel prædecessores collocaverunt, & pro consiliariis habuerunt, ac eos in honoribus & officiis tenuerunt, solent super pavimentum ponere, & ad gradum infimum deponere, & altaria Damasci, quæ erant altaria idolorum, id est, malos homines & alterius nationis loco eorum substituere, & eos in suis curiis & officiis promovere.

Digitized by Google

movere. Novas enim personas in officiis suis statuunt, & extraneos magis quàm suos diligunt,& eos, suis & suorum antiquis familiaribus dimissis, in suis domib. & curiis introducunt. Undè dicitur: *Novis, supervenientibus vetera projicientur. Nova enim diliguntur, & antiqua fastidiuntur.* Sicut fecit Roboam, 3. Reg. 12. Qui senes consiliarios Salamonis dereliquit, & novos & juvenes subinduxit, & ideò regnum pro majori parte amisit. Contra quos D dicitur Ecclesiastic. 9. *Ne derelinquas amicum antiquum. Novus enim non erit similis huic.*

Vel dic moraliter, quod Achaz,id est, diabolus summè nititur, quod in Hierusalem, id est, in anima altare, mare, & luteres Salomonis,id est,devotio,contritio, & confessio deponantur, & altare Damasci, id est, mala intentio & cultus vitiorum,ubi fiat sacrificium malorum operum, inducatur.

Vel dic,quod malum est regi Juda,id est,viris Ecclesiasticis & Religiosis Assyriorum, id est, mundanorum Principum curias visitare, cultus idolorum & eorum altaria,id est,cultus sæcularium & eorum mala exempla respicere, ad Damascum, i. e. ad mundi negotia descendere, quia pro certo sæpè fit, quod ad complacendum regi Assyriorum, i.e. principibus sæcularibus, cum quibus degunt, nituntur se eis conformare,& sic studeant in Hierusalem, i. e. in Ecclesia & in templo cordis sui altare Damasci,i.e.ritus & conditiones, cultus,i.e. pompas & vitia sæcularium introducere,altare verò Salomonis, i.e. cultum religionis & devotionis dimittere, & facere cessare. Undè dicitur 3. Reg. 19. *Altaria tua destruxerunt, & pactum tuum dereliquerunt.* Quod patet de Episcopis, Clericis, & Religiosis,qui rectè sæculares esse videntur, & de Ecclesiasticis moribus nihil penitùs,aut parum imitantur. Altare enim Damasci exemplariter in Hierusalem introducitur,quando mores sæculares ab Ecclesiasticis colunt. Undè Judic. 14. Samson descendens in Thamnata,vidit mulierem de filiabus Philistinorum,quæ placuit oculis ejus, ideò ipsam in uxorem accepit. Quia revera religiosus in mundum descendens,Philistinam & sæcularem conversationem faciliter capit in uxorem,& ideò prohibitum est, ne in Israël uxores alienigenas introducant.

Capitulum decimum septimum. Textus. Anno duodecimo A- E chaz regis Juda, regnavit Osee filius Hela.

Moralitatum Cap. XVI.

Postquam rex Assyriorum transtulisset filios Israël apud Medos, & in eorum civitatibus Medos, & Babylonios collocasset, & & terram Israël ipsis in hæreditatem dedisset, factum est, quod leones immissi à Domino ipsos interficiebant, & hoc quia non Dominum, sed sua idola colebant, & Dominum non timebant. Scriptum est igitur regi Assyriorum, quod quia gentes, quas in Israël, & in Samariam, & urbes ejus transtulerat, nesciebant ritum Dei terræ, à leonibus occidebantur, & quod unus de captivis sacerdotibus, qui ipsos doceret colere Dominum, de Babylonia mitteretur. Unus igitur Sacerdotum in Bethel rediens, populum Deum colere docuit, & sic leonum rabies quievit.

Sic verè rex Assyriorum,id est,diabolus, mirabilem videtur commutationem in terra Israël,id est, in Ecclesia & in Babylonia, id est, in mundo fecisse, ac instituisse; quia pro certo jam videtur Babylonios in Israelitas & Israelitas in Babylonios commutasse, terra enim Israël Ecclesiam designat,Babylonia mundum significat: & sic Israël bonos Ecclesiasticos, Babylonia verò malos & mundanos denotat. Ista est igitur veritas, quod rege Assyriorum,diabolo,procurante,terra Israël,id est,Ecclesia,à viris Israëliticis,qui interptetantur videntes Deum, id est,à viris sanctis & religiosis Deum contemplantibus viduatur,& hoc:quia pro certo illi,qui Israelitæ esse debuerant, in Babylonios, id est, in sæculares & mundanos hodiè convertuntur, in quantum scilicet,mundi negotiis se implicant, & in Babylonem, id est, in inundum & in curias & officia principum transferuntur, & sic propriè isti, qui sunt in Israël,non Israelitæ, sed potiùs Medi vel Babylonii nominantur, de quibus Apostolus Rom. 9. dicit. *Non enim omnes,qui ex Israël sunt, Israelitæ.* Econtra illi, qui propriis bonis,scilicet,Israelitis viris, id est, sanctis, & in mundo succedunt, & de Babylone, id est, de mundo modernis temporibus ad Ecclesiæ statum veniunt, & terræ civitates & castra, id est, Ecclesiæ dignitates & beneficia detinent & regunt, non propter hoc Israelitæ, id est, sancti contemplativi & discreti fiunt, sed potiùs Babylonii, id est, mali confusi & peccatores persistunt. Isti enim Deum cœli non colunt, nec serviunt, nec mandata ejus custodiunt, sed idolis suis, id est, bonis temporalibus per avaritiam, vel idolis, id est, ignaris nepotibus per carnis affectionem, vel idolis, id est, pictis & pulchris mulieribus per luxuriæ infectio- F nem intendunt; quapropter cum ritum Dei terræ, id est, religionis & devotionis cultum & divinum servitium videantur nescire, potiùs cultum Deorum terræ, de qua veniunt, & usum vitiorum sæculi solent colere & sentire. Ideò, sicut videmus ad oculum, isti à leonibus, id est, à tyrannis & principibus incursantur, & rapinis & molestiis devorantur. Deus enim non vult, quod quis habitet in terra Israël, id est, in Ecclesia sua sibi serviat, nisi ipsum diligat atque colat. Alioquin si quis ibi existens, Diis alienis, id est, dæmonibus vel vitiis, & temporalibus divitiis & delitiis servierit, procul dubio à leonibus, id est, à dæmonibus vel tyrannis suppeditabitur & peribit. Hierem. 50. *Grex dispersus Israël, leones dejecerunt eum. Priùs comedit eum rex Assur, Nabuchodonosor novissimus exossavit eum.*

Vel dic, quod Babylonii fiunt Israelitæ & econtra, in quantum scilicet, hodiè sæculares vident Deum, & sunt meliores quàm Clerici, & Ecclesiastici sunt mundani, & deteriores quàm laici. Vide Judic. 6. de Area, ubi melius.

Ex Capitulo decimo septimo. Textus. Cumque ibi habitare cæpissent, non timebant Dominum.

Moralitatum Cap. XVII.

Hic habes, quod Samaritani quamdiu fuerunt sine sacerdote Domini,à leonibus fuerunt infestati,At ubi sacerdos Domini venit ad ipsos, qui cultum Dei ipsos docuit, ira leonum erga ipsos conquievit.

In quo notari potest,quod sacerdotis,id est, curati, Prælati, boni G doctoris,vel clerici præsentia multùm est necessaria. In primo enim absente populus cultum Dei terræ, id est, cultum & executionem divinorum mandatorum ignorat, cum non habeat, qui doceat,& ideò apud eos leonum,id est,dæmonum,vitiorum,hæreticorum, tyrannorum vel aliorum malorum copia abundat, qui ipsos temporaliter & æternaliter devastant. Undè Proverb. 11. *Ubi non est gubernator,populus corruet.* Econtra ubi sacerdos Domini, id est, bonus Prælatus,curator,prædicator vel doctor affuerit, qui edocet populum ea,quæ sunt Dei,solent prædicti leones conquiescere, & populus justè ac pacificè & vivere & manere; sicut de Daniele dicitur, qui quia sanctus erat, in medio leonum sedens ab ipsis minimè lædebatur. Undè de talibus sacerdotibus dicit Apostolus. Heb. 11. *Obturaverunt ora leonum,&c.*

Hic habes,quod cum rex Assyriorum varias gentes de Babylone, & de aliis gentilium provinciis in Samariam, & in terram Israël transtulisset,& utraque gens fabricavit sibi Deum suum: fecerunt quoque sibi sacerdotes excelsorum de novissimis populis, & ponebant eos in phanis sublimibus, & exeuntes in terram Israël adoraverunt sculptilia; & secundùm quod didicerant in terra nativitatis suæ, usque in præsentem diem sequuntur morem antiquum, & dato quod istæ gentes Dominum colerent, Diis tamen suis nihilominùs servierunt undè isti Samaritani; dicti sunt, qui in terram Israël de Babylonia translati cultum quidem Dei receperunt, sed cultum Idolorum nullatenùs dimiserunt, sed potiùs unum cum alio coluerunt; undè & textus dicit hic, quod fuerunt quædam gentes istæ Deum timentes, sed nihilominùs Diis suis servientes. Isti igitur sunt illi Samaritani,de quibus Evangelia faciunt toties mentionem, qui scilicet, amotis Israëliticis, in terram Israël sunt loco eorum translati.

Ista possunt allegari ad multa exemplariter & mysticè, & ideò hic notari potest, quod malum est à malis præsentibus originem trahere, quia procul dubio idololatrias, id est,peccata,& vitia, quæ apud eos didicerunt, & quibus juventutem suam imbuerunt, vix aut nunquam possunt dimittere. Sed dato quod ad terram Israël vel religionem transferantur,& quod quandoque in cultu divino & in bonis operibus occupentur; nihilominùs morem antiquum & sæcularem, quem didicerunt, & ritum solent firmiter observare. Idem videmus de filiis usurariorum,qui statim fiunt usurarii. Videmus etiam de rusticis rudibus. Dato quod fiant Episcopi & clerici,semper tamen modum antiquum illiberalitatis servant, & dato quod partim Deum terræ Israël colunt, id est dato, quod in aliquibus,viris justis & nobilibus, cum quibus habitant, se conforment, idola tamen terræ suæ,id est,vitia,in quibus nutriti fuerunt, semper tenent. Undè dicitur Prov. 22. *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit,non recedet ab ea.*

Vel dic contra illos, qui utramque rippam volunt pascere, mun- H dani & religiosi esse simul, Deo & idolis servire, & exeundo in terram Israël, id est, in Ecclesiam vel religionem unà cum cultu & servitio divino,quod faciunt,volunt idola,id est, mundum, carnem vel diabolum colere,vel mundana negotia pertractare,cum tamen dicat Dominus, quod *nemo potest duobus Dominis servire.* Matt. 6. Sed de hoc vide alibi,ubi agitur de illis, qui idolum Dagon juxta arcam Domini posuerunt.

Vel dic, quod inter illos,quos rex Assyriorum,diabolus, introducit in terram Israël,id est,in Ecclesiam, Samaritani,qui interpretantur custodes,id est,mali Prælati, solent hodiè de novissimis,id est,de personis indignis sacerdotes facere,& eos in phanis sublimibus, i. e. in altis dignitatibus exaltare, & sic mali malos solent, ut communiter, promovere. Undè dicitur. 3. Reg. 13. *Quicunque volebat, implebat manum suam,& fiebat sacerdos excelsorum.*

Vel

Digitized by Google

Vel dic,quod quando aliquis in terram Israël, id est, ad prælationem Ecclesiasticam, vel ad quamcunque sæcularem, vel aliam dignitatem transfertur,& Samaritanus,id est,custos, Prælatus, Judex vel Officialis efficitur, continuò idola suæ terræ, id est, homines de patria sua amicos,cognatos, vicinos ad modum idoli insensibiles & ignaros secum transferre conatur, & ipsos honorare, promovere, & in phanis excelsis, & in altis dignitatibus constituere machinatur, & plus ipsos quàm Deum colere, & diligere aliquoties gloriatur. Undè Ezech. 8. *Idola universæ domûs Israel depicta erant in pariete,& in circuitu per totum,& seniores Israel offerebant incensum. & Jechonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas,& unusquisque habebat thuribulum in manu sua.* Et benè dicitur *in circuitu per totum*, quia scilicet tota Ecclesia vel collegium plena sunt talibus idolis prælatorum. Omnesque parietes ac omnia beneficia Ecclesiæ per eos occupantur, & ideò non mirum si tales à leonibus, id est, à malis principibus infestantur.

Vel allega de schismaticis, qui partim colunt Deum, & partim diabolum,in quantum malè, &c. & ideò leones,id est, gentiles eos devorant, &c.

A *Capitulum decimum octavum. Textus.* Anno tertio Osee filii Hela, regis Israël.

Moralitatum Cap. XVIII.

Ezechias rex Juda, qui interpretatur confirmatus à Domino, contrivit statuas, dissipavit excelsa, succidit lucos, speravit in Domino,fecit,quod bonum est, rebellavit contra regem Assyriorum,& serpentem æneum, quem fecerat Moyses, confregit, & quia populus sibi incensum offerens, hactenùs idololatrabat, ipsum in pulverem comminuit.

Sic bonus Prælatus debet ab Ecclesia evertere excelsa, id est, superbas statuas,& in malo stabiles & obstinatos; lucos,id est,in vanitate lucidos,& curiosos; serpentem æneum,id est, hypocritas, malitiosos, clamorosos, & litigiosos. Debet etiam bonum facere, & semper in Domino confidere, & regi Assyriorum, id est, diabolo in omnibus repugnare.

Vel dic, quod iste rex est Deus, qui benè videt in templo Ecclesiæ aliquem serpentem æneum, id est, aliquem malitiosum serpentem hypocritam, vel ad modum æris non sensum, sed sonum, id est, non opera, sed verba habentem, à populo adorari, & honorari, & tanquam Deum, id est, tanquam virum justum coli ac venerari; sed Deus indignans solet quandoque eum frangere, seu etiam annihilare, ut sic,qualis erat, possit omnibus apparere; vel frangere,id est,reprehendere, vel in pulverem per humilitatem reducere,& in torrentem Cedron projicere, id est,ad lachrymas provocare; Isa. 16. *Inebriabo te lachryma meâ Esebon, & Eleale, & quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam uxor clamantium irruit, &c.*

Sennacherib rex Assyriorum,ascendens super terram Juda, cepit, & vastavit civitates munitas, & hoc quia Ezechias rex Juda à servitute ejus recesserat, & in Domino sperans, tributum sibi negaverat. Ezechias igitur nuncios ad ipsum dirigit; thesauros templi, & thesauros regios sibi mittit, quinimò valvas templi laminis aureis spoliat, & omnia sibi tradit, & nihilominùs ira sua non flectitur, sed ad obsidendum etiam Hierusalem se convertit. Quod videns Ezechias ad precandum dominum flendo convertitur,cujus precibus Dominus motus,contra Sennacherib indignatur, & misit Angelum suum,qui centum octoginta, & quinque millia hominum Assyriorum in exercitu una nocte perimit. Qui manè videns cadavera,mortuorum timidus abiit in terram suam, & recessit, ubi in templo Dei sui adorans, à propriis filiis interfectus extitit, & sic illum, quem Ezechias muneribus non vicerat, orationibus superavit.

B

Allega illud de efficacia orationis. Etiam quomodò Deus solet tunc præcipuè juvare, quando omne humanum solatium solet deficere, & quando toto affectu solet homo se ad Deum per orationem dare.

Vel dic, quod ille Tyrannus significat mundi Principes,& Tyrannos. Ezechias, qui fidelis erat,significat viros Ecclesiasticos Prælatos. Ista est tunc rei veritas, quando Ezechias bonus Prælatus cessat tributa, servitia regibus tyrannis dare, & ab eorum servitutis jugo,& obedientia se voluerit subtrahere,& prætextu libertatis Ecclesiasticæ liberare, statim ad ipsum devastandum currunt Principes,urbes, & castra rapiunt,& temporalitates suas ad manus suas ponunt, & ipsis dare munera non solùm de thesauris propriis, imò etiam de thesauris domûs domini, id est, de bonis Ecclesiæ ipsum cogunt, & quandoque necesse est, ut portas Ecclesiæ, id est, Ecclesiæ subditos talliando spoliant,ut munera regi Assyriorum,id est, Principibus sæcularibus mittant, ut ad literam videmus de multis fatuis Prælatis, qui proprios subditos gravant,ut indè Principum sæcularium amicitias sibi quærant. Sed revera illud improbis tyrannis non sufficit, quia talibus muneribus incitantur,& ad graviora facienda multoties plus

C anhelant. Igitur ista est veritas, quod pro libertate Ecclesiæ obtinenda non est utile Principum, vel sæcularium amicitias quærere, nec divitias Ecclesiæ ipsis distribuere, cum ipsos magis indè soleant irritare. Sed unicum, & solum est remedium, ad Deum recurrere orando, fletus & jejunia facere, & causas Ecclesiæ Deo solummodò recommendare, quia revera si Ezechias, id est, Prælatus illud fecerit, Deus pro ipso pugnabit, potentias Tyrannorum subvertet, & Ecclesiam de ipsorum manibus liberabit, Psal. 43. *Liberasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos dispersisti.* Et alibi, *Non est alius, qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster.*

Capitulum vigesimum. Textus. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem.

Moralitatum Cap. XIX.

De sanatione Ezechiæ, & de additione annorum, & retrocessione solis vide Isa. 38. ubi exposui. De hoc autem quod Rex Babylonis misit nuncios cum muneribus ad Ezechiam salutandum,& eum super curatione sua congratulandum,& hoc secundùm Josephum, quia Babylonii adorare solent solem, & quia viderunt Solem retrocessisse, & audiverunt ab idolis suis hoc propter infirmitatem regis Juda factum esse; sciendum est, quod Babylonii miserunt ad eum,& ipsum, quem sol Deus eorum adorare decreverat, honorandum censuerunt. Quibus honoribus Ezechias allectus, legatos quamplurimum honoravit, & omnes thesauros suos, cellas aromatum, sepulchra regum & prophetarum (secundùm Comestorem) & breviter omnia abscondita,& suas divitias,& gloriam ostendit eis. De quo indignans Dominus per Isaiam eum acriter reprehendit, & quod thesauri sui adhuc essent deferendi in Babylonem, & filii sui à Babyloniis captivandi, sibi comminando prædixit. Quibus auditis, Ezechias hoc solum respondisse fertur: *Bonus est sermo, quem locutus est Dominus, tantum sit veritas, & pax in diebus nostris.*

Ista possunt allegari ad multa,& hoc primum. Quia ne simus pejores Babyloniis, nos debemus illos, quos Deus noster sol justitiæ Christus honoravit, scilicet pauperes, debiles, infirmos, & maximè reges Hierusalem, id est, bonos ac virtuosos viros Ecclesiasticos, & Religiosos Prælatos honorare,& eos cum muneribus, & eleemosynis visitare. Undè dicitur Deuteronom. 10. *Deus amat peregrinum, & dat ei victum, & vos amate peregrinum, &c.* D

Vel illud allega, quod fatuorum, & insipientium est abscondita, & secreta sua extraneis & ignotis revelare, sed indè solent plura mala evenire, quia dum divitias nostras aliis ostendimus, ipsos ad furtum vel ad rapinam solemus ampliùs incitare. Undè in Prov. *Secretum tuum extraneo ne reveles,ne forte insultet tibi, cum audierit,& exprobrare non cesset.*

Vel dic,quod thesauros nostros,scilicet virtutes interiores, vel etiam alia bona exteriora propalare, & in publicum hominibus propter inanem gloriam ostendere seu revelare non debemus, aliàs occasionem surripiendi,& subtrahendi ipsa dæmonibus daremus. Undè dicitur Eccles. 8. *Non omni homini cor tuum manifestes.* Et hoc: quia secundùm Gregorium: *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè in via portat.*

Vel allega,quod quicunque rex debet reprehensiones Prophetarum,id est, prædicatorum,& Domini comminationes patienter audire, & eventum infortuniorum voluntati Dei supponere, & pro pace sibi danda suppliciter exorare. *Dominus*,inquit, Heli 1. Reg. 3. *est,quod bonum est, in oculis suis,faciat.*

Cap. 21. Ezechias rex optimus, filium & successorem pessimum habuit, scilicet, Manassen regem Juda, & idololatram,augurem,homicidam, qui scilicet, Hierusalem civitatem implevit sanguine usque ad os, & Isaiam serrâ ligneâ scidit. Tandem Ammon filius suus pessimus, iterum bonum filium, scilicet Josiam genuit, qui inter optimos numeratus gloriosè regnavit. Qui iterum Joachaz,qui etiam malus extitit,procreavit.

Istud allega, quod bonitas vel malitia à parentibus non procedit, E quia sæpè fit, quod boni parentes generant malos filios,& mali bonos, &c.

Capitulum vigesimum tertium. Textus. Et renunciaverunt regi quod dixerat: Qui misit, & congregati sunt ad eum.

Moralitatum Cap. XX.

Hic habemus,quod Josias rex terram Juda & Israël,plenam idolis inveniens, & altaria, & excelsa idolorum destruxit, & sacerdotes idolorum, & excelsorum occidit, & ossa humana super altaria combussit,currus solis cremavit, & equos soli dicatos abstulit, & aruspices, & effœminatos, & eos, qui adolebant incensum Baal, & soli,& lunæ, & duodecim signis, & universæ militiæ cœli, abstulit & amovit, cultumque Dei perditum restauravit, & Pascha solemnissimum in Hierusalem celebravit.

Dic, quod Josias est bonus Prælatus, qui revera de Hierusalem, id est,de Ecclesia sibi commissa debet cultum idolorum,id est, ritum omnium

Digitized by Google

omnium vitiorum eradicare,& cultum Dei, & morum inſerere, & plantare. Auferat indè excelſa,id eſt,ſuperbos,& præſumptuoſos; idola, id eſt, fictos, & ſuperſtitioſos; currus ſolis, id eſt, avaros volubiles, & in mundi negotiis laborioſos; equos, id eſt,laſcivos,luxurioſos; incenſatores militiæ cœli, id eſt, divitum adulatores; effœminatos,id eſt,inconſtantes, & imbecilles; ſacerdotes idolorum, id eſt, malos familiares, fautores & officiales; tales enim de Eccleſia debent ſubtrahi,& bonæ perſonæ, quæ colant, & timeant Dominum,ſubrogari. Undè dicitur Matt. 21. *Malos malè perdet, & vineam ſuam aliis locabit agricolis.*

Hic habemus, quod Pharao rex Ægypti cum tranſire vellet per terram Juda, ad præliandum contra regem Aſſyriorum juxta Ephratem, exiit ei obviam Joſias rex, nec voluit acquieſcere, quod non iret. Ab illo ergo occiſus eſt Joſias in prælio,in campo Mageddo,& filius ejus Joatham, qui fuit malus,eidem ſubſtitutus, quo à Pharaone amoto, filius ejus Joatham rex eſt factus, qui à Nabuchodonoſor victus ſervus eſt effectus; quo mortuo, filius ipſius Joachim contra Nabuchodonoſor rebellis ab ipſo captus eſt, & cum uxore, & filiis, & majoribus populi in Babyloniam ductus, & captivatus, & ſolus populus pauperum derelictus, ſuper quos fuit Zedechias patruus ipſius Joachim rex creatus, quo ſcilicet tandem contra Nabuchodonoſor repugnante, ſub ipſo Iſraël capitur, & ipſe excœcatur, & univerſus populus cum eo in Babyloniam captivatur, & ſic per diverſas clades regnum Juda terminatur. Sicut enim dicit hic textus: 4. Reg. 23. *Deus omninò populum iſtum à facie ſua ſubmovere decreverat*, & maximè propter
F peccata Manaſſes, qui cruore innocentium Hieruſalem purpuravit, quapropter nec propter bonitatem Joſiæ fuit placatus, ſed potiùs propter peccata populi, rex juſtus fuit eis ſubtractus. Juſtus enim fuit Joſias, in tantum, quod, ut dicunt Hebræi, cum juxtà arborem, & fontem occiſus fuerit, fons, & arbor protinus aruerunt. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum ex omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & univerſa virtute ſua, juxta omnem legem Moyſi, neque poſt enm ſurrexit ſimilis illi; veruntamen non eſt averſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo irritatus eſt furor ejus contra Judam, propter irritationes, quibus provocaverat eum Manaſſes. Dixit itaque Dominus: *Etiam Judam auferam à facie mea, ſicut abſtuli Iſraël, & projiciam civitatem hanc,quam elegi Hieruſalem,& domum, de qua ego dixi: Erit nomen meum ibi, &c. Reliqua autem ſermonum Joſiæ, & univerſa, quæ fecerat, nonne hæc ſcripta, &c.*

Iſta, ſi vis, poſſunt exemplariter allegari, quod rex vel Prælatus ſunt quandoque cauſa ruinæ populi, & econtra habemus hic de Joſia juſto, qui propter peccata populi moritur, & eis ſubtrahitur. Et alibi: 2. Reg. 24. De morte populi Iſraël, qui propter peccatum David regis, qui numeravit populum, ab Angelo trucidatur.

Vel allega, quod ultimum infortunium ſolent multa infortunia præcedere, ut tribulatio præcedens poſſit eſſe ſequentium ſignum; ſicut patet hic, ubi deſtructionem Hieruſalem multæ clades, & infortunia præceſſerunt. Undè Greg. dicit in Homilia 35. in Evangel. quod *ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur.*

Vec dic, quod fons miſericordiæ & gratiæ, & arbor fructificationis, & opulentia in Eccleſia vel patria ſiccatur, quando Joſias, id eſt, juſtus Prælatus vel Princeps ſubtrahitur, vel ab ea auferetur.

Vel quando videmus, quod Joſias,id eſt, rex noſter Chriſtus
G propter populum moritur; arbor, & viror totius laſciviæ, fons & humor carnalis totius concupiſcentiæ, debet in nobis areſcere, & ceſſare, & pro morte ejus debemus plangere, & dolere.

Capitulum vigeſimum quartum. Textus. In diebus ejus aſcendit. Nabuchodonoſor rex Babylonis.

Moralitatum Cap. XXI.

REx Babylonis veniens in Hieruſalem tranſtulit indè regem Joachim, & matrem ejus, uxorem, & eunuchos illius, judices, & viros robuſtos, & bellatores, artifices quoque, & incluſores in Babylonem traxit,omnes perſonas nobiles de Hieruſalem ſuſtulit, &, exceptis pauperibus, nihil in urbe reliquit. Ibique Zedechiam peſſimum regem ordinavit, quem tandem captum excœcavit, & filios ſuos ante eum interfecit, & eum vinctum, cœcum in Babylonem deduxit.

Rex Babylonis eſt Diabolus, qui eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ. Hieruſalem eſt Eccleſia,quæ debet eſſe pacifica, & quieta. Pſalm. 121. *Rogate, quæ ad pacem ſunt Hieruſalem.* Joachim, qui interpretatur,præparatus Domino, eſt bonus Prælatus, ad mandata Domini ſemper obediens, & paratus. Pſalm. 118. *Paratus ſum,& non ſum turbatus,ut diſcam mandata tua.* Zedechias verò, qui Rex fuit malus, malum Prælatum ſignificat. Igitur iſta videtur eſſe veritas, quod hodiernis temporibus rex Babylonis Diabolus, de Hieruſalem, id eſt, de Eccleſia videtur tranſtuliſſe, & amoviſſe Joachim, id eſt, bonum Prælatum, & diligentem, matrem ejus, id eſt, pietatem omnia nutrientem; uxorem ejus, id eſt, charitatem omnia conjungentem; judices ejus,id eſt,juſtitiam omnia judicantem; eunuchos ejus, id eſt, caſtitatem impudicitiæ repugnantem; viros robuſtos ejus,id eſt, fortitudinem vitia debellantem; artifices ejus, id eſt, diſcretionem prudenter operantem; incluſores ejus, id eſt, humilitatem omnia bona celantem, & includentem; & ſolùm ibi dimiſit (ut videtur) pauperes populi, id eſt, avaritiam omnibus H indigentem, & ibi præfecit Zedechiam, id eſt, malum Prælatum omnia ſubvertentem. Recedente enim, & deficiente bono Prælato ab Eccleſia omnia deficiunt, & ſuccedente malo, omnia mala ſuccedunt, & ſic creſcunt. Undè Prov. 18. *Repugnantibus impiis ruina hominum.*

Vel dic, quod Hieruſalem eſt anima, à qua pro certo quando Nabuchodonoſor Diabolus transfert, & captivat bonum regem Joachim, Domino præparatum, id eſt,bonum, & benè morigeratum affectum, & ſubſtituit malum regem Zedechiam, id eſt, affectum malum, & inordinatum, tunc eſt neceſſe, quod ſimul tota virtutum familia transferatur,ſicut ſupra, & quod pauperes, id eſt, vitia ibi ſolummodò relinquantur. *Ubi enim non eſt gubernator, populus corruet.* Prov. 11.

Vel dic, quod rex iſte, id eſt, Diabolus videtur ab Eccleſia abſtuliſſe Joachim Domino præparatum, id eſt, bonos Prælatos, & diligentes; matres, id eſt, viros pios; uxorem,id eſt, viros ſociales, & charitativos; eunuchos, qui ſcilicet ſe caſtravetunt propter regnum cœlorum,id eſt, viros caſtos; robuſtos, id eſt, viros patientes; ſolidos bellatores, id eſt, viros prædicando vel docendo, vel benè operando ſtrenuos; artifices, id eſt, doctores ſcientificos; incluſores, id eſt, viros humiles, & abſconſos: & breviter omnes notabiles virtuoſi, & morales videntur ab Eccleſia defeciſſe, & in Babylonem, id eſt, in peccatum captivi ducti fuiſſe, & operante rege Diabolo periiſſe. Undè dicitur Thren. 1. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Undè Eccleſia videtur jam lamentando dicere illud; *Virgines meæ, & juvenes mei in captivitatem abierunt, ſacerdotes mei, & ſenes mei in urbe conſumpti ſunt.* Et breviter non videntur ibi relicti niſi pauperes, id eſt, viri virtutum divitiis carentes, & per avaritiam divitiis temporalibus indigentes. Zedechias rex, id eſt, cœtus malorum Prælatorum ſubſtituitur, qui à Diabolo diverſis vitiis capitur, & propter ſuum defectum in præſentia ſua filii ſui, id eſt, ſubditi per diverſa peccata occidunrur. Ipſe verò per obſtinationem, & ignorantiam excœcatur, & finaliter à Diabolo in Babylonem, id eſt, in infernum captivatur, & miſerabiliter moritur, & necatur. Undè Iſa. 42. *Quis cœcus niſi ſervus tuus.* A

Capitulum vigeſimum quintum. Textus. Factum eſt autem anno nono regni ejus menſe decimo.

Moralitatum Cap. XXII.

CUm Zedechias rex Juda, qui juramentum fecerat regi Babylonis, ab eo receſſiſſet, & ob hoc exercitus Chaldæorum Hieruſalem obſideret, factum eſt, quod prævaleſcente fame in ipſa civitate Hieruſalem, interrupta eſt civitas, & viri bellatores fugerunt nocte per viam portæ, quæ eſt inter duplicem murum ad hortum regis,fugit & Zedechias per viam, quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis,& comprehendit eum exercitus Chaldæorum, & bellatores, qui erant cum eo, diſperſi ſunt, & reliquerunt eum. Quem comprehenſum ad regem Babylonis in Reblata duxerunt. Qui ſtatim in conſpectu ejus filios ejus occidit, & oculos ejus effodiens, ipſum vinctum catenis in Babylonem captivum duxit. Nabuzardan verò Princeps exercitûs Chaldæorum Hieruſalem ſuccendit, murum ejus in circuitu diſſipavit, columnas templi contrivit, mare æneum, baſes, & luteres, vaſaque templi, quæ fecerat Salomon, ſecum in Babylonem deportavit,& populum, qui inventus eſt in Hieruſalem, captivavit.

Iſta poſſunt allegari ad felicitatem vel infelicitatem falſorum amicorum,quia pro certo quamdiu rex Juda,id eſt, quicunque Princeps mundi eſt in ſuis palatiis,proſperitatibus, & ſolatiis, Principes ſui officiales,bellatores,& amici cum eo liberè morantur, & ipſum ſibi aſſociant,& comitivam ejus ſectantur. Si verò contingat, quod exercitus Chaldæorum, id eſt, mundi infortunia contra ipſum prævaleant,tunc ſtatim fugiunt, & ipſum ſolùm derelinquunt. Matth. 26. exemplum eſt de Apoſtolis, qui Dominum ſuum Chriſtum in cœna aſſociaverunt, & cum à Judæis captus eſt, omnes eo relicto fugerunt. Undè Eccleſ. 6. *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.*

Vel dic, quod Zedechias eſt peccator, qui infra muros civitatis ſuæ, id eſt, infra ambitum corporis reſidens, & ibi in delitiis vivens, parum curat de rege Babylonis,id eſt, Diabolo rege inferni, quamvis peccando promiſerit ei famulatum, & ei obediendo, viſus B fuerit cum ipſo contrahere quoddam pactum, juxta illud Iſa. 28. *Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Sed pro certo dum non advertit, iſte rex Diabolus contra iſtum exercitum ſuum, ſcilicet infirmitatem, mortem, & infortunia mittit, & civitatem, ubi habitat, ſcilicet corpus, per mortem laniat, & ſubvertit. Igitur iſte Exercitus ube iſta cor-

Digitized by Google

poris diruta, istum ad regem Babylonis, i.e. ad Regem Diabolum inferni adducit, & viris bellatoribus, qui intrabant cum eo, id est, cunctis amicis ejus, & sociis ipsum dimittentibus, & ab eo fugientibus, ipse excœcatus, & lumine gloriæ, & gratiæ privatus, & catenis æternæ damnationis ligatus, in Babylonem, id est, in infernum descendit. Undè dicitur Matth. 22. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.*

Vel dic, quod rex & princeps Babylonis Diabolus, mediante exercitu vitiorum, Hierusalem, id est, Ecclesiam vel religionem igne cupiditatum incendit, muros observantiæ regularis, & divinorum mandatorum in ipsa destruit, & eam per Nabuzardam principem militiæ suæ, id est, per mundi tyrannos, & impios diversis tribulationibus obsidet, & multipliciter laniat, & subvertit. Regem ejus, id est, Prælatos excœcat, & catenis, id est, diversis carnalibus complacentiis ipsos ligat, & finaliter in Babylonem, id est, in infernum complantat, & populum ipsius per peccatum dissipat, & captivat. Etiam ab ista Ecclesia tollit columnas, id est, viros fortes, & constantes; mare æneum, id est, viros amaros, contritos, & pœnitentes; vasa altaris, id est, viros devotos Domino servientes. Omnia ista solet Diabolus ab Ecclesia tollere, & ipsam destructam dimittere, ità quod jam videtur quasi de bonis personis, & de virtutibus nuda esse. Undè dicitur Thren. 1. *Portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa est amaritudine.*

C Vel dic moraliter, quod Hierusalem est anima, quam pro certo, quando rex Babylonis, id est, Diabolus capit, statim domum Dei, id est, devotionem ad Deum; domum principum, id est, devotionem ad sanctos; muros, id est, mandatorum observantiam; portas, id est, sensuum capacitates destruit, & igne concupiscentiæ circumquaque succendit, regem ejus, id est, intellectum per ignorantiam excœcat, & eum per diversos errores alligat. Tandem istam miseram civitatem omnibus bonis spiritualibus spoliat atque privat. Nam sicut indè sublatæ sunt columnæ & bases, mare æneum, ollæ, trullæ, phialæ, mortariola, tridentes, scyphi, secundùm quod dicitur hic: Sic Diabolus tollit ab anima peccatrice columnas firmitatis, bases humilitatis, mare contritionis, mortariola timoris, tridentes pœnitentiæ, scyphos spiritualis scientiæ. Undè dicitur Thren. 1. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus:* columna enim debet esse stabilis, hoc est, constantia: basis infima, hoc est humilitas: mare sonat amatitudinem, hoc est contritio: olla continet, & fervet, hoc est, dilectio: trulla parietes linit, hoc est, benignitas: phiala liquores continet, hoc est devotio: mortariolum species conterit, hoc est timor Dei: tridens mordet, & tres dentes habet, hoc est, pœnitentia: cujus tres partes sunt; scyphus vinum effundit, hoc est scientia. Omnia enim ista ab Ecclesia per Diabolum subtrahuntur, quando Prælatus vel rex ipsius victus excœcatur. Ab anima etiam tolluntur, & à templo conscientiæ submoventur, quando per vitia Diabolo subjugatur.

Hic dicit Comestor, quod Zedechias rex Juda cœcus in Babylonem ductus, dum Nabuchodonosor rex Babylonis pro victoria festum, & convivium faceret, & in vasis, quæ de templo Hierusalem apportaverat, quorum partem mensæ suæ deputaverat, partem verò idolis dedicaverat, biberet, pro spectaculo in medium est adductus, & cum potus convivantibus ministraretur, de mandato Nabuchodonosor isti Zedechiæ excœcato, potus laxativus extitit ministratus, quo bibito in præsentia omnium vituperaliter est laxatus, seu etiam concitatus & reductus in carcerem. Propter hujusmodi derisionem, tanto dolore affectus est, quod infra breve tempus mortuus est. Et auditâ causâ mortis ejus, honorificè per Nabuchodonosor est tumulatus.

Ista possunt applicari mysticè, quod quando quis per ignorantiam, & per obstinationem est cœcatus, & à Nabuchodonosor, id est, à Diabolo in Babylonem, id est, in statum peccati captivatur, sæpè fit, quod ad convivium bonorum temporalium adducitur, ubi potus laxativus, id est, ubi mundi prosperitas, divitiarumque, & delitiarum ubertas, quandoque per ipsum Nabuchodonosor Diabolum sibi datur, Psalm. 72. *Ecce ipsi peccatores in* D *sæculo obtinuerunt divitias.* Ista enim potus laxativus dicuntur, quia scilicet, quos tali potu Diabolus inebriat, id est, faciliter ad omnia vitia, & maximè ad luxuriam, avaritiam, & superbiam relaxantur, & ignominiosè coram aliis per vitia diffunduntur, ità quod spectaculum, & illusio cunctis efficiuntur. Quod potissimè de isto, qui erat rex Hierusalem, id est de Prælatis Ecclesiæ, & viris Ecclesiasticis potest dici, qui præ aliis peccatoribus spectaculum, & derisio aliis fiunt, quando ad ignominiosa vitia, & ad superfluitates, & vanitates sæculi se revolvunt, Psalm. 21. *Omnes videntes me, deriserunt me.* Qui finaliter in carcere malæ consuetudinis pereunt, quos tamen adulatores finem bonum eis prædicando honorificè sepeliunt, & abscondunt. Nabuchodonosor Diabolus peccatorem honorificè sepelit, quando in finali pœnitentia ipsum inaniter sperare facit, quod etiam facit per adulatores, qui rectè possunt dici talium sepultores. Undè dicitur Matth. 8. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Et Ezech. 39. *In die illa dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israël.*

Vel si vis, dic, quod Nabuchodonosor Diabolus vasa templi, id est, viros Ecclesiasticos, quando ipsos de Hierusalem in Babylonem, id est, de statu gratiæ in peccatum, vel de religione ad mundum transtulit, ipsos quandoque idolis, id est, mundi principibus, & eorum curiis, & officiis consecrat, & ad potandum malâ doctrinâ convivas ejus, id est, peccatores ipsos quandoque ordinat, & designat, &c.

Moralitatum quarti libri Regum Finis.

MORALITATUM LIBER DECIMUS TERTIUS In secundum librum Paralipomenon.

Capitulum decimum quartum. Textus. Dormivit autem Abia cum patribus suis.

Moralitatum Cap. I.

CUm in libris Paralipomenon pauca sint recitabilia, præter illa, quæ in libris regum recapitulantur, nihil de contentis in ipsis, cum jam ex sententia quasi cuncta tetigerim, moralizare propono, præter ea pauca, quæ historiæ Regum superaddita videntur, quæ breviter hic expono. Igitur omisso libro primo, videtur in hoc libro, quod Zara Æthiops contra Aza regem Juda veniens, decies centena millia hominum in exercitu suo habebat, quos timens fugit Aza ad Dominum, & oravit: Dominus exterruit Æthiopes, & fugerunt, & sic contra eos Aza & sui non armis, sed precibus prævaluerunt.

Illud allega, quomodò Deus in necessitate suos filios non deserit, & quomodò, quando in ipso per fidem confiditur, & ad ipsum devotè recurritur, virtute ejus hostes fugiunt, & terrentur, & sic sæpè fit, quod multi à paucis; divites à pauperibus superantur. Undè dicitur 1. Machab. 3. *Facilè est multos concludi in manibus paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis aut in paucis.*

Vel dic, quod Æthiopes sunt Dæmones, & Dæmonum tentationes, qui pro certo tot & tanti sunt, quod vires nostræ ad eos superandos non sufficiunt. Veruntamen faciliter vincuntur, quando ad orationes, & divinam spem recurritur, & quando divinum auxilium humiliter imploratur.

Capitulum vigesimum. Textus. Post hæc congregati sunt filii Moab, & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis.

Moralitatum Cap. II.

ITem 20. cap. dicitur, quod filii Ammon, & Moab, & Seir contra Josaphat regem Juda, & stupenda multitudine ad prælium aggregantur. Quo ex toto corde ad Dominum recurrente, Propheta consolator sibi mittitur, ad cujus consilium cantores primi in exercitu ponuntur, quibus Deum laudantibus, hostes in seipsis taliter perturbantur, quod alter contra alterum præliantes, universi mutuis cædibus perimuntur, ità quod nullus eorum evadere potuerit, & Judæi spoliis hostium supra modum ditantur. Si vis, dic, sicut in præcedenti capitulo.

Vel dic, quod illæ tres nationes infidelium designant tria principalia vitia, sc. superbiam, luxuriam, avaritiam, quæ contra nos in tanta fortitudine congregantur, quod nisi Dominus nos liberet, & defendat, necesse est ut nobis impiè dominentur. Necesse est igitur ad orationem recurrere; cantores, id est, Dei laudes præmittere, & sic ipsos poterimus superare. Quando enim cantores spirituales, sc. oratio, confessio, laus, & gratiarum actio præmittuntur, necesse est, quod hostes spirituales, sc. Dæmones, & vitia debellentur. Undè 2. Reg. 20. *Cecinit tuba, & recesserunt ab urbe.*

Vel dic; quod cantores sunt prædicatores vel laudis divinæ pronunciatores, qui quia populum ad devotionem excitant, contra hostes victoriam sibi parant.

Vel dic, quod sæpè fit, quod mali, qui contra bonos se congregant, malitiosè nutu Dei quandoque simul dissentiunt, & discordant, & sic inter se pugnantes dum mutuò se debellant, alios, quos decreverant occidere, liberant atque ditant. Constat enim quod Dei providentia soleat quandoque inter superbos discordiam suscitare, ut sic occasionaliter possit justos de suis manibus liberare, Psalm. 36. *Gladius eorum intret in corda eorum, &c.*

* * * * * *
* * * * * *
* * * *
*

Capitu-

Digitized by Google

Capitulum vigesimum quartum. Textus. Septem annorum erat Joas, cum regnare cœpisset.

Moralitatum Cap. III.

G ITem cap. 24. dicitur, quod Joas rex Juda, qui per Jojadam sacerdotem fuerat enutritus, & à persecutione impiæ Athaliæ reservatus, & in regnum sublimatus, quamdiu Joiada vixit, bonus & sanctus extitit, Deum coluit, templum reparavit, & justè, & pacificè imperavit. Mortuo verò Jojada, delinitus obsequiis, & adulationibus Principum suorum, ipsè, & populus suus Dominum dereliquerunt, templum Dei, & cultum ipsius contempserunt, sculptilibus servierunt, pro quibus cum à Zacharia sacerdote filio dicti Jojadæ reprehenderetur, ipsum Judæi inter templum, & altare lapidibus obruerunt, propter quod rex, & populus in manus Syriorum traditur, à quibus Hierusalem spoliatur; ipse verò rex ingratus in magnis laboribus ab eo dimittitur, & à servis suis propriis in lecto suo dormiens jugulatur.

Ista possunt allegari exemplariter, quomodò videlicet, & proficit præsentia viri justi, & boni Consiliarii vel Prælati. Quamdiu enim rex iste Jojadam virum utique justum, & prudentem secum habuit, & ejus consilio usus fuit, tamdiu Deum timuit, templum, & Ecclesiam honoravit, obsequiis, & blanditiis adulatorum decipi non potuit; quo tamen mortuo quamplura mala fecit, ità quod opprobriosè periit. Utile igitur est, & maximè Principi, quod sanctos viros, & bonos consiliarios secum habeat, & quod adulatorum obsequiis (ne fortè ipsum ad iniquitatem pertrahant) nunquam credat. Undè Eccles. 9. *Viri justi sint tibi convivæ*; tali igitur Principi, & populo potest Jojada, id est, bonus Prælatus vel Consiliarius dicere illud. Deut. 31. *Novi, quod post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò de via, quam ostendi vobis.*

Vel dic, quod si in Ecclesia justus Jojada sacerdos semper viveret, id est, si ibi bonus Ecclesiasticus semper esset; rex, & populus, id est, ipsi sæculares semper benè facerent, & eorum consiliis crederent, & exemplis se conformarent, Deum quoque colerent, & templum Ecclesiæ repararent. Undè dicitur. 2. Paral. 34. quod *cunctis diebus Josiæ non recesserunt à Domino.* Sed proh dolor! Jojada in Ecclesia non invenitur, quinimò viri justi, boni, & prudentes Prælati Ecclesiastici exindè defecisse probantur, juxta illud. Psalm. 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est, &c.* Item tam Principes, quàm populi Deum videntur contemnere, templum Ecclesiæ persequi & derelinquere, idola, id est, vitia colere, Zachariam, id est, sacerdotes, & prædicatores, & reprehensores vilipendere: ipsos etiam quandoque pœnis afficere computantur; propter quod guerris, id est, bellis, & tribulationibus justo Dei judicio molestantur, & à servis propriis, id est, à suis malis officialibus, adulatoribus, & ministris, dum dormiunt, id est, dum non advertunt, occidunturtur, in quantum scilicet spiritualiter eorum instinctu mala multa faciunt, & eorum furtis, fallaciis, & blanditiis temporaliter depauperantur. Sicut ad literam videmus de multis principibus, qui dato quod, quicquid possunt, Ecclesiasticis auferant, Ecclesiam persequantur & odiant, ipsi tamen mortui, id est, pauperes, & depressi dormiunt; & hoc, quia servi eorum, id est, mali familiares, eorum, quicquid habent, subripiunt, & de eorum spoliis divites fiunt. Undè infra 2. Paral. 32. dicitur: *Filii sui percusserunt regem.*

Vel ista allega, quod sæpè fit, quod ingrati homines, & maximè Principes, dato quod à Jojada, id est, ab aliquo prudente, & H justo familiari, vel consiliario suo multa bona receperunt, & quod ipsum in vita sua dilexerunt, & honoraverunt; ipso tamen mortuo hujusmodi beneficia faciliter obliviscuntur, & contra Zachariam filium Jojadæ, id est, contra filios, & hæredes ipsius debacchantur, ipsosque plus quàm alios aliquoties persequuntur, nec de beneficiis, acceptis ab eorum parentibus, recordantur.

Vel dic generaliter, quod mali & maximè divites nolunt hodie aliquem, qui ipsos corrigit, invenire, quinimò Zachariam, i. e. bonum prædicatorem vel correctorem, si eorum crimina arguat, solent eum cum verbis, & verberibus lapidare, & eum diffamando occidere. Undè dicitur Amos. 5. *Oderunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt.*

Capitulum vigesimum quintum. Textus. Viginti quinque annorum erat Amasias, cum regnare cœpisset.

Moralitatum Cap. IV.

HIc cap. 25. habes, quod Amasias rex Juda voluit pugnare contra filios Edom, & conduxit de Israël centum millia robustorum. Sed quia omnes erant idololatræ, vir Dei ipsos remitti mandavit, & dato, quod jam stipendia recepissent, ipsos remitti ad propria imperavit. *Non egrediatur*, inquit Textus, *tecum exercitus Israel. Non enim est dominus cum illis. Quia si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Dominus ab inimicis, tui Dei*

est quippe adjuvare, & in fugam convertere. Quod factum est, quia scilicet in Deo confidens, idololatras remisit, & sic hostes suos gloriosè devicit.

Istud allega, quod societas malorum non est in prælio captanda, A quia propter peccatum eorum posset victoria retardari & impediri.

Item istud allega, quod non est in magno numero confidendum, & quod victoria magis dependet ab occulta Dei providentia, quàm à numerosa & forti militia.

Nota etiam, quod hic dicitur, quod milites isti repudiati, & remissi, dato quod benè fuissent stipendiati, fuerunt tamen contra regem Juda multipliciter indignati, cum terram, occisis pluribus, sunt prædati.

Quod simul ad hoc allegari potest, quod mali & indigni, quando se remitti, & à societate vel promotione repelli cognoscunt, faciliter indignantur, & per rixas, & appellationes contra regem Juda se repellentem, id est, contra bonum Prælatum se repudiantem insurgunt. Undè Proverb. 15. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Non considerat enim suam indignitatem, sed potiùs ambitionem, & cupidam voluntatem.

Ex eodem Capitulo vigesimo quinto. Textus. Amasias quoque post cædem Idumæorum, & allatos Deos filiorum Seir.

Moralitatum Cap. V.

HIc habes, quod Amasias rex Juda, qui priùs erat bonus, ex Dei virtute Idumæos devicit, & filios Seir Dei auxilio superavit, sed cum inter spolia Deos eorum in Hierusalem detulisset, errore seductus, ipsos sibi in Deos statuit, & ipsis incensum adolevit. Quem cum Propheta, missus à Deo, super hæc redargueret dicens: *Cur adorasti eos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua?* Acquiescere noluit, sed sibi minas inferens, ipsi, ut quiesceret, imperavit. *Num*, inquit, *consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te.* Quapropter citò post à Joas rege Israël fuit victus, & tandem à servis propriis interfectus.

Si vis, applica istud ad malos sacerdotes, qui scil. audito peccato alicujus in confessione, ad simile provocantur. Juda enim confessio interpretatur, & ideò sæpè fit, quod rex, id est, bonus, & circumspectus confessor, pugnat contra Edom, id est, contra peccatorem in confessione redarguendo, & eum ad obedientiam, & pœnitentiam inducendo; ità quod dum sua occulta scrutatur, sæpè fit, quod Deos suos, id est, aliqua occulta peccata, in quibus se potiùs delectabit, invenit, & rimatur, ut quia de aliquo actu luxuriæ vel B simili confitetur: & tunc sæpè fit, quod ipsos in Deos sibi statuit, sc. cum in simile peccatum consentit, & in quantum illud, quod in aliis impugnaverat, & reprehenderat, in propria persona committit, Apost. *si quam destruxi, iterum reædificabo, prævaricatorem me constituo.*

Vel dic, quod mali se reprehendi à Prophetis, id est, à bonis viris, & prudentibus, non sustinent, imò statim turbati minas eis tribuunt, & intentant. Undè illud est verbum ipsorum: *Num consiliarius, &c.* quia sicut dicitur, Prov. 15. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Et ideò talis, qui se redargui vel veritatem audire non sustinet, spiritualiter, & temporaliter sæpè perit. Undè Prov. 29. *Qui corripientem se dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.*

Capitulum vigesimum sextum. Textus. Omnis autem populus Juda filium ejus Oziam annorum sedecim.

Moralitatum Cap. VI.

OZias rex, postquam multa bona tam in villis quàm in aliis negotiis, & immensam gloriam acquisivisset, præsumptione seductus, elevatum est cor ejus in interitum suum, contempsit Dominum Deum suum. Ingressus enim templum Domini, sacerdotis officium voluit exercere & facere, & accepto thuribulo sanctuarium intrare, & super altare thymiamatis incensum, sicut Pontifex, adolere, quod tamen solis sacerdotibus consecratis, scilicet filiis Aaron licitum erat; quia scilicet nullus alius, sub interminatione, locum illum ingredi poterat, aut etiam debebat. Undè summus sacerdos statim ipsi Oziæ occurrit, & eum de præsumptionis dictæ negotio reprehendit: *Non est*, inquit, *officii tui, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum filii Aaron, qui constituti sunt ad hujusmodi ministerium.* Cum igitur nec sic egrederetur, sed comminans sacerdotibus incensum offerre moliretur, statim lepra fuit percussus, & à sacerdotibus à sanctuario ejectus, & ex tunc leprosus in domo separata habitans, quamdiu vixit, à populo est sejunctus, regnique gubernaculo destitutus.

Ista possunt applicari contra Principes sæculares, qui revera modernis temporibus non sunt contenti administratione sæcularium, nisi etiam administrent spiritualia; quia pro certo sicut patet, jam nituntur de collatione beneficiorum, & per con-

Digitized by Google

sequens de executione Ecclesiasticorum officiorum se intromittere, C & illud, quod solis filiis Aaron consecratis, id est, bonis, & dignis Episcopis, & Prælatis concessum est, volunt aliquoties usurpare, sicque sanctuarium intrare, & incensum offerre nituntur, in quantum de rebus Ecclesiasticis, & de illis, quæ ad Prælatos pertinent, se intromittere moliuntur; & indè est, quod jam multi tales leprosi, id est, simoniaci efficiuntur, in quantum sc. munera accipiunt, ut eorum precibus, & impulsionibus vel incursionibus aliqui promoveantur. Lepra enim simoniæ, quæ in sanctuario contrahitur, solebat contingere solis Ecclesiasticis Prælatis, & Sacerdotibus. Nunc verò contingit Regibus, & Principibus, qui sc. quandoque simonias contrahunt, & alios promovendo seu promovere compellendo, Prælatorum officium usurpantes assumunt, sicut in multis regnis atque villis, nulli ad dignitates, & officia promoventur, nisi qui à sæcularibus Principibus & dominis præsententur. Isti ergo regni sui moderantiam solent perdere, & in domo separata, sc. in inferno leprosi, & abominabiles persistere, qui non contenti propria dignitate jura, & officia Prælatorum in his, & similibus conantur taliter usurpare; quia pro certo dignum est, quod perdat proprium, qui ambitiosè usurpat, & appetit aliena. Non enim est suum officium, ut incensum adoleant, id est, ut sacerdotum vel Prælatorum ministeria exerceant & assumant. Undè Num. 3. *Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.*

Vel dic, quod sæcularis, quamvis sit Rex vel Princeps, vel famosus justus, non est dignus Ecclesiastica officia assumere, sed soli illi, qui munus consecrationis dignoscuntur habere. Dignior enim ad hoc est quicunque consecratus Ecclesiasticus, quanquam malus, quàm quisque sæcularis non consecratus, quanquam justus fuerit aliàs, & honestus.

Moralitatum librorum Paralipomenon Finis.

MORALITATUM LIBER DECIMUS quartus In primum librum Esdræ.

Capitulum primum. Textus. In anno primo Cyri regis Persarum, ut compleretur verbum domini.

Moralitatum Cap. I.

SUb Esdra, qui fuit scriba velocissimus in lege domini, data est licentia filiis Juda, qui captivi ducti fuerant in Babylonem, quòd Hierusalem redirent, & vasa Domini, quæ Nabuchodonosor detulerat, reportantes templum reædificarent. Quod cum facere cepissent invidentes finitimi, scriptis epistolis in Persiam ad regem, impediverunt, & templi ædificationem per multa tempora tardarunt.

Sic verè quandoque contingit, quod captivi peccatores de spirituali licentia seu gratia, & indulgentia regis Christi de Babylonia, id est, de statu peccati in Judæam, quæ interpretatur confessio, & in Hierusalem, quæ interpretatur pacifica, id est, per contritionem, & pœnitentiam ad statum gloriæ revertuntur, & templum domini in sua conscientia virtutibus reædificare conantur. Verùm statim adsunt finitimi vel vicini sui, sc. motus carnales, qui in finibus suis habitant, vel Diaboli, qui circa eos immunda peragunt, qui suis tentationibus impediunt, ne reædificent illud templum, & ne in conscientia sua faciant Deo domum.

Hic habemus, quod cum filii Israël reædificarent templum, Samaritani, de quibus dictum est. 4. Reg. 17. quod partim Deum colebant, & partim idola adorabant, venerunt ad eos prætendentes cum eis ædificare, dicentes se Dominum colere, & sibi cum aliis velle deservire. Filii autem Israël ipsos socios in ædificando habere noluerunt, sed eos potiùs tanquam extraneos respuerunt.

Sic verè fit hodie, quando filii Israël, id est, boni Christiani, templum Ecclesiæ Catholicæ virtutibus, & documentis constituunt, nunquam desunt Samaritani, id est, hæretici, & schismatici, qui licet cum Deo idola colant, id est, licet cum aliquibus viris, qui credunt, multa erronea teneant, se tamen esse cultores Dei asserunt, & Christiani nominari volunt, & templum, prædicando malam doctrinam suam, ædificare quærunt. Filii autem Israël, id est, boni Christiani debent tales repudiare, ipsorum ædificationem contemnere, & eos à cœtu fidelium tanquam extraneos effugare. Et sic isti repudiati postea moti sunt contra Israël, & ipsorum facti sunt inimici, & ædificationem templi impediunt. Sic verè hæretici, & schismatici videntes, quod filii Ecclesiæ ipsos, & ipsorum errores abominantur, ipsis præ cunctis populis hodie inimicantur, & eos in constructione templi fidei, & Ecclesiæ impedire conantur. Bene ergò dicitur. 2. Cor. 11. *quod periculum est in falsis fratribus*, quia sicut dicitur. E Matth. 10. *Inimici hominis domestici ejus.*

Vel dic, quod tales videntur proditores, qui sub specie volendi ædificare cum aliis, & sub specie alicujus boni nituntur societatem cum aliis contrahere, ut sic possint ampliùs, & faciliùs nocere. Quod si recipi nequeunt, tunc se solent hostes publicos demonstrare, & malitiam, quam palliaverunt, declarare.

Capitulum quartum. Textus. Factum est autem, cum audisset Sanaballat.

Hoc Capitulum est quidem desumptum ex Libro secundo Esdræ, qui Nehemiæ dicitur, verùm, quia hujus Capituli materia affinis est cum præcedenti, hic subjungitur. Dicitur itaque Nehemiæ 4to vel 2. Esdræ 4to capite.

Moralitatum Cap. II.

NEhemiæ 4. dicitur, quod propter impugnationes hostium vicinorum scilicet, qui ædificationem civitatis Hierusalem impediebant, ordinavit Nehemias, quod media pars juvenum ædificaret, alia verò pars armata hostibus obviaret. Etiam de ædificantibus fiebat sic, quod unâ manu faciebant opus, aliâ verò manu gladium tenebant.

Istud applica, quod cum in spirituali ædificatione Hierusalem sc. Ecclesiæ, & animæ, hostes nostri, Dæmones continuè nos impugnant, necesse fuit populum domini in duo se dividere, sc. in bellatores, & in contemplativos, & religiosos, qui pro se, & aliis orationibus pugnant, & in operatores, & in actores, qui pro se, & aliis in terrenis laborant. Veruntamen sic est, quod isti ex toto non debent operibus activæ vitæ incumbere, imò pro certo una manu debent gladium orationis tenere, & alterâ opus bonum actualiter exercere.

Capitulum nonum. Textus. Postquam autem hæc completa sunt.

Moralitatum Cap. III.

POpulus, qui de captivitate redierat, in uno dicitur valdè peccasse, quia sacerdotes, & levitæ, & alii filii Israël, non statim se separaverunt à populis regionum, sed potiùs *semen sanctum* F *commiscuerunt cum populis terrarum,* & acceperunt sibi, & filiis suis uxores de filiabus Chananæorum, Ammonitarum, Moabitarum, & Ægyptiorum, manus etiam magistratuum Principum fuerat in hoc prima. Quapropter Esdras dolens, elëemosynas, & jejunium prædicavit, & uxores alienas cum ipsorum liberis ejici mandavit, & sic filios Israël à gentilibus populis, quibus mixti erant, separavit.

Sic verè videtur hodie, quod nostri sacerdotes & Levitæ, & viri Ecclesiastici simili modo peccant, quia sc. populis terrarum, id est, sæcularibus negotiis se implicant, & sic semen sanctum, sc. se ipsos, qui deberent esse sancti, cum populis commiscere videntur, in quantum sæcularium actibus, & moribus se conformant. Undè Isa. 24. *Sicut populus, sic sacerdos,* Psal. 105. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.* Et quod plus est, isti de filiabus istorum Chananæorum, id est, sæcularium, uxores, & concubinas sibi accipiunt, ex quibus contra legem Dei, & mandata filios adulterinos producunt. Et in hoc non solùm inferiores, imò etiam Magistratus & Principes, id est, Doctores, & Prælati, & Superiores in transgressione hac primi sunt, & in hoc cæteris plus delinquunt. Et sic jam potest dici de talibus illud. Gen. 6. *Videntes filii Dei filias hominum, quàm essent pulchræ, cœperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, &c.* Quid igitur debet facere Esdras, id est, bonus Prælatus? Pro certo ipse debet tales uxores, & eorum liberos, id est, tales concubinas, & earum spurios, de Israëlitarum, id est, de Clericorum domibus ejicere, & sic semen sanctum, ab alienigenis, id est, Clericos à sæcularibus, & maximè à mulieribus separare. Dicat igitur Esdras, id est, bonus Prælatus cuilibet tali fornicario illud Gen. 21. *Ejice ancillam, & filium ejus.*

Vel dic, quod uxor alienigena est officium vel dignitas sæcularis, cui sc. hodie filii Israël, id est, viri Ecclesiastici libenter nubunt, & se in negotiis, & dignitatibus sæcularium atque Principum libenter implicant, & mergunt.

Moralitatum libri primi Esdræ Finis. G

MORALITATUM LIBER DECIMUS quintus In tertium librum Esdræ.

Capitulum tertium. Textus. Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis.

Moralitatum Cap. I.

SIcut dicitur. 3. Esdræ 3. Cubicularii tr[illegible] regis Persarum, promisso à rege præmio meliùs respondenti, de quæstione fortitudinis disputaverunt, & quæ res sit in mundo fortior, diversimodè responderunt. Unus igitur vini fortitudinem prædicavit, alius regis potentiam fortiorem rebus omnibus asseruit, alius mulieres fortiores rebus cæteris esse dixit; veritatem autem super omnia prævalere asseruit. Iste igitur, qui pro mulieribus locutus est, præmium promissum obtinuit, & quidquid statuit petere, reportavit.

Ista

Digitized by Google

Ista possunt allegari, quod hodiernis temporibus in curiis Regum, & Principum quilibet certat regi sapientiùs respondere, & placentiora dicere, ad illum finem quod possit præmium reportare. Sed pro certo ista videtur hodiè veritas, quod illi, qui commendant hodiè mulieres, id est, qui dominarum acquirunt gratias, & favores, cæteris præferuntur, & præmium non solùm ab ipsis dominabus, imò etiam ab ipsis regibus, & dominis consequuntur. Undè versificator dicit:

Regna regunt vulvæ, clamat gens tota simul væ.

Dic, quod rex Babylonis est Diabolus, qui sc. in hoc mundo tres cubicularios habere dicitur, eò quod tria genera peccatorum sibi præcipuè famulantur, sc. avari, qui commendant vinum, id est, divitias, quæ inebriant, & excæcant cor humanum; ambitiosi, & superbi, qui commendant regem, id est, eminentias; luxuriosi, qui commendant mulieres, id est, delicias. Vide supra lib. 15. cap. de Deabus, & pomo discordiæ.

Vel dic, quod inter servos regis Christi, ille, qui mulieris, id est B. Virginis laudem, & fortitudinem prædicat, & qui veritatem diligit, & commendat, à rege Christo amplius donum reportat. Eccl. 26. *Mulieris autem bona benedictus vir.*

Hic c. 3. habes, quod tres erant juvenes custodes corporis Darii, quibus promissum erat à rege, quod ille, qui de una quæstione sibi
H à rege tradita sapientiùs responderet, dona quamplurima reportaret. *Cujuscunque*, inquit, *apparuerit sermo sapientior, dabit ei Darius rex dona magna, scilicet, purpura operiri, in auro bibere, & super aurum dormire, & currum aureum, frænum & cydarim byssinam, & torquem circa collum, & secundo loco sedebit à rege propter sapientiam, & cognatus regis vocabitur.* Et sequitur, quod Zorobabel unus trium, qui veritatem commendavit, omnia ista à rege Dario reportavit.

Rex iste Darius, qui interpretatur fertilis vel augmentatus, significat Deum, qui in omnibus est fertilis, & abundans. 3. Esd. 3. *Rex Darius fecit cœnam magnam.* Ista est igitur veritas, quod ille, qui veritatem diligit, & commendat, & cujus sapientiam rex Deus approbat, & acceptat, est homo sanctus, qui non de vino, & de rege, id est, non de affluentia vel eminentia speciali tractat; sed ad veritatem creatam, & increatam sapientiam suam ordinat, & dilatat, hinc ab isto rege suo finaliter gloriam, & honorem reportat. *Magna est*, inquit, *veritas, & prævalet.* Iste enim finaliter purpurâ, id est, regali dignitate vestitur; auro divinæ sapientiæ potatur; & super illud aurum dormire, & quiescere perpetuò comprobatur; currum aureum, id est, corpus glorificatum habebit; fræno aureo, id est, divina laude gaudebit. Isa. 48. *laude mea infrenabo te;* circumdabitur & cydari byssina, id est, munda, & clara Majestate fulgebit. Zach. 3. *Ponite cydarim mundam super caput ejus:* torque aurea, id est, charitate ferventi ornabitur in sede perpetuæ quietis, & securitatis; juxta regem Christum locabitur, cognatus, & amicus perpetuò vocabitur. Undè dicitur Jo. 15. *Jam non dicam vos servos sed amicos.* Igitur vera sapientia, quæ est de æternis, non de terrenis, quæ philosophizat de veritate, & non de vanitate, & quam solam rex approbat, sc. Christus, omnes autem alios reprobat, tali præmio dotatur, & possessores sui ad talem gloriam promoventur. Undè in Prov. 1. dicitur, quod *per sapientiam addetur capiti tuo gratia, &c.*

Vel dic, quod modernis temporibus inter eos, qui sunt Regum cubicularii, & familiares, illi, qui apud eos reputantur sapientiores,
A divitiis, & honoribus præ aliis abundant, in auro bibunt, & in auro per avaritiam mentaliter cubant, cydarim dignitatum etiam obtinent, purpurâ, id est, vestimentis pretiosis se induunt, juxta reges, & in altis officiis, & dignitatibus sedent, cognati, & amici regum vocantur, & in omnibus clari apparent. Veruntamen ibi dicitur, quod isti curru vehuntur, & torque circa collum ligantur, ad denotandum, quod status illorum non est stabilis, sed ad modum currûs vertibilis, & volubilis. Undè dicitur 1. Reg. 25. *Imputrotabuntur quasi rota.* Torques etiam, id est, tortura diversarum sollicitudinum, & timorum illos stringit. Undè Job. 17. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.* Et ad literam finaliter etiam quandoque accidit, quod torques per suspendium ipsos stringit, sicut de multis sapientibus regum, Officialibus, Consiliariis quotidiè cernimus, quos quandoque post altas dignitates torqueri & suspendi videmus, & sic torques aurea in torquem cannabeam transformatur, Eccles. 35. *Servo malevolo tortura, & compedes.*

Hic dicitur, quod *nihil vino fortius & efficacius.* Habet enim, ut ait, *mentem decipere, mentem effœminare, mentem in securitatem vertere, mentem jucundare, omnem tristitiam effugare; Fraternitatem & amicitiam facit oblivisci, gladios sumere, & omnia per talenta loqui.*

Ista omnia possunt applicari ad vinum malè sumptum, sc. ad ebrietatem, quia pro certo ista est, quæ mentem pervertit errorem, & insipientiam decipit, & quæ verticem, id est, sapientiam avertit. Psal. 106. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum absorpta est.* Securitatem præsumptionis parit, vanam lætitiam inducit, tristitiam, & timorem effugat: præsentiaque, & futura infortunia oblivisci facit, amicitiam facit frangi, gladios per furorem & iracundiam facit accipi, & ad literam plus quàm deceat, facit loqui. Ebrii enim per talenta loqui dicuntur, in quantum, quid dicant, non præmeditantur, sed quicquid habent in corde, simul eructant, & effantur. Undè in communi dictum gallicum est de homine, qui effrænatè, & inconsideratè loquitur: *Il parle à javeleis*, id est, *ipse loquitur per fasciculos.* Undè Prov. 19. *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem servat in posterum.* Eccl. 19. *Stultus verba multiplicat.*

Vel dic de vino delitiarum vel affluentia prosperitatis.

Vel dic, quod vinum est divina providentia seu spes, fides vel consolatio spiritualis, quia ista est, quæ mentem decipit, in quantum sc. facit sperare vel credere, quod non videt, mentem effœminat per timorem, assecurat per spem, lætificat per spirituale gaudium; & timorem, & amicitiam, & fraternitatem, & omnem personarum ac- B
ceptionem facit oblivisci propter justitiam; gladium verbi, & orationis facit sumere per spiritualem audaciam; & per talenta facit loqui per spiritualem fervorem, & eloquentiam. Undè Prov. 31. *Da vinum his, qui amaro sunt animo, ut bibant, & obliviscantur egestatis suæ.*

Capitulum quartum. Textus. Et inchoavit sequens dicere, qui dixit de fortitudine regis.

Moralitatum Cap. II.

Hic agitur de potentia regis, & dicitur, quod *rex omnibus præcellit, bellatores mittit, qui missi, ubicunque voluerit, properant, montes, turres, & muros lacerant, prædas rapiunt & cumulant, quas tandem ad regem portant. Jugulantur, & jugulant, & pro suo domino morti se exponunt. Agricolæ tributa fortius regibus afferunt, & cum omnes pro ipsis laborare non cessant, ipsi tamen in lætitia bibunt, dormiunt, & recumbunt.*

Istud ad literam potest applicari ad modernos reges, tam Ecclesiasticos quàm sæculares, quia pro certo isti bellatores, id est, ballivorum multitudines nutriunt, qui montes, turres, muros; id est, generaliter omnes bonos subditos per contemplationem altos, per constantiam fortes, & solidos impugnant, & exactiones diripiunt, prædas & exactiones, quas extorquent ab aliis, ad magistros suos ferunt. Et ad literam sæpè fit, quod pro mandatis magistrorum suorum exC
equendis alios jugulant, & affligunt, sed finaliter ipsi jugulantur. Quod etiam familiariter accipiendo, videmus, quod isti subditos sc. exactionibus suis jugulant, tamen sæpè fit, quod ipsi similiter jugulantur, & per infortunia deficiunt, & succumbunt. Undè dicitur. Matt. 7. *Eadem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Et breviter ista est veritas, quod tam mulieres quàm agricolæ, tam pauperes quàm divites, pro regibus, Prælatis & Superioribus dominis, & ipsorum negotiis seu utilitatibus laborant, ipsi verò sine labore vivunt, dormiunt, & triumphant. Ps. 71. *In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua.*

Vel dic, quod rex est Christus, cujus milites fuerunt Apostoli, & Martyres, qui prædicando peccatores jugularunt, in quantum exteriorem hominem, & vitam carnalem in eis occiderunt, prædasque, id est, animas, quas à Diabolo rapuerunt, ad eum per fidem & pœnitentiam detulerunt, qui tamen finaliter per tyrannos corporaliter jugulati fuerunt, *qui gladio percutit, gladio peribit.* Apostoli enim, & primi Ecclesiæ fundatores, qui gladio verbi Dei peccatores percusserunt, gladio per tyrannos, & impios corporaliter perierunt. Agricolæ etiam, id est, fideles Confessores, Doctores, tributa virtutum, & bonorum operum & de agro sacræ scripturæ tributa bonarum doctrinarum ad regem Christum suum deferunt, & ipso in Paradiso quiescente, hic pro ipso laboribus se exponunt, Psal. 43. *Propter te mortificamur tota die.*

Ex Capitulo quarto. Textus. Tertius, qui dixerat de mulieribus, & veritate.

Moralitatum Cap. III.

Hic dicitur, quod mulieres cæteris rebus fortiores sunt. Et ad hoc probandum adducitur, quod *mulieres, reges, & subditos* D
generant ac plantatores vinearum, educunt telas, ac stolas pro vestiendis hominibus faciunt; gloriæ sunt hominum, & ab ipsis nequaquam homines se separant; sed auro, & argento dimisso, mulieribus formosis se præcipuè delectant. Ipsas etiam patribus, & matribus præferunt, & pro ipsis latrocinia & rapinas facientes, & in magnis periculis se ponentes, ad uxores, & amicas prædas deferunt. Multique propter mulieres jugulati perierunt, & peccaverunt, & concludit ibidem, quod *proinde nos scire oportet, quod mulieres dominantur.*

Ista possunt exemplariter allegari de potentia & fallacia mulierum, quia ista est veritas, quod istæ hodiernis temporibus viris dominantur, & quod ipsos ad amorem taliter alliciunt suum, quod nec ab eis faciliter separantur, sed *potius patrem & matrem pro eis dimittentes*, Gen. 2. mulieribus adhærere noscuntur.

Digitized by Google

Ad literam etiam patet, quod mulieres ſuper omnia dilectores ſuos trahunt, quod hi pro ipſis enutriendis multa furta ac latrocinia faciunt, multaque ſcelera pro ipſis committunt, inſaniq; & dementes pro eis fiunt, & variis periculis ſe exponunt, ità quod temporaliter & ſpiritualiter pro eis pereunt & ſuccumbunt. Undè illud Eccleſ. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi pereunt, & perierunt.* Iſtæ igitur hominibus, ſcilicet fatuis dominantur, quod maximè patet inter conjuges, ubi plerumque maritis ſuis principantur. Ideò Theophraſtus ad ſocium ſcribit, *Det tibi omnipotens Deus omnipotentis fœminæ fallacia non falli.*

Ex Capitulo quarto. Textus. Et inchoavit loqui de veritate.

Moralitatum Cap. IV.

Hic ſuperadditur de veritate, & dicitur, quod *veritas manet, vivit, & invaleſcit, & obtinet magna. Fortior eſt enim præ omnibus, & non eſt in ea quicquam iniquum, nec acceptio perſonarum, nec differentia, quæ juſta ſunt, facit injuſtis; & omnia benignantur in operibus ejus; omnis igitur terra,* prout ait, *veritatem invocat, & cœlum etiam ipſam benedicit.* E

Iſta omnia poſſunt ad literam dici de illo, qui eſt via, veritas, & vita, ſcilicet de Chriſto, vel de quolibet juſto, & vero Judice, & Prælato.

Vel dic, quod hic propriè deſcribuntur conditiones veritatis. Iſta enim manet & invaleſcit, vivit, obtinet, atque manet, ut ſupra. *Super omnia vincit veritas,* & iſta fortior omnibus dicitur, quia veritas, & innocentia quadam occultâ virtute, quanquam tardent, finaliter prævalere noſcuntur. Veritas igitur abhorret omnem iniquitatem, acceptionemque perſonarum, & omnem duplicitatem; & omnibus, quanquam injuſtis, & peccatoribus, conſuevit facere juſtitiam, & æquitatem. Juſtitia enim veritatem habet pro directione, veritas verò juſtitiam habet pro executione. Veritas eſt lucerna & regula directiva; juſtitia verò executrix eſt vis regulæ directivæ, Pſal. 84. *veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit.* Nunquam enim poteſt benè fieri juſtitia, niſi veritas ſciatur, & niſi ſcita ſequatur. Unum tamen attende, quod dicitur, quod ſcilicet omnia benignantur in operibus veritatis, quia ſcilicet tanta eſt veritatis virtus, quod inimici veritatis benignantur, & complacent ſibi in veritatis operibus, & dato quod mediante veritate contra ipſos aliquid agatur, ipſam tamen veritatem occultè approbant, & ejus prævalentiam magnificant. Benè igitur ſequitur, quod *omnis terra veritatem invocat, & cœlum ipſam benedicit; benedictus Deus veritatis.* Sequitur ergo: *Magna eſt veritas, & prævalet.*

Moralitatum tertii libri Eſdræ finis.

MORALITATUM LIBER DECIMUS SEXTUS In quartum librum Eſdræ.

Capitulum ſecundum. Textus. Hæc dicit Dominus: Ego eduxi populum juſtum de ſervitute.

Moralitatum Cap. I.

F

VINCENTIUS in ſuo ſpeculo hiſtoriali inſerit, quod præter duos libros Eſdræ, quæ in ſacræ ſcripturæ Canone continentur, tres alii ejuſdem libri inveniuntur, qui inter ſcripturas Apocryphas numerantur. Quia tamen, ut ait, aliqui ſancti doctores in ſcripturis ſuis verbis ibidem contentis quandoque inveniuntur uſi fuiſſe, ſicut eſt illud, quod Auguſtinus in homiliis recitat: *Morietur filius meus JESUS, &c.* Ideò Vincentius de dicto libro aliquid voluit excerpere, & prædicto ſuo operi aggregare. Ego etiam aliquas figuras ibidem, & viſiones poſitas moralizo, & ipſa in hoc volumine ſuperaddo. Quia in iſtis ſupra tertio, & hic quarto libris Eſdræ ſupponitur, ipſum de multis, & variis prophetaſſe; non videtur mihi mirabile, ſi Propheta fuiſſe creditur, qui legem Domini à Chaldæis ſuccenſam divinitus reparavit, modum ſcribendi à dextera in lævam invenit, & novas literas Hebræis tradidit. Undè etiam ſcriba velociſſimus in lege Domini dictus fuit. Iſte igitur Ca. 2. hujus quarti introduxit Dominum ad Hieruſalem ſic loquentem. *Mater comple filios tuos, & confirma pedes eorum, quia elegi eos, & educam eos, & ſuſcitabo te de monumentis ſuis, & mittam tibi in adjutorium pueros meos Iſaiam, & Hieremiam, ad quorum conſilium ſanctificavi tibi, & comparavi duodecim fontes lac & mel fluentes, & ſeptem montes immenſos habentes roſas, & lilia, in quibus replebo gaudio filios tuos.*

Verè ſic videtur, quod Deus alloquitur Eccleſiam matrem noſtram. Monet enim, ut filios ſuos, id eſt, fideles in virtutibus compleat, & quod pedes eorum, id eſt, affectus, & deſideria in bono confirmet, promittens, quod ſi hoc fecerit, ipſos de ſepulchris, G id eſt, de oppreſſione paupertatis, & tribulationis vel imperfectionis levabit, & ad ſtatum gratiæ, & gloriæ tam temporalis quàm perpetuæ ſuſcitabit: Si enim mater Eccleſia in virtutibus filios confirmat, ſtatim adeſt Dominus, qui ipſos temporaliter, & ſpiritualiter ſuſcitat. Pſal. 112. *Suſcitans à terra inopem.* Talibus igitur ſuſcitatis, & confirmatis, completis, & perfectis promittuntur duodecim arbores, id eſt, duodecim articuli fidei, qui duodecim fructibus ſpiritûs, quos ſcil. Apoſtolus. Gal. 5. nominat, ſunt empti, Apoc. 22. *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos.* Promittit etiam fontes duodecim, id eſt, duodecim opera pietatis, ſex corporalia, & ſex ſpiritualia, quæ lacte, & melle, id eſt, dulcedine conſolationis, & compaſſionis ſunt plena. Exod. 35. *Venerunt in Helim, ubi erant duodecim fontes, & ſeptuaginta palmæ.* Item iſtis promittuntur ſeptem montes immenſi, id eſt, ſeptem Sacramenta vel dona Spiritus ſancti, quæ ſcilicet roſas, & lilia dicuntur habere, in quantum roſis, & ſanguine, id eſt, patientiâ Martyrum, & Apoſtolorum; liliis verò, id eſt, munditiâ caſtitatis, & nitore Virginum, & Confeſſorum ſunt multipliciter decorata. Pſalm. 124. *montes in circuitu ejus.* Sic igitur dico, quod Deus iſti matri Eccleſiæ, & filiis ſeu devotis fidelibus ſuis dat duodecim arbores, quibus cibantur; duodecim fontes, quibus potantur; ſeptem montes, ut in eis inter roſas, & lilia ſpacientur. Undè Iſa. 2. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Vel dic, quod duodecim arbores ſunt Prælati, qui duodecim Apoſtolorum ſunt imitatores, & fructibus bonorum operum, exemplorum, & eleemoſynarum ſunt ſubditorum, & pauperum nutritores. Duodecim fontes ſunt prædicatores, & Doctores Eccleſiaſtici, id eſt, duodecim articulos credentes, lac & mel, id eſt, dulcedinem ſcientiarum diffundentes. Septem montes ſunt viri religioſi contemplativi, ſurſum in cœlo mentaliter manentes, & roſâ patientiæ, liliiſque caſtitatis nitentes. Iſti ſunt igitur, qui filios Eccleſiæ ſcil. fideles ſæculares ſimplices verbo, & exemplo nutriunt, ipſos potant doctrinis & erudiunt, & eos recreant, & reficiunt. Undè de ipſis dicitur Ezech. 34. *in rivis, & cunctis ſedibus terræ, in paſcuis uberrimis, & in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua eorum.*

Hic docentur plura opera pietatis, tam negativè, quàm affirmativè. *Viduam,* inquit, *juſtifica, pupillo judica, egenti da, orphanum tuere, nudum veſti, confractum & debilem cura, claudum noli irridere, tutare mancum, & cœcum ad viſionem claritatis meæ admitte, ſenem etiam & juvenem intra muros tuos conſerva, mortuos ſepeli, & dabo tibi ſeſſionem primam.* Breviter quicunque opera prædicta pietatis exequitur; in prima ſeſſione, id eſt, in æterna gloria præmiari meretur. Undè dicitur. Apoc. 20. *Beatus, qui habet partem in reſurrectione prima.* H

Capitulum quintum. Textus. De ſignis autem: Ecce dies venient, in quibus apprehendentur, qui inhabitant terram in cenſu multo.

Moralitatum Cap. II.

INter cætera, quæ Archangelus revelavit Eſdræ Prophetæ, hæc quoque dixit: *Reluceſcet Sol ſubitò noctu, & Luna ter in die, & de ligno ſanguis ſtillabit, & lapis dabit vocem ſuam, & populi commovebuntur, & ſperabunt, in quem non ſperant, qui habitant ſuper terram, & volatilia commutationem facient, & mare Sodomiticum piſces rejiciet, ignis frequenter remittetur, beſtiæ agreſtes transmigrabunt regionem ſuam.*

Iſta prophetia videtur propriè pertinere ad Chriſtum, & ad tempora ejus, quia tunc Sol juſtitiæ Chriſtus Dei filius noctu naſcendo emicuit: Luna perfecta in æternum, id eſt, ipſius Chriſti humanitas, meridie, id eſt, per longum vitæ ſuæ ſignis, & miraculis reſplenduit, lignum crucis in paſſione ſanguinem ſtillavit, lapis, qui in morte ejus fixus eſt, vocem, id eſt, ſtrepitum dedit, & tandem ille, de quo non ſperaverunt habitantes ſuper terram, id eſt, Judæi, Chriſtus Dei filius regnavit, in quantum fidem multiplicans in regno Eccleſiæ imperavit. Undè Eccleſia. 1. capit. *Inſuſpicabilis portavit diadema.* Et Hieremiæ 23. *Regnabit rex, & ſapiens erit,* & ignis charitatis per mundum erupit, volatilium, id eſt, Apoſtolorum cœtus de Judæa ad gentes tranſivit, & ſic de propriis ſedibus tranſmigravit. Ipſum mare Sodomiticum, id eſt, Judæa mutata erit, & amara; & piſces, id eſt, viros devotos, & ſanctos, id eſt, Apoſtolos repulit, & tunc grex ferarum ſylveſtrium, & gentilium de regione ſua, & de infidelitatis ſtatu ad fidem Catholicam tranſmigravit. Undè Hierem. 9. *A volucre cali uſque ad pecora tranſmigraverunt.* A

Vel dic moraliter, quando Sol Chriſtus diem fidei, & intelligentiæ, & Luna ſuæ roriſluæ gratiæ noctem ignorantiæ in peccatore illuminat, & meridiem, id eſt, ardorem ſuæ concupiſcentiæ refrigerat & humectat; tunc lapis, id eſt, cordis ſui duritia vocem confeſſionis emittit; lignum ſuæ clementiæ, ſanguinem benignitatis, & eleemoſynæ in pauperes effundit; mare Sodomiticum, id eſt, ſua caro immunda, piſces ſuos, id eſt, delitias carnales rejicit; volatile autem ejus, id eſt, omnis vanitas, & ſuperbia ab ipſo recedit; ignis charitatis in eo ſuccenditur, & beſtiæ agreſtes, id eſt, beſtiales motus ab eo elongantur. Undè illud

Digitized by Google

illud Daniel. 4. *Fugiant beſtiæ, quæ ſub ea ſunt, & volucres de ramis ejus.*

Hic dicitur, quod in aquis dulcibus ſalſæ invenientur, & amici contra ſe invicem pugnabunt, & abſcondetur ſenſus, & intellectus ſeparabitur, &c.

Iſta hodiè videntur impleta, quia ſemper in aquis dulcibus ſalſæ inveniuntur, id eſt, cum perſonis bonis mali, cum fidelibus hæretici, cum domeſticis proditores, cum ſimplicibus detractores; jam igitur amici invicem contendunt, ſenſus, & ratio confunduntur, intellectus, & ſapientia hebetantur. Undè dicit. Iſa. 29. *Peribit enim ſapientia à ſapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur.*

Ex eodem Capitulo. Textus. Dominator Domine ex omni ſylva terræ, & omnibus arboribus ejus.

Moralitatum Cap. III.

Eſdras miro modo alloquitur Dominum, dicens: *Dominator,* inquit, *Domine ex omni ſylva terræ, ex omnibus arboribus elegiſti tibi arborem unam, ex omnibus vineis elegiſti tibi vineam unam, ex omni terra orbis elegiſti tibi foveam unam, ex omnibus floribus elegiſti tibi lilium unum, ex omnibus abyſſis maris replêſti tibi rivum unum, ex omnibus ædificatis civitatibus elegiſti tibi Sion, ex omnibus creatis volatilibus nominaſti tibi columbam unam, ex cunctis plaſmatis pecoribus providiſti tibi ovem unam, ex cunctis multiplicatis populis elegiſti tibi populum unum, & ab omnibus probatam legem donaſti huic, quem deſideraſti, populo.*

Iſtæ unitates videntur poſſe applicari & exponi de unitatibus noſtræ legis, quia Dominus ad literam de cunctis mundi ſylvis elegit ſibi arborem unam, ſcilicet, crucem, ut in illa ſuſpenderetur. Undè Job. 7. *Elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea.* Undè de cruce canitur: *Nulla ſylva talem profert,* &c. Item de omnibus vineis, id eſt, de omnibus mundi ſectis elegit vineam, id eſt, ſectam unam, Chriſtianorum ſcilicet, ut in ea ſalutem operaretur. Pſalm. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes, & plantaſti eam, Dux itineris fuiſti in conſpectu ejus, & implêſti terram.* Item de omni terra foveam unam, id eſt, ſepulchrum, ut in eo ſepeliretur. Undè Pſalm. 131. *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Item ex omnibus floribus lilium unum, id eſt, Virginem glorioſam, ut ſub ea obumbraretur, & in ea delectaretur, qui canit Cantic. 2. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Item ex abyſſis ſcientiarum elegit rivum unum, ſcilicet Sacram Scripturam, ut in ea populus ipſius ſatiaretur. Pſalm. 35. *De torrente voluptatis tuæ potabis eos,* &c. Vel rivum, id eſt, Jordanem, ut in eo baptizaretur. Undè dicitur 4. Reg. 5. *Vade lavare ſepties in Jordane.* Item ex omnibus volucribus columbam, id eſt, ex omnibus Eccleſiis Eccleſiam, ſcilicet Catholicam Romanam, ut in ea collocaretur. Undè dicitur. Cant. 6. *Una eſt columba mea.* Item ex omnibus pecoribus ovem, id eſt, ex omnibus animalibus animam Chriſtianam, ut ab ea amaretur. Undè dicitur 2. Reg. 12. *Pauper autem nihil habebat, niſi ovem unam.* Item ex mundi populis elegit populum unum, ſc. populum Iſraël, ut ab eo crederetur. Undè Amos. 3. *Filii Iſrael, tantummodò vos cognovi.* Item elegit unam legem, ſcilicet, Fidem Catholicam, ut mundo notificaretur. Undè Epheſ. 4. Apoſtolus: *Unus Deus, una fides.*

Hic habemus, quod Angelus loquens Eſdræ, reprehendebat eum, ex hoc, quod ſecreta Dei nitebatur inveſtigare de Domino, & de proſperitate gentium conqueri, & de filiorum Iſraël captivitate, labore, & dolore; maximè cum ipſæ gentes non eſſent filiis Iſraël meliores, ſed potiùs nequiores. Hic igitur circa hoc alloquitur Angelus Eſdram, dicens: *Nunquid magis diligis populum tuum, quàm Deus, qui creavit, illum?* Ac ſi diceret: Non.

Illud poteſt induci contra illos, qui non conſiderant occulta Dei judicia, & qui de miſeriis pauperum, & de moleſtiis innocentum, & de proſperitate malorum contra Dominum conqueruntur, quia illi debent cogitare, quod ille, qui creavit illos, Dominus multò plùs eos diligit, quàm aliqua creatura, & ideò non debet homo ipſis magis compati, quantum ad profundam meditationem, quàm ille eis compatitur, qui ipſorum habet curam & creationem. Undè dicit Eccleſ. 5. *Si videris*, inquit, *calumnias egenorum, non mireris, quia excelſo excelſior eſt alius.*

Ex Capitulo quinto. Textus. Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi.

Moralitatum Cap. IV.

Angelus loquens Eſdræ, volens oſtendere, quantò mundus ampliùs ſeneſcit, tantò homines ſunt corpore minores, virtute debiliores, & in moribus nequiores: Introduxit exemplum de muliere, quæ in juventute filios fortiores generat, quàm in ſenectute, quoniam quidem mulier diuturni partus debilitatur in ſenectute, & per conſequens debiliores pueri generantur. Et ſic dicit, *mundus juvenis meliores, & majores homines produxit, quàm nunc mundus ſenex.* Ideò ad idem dicitur, quod *ipſa priora meliora fuerunt.* Ideò Bernard. dicit quod *quanto plus vivimus, tanto plus peccamus,* & 4. Eſdr. 13. *Quantò invalidum ſæculum ad ſenectutem tendet, tantò multiplicabuntur mala,* &c.

Capitulum ſextum. Textus. Et dixit ad me: Initio terreni orbis, & antequam ſtarent exitus ſæculi.

Moralitatum Cap. V.

Capitulo iſto agitur de futura reſurrectione, & dicitur ſic: *Anniculi infantes loquentur vocibus ſuis, prægnantes immaturos parient fœtus; ſubitò ſeminata loca apparebunt non ſeminata; & pulchra promptuaria ſubitò apparebunt vacua: amici contra amicos præliabuntur, venæ fontium ſiccabuntur.*

Iſta tempora videntur ſpiritualiter adveniſſe, quia jam videmus, quod pueri anniculi, id eſt, juvenes homines, & ignari, jam ſumunt auctoritatè loquendi, ac multiloquio, & ſtultiloquio præ cæteris abundant, cum tamen dicatur Eccleſ. 32. *Adoleſcens in cauſa tua loquere vix.* Prægnantes, id eſt, matres noſtræ, Prælati, jam immaturos fœtus, id eſt, inſufficientes, & inſipientes perſonas pariunt; ſeminata loca & promptuaria plena, id eſt, ſubditos divites per rapinas vacuant. Jamque ad literam amici contra amicos diſcordant, & venæ fontium, id eſt, fluenta miſericordiæ, & gratiæ ſiccantur, & exhauriuntur. Pſalm. 73. *Dirupiſti fontes, & torrentes, tu ſiccaſti fluvios Ethan.*

Ex eodem Capitulo ſexto. Textus. Et videbunt, qui recepti ſunt, homines.

Moralitatum Cap. VI.

Hic conſequenter dicitur, quod finaliter *delebitur malum, extinguetur dolus, florebit fides, vincetur corruptela, oſtendetur veritas, quæ ſine fructu fuit diebus tantis.*

Iſta fuerunt verificata in tempore primitivæ Eccleſiæ, nunc verò receſſerunt. Ad illa tamen allegare potes, ſi vis, quod iſta debent inveniri in nobis Chriſtianis, & maximè Eccleſiaſticis, quibus dicitur. Matt. 5. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Ex Capitulo ſexto. Textus. Et die ſecundo creaſti ſpiritum firmamenti.

Moralitatum Cap. VII.

Hic Eſdras alloquendo Dominum, quod Deus ante dixit: Geneſ. 1. *Congregentur aquæ in locum unum*, poſuit *aquas congregatas in ſeptima parte terræ*, & ſuppoſuit terram eſſe ſepties majorem, quod eſt falſum. Item poſuit, quod Deus creavit duas maximas animas à principio, nomen uni Enoch, nomen alteri Leviathan. Enoch autem dedit in habitationem partem terræ ſiccæ, ubi ſunt mille montes. Leviathan verò in habitationem dedit ſeptimam partem aquæ. Neſcio quid vult dicere, & ideò tranſeo. Credo tamen, quod ex iſtis verbis potuerunt Judæi accipere occaſionem errandi, qui ponunt Leviathan eſſe piſcem totum mundum circumeuntem, quem eis Meſſias comedendum dabit, nec diminuetur tamen, (ut ajunt) aut ceſſabit. Iſta igitur ſunt aliter exponenda, ſed nihil ad præſens de ſenſu literæ, qui non quæro, niſi mores, & moralizationes perſcrutari, atque moralia.

Hic cap. 7. videtur ponere Angelus loquens Eſdræ, quod futurum ſæculum, id eſt, Paradiſus ſeu hæreditas beatorum, ſimilis eſt mari ſpatioſo, præruptis jam rupibus circumſepto, ubi tamen eſt ſtrictus introitus, ad modum fluminis factus, ad quod pariter anguſtum plenum periculis neceſſariò habet intrare, quicunque ad iſtud mare voluerit navigare. Comparat etiam iſtam hæreditatem cuidam civitati in pulchra & ſpecioſa planitie conſtitutæ, ab una tamen parte aquâ circumdatæ, & ab altera ignibus circumſeptæ, ubi patet ingreſſus ſolùm ad veſtigium unius hominis, vel diſtrictus inter ignem, & aquam per medium conſtitutus; & cum quiſque voluerit hæreditatem, civitatem vel planitiem ſubintrare, neceſſe eſt per iſtud anguſtum periculum pertranſire. Quod declarando poſſumus addere, quia pro certo Paradiſus dicitur mare, propter inexhauſtibilem abundantiam; dicitur civitas, id eſt, civium unitas, propter indiviſibilem charitatis amicitiam, & concordiæ colligantiam; dicitur planities, propter delectabilem amœnitatem; dicitur ſpatioſa propter inexterminabilem quantitatem. Undè Baruch. 3. *O Iſrael, quam magna eſt domus Dei!* Sed revera ad illud mare ſeu ad illam civitatem valdè difficilis eſt acceſſus. Eſt enim neceſſe tranſire per arctam ſemitam juſtitiæ, inter ſcopulos, & aſperitatem tribulationum; inter ignes cupiditatum, & malarum inflammationum, & inter aquas voluptatum, & malarum delectationum. Undè dicitur Eccleſiaſt. 15. *Ignem & aquam appoſui tibi, ad quod volueris, extende manum.* Oportet igitur, quod homo ſit cautus, ut

Digitized by Google

per arctam semitam justitiæ transeat, ne fortè in aliquod prædictorum periculorum incidat, & sic hæreditatem gloriæ non attingat, sicut dicitur Matth. 7. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam.*

Vel dic, quod pericula, quæ facilitatem vitæ cœlestis, & salutis impediunt, significant eminentias, divitias, & delitias. Scopuli enim eminentias significant, ad quas difficilis est ascensus, facilis tamen, & periculosus est casus. Ignis significat divitias, quæ scilicet suos possessores urunt, & eos per avaritiam fatigant, & incendunt. Aqua verò significat delitias, quæ suos amatores mergunt, & eos per vitia putrefaciunt, & corrumpunt. Cave igitur, qui per arctam semitam religionis, justitiæ, & pœnitentiæ progrederis, ut ita rectè transeas, & ut ita justè, & sanctè vivas, quod in ista pericula per affectum & desiderium non impingas, ne fortè per superbiam, avaritiam, & luxuriam pereas, & ab ingressu gloriæ retrocedas. Unde Isa. 30. *Hac viâ ambulate, ne declinetis ex ea, nec ad dexteram nec sinistram.*

Nota etiam, quod hic dicitur, quod introitus hujus sæculi sunt periculosi, dolentes, mali, & periculorum pleni; istud applicatur ad vitam præsentem, per quam homines ingrediuntur in hunc mundum.

Capitulum septimum. Textus : Et factum est, cum finissem loqui verba hæc.

Moralitatum Cap. VIII.

G Hic ponitur illa prophetia de Christo, quæ à pluribus Doctoribus allegatur: *Ecce*, inquit, *tempus veniet, & apparebit civitas; & ostenderur, quæ nunc subducitur terra; revelabitur filius meus JEsus cum his, qui cum illo jocabuntur, qui relicti sunt in annis quadringentis, & erit post annos illos, morietur filius meus JEsus, & homines, qui spiramen habent omnes, & convertetur sæculum in antiquum silentium diebus septem, ut fuit in judiciis prioribus, & post septem dies excitabitur, quod nondum vivit sæculum, & morietur corruptum, & promptuaria reddent, quæ eis commendata sunt animæ, & revelabitur Altissimus super sedem judicii, & pertransibunt miseriæ, & fides convalescet, & opus subsequetur, & merces ostendetur, justitia vigilabunt, & injustitia non dominabuntur.*

Ista ad litteram videntur dicta de adventu Christi, quia quando ad primum adventum, scil. in carne numeratur tempus, quod fluxit à tempore illius visionis usque ad tempus Incarnationis, scil. quadringentorum annorum, videtur idem esse tempus, quod numeratur à Daniel. 9. cap. qui sub Nabuchodonosor, & Balthasar prophetavit. Iste autem Esdras sub Cyro ista vidit, & qui post Nabuchodonosor circò regnavit. Ista est igitur veritas, quod post quadringentos annos à tempore istius visionis Dei filius JEsus Christus fuit revelatus, & natus, & tandem fuit mortuus, & occisus. Finaliter autem omnis homo spirans, & vivens morietur, & corruptibile sæculum dissolvetur. Unde illud Ecclesiast. 14. *Omne opus corruptibile in fine deficiet*, ita quod propter carentiam hominum silentium antiquum, quod fuit ante creationem animalium ante sæculum, revertetur. Unde legitur Amos 8. *Multi morientur, in omni loco projcietur silentium.* Tandem post septem dies, id est, in fine septimæ ætatis novum sæculum suscitabitur, & promptuaria, id est, repositoria animarum, i.e. paradisus, purgatorium, & infernus animas commendatas ad resurrectionem evoment, & sic in judicio sedebit Altissimus, & mercedes suas singulis ostendet, & opus
H præmium subsequetur; tunc autem fides, & justitia in conscientia prævalebunt, & omnes injustitiæ damnabuntur. Ista tamen de numeratione temporis, & annorum, quæ fluxerunt inter Esdram, & Christum, præcisè non assero, sed lectorem ad Bedam super Danielem, & glossas Doctorum remitto.

Capitulum octavum. Textus : Et respondit ad me, & dixit : Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.

Moralitatum Cap. IX.

Hic in hoc capitulo dixit Angelus ad Esdram conquerentem de damnatione generis humani, quod præsens sæculum factum est pro multis; futurum verò factum, pro paucis : *Quemadmodum*, inquit, *de magna gleba terræ fit vas fictile, modicus verò pulvis accipitur, de quo fit aurum :* ac si diceret: Multi sunt peccatores fictiles atque mali, pauci verò erunt aurei, & salvati. Unde Matt. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Vidit Esdras cap. 9. & 10. mulierem in dextera parte campi, quæ dissutis vestibus & effuso cinere super caput, tristis, & flebilis deplorabat, cui causam luctûs inquirenti, respondens dixit se sterilem triginta annis cum viro suo fuisse, & tandem à Deo filium magnis cum lachrymis impetrâsse, ipsumque cum laboribus nutrivisse, & tandem ad annos nubiles perduxisse, cumque sibi perquisivisset uxorem, die, quâ ipsum desponsaturus erat, mortuus cecidit, & ideo propter ejus mortem se miseram, & flebilem esse dixit. Tandem vidit Esdras subitò faciem mulieris dictæ fulgentem, & sic A subitò disparentem. Post hæc verò stupidus vidit quoddam ædificium civitatis construi, & fundamenta sursum erigi, & ostendi.

Dic moraliter, quod ista mulier significat animam Christianam, quæ triginta annis, id est, in fide Trinitatis cum viro suo permanens, sterilis quoad bona opera perseverat, unumque filium, id est, unum bonum opus generat, sicut ad literam de multis patet, quilicet fidem Trinitatis habeant, in multis tamen bonis operibus se non exercent; sic quandoque filium, id est, bonum opus à Deo impetrant, quem etiam in se ipsis nutriunt atque fovent. Unde legitur Judi 13. *Sterilis es, sed concipies, & paries filium.* Veruntamen sæpè fit, quod, ubi uxor divinæ gratiæ, & futuræ gloriæ isti filio, id est, bono operi, & proposito speratur, & procreatur subitò, peccato interveniente, iste filius moritur, & sic anima magis sterilis, quàm antea reperitur. Unde Isa. 47. *Venerunt tibi simul duo hæc, sterilitas, & viduitas.* Ideo pro certo ista debet tunc per contritionem dolere, per confessionem clamare, & per satisfactionem plorare. Quod procul dubio si fecerit, statim per divinam gratiam in ea receptam, facies suæ conscientiæ relucebit, & ædificium paradisi sibi reædificabitur, & patebit.

Vidit Esdras 4. Esdr. 11. somnium valde admirabile, vidit enim quandam aquilam, quæ tria capita habebat, quorum medium cæteris majus erat, quodlibet tamen istorum quiescebat. Vox autem de illis capitibus nulla exibat, sed vox magna de medio corporis aquilæ resonabat, habebat etiam duodecim alas, quarum à contrario pennæ multæ oriebantur, quæ tandem in octo pennacula modica distinguebantur. Illæ igitur successivè vigilabant, & dormiebant, & singulæ temporibus suis regnabant, & una post aliam deficiebat, & nunquam ampliùs comparebat. Ipsa etiam pennacula, id est, parvæ alæ subalares successivè defecerunt, & sic solùm tria capita quiescentia in corpore aquilæ remanserunt, tandem verò unum dictorum capitum evigilavit, & super totam terram regnavit.

Dicamus allegoricè, quod ista aquila significat Christum, qui trium fuit naturarum. Habuit enim naturam divinam, animæ, & corporis in una persona, & sic habuit tria specialia capita in se ipso quiescentia & manentia, quorum tamen medium, scil. natura divinitatis, majus & nobilius fuit cæteris. Iste igitur duodecim alas habuit, id est, duodecim Apostolos in suo corpore mystico constitutos. Octo etiam minores alas habuit, in quantum septuaginta duos discipulos, qui constant ex octavo novies ducto, sibi cum Apostolis adjunxit. Unde Luc. 10. *Designavit JEsus post hoc alios septuaginta duos discipulos*, quibus mediantibus vox prædicationis Evangelicæ in omnem terram exivit & prodiit. Istæ igitur tam alæ quàm subalares, id est, tam Apostoli quàm discipuli suis temporibus vigilaverunt, & super Ecclesiam regnaverunt. Tan- B dem verò unus post alium defecerunt per martyrium, vel aliàs recesserunt, finaliter tamen medium caput, id est, sua divina potentia, quæ nunc dormire videtur, evigilabit scilicet in judicio, & tunc super terram in perpetuum imperabit, sanguinemque, & labores Sanctorum suorum, quos dissimulaverat, vindicabit : malosque puniet, & damnabit, bonos salvos faciet & juvabit. Unde Psal. 77. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, & tanquam potens crapulatus à vino.* Et alibi Psal. 75. *Cum exurgeret Dominus in judicio, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

Vel dic moraliter, aquila est anima, quæ scilicet habet tria capita, id est, tres potentias, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem, quæ tandem ad fidem veniens duodecim alas, id est, duodecim articulos fidei acquirit; octo pennacula, id est, octo spirituales beatitudines, quibus ad cœlum volat, recipit; de corpore autem ejus, id est, de interiori pectore vox contritionis emanat, & exit. Fit tamen quandoque, quod alas virtutum suarum per peccatum amittit, ita quod præter tria capita, id est, præter tres naturales potentias, nihil boni retinet, aut custodit. Veruntamen quandoque fit, quod medium caput scilicet voluntas, per pœnitentiam evigilat, & regnum virtutum perditum recuperat, restaurat, & ad cœlestia per contemplationem, & desiderium tanquam Regina & libera, calcatis inferioribus, se exaltat hæc aquila. Unde Job. 39. *Elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum.*

Vel dic, quod aquila est Ecclesia, cujus tria capita, quæ dormiebant, nec sonum aliquem emittebant, sed finaliter quodlibet eorum periit, & dextrum, quod lævum fuerat, devoravit, significant Prælatos fide Trinitatis imbutos; duodecim verò alæ significant mediocres subditos in doctrina duodecim Apostolorum fundatos; octo verò subalares, significant inferiores in octava futuræ resurrectionis sperantes. Igitur est ista veritas, quod cum aquila, id est, Ecclesia habeat capita, alas & subalaria, id est, habeat Prælatos & subditos mediocres, & infimos, ipsa capita, id est, ipsi capitanei, & Prælati non faciunt hodie, nisi quiescere, & in delitiis dormire, nec sonum prædicationis aut divinæ laudis, & eruditionis sciunt emittere, quapropter necesse est, ipsos finaliter deperire. Ad hoc enim solùm attendunt, quod illi, qui sunt ad dextram, id est, in statu prosperitatis, illos, qui sunt ad lævam, id est, in statu adversi- C tatis,

Digitized by Google

tatis, devorant, id est, impellunt. Ista ergo est veritas, quod alæ deguntur vigilare, & capita dormire, quia subditi, scilicet sunt magis ad bonum vigiles quàm Prælati, dicentes illud Apostoli 1. Thess. 5. *Non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus.* Cujus tamen contrarium legitur de Christo, quia scilicet ipse vigilabat, & discipuli dormiebant.

Vel dic, quod aquila est Princeps, vel Rex, qui scilicet in corpore suo, id est, in curia suâ habet, & capita, & alas, & subalaria, id est, magnos Capitaneos vel consiliarios mediocres, judices, inferiores ballivos. Igitur hoc est verum, quod dum capita dormiunt, alæ vigilant; quia dum ipsi superiores capitanei, & magistri non cogitant, sed quiescunt, alæ, id est, inferiores Ballvi pro ipsis ad rapiendum vigilant & intendunt. Unde Lucæ 12. *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*, scilicet ad prædandum.

Vel dic etiam, quod isti Officiales, dum Domini sui hebetes in delitiis delectantur, & de regimine terræ suæ nihil ad modicum meditantur, isti ad utilitatem propriam vigilantes ad prædam præparant panem liberis.

Vidit Esdras aquilam magnam, quæ tria habebat capita, duodecim alas, & octo subalaria, cui scilicet à contrario alarum pennæ sunt ortæ; tandem in octo parvas alulas, quas vocat octo pennacula, sunt distinctæ, & expandebat aquila alas suas super omnem terram, & omnes venti terræ insufflabant ad eam. Factum est, quod omnes istæ pennæ temporibus suis regnaverunt, & tandem successivè una post aliam defecerunt. Ipsa etiam capita tria quiescebant, & unum erat majus aliis, quod evigilans per totum mundum regnavit, & post hoc non comparuit, de aliis verò duobus unum, quod ad dexteram erat, reliquum devoravit, de corpore verò aquilæ, non de capitibus vox exibat. Post hoc autem exivit leo de sylva rugiens, & vocem hominis ad aquilam mittens dicebat: *Nonne tu es, qui superasti de quatuor animalibus, & totum mundum tenens eum potestate cum labore, & dolore possedisti, & tribulasti mansuetos, læsisti quiescentes, dilexisti mendaces, destruxisti fructificantes, afflixisti tibi non nocentes? & ideo ascendit contumelia tua in Altissimum, & respexit Altissimus superba tempora, & ecce finita sunt; propter quod non appares aquila, & ala tua horribiles, & pennacula tua pessima, & capita tua maligna, & angues tui pessimi, & totum corpus tuum vanum perierunt, ut refrigeretur terra liberata de manu tua.* Quibus dictis, ecce totum corpus aquilæ incendebatur, & ipsa nequaquam ampliùs videbatur.

Quamvis ista mirabilis aquila multa significare possit, sed tamen ex sequenti expositione potest innui istam esse Romanum imperium, cujus initium, progressum, & terminum designavit. Illud enim imperium propriè comparatur aquilæ, tum quia rapaciter vivit, & per suam rapacem violentiam altiùs cæteris volavit, & cunctis mundi avibus, id est, cunctis hominibus imperavit, ita quod omnes venti cœli ad eam insufflabant, hoc est, quod omnes jurisdictiones sæculi ab hoc imperio dependebant. Psal. 71. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Ista igitur habuit capita pessima, alas horribiles, subalaria maligna, ungues etiam acutos. Et revera Imperium Romanum habuit quosdam Imperatores Monarchas, qui fuerunt sicut capita; quosdam habuit minores ad currendum per mundum, & acquirendum terras, & ad populos subjugandum agiles, & feroces, qui fuerunt sicut alæ; habuit etiam inferiores Principes, sub alis, id est, sub Imperatoribus militantes: qui dici poterant meritò subalares. Et fortè qui benè vellet deducere, inveniret tria capita, id est, tres solos Monarchas fuisse: duodecim alas, id est, duodecim magnos Imperatores successisse, sicut etiam Suetonius fecit librum de duodecim Cæsaribus; nunc verò subalaria, id est, modicæ virtutis, imperantes restare. Sed quicquid fuerit de numero, constat, quod omnes terribiles, & horribiles fuerunt, ungues rapacitatis, & violentiæ acutissimos habuerunt; quapropter populus, super quem regnaverunt, tempore suo defecerunt, & ut communiter gladio perierunt, & unum caput reliquum devoravit, in quantum inter se quandoque præliũ habuerunt, sicut patet de Julio contra Cajum, & de Pompeio contra Antonium. Vox etiã non de illis ad controversiã, sed de corpore ipsius imperii sæpè prodiit, sicut in bellis civilibus apparuit, propter quod ipsa aquila semper in deterius procedendo successit, & sua potentia semper decrescendo defecit, sicut patet, quia de capitibus ad alas, de alis verò ad subalares transivit. Unde Dan. 7. *Habebat alas aquilæ super se, & respiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus.* Sed pro certo leo de tribu Juda Dei filius de sylva inculta, i.e. de Virgine MARIA proveniens, istam fortem aquilam, Romanum scil. Imperium redarguit, & reprehendit, & ejus potentiam, & violentiam, quæ totum orbem turbaverat, & oppresserat, à tempore adventus sui reprehendit, & terram de suis manibus liberavit, ita quod jam, sicut videmus, totum corpus ejus tribulationibus incenditur, & ipsa quasi penitus evanescens, vix inter Imperia hodie computatur. Unde Dan. 2. *Lapis enim de monte cadens, statuam Babylonis destruxit;* quia Christus de cœlo veniens, hujus Imperii potentiam enervavit; & ideò de illo leone bene dicitur, Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Juda, radix David.*

Vel dic, quod aquila significat rapaces, & superbos Principes & Tyrannos, qui habent capita, id est, malos capitaneos, & consiliaries; alas, id est, superbos judices, & officiales; subalares, id est, malos domesticos, & familiares. Omnes enim dicuntur pessimi, terribiles, horribiles, & maligni, omnes etiam dicuntur unguibus, & rapinis, compunctionibus, & crudelitatibus communiti. Sed pro certo isti parvo tempore perseverant, quia postquam aliquandiu regnaverunt, id est, potentatum aliquandiu tenuerunt, vel multa commiserunt, omnes successivè pereunt, & spiritualiter, imo etiam temporaliter citò deficiunt, & succumbunt, Psalm. 54. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Ipsa etiam capita, id est, ipsi majores, & capitanei inter se invicem per ambitionem, & invidiam discordant, & se alternatim aliquoties destruunt, & impugnant. Ipsa etiam rapax aquila, id est, ipse Tyrannus finaliter tribulationibus succenditur, & mediante leone Christo, & ejus occultâ justitiâ de medio tollitur, ita quod de ipso, capitibus, alis, subalaribus, id est, de ipso, & suis rapacibus, & iniquis fautoribus, ministris, & familiaribus nihil penitùs reperitur, Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

Capitulum decimum tertium. Textus: Et factum est post dies septem, & somniavi somnium nocte.

Moralitatum Cap. X.

Esdras de nocte somnians, vidit quendam hominem ascendentem de mari, & sursum cum cœli nubibus advolantem, & vidit, quod homo ille convalescebat: & ubicunque vertebat vultum, tremebant omnia, & ubicunque exibat vox ejus, exardescebant omnes, qui vocem ejus audiebant. Et cum innumerabilis multitudo contra illum convenisset, sculpsit sine manibus montem unum, & volavit continuò super istum. Et cum non haberet in manu vas aliquod bellicosum, emisit de ore suo flatum ignis, de labiis suis spiritum flammæ, & de lingua sua scintillas, & tempestates, & succendit hos subitò, ita quod solùm cinis, pulvis, & odor fumi de ipsis omnibus appareat, & vocat ad se multitudinem aliquam pacificam, & ducebantur ad eum multi, alii qui tristes veniebant, alii qui ligati erant.

Rectè videtur, quod iste homo sic nocte visus, est Christus Dei filius nocte natus: Ille enim de mari, id est, de Maria Virgine natus, & nubibus cœli, id est, purissima humanitate velatus, miræ potentiæ per mundum volitans apparuit, ita quod quicquid severiter respexit, tremore mirabili percussit. Sicut apparuit, quando Matth. 21. in templo vendentes, & ementes ejiciebat, ubi secundùm Doctores splendor, & majestas vultûs alios deterrebat. Sicut etiam apparuit in ejus captione, Joan. 18. ubi auditâ voce ejus satellites territi ceciderunt. Unde Amos. 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* Vox etiam, & prædicatio ejus auditores per charitatem inflammabat, & eos per desideria bona ardescere faciebat. Unde Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? &c.* Post tamen multitudo Judæorum innumerabilis contra eum convenit, ita quod morte interveniente, ipsum ad montem sculptum & politum, scilicet ad paradisum per ascensionem recedere, & evolare fecerunt. Ubi cum viderat multitudinem maximam, id est, universos, tam Judæos quàm gentiles contra se per infidelitatem insistere, legem ejus repellere, & eum in suis fidelibus multipliciter impugnare, ignem Spiritûs sancti in die Pentecostes de ore ejus misit, virtute cujus inimicos suos infideles convertens, ipsos in cinerem, & pulverem per humilitatem mutavit. Unde Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat?* Et sic finaliter ad eum multi ducti fuerunt per Sanctorum prædicationem; quidam videlicet gaudentes per spei consolationem; quidam tristes per timorem, & contritionem, quidam ligati per charitatem & dilectionem; & istorum multitudo pacifica dicitur per unitatem & concordiam. Unde 2. Corinth. 6. Paulus Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Et Isa. 45. *Vincti manibus post te current.*

Vel dic, quod talis homo significat bonum Prælatum, quia verè ad ipsum pertinet, quod habeat in vultu venustam authoritatem, quam videntes præ reverentia terreantur, in verbis, ore & labiis ardentem, & ferventem verbositatem, quam audientes ad bonum inflammentur. Requiritur etiam, quod à facie impugnationum suarum, scilicet tribulationum, & tentationum ascendat in montem paradisi, scil. contemplando & orando, ut ab ipsis liberetur. Item quod ignem severitatis, asperæ correctionis, & reprehensionis de ore suo, etiam, si necesse sit, tempestatem tribulationum mittat in tales, ut corrigantur & puniantur, & usque ad cinerem & pulverem, id est, usque ad sui considerationem, & suæ resolutionis meditationem humilientur, & quod congregationem pacificam tam gaudentium quàm tristium, quàm etiam ligatorum, i.e. congregationem bonorum tam desolatorum quàm lætantium ad se convocet, ut secum gaudeant, & lætentur. Unde Isa. 11. *Spiritu oris sui interficiet impium, & arguet in justitia pro mansuetis.*

Unde

Digitized by Google

H Unde Dan. 7. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Ad quod videtur etiam facere illud, quod infra ſcribitur, ubi Eſdræ in perſona Prælati vel cujuſcunque juſti dicitur ſic. 4. Eſdr. 14. *Corripe populum tuum, conſolare humiles eorum, renuncia jam corruptelæ, dimitte mortales cogitationes, ejice à te pondera humana, feſtina tranſmigrare à temporibus his.*

Hic ponitur unum, quod de decem tribubus Iſraël, quæ per Salmanaſſar Regem Aſſyriorum antea fuerant captivatæ, dicitur: Hic enim populus in Babylonem & in Mediam translatus, propter ſuam idololatriam & peccata, dolens, & pœnitens diſpoſuit inter gentes non habitare, ſed in quandam regionem remotiſſimam, quæ ſcilicet pariter unius anni, & dimidii diſtabat, & in quam nullus hominum adhuc intraverat, ſe transferre; ut ſeparati à gentibus poſſent ſua legitima, quæ in terra ſua non ſervaverunt, cuſtodire. Iſti igitur multis diebus peragrantes regionem obſitam montibus invenerunt, in quam nullus patebat ingreſſus, niſi per Euphratem fluvium intra anguſta montium tranſeuntem introierunt, ſed divinâ potentiâ fluvius ſtetit ſeu areſcebat, & ſic populus interiùs ſubintravit, ſtatim verò fluvius ad ſuum alveum reverſus, populum in locum illum montibus obſitum intercluſit, & populus ibi manſit. *In fine tamen temporum* (ait) *iterato venæ illius fluvii ſcaturient, & iter eis divina virtute aperietur, & ad filium Dei pacificè colligentur.* Regio autem illa ubi nunc ſunt, Arzaret nuncupatur.

Quamvis iſta videntur pati eclipſin, ex hoc quod vel ortus fluminis Euphratis non diſtat à Media, ubi populus ille translatus fuerat, non ſolùm non per annum cum dimidio, imò nec per menſem, cum in montibus Caſpiis propè arcam Noe dicatur oriri. Quinimò etiam nec totus mundus per iter anni cum dimidio duraret in longum; dum tamen homo poſſet continuè, & quotidiè diebus competentibus peragrare, de hoc tamen nihil ad præſens. Joſe-
A phus autem de decem tribubus aliter videtur ſentire, ſicut recitat Comeſtor in ſcholaſtica hiſtoria. Dicit enim, quod dum Alexander partes Perſiæ, & Mediæ peragraret, venerunt ad ipſum populi animo redeundi ad terram Iſraël, de qua translati erant, licentiam poſtulantes, qui audità causâ translationis, & quomodo Deum ſuum, qui tot ſibi contulerat beneficia, reliquerant, indignatus, non ſolùm licentiam non dedit, ſed eos inter montes Caſpios intercluſit, & muris validiſſimis de montibus ad montes protenſis, ipſos includere attentavit. Verùm, ut dicit ibidem, labor humanus ad præmiſſa non ſufficiebat: ergo rogabat Deum, quem ipſi dereliquerant, ut implere vellet, quod deſiderabat. Sic igitur Dei potentiâ factum eſt, quod in conſpectu Principis terræ motu facto montes ad montes acceſſerunt, & ingrati ſunt inter montes incluſi, & inter Gog & Magog, id eſt inter caſtra ſic nominata uſque ad tempora judicii ſedes ſuas acceperunt. De iſtis autem caſtris Gog & Magog, ubi ſita ſunt, non legi, niſi quia in deſcriptione ſphæræ, ſeu in tractatu de theoria planetarum recolo legiſſe me, quod hæc ſunt in ſeptimo climate in Septentrionali ſita latere, quod etiam videtur ſcriptum in deſcriptione Mappæ mundi.

Sed cum de iſtis nihil ad ſenſum moralem poſſit deſervire: propter hoc, ſi vis moralizare, accipe illud primum, quod hic ſcribitur: & dic pro certo, quod ſic debet facere pœnitens, ſicut iſte. Videns enim peccator populus, quia de terra Iſraël translatus eſt in Babylonem, id e. de ſtatu gratiæ in peccatum, debet dolere & pœnitere, & per pœnitentiam de medio gentium, i.e. de poteſtate dæmonum ſe ſubtrahere, & regionem remotam, id eſt, deſertum pœnitentiæ, & religionis quærere, & per fluvium lachrymarum intrare, & ſine exitu ibi ſtabiliter permanere, & ſic quilibet talis poteſt comparari illi, de quo dicitur Lucæ 19. quod *homo quidam abiit in regionem longinquam, accipere ſibi regnum:* in fine autem iſte fluvius lachrymarum, & tribulationum pœnitentium ſiccabitur, & iter ad altitudinem paradiſi patebit, & de anguſto loco mundi vel corporis pœnitens ad cæleſtia deferetur. Unde Proverb. 11. *Juſtus de anguſtia liberabitur.*

B Illud autem, quod dicit Joſephus, poteſt allegari ad hoc, quod iſti, qui de beneficiis acceptis ingrati ſunt, & benefactores ſuos, ſive ſit Deus, ſive ſit homo, relinquunt, relaxationem, ſeu gratiam habere non debent, ſed potiùs arctiùs includi, & puniri merentur.

Vel illud applica ad beneficium orationis, quia ſcilicet Deus ſi ad preces unius pagani montes tranſtulit, & Principis crudelis precibus ſatisfecit, multò fortiùs fidelium preces exaudit, quando cordevorum preces hujuſmodi ſibi fundit. Ideo dicitur, Matth. 21. *Amen dico vobis, quidquid credentes petitis, accipietis, &c.* Ad illud, quod Rabanus libro ſuo de naturis rerum lib. 5. cap. 4. & multi alii Doctores dicunt de Eſdra, quod legem Domini, & Prophetiæ libros, qui per Chaldæos ſuccenſi fuerant, reparavit, facit, quod hic legitur cap. 13.

Cap. 14. Dicitur hic, quod Eſdras quærens (qualiter poſt mortem ſuam naſciturus populus mandata Dei faceret, cum lex Dei incenſa fuiſſet, propter quod quid faciendum, & quæ fuiſſent opera Dei, de cætero nullus ſciret) rogavit Dominum, ut ſibi Spiritum ſanctum immitteret, ita ut leges, & libros perditos divinitus recuperare valeret. Angelus igitur lucernam intellectus ſibi dare promittit, & utper quadraginta dies à populo ſe abſconderet, una cum ſcriptoribus, ſibi dixit. Quo facto calix plenus aquâ coloris ignei Eſdræ per Angelum porrigitur, quo bibito ſtatim intellectus, ſapientia & memoria ſibi datur. Sic igitur, Eſdrâ dictante, & in ſpiritu loquente, lex Prophetæ à quinque ſcriptoribus ſcribitur, & ſic infra quadraginta dierum ſpatium omnia abſolvuntur plenariè. Angelus autem in lege populum jubet edoceri, & quædam jubet palam fieri. *Quædam*, inquit, *palam facies, quædam ſapientibus abſcondite trades.* Scriptores igitur per diem ſcribebant, nocte verò comedebant. Eſdras autem per diem loquebatur & dictabat, nocte etiam non tacebat.

Iſta poſſunt applicari ad hoc, quod neceſſe eſt, intellectum, ſapientiam, & memoriam ſpiritualem quis habeat ad hoc, quod legem divinam, id eſt, divinæ legis intelligentiam conſequatur, quia ſcilicet homo ſe debet à communi tam hominum quàm negotiorum, quàm etiam cogitationum more ſecernere, & ſecretum ſolitudinis mentalis intrare. Debet etiam quadraginta diebus, per C quos ſtatus pœnitentiæ innuitur, ibidem, & in ſtatu pœnitentiæ, & abſtinentiæ perſeverare; quia revera illi ſoli divinas revelationes percipiunt, qui quadragenam pœniteutiæ obſervare noverunt, ſicut exemplum de Moyſe habemus, qui quadam vice quadraginta diebus in monte cum Domino ſtetit, & legem dominicam accepit. *Aſcende ad me in montem, & eſto ibi quadraginta diebus.* Alia autem, ſcilicet quomodo Angelus inſpirativè loquitur, & quomodo etiam quædam ſunt in lege, & in ſcriptura, quæ publicè poſſunt dici omnibus, alia, quæ ſecretè ſunt dicenda ſolùm ſapientibus, per ſe patent. In capitulis, quæ ſequuntur, multa de futuro judicio continentur. Sed quia nil ponitur per modum viſionis, ideo non inveni, quod ad aliquid applicabile judicaverim.

Moralitatum Libri Quarti Eſdræ FINIS.

MORALITATUM LIBER DECIMUS SEPTIMUS SUPER TOBIAM.

Capitulum primum. Textus: Tobias ex tribu, & civitate Nephtalim, cum eſſet junior, quæ eſt in ſuperioribus.

MORALITATUM CAP. I.

TObias de tribu, & civitate Nephthalim, cum eſſet junior & omnes irent ad vitulos aureos adorandos, hic ſolus fugiebat conſortia hominum, & pergebat Dominum adorare ad templum ſuum in Hieruſalem. Cum verò factus fuiſſet vir, accepit uxorem de tribu ſua, & genuit ex ea filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato, & finaliter in captivitate poſitus, de cibis gentilium non comedit, & cum contribules, & amici ejus paſſim comederent; ipſe, uxor, & filius abſtinebant, deſolatos confortans circumibat, monita ſalutis dando. Cumque monita ſalutis ſuis captivis daret; eſurientes alebat, mortuis ſepulturam præbebat; quapropter in conſpectu Salmanaſſar Regis gratiam invenit, qui ipſum plurimùm honoravit, à Senacherib verò crudeli Tyranno tribulationes plurimas ſuſtinuit, & occidi etiam juſſus fuit. D

Tobias, qui interpretatur converſus, in omnibus iſtis typum gerit boni ſæcularis, qui ad univerſa pietatis opera ſe convertit, quia licet iſte ſit inter idololatras, id eſt, inter malos ſæculares, qui idola, & boves aureos, id eſt, peccata, & aurum, & argentum per avaritiam colunt; ipſe tamen Deum colit & diligit, templum ejus per devotionem frequentat, & idololatriam contribulium, id eſt, vitiorum cultum fugit & ſpernit, & filios ſuos in timore Dei inſtruit, ciboſque gentilium, id eſt, delitias carnales abhorret, & ſe immaculatum cuſtodit; & dato quod quandoque contingat ipſum captivitatem, & tribulationem incurrere, non ceſſat tamen captivos, & turbatos conſolari, indigentibus neceſſaria largiri, mortuis ſepulturam dare, & pietatis opera præparare. Quapropter pro certo ſæpè ad litteram provenit, quod Regum & Principum (Deo faciente) gratiam, & benevolentiam acquirit, & ècontra quandoque ad majorem ſui probationem Sennacherib, id eſt, tyrannorum malevolentiam, & tribulationem incurrit. Pſal. 33. *Multæ enim tribulationes juſtorum ſunt;* ſicut & iſti dictum fuit infra per Angelum, Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.*

Capitulum ſecundum. Textus: Poſt verò, cùm eſſet dies feſtus Domini.

MORALITATUM CAP. II.

CUm quadam die Tobias fatigatus de ſepulturis occiſorum, (quos per plateas Ninivæ jugulatos inveniens abſcondebat, & nocte contra mandatum Regis ſepeliebat, propter quod interfici juſſus fuerat) juxta parietem obdormiviſſet, accidit, quod ex nido hirundinum ſtercora calida ſuper oculos ejus caderent, & ipſum penitus excæcarent. Qui plaga cæcitatis percuſſus, non eſt ira-

Digitized by Google

est iracundiâ motus, sed magis per patientiam ad gratiarum actionem provectus.

E Ista allega exemplariter, quod justus tribulationibus & fortuitis seu infortuitis casibus non debet turbari, sed potiùs quicquid sibi accidat, debet in Dei justitiam reducere, & se justè pati dicere, & patienter cum gratiarum actione omnia sustinere exemplo. Job. 1. qui dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Non enim contristabit justum, quicquid ei acciderit.* Prov. 12. Sæpè etiam accidit, quod justus ultra voluntatem tyrannorum opera misericordiæ exequitur, dicens ipsi Senacherib, id est, ipsi tyranno illud. Act. 5. *Obedire Deo oportet magis quàm hominibus.* Et tamen talis ut communiter citiùs, & facilùs infortuniis flagellatur. Prov. 3. *Quem enim Dominus diligit, corripit, & quasi pater in filio,* sicut dicit sapiens, *in eo delectatur.*

Vel dic, quod Tobias est homo, qui quandoque advertens ad parietes, id est, ad mundi negotia se deflectit, quandoque in delitiis, & prosperitatibus delectatur & dormit. Hirundo verò Diabolus, qui more hirundinis in aëre, id est, in superbia pascitur, hoc videns, stercora divitiarum in oculis cordis ejus per concupiscentiam projicit, & sic visum spiritualis visionis seu discretionis & sapientiæ, nec non lumen divinæ gratiæ sibi tollit, & eum per avaritiam excœcat, & pervertit, ità quod in illis, quæ ad Deum, & ad salutem pertinent, ipsum totaliter cœcum reddit. Undè tales, qui juxta parietem terrenarum possessionum per avaritiam excœcantur, videntur posse dicere illud. Isa. 59. *Palpavimus quasi cœci ad parietem, & quasi sine oculis attrectavimus.* Ille enim, qui fatigatus ad sepulturas dormitionem acceperit, id est, ille, qui in bonis operibus difficultatem, & lassitudinem delectabilium quærit, & ab hujusmodi bonis, & piis operibus cessat, & quiescit, talis, dico, cœcitatem vitiorum incurrit, & lumen gratiæ perdit, quod tamen nullatenùs perdidisset, si infatigabiliter in bonis operibus vigilasset. Non oportet igitur in bonis operibus fatigari, nec per malam complacentiam dormire, aut in vitiis, & in prosperis delectari. Undè Apost. 1. Thess. 5. *Non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus, & sobrii simus.*

Capitulum tertium. Textus. Tunc Tobias ingemuit.

Moralitatum Cap. III.

TObias, ut supra, inter idololatras Dominum quærebat, & bonis operibus Deo insistebat, qui postquam filium habuit, excœcatus est. Filius verò ejus, associato sibi Raphaele Angelo, in Rages civitatem Medorum pro recuperandis decem argenti talentis descendit, ubi Saram filiam Raguelis, quæ sc. septem viros
F habuerat, quos tamen unus Dæmonum, nomine Asmodeus, occiderat, in uxorem assumpsit, & eam à Dæmonis potestate liberavit, & eam in domum patris cœci cum magna substantia secum duxit, quem canis associans revertentem præcessit. Ille etiam piscem, qui eum devorare voluerat, occidit, & cum felle ejus patrem cœcum ad consilium Angeli finaliter illuminavit, sicut omnia illa apparent infra 6. 11. & 12. cap.

Et hic Beda per Tobiam allegoricè populum Judæorum intelligit, qui in principio solus Deum coluit, & amavit, & inter gentiles, & idololatras solus fide, & bonis operibus Deo servivit. Amos. 3. *Tantummodò vos cognovi ex omnibus gentibus domûs Israël.* Veruntamen iste, postquam filium suum, id est, Christum de Israël secundùm carnem natum produxit aut genuit, per infidelitatem excœcatus est, in quantum sc. fidem Christi recipere recusavit. Sara verò, quæ in Rages Medorum habitabat, id est, gentilitas, quæ in mundo vagabatur, cujus viros, & Doctores, & magistros per infidelitatem, & idololatriam Diabolus occiderat, ab ipso juniore Tobia, & Angelo secum juncto, id est, ab illo Christo cum Angelo, id est, cum Dei filio copulata fuit liberata, & in domum Tobiæ cœci, id est, in Ecclesiam loco excœcati Judaici populi substituta; Cant. 8. *Apprehendam te, & ducam in domum patris mei, & cubiculum genitricis meæ,* id est, Synagogæ. Sic igitur factum est, quod piscis, id est, Diabolus, qui in flumine passionis ipsum Tobiam juvenem, id est, Christum devorare voluit, ab ipso victus extitit. Fuit etiam per ipsum eviscératus, & apertus, in quantum Christus ejus cordis malitias hominibus revelavit, & fel ejus malitiæ in scripturis reposuit ad illuminationem legentium, & locavit, & quidquid de corpore ejus, id est, de membris ipsius, sc. de peccatoribus convertendo accepit, igne charitatis asslavit, & sale sapientiæ condivit, & ad usus
G proprios reservavit. Finaliter tamen pater ejus cœcus, id est, populus Judaicus, per ipsum illuminabitur, in fine sc. temporum, quando totus Israël salvus erit.

Vel dic, quod septem viri Saræ sunt septem Sacramenta vel septem dona Spiritus Sancti, concessa animæ Christianæ, quæ procul dubio Diabolus sibi per peccatum subtrahit, & eam viduam, ac miseram derelinquit. Veruntamen postquam orationibus, & fletibus se vult dare, solet Tobias junior, id est, Christus ipse perseveranter per gratiam ei se jungere, quem Diabolus non poterit superare; matrimonium enim virtutum cum anima non perseverat, nisi fletus, & oratio præcedant. Tunc verò perseveranter virum accipit, cum lachrymis suis stratum suum spargit, & cum per orationem depositum suum committit.

Capitulum quintum. Textus: Tunc respondit Tobias Patri suo, & dixit: Omnia quæcunque.

Moralitatum Cap. IV.

TObias pater, qui dudum Gabelo consanguineo suo egenti decem argenti talenta mutuo dederat, filium suum unà cum Angelo, quem ductorem sibi dederat, in Rages civitatem Medorum misit, qui in via desponsavit sibi Saram, cujus mariti septem fuerant à Diabolo interfecti. Piscem, qui ipsum devorare voluerat, interfecit, & exenteravit, & de ventre ejus medicinale membrum extraxit, dæmonem, qui maritos uxoris suæ occiderat, Angelus in deserto ligavit, patriam recuperavit, canem patris secum socium habuit, & rediens uxorem in domum patris duxit.

Rectè videtur, quod iste Tobias potest significare Deum patrem, filius autem ejus unà cum Angelo Christum Dei filium significat, in quo Angelus, & homo, divinitas, & humanitas sociantur. H
Nec est inconveniens, cum secundùm Sanctorum doctrinam Christus, in quantum ad suas naturas, in Isaac, & in ariete figuratur. Gabelus consanguineus Tobiæ significat genus humanum, quod de genere Tobiæ, id est, de genere patris dicitur pro eo, quod ad similitudinem ejus, est creatum, quod etiam egenum, & inops fuit, & propter Adæ peccatum fuit de paradiso deturbatum, & dono immortalitatis nudatum, gratiis, & virtutibus spoliatum, sicut benè apparuit in Adam, & Eva, Genes. 3. quando post peccatum cognoverunt se esse nudos. Decem talenta significant decem legis mandata isti Gabelo, id est, humano generi pro sublevanda pauperie mutuata. Sara verò gentilitatem significat, cujus viros, id est, idololatria perimebat. Piscis significat Diabolum, venter significat infernum. Fel amarum, & medicinale, quod exinde extractum est, significat Sanctorum Patrum collegium. Igitur ista fuit veritas, quod Tobias, Deus Pater, qui à principio per Moysen Gabelo, i. e. humano generi indigenti, & pauperi tradiderat decem talenta argenti, id est, decem legis mandata, Tobiam minorem filium suum cum ductore Angelo, id est, Christum Deum, & hominem filium ejus benedictum in Rages Medorum, id est, in mundum destinavit, & canem, id est, prædicatores, eidem adjunxit, qui in illo itinere Saram, id est, Ecclesiam de gentilitatibus sibi jure hæreditario debitam desponsavit. Piscem Diabolum, qui in torrente passionis, eũ devorare crediderat, & ob hoc mortem, & passionem ejus procuraverat, & prostravit, & superavit, & de ventre ejus, id est, de inferno fel amarum, & medicinale, id est, Sanctos Patres, qui in amaritudine languebant, extraxit, decem talenta, id est, decem mandatorum executionem, & opera à Gabelo, id est, ab humano genere reportavit, & uxorem assumptam, id est, Ecclesiam in domum patris sui in paradisum reduxit, & hoc est, quod dicit Apostolus Gal. 4. *Quod misit Deus filium suum natum de muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.*

Hic habemus, quod Tobias volens dare ductorem filio suo, invenit quèndam Angelum nomine Raphaëlem, qui sub humana specie latitabat. Invenit igitur eum quasi quendam juvenem splendidum, & tanquam præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Huic igitur filium suum commisit, qui ipsum in itinere con-
duxit, uxorem sibi accepit, cujus & magnâ substantiâ ipsum ditavit, decem talenta argenti sibi recuperavit, piscem, qui ipsum vorare voluerat, ipsum superare fecit, & ipsum patrem suum illuminare fecit.

Sic revera super omnia, charissimi, cura debet esse Tobiæ seniori, id est Prælato superiori, quo filio suo, id est, subditorum populo de bono ductore, id est, de bono curatore, vel rectore provideat, & quod bonum Prælatum sibi assignet, & proficiat, qui in itinere hujus mundi ipsum custodiat atque regat, ille etiam debet quærere sibi, & præficere aliquem Angelum latentem sub homine, ut aliquem virum sanctum, & Angelicum, sanctitatem tamen suam occultantem sub humana benigna, & communi effigie, quia quicunque aliis præficitur in Prælatum, in vita Angelicus, & humanus in conversatione benigna esse tenetur. Unde de bono rectore dicitur Malach. 2. *Quod ipse Angelus Domini est*: sicut Apocal. 1. dicitur: *Septem* (inquit) *stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Ille igitur debet inveniri juvenis per fortitudinem vigorosam; splendidus per munditiam gratiosam; stans per constantiam virtuosam; præcinctus per diligentiam curiosam, paratus ad ambulandum per obedientiam studiosam; debet dici Raphaël, id est, Medicus per fructuosam sapientiam, ut sic de tali Angelo dicatur illud Apocal. 12. *Vidi Angelum Dei fortem.* Igitur ille, postquam curam, Ducatum, Prælaturam, & officium super istum filium, id est, super subditos accepit, ille procul dubio debet eos unà cum cane, id est, unà cum bonis prædicatoribus regere, & conducere, decem talenta argenti, id est, decem mandata sibi debet recuperare, Saram uxorem, id est, divinam gratiam debet sibi conjungere

Digitized by Google

gere, & divitias virtutum sibi debet cum ea procurare; piscem, id est, carnem docere apprehendere; & mortificare; & sic per consequens faciet eum ad patrem suum Deum lætanter cum uxore sua, & divitiis, id est, cum divina gratia, & virtutibus revenire; ita quod tunc poterit patrem suum, superiorem, illuminare, id est, spirituali lætitia recreare, quia sic dicitur Proverb. 15. *Gloria patris est filius sapiens.* Ideo breviter de tali Angelo poterit Dominus dicere illud Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedet te, & custodiet in via, &c.*

Vel si vis per Tobiam seniorem intellige Deum, & per Angelum Prælatum, & per minorem, subditum populum, sicut supra.

Capitulum sextum. Textus: Profectus est autem Tobias, & canis secutus est eum.

Moralitatum Cap. V.

B CUm Angelus Tobiam juniorem conduceret, contigit, quod circa Tigrim fluvium prima mansione manerent. Volens igitur juvenis pedes suos lavare in fluvio, & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quo timente invadi, dixit Angelus ad eum: *Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te.* Piscem igitur in siccum traxit, & statim palpitare cœpit, & ex mandato Angeli piscem exenteravit, fel, cor, & jecur reposuit, & servavit, cætera verò assavit, & salivit, & pro viatico custodivit. Angelus verò sibi dixit, quod fumus cordis illius piscis super carbones positi omnia dæmoniorum genera ab homine fugat, fel verò oculis cœcis & albuginosis impositum, illos illuminat.

Quamvis videatur satis mirabile, quod res corporalis agat in spiritum, & quod fumus piscis fuget diabolum, vel quod sonus citharæ faciat recedere spiritum immundum, sicut supra positum est; quia tamen ad moralia tendimus, de disputando super hujusmodi non curemus. Igitur dico, quod iste piscis potest peccatum significare, vel etiam carnem fluxibilem atque mollem, quæ scilicet sub aqua mundanæ prosperitatis, & voluptatis absconditur: ubi Tobiæ, id est, cuicunque homini insidiatur. Unde Proverb. 23. *Insidiatur in viis quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Ista est ergo veritas, quod quando homo accipit mansionem suam super Tigrim fluvium, qui interpretatur sagitta, pro eo, quia sicut sagitta velociter currit, i.e. quando in mundi fluxibilitate, quæ citò deperit, atque fluit, & in aqua voluptatis, & prosperitatis vult recreari, quamquam prima facie speret, & intendat ablui, & mundari; statim tamen adest piscis iste, scilicet peccatum vel tentatio superbiæ, luxuriæ, vel avaritiæ, vel etiam ipsa caro, quæ sibi insidiatur, C ipsumque attrahere, & devorare satagit, & molitur; sed revera ad consilium Angeli testamenti, scilicet Christi vel boni prædicatoris, iste debet istum piscem, scilicet peccatum vel carnem, vel tentationem per considerationem apprehendere, & ad siccitatem abstinentiæ, pœnitentiæ trahere, & ipsum debet exenterare, id est, qualis sit, & quid infra ipsum est, respicere, & videre: Quod pro certo si fecerit, in ipso tria reperiet, unde contra vitiorum infirmitatem remedia multa sumet. Inveniet enim, quod in ipso est cor, jecur, & fel, id est vanus amor, & falsa delectatio, & finaliter inveniet, quod est ibi fel, id est, amara desolatio, & damnatio. Igitur si jecur, id est, peccati delectatio cum carbonibus desolatoriis, id est, cum consideratione ignis infernalis jungitur; fiet quod fumus ille compunctionis, & memoriæ exinde proveniens dæmones, & dæmonum tentationes fugabit. Unctura verò fellis, scilicet cogitatio, id est, timor amaritudinis albuginem carnalitatis de oculo mentis curabit: nihil enim proficit magis contra vitia, & dæmonia, quàm cogitare, quàm falsa sunt carnis, & peccati oblectamenta, & quàm dura, & fellea subsequuntur tormenta: fel igitur, id est, considerationem amaritudinis æternæ debet homo in oculis patris sui, id est, intellectûs apponere, ut sic possit eum per gratiam illustrare, dicens illud Hier. 23. *Ecce potabo eos, &c.*

Vel, si vis, dic, quod iste piscis est Diabolus, qui pro certo illis, qui in flumine Religionis, devotionis vel compunctionis se balneant, & in Tigri, id est, sagitta divini timoris, & contritionis se mundificant, & ibidem affectuum pedes lavant, insidiatur, & qui per peccatum ipsos, si potest, devorat, & prædatur. Sed revera homo debet ipsum viriliter per bona opera invadere, & sibi per considerationem exenterando, & aperiendo, quid in ventre, & in corde suo habeat, discernere, & pro certo ibi inveniet cor, id est, malitiam; jecur, quod amare cogit, id est, delectationis fallaciam, vel etiam fel, quod est amarum, id est, pravam intentionis nequitiam, & futuræ damnationis amaram angustiam. Quæ pro certo si bene cogitaverit, & carbones ignis æterni, fumumque lachrymarum, ad obscuritatem tenebrarum, quæ in inferno sunt, adhibuerit, sibi ad spiritualem cœcitatem tollendam, & ad dæmonium effugandum quamplurimùm proficiet, & valebit. Allega ut supra.

Vel dic, quod Tobias iste est Christus, piscis verò diabolus; sed de hoc vide supra cap. 5.

D Vel dic, quod iste piscis immanis significat divitem magnum usurarium, & tyrannum, qui in fluvio mundanæ prosperitatis versatur, & ibidem tanquam in proprio domicilio moratur. Ezech. 29. *Ecce ego ad te draco, &c.* Igitur si contingat, quod Tobias, id est, aliquis pauper appropinquet ad istum fluvium, id est, prosperitatis statum, vel ad alicujus divitis domum, vel locum; statim cum tales pisces, id est tyranni, usurarii, & divites ipsum velle ditari, vel se velle juxta se locari, vel ædificari vident; sibi immediatè detrahunt, & invident, & eum devorare, rapinis & exactionibus impugnare festinant, ita quod ipsum compellunt ad Angelum, id est, ad Dominum clamare, & contra eos auxilium implorare, *Domine*, inquit, *invadit me.* & Job. 14. *Anima vulneratorum clamabunt.* Periculosum est igitur talibus appropinquare, & eorum habitationibus, & eorum domibus, & possessionibus vicinare, quia fluvium mundanæ prosperitatis solùm sibi volunt appropriare, & ideo solent omnes vicinos, & socios impugnare, nec patiuntur aliquem, quem impedire valent, pedes suos lavare, id est, recreationem aliquam obtinere. Videntur enim dicere illud Ezech. 11. *Nobis data est terra in possessionem.* Tobiæ igitur, i.e. pauperi ab Angelo, id est, à Deo consulitur, quod istum piscem, id est, istum divitem per considerationem apprehendat, & quod ipsum de fluvio mundanæ prosperitatis per considerationem extrahat, & ad siccum, id est, ad mortis austeritatem, & sterilitatem imaginando deducat. Hoc est dictum, quod statum vitæ ejus citò defecturum, & statum mortis suæ citò successurum cogitet & attendat, & sic pro certo ipsum cogitare poterit palpitantem, id est dubium, miserum, & timentem. Unde de divitibus dicitur Sapient. 5. quod *ipsi turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes.* Consilium etiam est, quod pauper, qui videt gloriam iniquorum, ipsos per considerationem exenteret, hoc est, quod quales sunt interiùs, consideret, ut scilicet non gloriam suam exteriorem, sed iniquitatem interiorem cogitet, atque spectet; quia, scilicet tunc videt, quod illi, qui sunt terribiles quoad mundum, sunt abominabiles quoad Deum. Juxta illud Luc. 10. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* Talem considerationem videtur habere David Ps. 72. ubi de prosperitate malorum sic dicit: *Ecce ipsi peccatores in sæculo obtinuerunt divitias, & dixi: ergo sine causa justificavi cor meum, &c. donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.* E

Vel, si vis, dic, quod Tobias iste est Deus, quem pro certo piscis immanis, id est, aliquis malus dives in persona pauperum, & religiosorum devorat, & eum in membris suis fatigat, & infestat. Sed pro certo Deus talem de fluvio prosperitatis ad siccitatem mortis extrahit, & eum exenterat, & prosternit, & super carbones inferni assat, & comburit, & de ventre ejus, id est, de suis intrinsecis, & abditis medicinas pauperum, scilicet divitias, quas diu absconderat, extrahit, & de his cœcos, id est, inopes quandoque illuminat; in quantum de avarorum substantiis ipsos post mortem talium consolatur, & ditat, carnesque, id est, temporales substantias, istorumque officia, & beneficia, quæ tenebant, sibi, & Angelo reservat, in quantum in persona pauperum se nutriri prædicat Isa. 28. *Refice lassum, & ecce hoc meum refrigerium.* Impios, & Tyrannos tollit de medio, ut saltem post eorum mortem de eorum divitiis justos alat, & eorum bona, quæ avarè aggregaverant, per plurimos distribuat, ut patet ad literam de Clericis tenentibus plura beneficia, & avaris habentibus plures divitias, quia scil. post mortem eorum plures ditantur, & beneficiantur, & Tobias, & Angelus, id est, pauperes, & justi, vel ipse Deus in persona pauperum multipliciter recreantur. Igitur dicitur Sap. 10. Quod *justi tulerunt spolia impiorum.* Et Proverb. 13. Quod *reservetur justo substantia peccatorum.* Unde dicitur de malo divite Job. 20. *Qui confringens nudavit pauperis domum, rapuit, & non ædificavit eam, nec est satiatus venter ejus. Gladius educetur egrediens de vagina sua, vadent, & venient super eum horribiles, & devorabit eum ignis, qui non succendetur.* Et de eodem dicitur ibidem, *quod divitias, quas devoravit, evomet, &c.* F

Capitulum octavum. Textus: Postquam verò cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam.

Moralitatum Cap. VI.

HIc dicitur, quod cum Sara filia Raguelis septem viros habuisset, & eos diabolus occidisset, Tobias ipsam ducere timuit; tamen ad Angeli consilium ipsam duxit; nec ei diabolus nocuit seu læsit. Nam ad consilium Angeli jecur piscis mortui super carbones posuit, & odore fumi ejus dæmones fugavit. Quem Raphael accipiens, in desertum superioris Ægypti relegavit. Tandem verò in timore Dei uxorem instruens, & ad orationem invitans cum ipsa tribus diebus orationi vacavit, & sic intrans ad puellam, in Dei benedictione sine nocumento eam suscepit. Sicut enim Angelus sibi dixerat, cap. 6. *Dæmonium, solùm super illos potestatem habebat, qui sicut equus, & mulus sine timore Dei cum suis uxoribus habitant, & qui in actu conjugali nihil præter delectationem amant.*

Ista

Digitized by Google

Ista exemplariter ad literam possunt allegari contra libidinosos, qui scilicet sicut bruta sine Dei timore solam delectationem quærunt; quia pro certo tales per spiritum fornicationis pereunt, in quantum etiam cum propriis uxoribus fornicationem committunt. Justi verò cum Dei timore, & bona intentione, & oratione debent conjugium celebrare, & sic non habent dæmonium, id est, spiritum luxuriæ formidare, & potissimè, si piscis mortui jecur, id est, si Christi morientis mortem super carbones ferventis charitatis per considerationem voluerint ponere. Dicat igitur bonus conjux uxori suæ illud, quod iste dixit hic: *Filii sanctorum sumus, & non possumus conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.*

Vel dic, quod uxor nostra est beneficium vel Ecclesia nobis data, quia pro certo quicunque isti uxori brutaliter, & solummodo propter lucrum, & delectationem, & utilitatem temporalem conjungitur, & eidem per promotionem conjugatur, necesse est, quod
G a diabolo spiritualiter & temporaliter prematur. Ille verò qui taliter uxorem accipit, non ut præsit, sed ut prosit; non ut libidini, & voluptatibus vacet, sed ut cum timore divino, & oratione divinæ laudi se applicet, à Dæmone non læditur, sed sanus, & incolumis spiritualiter reperitur, & cum uxore hujusmodi prole bonorum operum jocundatur, & divitiis temporalibus, & spiritualibus prosperatur Psal. 127. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.*

Ex eodem Capitulo octavo. Textus. Et factum circa gallorum cantum, quod accersiri jussit Raguel.

Moralitatum Cap. VII.

Hic habetur, quod Raguel pater Saræ, postquam Tobias filiam suam in uxorem acceperat, & ad eam intraverat, timuit, ne fortè sibi, sicut aliis, accidisset; hoc est, ne fortè Dæmone suffocatus fuisset; igitur fecit de nocte in domo suâ foveam fieri, ut ipsum posset terræ commendare, sicut alios sepelire disposuerat; sed ipsum sanum reperiens, in laudes Dei properat, & exultat, & duas vaccas, & quatuor arietes occidens, nuptias præparat, & instaurat. Tobias igitur Angelum ad Gabelum mittit, qui pecuniam recuperat, & ipsum ad nuptias adducit. Tandem verò Raguel medietatem bonorum suorum filiæ tradidit, & sic cum magna substantia Tobias conjugem secum duxit. Qui procedens felle piscis oculos patris illuminavit, & cadente albugine quasi membrana ovi, visum recuperat, & videns filium suum, Dominum benedixit.

Ista exponunt quidam allegoricè. Dicunt enim quod Raguel est populus gentilis, cujus filiam, id est, ipsam gentilitatem seu gentilium communitatem, Tobias, id est, Christus in uxorem duxit, in quantum ipsam ad fidem convertens, de ipsa Ecclesiam suam fecit, sed revera in principio ille Raguel, scilicet gentilis populus du-
H bitavit, & timuit, ne fortè ille esset verus maritus, & ne fortè, mundum decipiendo, fuisset à dæmone occisus, vel oppressus; quapropter ipsum sepelire disposuit, in quantum in persona Tyrannorum nomen Christi, & ejus fidem opprimere, & tollere festinavit; sed finaliter cantu gallorum, id est, doctrina prædicatorum instante, ipsum verum Ecclesiæ maritum, virum sanctum, & legitimum reperit, & cognovit; & tunc nuptias veræ, & firmæ fidei statuit, & induxit; in quibus procul dubio vaccas, & arietes, id est, Martyres, & Confessores de populo suo præparat, & exponit. Constat autem, quod de populo gentili converso, multi in primitiva Ecclesia more vaccarum agrum dominicum coluerunt, & tandem per martyrium obierunt. Multi arietes, & Prælati, & Duces in Ecclesia fuerunt, qui mortem pro Domino subierunt. Tunc in nuptiis Tobiæ, & Saræ, id est, Christi, & Ecclesiæ de sepsis encœnium præbuerunt. Unde Matth. 22. *Tauri mei, & altilia mea occisa sunt, & omnia parata sunt, venite ad nuptias*, id est, ad fidem Christi. Gabelus per Angelum adducitur, quia, scilicet ad fidem Christi quotidie novus populus per prædicatores Angelicos aggregatur. Sara etiam, id est, gentilitas, cum magna substantia Tobiæ traditur, quia etiam de gentibus cum divitiis diversarum scientiarum ad fidem veniens, Domino desponsatur. Et finaliter tamen iste Tobias scilicet Christus patrem suum cœcum, id est, populum Judaicum excœcatum, per fidem illuminat, in quantum in fine temporis lumen suæ fidei servat, quia tunc exultando clamabit, & dicet: *Ecce video Tobiam filium meum*; quando albugo infidelitatis de oculis ejus ceciderit, & quando se erasse fatebitur, & cognoscet; & quando se media ætate illuminatum advertet, dicens illud Joan. 9. *Cum cœcus essem, modo video.* Albugo enim propriè cœcitatem populi Judaici significat, qui se album, hoc est justum credit, & æstimat. Et ista etiam cœcitas, & albugo quasi membrana ovi esse dicitur, pro eo quod adhuc Christum tanquam de ovo nasciturum expectat; sed tunc talis albugo de oculo suæ mentis cadet, quando Christum jam venisse cognoscens, se erasse percipiet. Unde Apostolus 2. Cor. 3. *Velamen est positum super cor eorum. Cum autem aversi fuerint, auferetur velamen.*

A Hic potes subdere exemplariter, quomodo Angelus eleemosy-

nam, orationem, & jejunium commendat, & quomodo ex hoc promeruit Tobias, quod à Deo tentaretur, & tentatus consolaretur, Tob. 12. Vide cap. 13. Nihil videtur in aliis capitulis hujus libri figurale.

Moralitatum super Tobiam finis.

MORALITATUM LIBER DECIMUS
Octavus Super Judith.

Capitulum primum. Textus. Arphaxat itaque Rex Medorum subjugaverat multas gentes.

Moralitatum Cap. I.

NABUCHODONOSOR, Rex Assyriorum cum contra Arphaxat regem Medorum victoriam obtinuisset, elevatum est cor ejus in superbia, & omnem terram voluit suo imperio subjugare. Nam non sufficit sibi regnum Medorum acquisivisse, quinimo nuntios suos ad Libanum, Siciliam, Syriam, & Damascum usque in Hierusalem misit; ut tributa sibi solverent, &, ut eum in regem reciperent, per nuntios imperavit. Et quia omnes uno animo contradixerunt ei, & remiserunt nuntios vacuos, & sine honore abierunt; indignatus ipsos per potentiam opprimere, & subjugare voluit. Ideo Holofernem principem militiæ cum exercitu infinito contra regionem occidentis misit, & omnem terram sibi subjugari mandavit. Qui mandatis ejus obtemperans multas civitates, & terras confregit, multosque ipsum voluntariè recipientes in Dominum, in deditionem recepit. Terras, quæ priùs mandata Nabuchodonosor contempserant, per violentiam ejus imperio subjugavit.

Ista possunt applicari contra ambitiosos, & præsumptuosos. Ille enim Nabuchodonosor, qui interpretatur sedens in angustia, præsumptuosos & ambitiosos significat, qui per solicitudinem semper angustiantur, ut ad statum altiorem promoveantur. Thren. 1. *Sedet in angustia domina gentium*, id est, ambitio. Is pugnat contra Arphaxat, id est, facit aliquod factum notabile, propter quod regnum Medorum, id est, aliquam dignitatem obtinet, & acquirit; sed non sufficit sibi, quod Rex sit Assyriorum, & quod efficiatur Rex Medorum; id est, non sufficit sibi dignitas, quam ab antiquo habuit, vel quam de novo acquisivit; quinimo ad altiora accenditur, & altas dignitates, & officia ambire, & ea usurpare molitur. Quod potissimè fit, quando videt aliquod beneficium vel dignitatem vacare, quia scilicet tunc magis solet ad dignitatem aspirare, 3. Reg. 1. *Adonias autem filius Agith elevabatur, dicens: Ego regnabo.* Quid igitur fit? Pro certo isti tunc, quando vident electionem instare, solent nuntios, prolocutores, & proseuchas suos mittere, & nunc ad unum, nunc ad alium discurrere, multa, & magna promittere, ut ad regnandum super ipsos, & ad Prælaturam vel officium obtinendum ipsos valeant inclinare, dicentes cum Absalone illud, quod dicitur 2. Reg. 15. *Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, ut justè judicem?* Sed revera justo Dei judicio fit, quod omnes uno animo contradicunt ei, & nuntios, prolocutores, & suos secretos repudiant, & contemnunt, & quod in die electionis, ubi se eligi forsan existimabat, omnes electionibus se opponant, dicentes illud Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* Quod videns ille ad Holofernem principem militiæ, id est, ad Principum, & Laicorum potentiam se convertit, totque per eos tribulationes excitat contra istos, quod civitates, & munitiones, id est, temporales possessiones istorum impetit, & subvertit, dicens illud Luc. 19. *Illos autem, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite.* Et per violentiam ad consentiendum in eum ipsos cogit. Ita quod breviter
G isti compelluntur dicere illud, quod etiam isti dixerunt Judith. 3. *Desinat, obsecro, ira tua contra nos.* Sequitur: *Veni nobiscum pacificus Dominus, & utere servitio nostro, sicut placuerit tibi.*

Vel allega, quod Nabuchodonosor, id est, diabolus, qui videns se superasse Arphaxat cum exercitu, id est, cum malorum multitudine, non acquievit, nisi per alios, id est, per malos principes, & eorum officiales etiam in non sibi subjectos, id est, in bonos, & religiosos manum mittat, qui primùm nuntios suos, id est, tentationes leves ad eos mittens, repulsam patitur; quia scilicet statim homines à principio obedire vel subdi diabolo dedignantur. Ideo sæpè fit, quod principem militiæ suæ Holofernem, qui interpretatur infirmans vitulum saginatum, id est, peccatum luxuriæ, quod inter alia vitia obtinet principatum, & quod impinguatos, delitiosos vitulos, juvenes, & lascivos infirmat, contra ipsos dirigit, quo mediante multos superat, paucos verò, qui in auxilio sanctæ mulieris viduæ, id est, Beatæ Virginis ipsum vincant, invenit. Ubi enim alii nuntii, id est, alia vitia deficiunt, Holofernes, id est, luxuria principatur. Unde dicitur, *quod accidit timor Holofernis super omnes inhabitantes terram.*

* * * * * * *

Digitized by Google

Capitulum tertium. Textus. Tunc miserunt legatos suos universarum urbium.

Moralitatum Cap. II.

HIc dicitur, quod cum Holofernes omnem terram suo dominio subjugasset, quosdam virtute armorum, quosdam voluntariè cum hymnis, & canticis obviantes eidem, in ditionem suam sumpsisset: de universis urbibus viros fortes sibi in auxiliatores accepit, cum quorum adjutorio leviùs cæteros superavit.

Sic verè diabolus, qui quosdam virtute armorum, id est, violentiâ tentationum superat, quosdam verò voluntariè, & quasi ex industria peccantes, de quibus dicitur Job. 34. *Quasi ex industria recesserunt à Deo*, sibi subjugavit, de omnibus urbibus; & de omnibus statibus quosdam fortes auxiliatores, id est, quosdam Hæ-
D resiarchas vel aliorum peccatorum patronos sibi aggregavit, quibus mediantibus de aliis faciliùs victorizat. Isti enim, qui alios ad peccatum incitant, diaboli sunt auxiliatores, quorum operâ vincit faciliùs peccatores.

Hic habes, quod Nabuchodonosor præceperat Holoferni principi militiæ suæ, quod omnes Deos terræ destrueret, & demoliretur, ut ipse solus Deus ab his nationibus, quæ per Holofernem possent subjici, diceretur. Sic igitur factum est, quod Judith sancta mulier caput Holofernis amputavit, & sic Nabuchodonosor potentiam, & superbiam enervavit.

Istud applica contra præsumptuosos, & invidos, qui solùm volunt Dii, Domini excellentes, & inclyti reputari; quapropter totis viribus laborant, quod alii, id est, magni, potentes, famosi eradicentur, ut solùm ipsi apparere inter homines videantur. Sicut de Saturno legitur, quod Erichthonium filium suum occidit, & hoc: quia vidit eum sapientem, & timebat famæ suæ posse detrahi propter eum, cum solus Deus ab omnibus vellet credi.

Ista possunt applicari contra Imperium Romanorum, qui mediante malitiâ sua Deos terræ, id est, reges mundi subvertebant, & nomen eorum de medio subvertebant, regnaque ipsorum, & provincias redimebant, & sic cum effusione sanguinis totum imperium suo Dominio subjugabant, solique Dii terræ, Imperatores, & Domini dici in toto orbe volebant, & quod abominabilius videbatur, leges, & statuta scribebant, in quibus non debere dici aut esse in orbe regem præter Cæsarem dicebant, Hic. 31. *Ero Deus universis cognationibus Israël, &c.* Quod utique valde absurdum extitit, ut reges in diversis mundi provinciis ex consensu populorum legitimè factos vel à Deo institutos, sola authoritate, & violentiâ submoverent: ipsosque regnis, & dignitatibus spoliarent, sibique totum applicarent, & se solos reges in orbe vocari juberent, totumque mundum à principio liberum tributis, & servitutibus subjugarent, dicentes illud, quod sequitur infra: *Sciat universa terra, quod Nabuchodonosor est Deus terræ, & præter ipsum alius non est.* Non est mirum igitur, si illud tam violentum stare non potuit, & si sancta mulier Judith, id est, sancta Providentia occulta vel Ecclesia, istius crudelis principis caput, & po-
E tentiam amputavit. Dignum enim fuit, quod qui solum Dii terræ dici volebant, proprium caput, id est, propriam Imperatoriam Dignitatem amitterent, quâ gaudebant. Sicut & nunc patet, quia Imperium ad translationem aliam est translatum, & nullus alius habet Imperii potestatem, vel principatum. Dignum enim est, quod qui usurpat aliena, justo Dei judicio perdat sua. Ideo isti civitati potest hodie dici illud, quod antiquitus dictum est Babyloni, Isa. 47. *Audi derelicta habitans in confidentia, quæ dicis in corde tuo, ego sum, & præter me non est amplius. Non sedebo vidua, & sterilitatem ignorabo.* Et sequitur. *Venient tibi sterilitas, & viduitas.*

Hic habes, quod cum omnes generaliter se Holoferni redderent, & se potentiæ ejus subjicerent, & se, & uxores, filios, civitates, & bona sua ejus dominio subjugarent, sibique & exercitui suo cum lampadibus, tubis, & tympanis occurrerent; dicitur tamen, quod ista facientes non poterant ferocitatem sui pectoris mitigare. Quapropter ignominiosè dicitur periisse.

Quod scilicet contra Tyrannos crudeles potest allegari, quorum tanta est superbia, quod subditorum obsequiis, beneficiis, blanditiis deliniri non possint; sed ex hoc ad deterius provocantur, & sæpè ad crudelitatis opera fortiùs inardescunt; quapropter sæpè fit, quod isti in sua potentia gloriantes, & desolationibus hominum non parcentes, justo Dei judicio succumbunt.

Vel dic, quod iste est diabolus, quia pro certo, qui recipiunt ipsum, & ei consentientes complaudunt, fatui sunt, si ejus ferocitatem mitigare credunt; quia revera propter hoc ipsis non parcet, sed contra ipsos in inferno fortiùs inardescet. Unde Proverb. 5. *Zelus, & furor non parcet in die vindictæ.*

Capitulum quartum. Textus. Tunc audientes hæc filii Israël, qui habitabant terram Juda.

Moralitatum Cap. III.

AUdientes filii Israël potentiam Holofernis, timuerunt valde, ne Hierusalem caperet, templum destrueret, sancta pollueret, civitates eorum frangeret, uxores, & filios captivaret, & ideo omnes se saccis operuerunt, jejuniis, & orationibus se humiliaverunt, & sacerdotes etiam operti ciliciis, & cinere sacrificia obtulerunt, & fortiter ad Dominum clamaverunt, & occupaverunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos, & præparaverunt frumentum contra obsidionem pugnæ. Sacerdos verò sumnus Eliachim nomine, per civitates circumibat, & ad orandum, & recurrendum ad Dominum, omnes universaliter commonebat, præcepit etiam angustas vias inter montes, per quos iter poterat esse in Hierusalem, custodiri, ne pateret transitus Holoferni. Sic igitur finaliter factum est, quod Holofernes divino munere fuit victus, & Hierusalem de sua crudeli potentia liberata.

Sic verè, Charissimi, moraliter loquendo videmus, quod nos filii Israël, id est, Christiani, qui Deum per fidem cognoscimus, videmus, & audimus, quod Holofernes Diabolus cum exercitu vitiorum, & tentationum, infirmitatem hominum non cessat subjugare, & suâ potentiâ omnia concutit, & conturbat, quia sicut dicitur Job. 41. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret.* Ideò valdè debemus à facie ejus timere, & illius malitias præcavere, & hoc: ne fortè Hierusalem, id est, animam per peccatum capiat, & templum devotionis destruat; sancta nostra, id est, sanctam vitam polluat; civitates, hoc est, civium unitates, ac per hoc concordiam nostram dirumpat; & uxorem, & filios, id est, charitatem, & bona opera nobis tollat; ideo ad obviandum malitiis ejus, quilibet debet occurrere; verticem montium, id est, celsitudinem contemplationis occupare; jejuniis se affligere; sanctum cilicium, id est, asperitatem pœnitentiæ induere; & cinere mortis, scilicet memorâ, se aspergere; Deo per bona opera sacrificare; ad Deum per orationem clamare; & frumentum, id est, Eucharistiæ sacramentum contra obsidionem, id est, contra tentamenta diaboli præparare. Sacerdos etiam noster, id est, sacer Dux bonus, & discretus, debet per circumspectionem discurrere, & omnes potentias animæ visitare, & ut angusta loca sensuum corporalium, per quæ tamen iter potest esse ad Hierusalem, id est, ad animam capiendam, discretè custodiantur, debet se sollicitè præmunire; ut sic Holofernis, id est, diaboli (qui bene dicitur Holofernes, id est, infirmans vitulum saginatum, pro eo quod leves, carnales, pingues, & opulentos inficiat) possit machinationibus obviare. Qui enim taliter contra ipsum se præparaverit, nunquam spiritualiter ab eo victus erit. Bene igitur dicitur Eccles. 2. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.*

Vel si vis, dic quod Hierusalem est Ecclesia, de qua viri Israël, G
id est, viri Ecclesiastici, valde debent timere, ne ab Holoferne diabolo per vitia destruatur, & ideò Eliachim sacerdos, id est, quilibet bonus Prælatus debet discurrere, & fideles ad orandum, & resistendum periculo; & ad passus, & transitus, per quos habent ingredi hostes, id est, ad vota religionis, mandata legis, articulos fidei, sacramenta Ecclesiæ, quæ quidem sunt principales ingressus Ecclesiæ, custodiendum, & principaliter occupandum monere, nec non ad muros regularis disciplinæ reædificandæ intendere velint, & orationi vacare, montes contemplationis occupare, frumenta meritorum, & virtutum præparare, ipsos debet docere, dicens illud 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino &c.*

Capitulum quintum. Textus. Nuntiatumque est Holoferni principi militiæ Assyriorum.

Moralitatum Cap. IV.

AChior princeps filiorum Ammon, Holoferni petenti de filiis Israël, qui se præparabant contra eum defendere, quinam essent, incepit enarrare. Qui Dei Israël mirabilia cœpit prædicare, & legem populi Israël commendare, & inter alia dicere: *Quod si Deus eorum ipsos juvare decreverit, nunquam Holofernes, vel quicunque alius possit prævalere.* Indignatus Holofernes ipsum ad filios Israël duci fecit, & cum ipsis ex tunc esse voluit, ut, cum capti essent filii Israël, quorum Deum commendaverat, ipse cum eis gladio Assyriorum verberaretur, & sic nullum alium Deum esse H
Dominum terræ, quàm Nabuchodonosor experiretur. Ducitur igitur Achior in Bethuliam, sed occurrentibus balisteriis de Israël, ipsum ducere ad civitatem non potuerunt; quapropter ipsum ad arborem ligantes, & recedentes, ab exercitu dimiserunt, quem tandem filii Israël solventes ad civitatem suam ducentes, omnia, quæ contigerant, audierunt, & post fletus, & orationes eum consolan-

Digitized by Google

ſolantes ipſum circumciderunt, & in ſuum conſortium receperunt, ſicut ſcriptum eſt, &c.

Iſta poſſunt applicari ad quemlibet Sanctum pro Chriſti nomine crucifixum, ſicut ad Andream, Petrum. Achior enim interpretatur frater meus montanus, ſignificans illos, ſcilicet qui fratres per charitatem fuerunt, & montani per mentis ſublimitatem, & contemplationem; vel per vitæ eminentiam dici poterant. Conſtat enim, quod cum iſti coram Holoferne principe, id eſt, coram Nerone vel contra alios Tyrannos potentiam Dei Iſraël, ſcilicet Chriſti prædicabant, & fidem ipſius commendabant, factum eſt, quod per eos in Bethuliam, quæ interpretatur domus parturiens Dominum, id eſt, paradiſum, qui nobis Dominum parturivit, & miſit, morte intercedente, ſunt miſſi; hoc eſt per iſtos ad arborem, ſcilicet ad crucem fuerunt ligati, in cruceque morte damnati, & à cruce per filios Iſraël, id eſt, per Angelos, quantùm ad animam ſunt ſoluti, ac in Bethuliam, id eſt, in paradiſum deducti, & à carne ſua, id eſt, à corpore circumciſi, per mortem in ipſorum Iſraëlitarum, id eſt, in ipſorum Angelorum conſortium ſunt aſſumpti. Ipſe verò Holofernes, id eſt, Tyranni finaliter in morte turpiſſima ſunt conſumpti, Luc. 19. *Aſcendit in arborem Sycomorum, ut videret Jeſum.*

A *Capitulum ſeptimum. Textus.* Holofernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis.

Moralitatum Cap. V.

HOlofernes volens capere civitatem Bethuliæ, & alias civitates, & filios Iſraël ſubjugare, primò ſtuduit fontes, & aquas eis auferre, & ideò conductum, per quem aqua fluebat in civitatem, confregit, fonteſque, qui circa civitatem erant, cuſtodiri fecit, & ſic populum civitatis horrendo ſitis ardore confecit. Unde etiam ſic infra dicitur Judith 11. Sanguinem pecorum ſuorum bibere proponebant, & ad oleum, & frumenta, quæ Domino Deo ſuo conſecrata fuerant, contra fas & juſtitiam manus ſuas volebant extendere, quæ tamen contingere non debebant.

Sic verè dico, quod Holofernes diabolus, qui continuè civitatem Eccleſiæ vel animæ per tentationes obſidet, ſummè ſtudet aquam gratiæ, & devotionis ſubtrahere, & fontem lacrymarum, & compunctionis, nec non fontem miſericordiæ, & compaſſionis ſiccare. Quo facto ſtatim ſitis, & ardor malorum deſideriorum, ſcilicet avaritiæ, & carnalis concupiſcentiæ in illa civitate conſurgit, quæ habitatores ejus afficit, & affligit; in tantum, quod jam omnes ad ſitim avaritiæ temperandam, ſanguinem pecorum, id eſt, temporalem ſubſtantiam ſimplicium, vel ſubditorum ſuorum bibunt; rapinis, & exactionibus illum ſugunt; quod potiſſimè patet de illis, qui in mundo habent juridicam poteſtatem, qui ſcilicet ſanguinem alienum, id eſt, vitam, & ſubſtantiam temporalem bibere delectantur. Unde Num. 23. *Non accubabit leo, donec rapuerit prædam, & occiſorum ſanguinem bibat.* Iſtis etiam non ſufficit ſanguinem pecorum, id eſt, ſubditorum ſuorum bibere, quinimò ad oleum, & frumentum Domino conſecrata, atque dedicata, manum mittere, & ipſa fraudulenter vel violenter ab ipſis Eccleſiaſticis ſubtrahere, vel auferre ſtudent; ſicut ad litteram, & de malis Principibus, & malis Judicibus, & malis Prælatis, & Officialibus, de malis Ballivis, & lictoribus patet, qui omnes ſanguinem ſubditorum bibunt, & quando poſſunt, bona Deo, & ejus ſervitoribus dedicata, quæ ipſis non licet tangere, devorant, & conſumunt. Unde ſequitur infra, Judith. 11. *Qui hoc faciunt, certum eſt, quod in perditionem dabuntur.*

B

Capitulum nonum. Textus. Quibus abſcedentibus, Judith ingreſſa eſt oratorium ſuum.

Moralitatum Cap. VI.

VOlens Judith placere principi Holoferni, primò orationi ſe dedit, cilicio ſe induit, & cinerem ſuper caput ſuum poſuit, & oratorium intravit. Tandem verò de loco ſurgens, in quo coram Domino proſtrata jacuerat, veſtimenta viduitatis exuit, corpus ſuum lavit, myrrhâ optimâ ſe unxit, crines capitis ſui diſcriminavit, jucunditatis veſtimentis ſe veſtivit, mitram capiti ſuo impoſuit, ſandalia pedibus ſuis circumcinxit, aſſumpſitque dextralia, inaures, annulos, & lilia, & ornamentis omnibus ſe paravit. Iſta igitur ſic ornata, à principe concupiſcitur, & in tabernaculum ejus introducitur, & à cunctis ſervis ipſius honoratur.

Si vis, dic de Judith in bono, quæ interpretatur glorificans, quod ſignificat animam Chriſtianam, quæ Deum glorificare tenetur. Igitur ſi illa vult placere principi noſtro Chriſto, debet intrare oratorium ſecretæ meditationis; accipere cilicium, id eſt, aſperitatem pœnitentiæ, & macerationis; emittere ad Deum vocem, & gemitum orationis; tandem debet de terra, id eſt, de terrenis per affectionem cœleſtium ſurgere; veſtimenta viduitatis, id eſt, converſationem peccati ſeu veterem hominem exuere; per lacrymoſam compunctionem ſe lavare; & crines capitis, id eſt, affectus, & cogitatus cordis per confeſſionem pectinare, & expandere, & diſcriminare; miro odore devotionis ſe ungere; veſtibus jucunditatis, id eſt, converſatione honeſta ſe induere; mitram altæ, & elevatæ contemplationis capiti ſive cordi ſuo debet imponere; ſandalia divini timoris pedibus affectionum ſuarum circumponere; & dextralia bonorum operum ſuis brachiis applicare. Debet etiam accipere inaures, quæ aures ornant, virtutem patientiæ; quâ, ſcilicet patienter audiat; annulos, qui faciliter volvuntur, id eſt, virtutem obedientiæ; lilia, quæ colorem candidum ſortiuntur, id eſt, candorem caſtitatis, & continentiæ. His igitur ſi anima ſic ornata fuerit, procul dubio principi militiæ noſtræ Chriſto mirabiliter complacebit, & uſque ad tabernaculum ejus, ſcilicet ad paradiſum veniet, & in æternæ quietis cubiculum ſubintrabit, Pſal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.* Dicitur etiam Chriſto de anima beata: *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Iſti verò animæ ſubditur illud immediatè poſitum.

C

Vel ſi vis, dic, quod Holofernes, quem Judith volens decipere, taliter (ut præmiſſum eſt) ſe ornavit, eſt diabolus, quem pro certo Judith, ſcilicet ſancta anima, vel ſancta Eccleſia ſpiritualiter vincit, & ſuperat, quando prædictis ornamentis, & virtutibus ſe ornat.

Vel dic, quod Judith eſt Beata Virgo, quæ pro certo principem militiæ ſuperborum ſeu reproborum, ſcilicet, diabolum, qui populum Iſraëliticum, id eſt, populum fidelium tentationibus oppugnat, aquam devotionis ipſi ſubtrahit, & civitatem Eccleſiæ capere, & deſtruere tentat; deſtruxit, & ſuperavit, & potentiam ejus enervavit, & Dei populum de ipſius manibus liberavit; ipſum etiam nunc quotidie ſuperat, & devotos ſuos ab ipſo liberat, & defendit. Unde propriè dicitur Judith. 14. *Una mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor.*

Caputulum decimum. Textus. Factus eſt autem, cum ceſſaſſet clamare ad Dominum.

Moralitatum Cap. VII.

CUm Holofernes princeps militiæ regis Aſſyriorum eſſet in obſidione Bethuliæ, factum eſt, quod quædam mulier Judith nomine variis apparata ornatibus ſe ſuo conſpectui præſentavit. Qui ſtatim ſpecie, & pulchritudine ejus captus in concupiſcentiam carnis exarſit, & ipſius concubitum exquiſivit. Ille igitur multo vino inebriatus, & ſopitus cubiculum intrat, ſed mulier illa videns ipſum ebrium, & ſopitum, evaginato ipſius Holofernis gladio, caput ejus amputavit, & ipſum ancillæ ſuæ tradidit, & evoluto corpore, conopæum ejus abſtulit, & receſſit. Mane autem facto, cum cubicularius ipſius ipſum in ſolo mortuum reperiſſet, & caput à corpore videret abeſſe, incepit dicere, & clamare. *Ecce Holofernes*, inquit, *jacet in terra, & caput ejus non eſt in eo.* Quo audito, exercitus dilabitur, & projicientes arma, relictis copiis, fugere compelluntur. Hoſtes verò ſui in civitate exeuntes, & ipſos viriliter perſequentes, tentoria, & ſupellectilia omnia depræ-dantur, & de divitiis fugitivi Holofernis exercitus univerſaliter locupletantur, & cum feſtis, & conviviis jocundantur. Vide cap. 11. 12. 13. &c.

D

Holofernes iſte poteſt ſignificare mundi, & Eccleſiæ Principes, & Rectores in gloria exercitûs, & ſubditorum multitudine gloriantes; iſta autem Judith poteſt malam, & ornatam mulierem vel etiam peccatum luxuriæ deſignare. Quia procul dubio iſta eſt veritas, quod principes noſtræ militiæ Chriſtianæ tam ſæculares quàm Eccleſiaſtici multo vino & potu delitiiſque, & vitiis hodie inebriati, per ſomnolentiam, negligentiam, malarumque mulierum pulchritudinem decepti, & allecti, carnis concubitus apprehendunt, ita quod habere ſecum in ſuis cubiculis hujuſmodi mulieres delectantur. Ideo iſtæ ſunt, quæ caput, id eſt, capitale ſuum, & temporalem eorum ſubſtantiam tollunt, & ipſos proſtratos, & pauperes in ſuo ſanguine, id eſt, in luxuria voluptatis diffamatos deſerunt, & recedunt; caput ſuum, id eſt, capitale, & divitias ſecum tollunt. Non curant enim mulieres de luxurioſo, poſtquam caput ſuum habere poſſunt, quia ſtatim poſtquam divitias ſuas exhauſerunt, de ipſis amplius non curantes recedunt. Unde illud Judicum 16. *Raſis crinibus Samſonis, cœpit Dalila eum abjicere.* Sic igitur fit, quod Principe vel Prælato carnaliter per luxuriam mortuo, vel oppreſſo, exercitus ejus, id eſt, ſubditorum populus per diverſa vitia dilabitur, & propter defectum correctionis, virtutum & morum unitas diſſipatur. Facile eſt enim, quod ſubditi devient, & coram hoſtibus ſuis, id eſt, dæmonibus, & tentationibus ſuccumbant, unitatem, & charitatem amittant; quando Principem, Prælatum, vel Superiorem à mulieribus captum, & per luxuriam infamem, & ſpiritualiter eſſe mortuum vident. Unde dicitur Zach. 14. *Percute paſtorem, & diſpergéntur oves gregis.*

E

Vel ſi vis, dic, quod iſta deceptrix mulier malos Principum conſiliarios, & adulatores deſignat, qui ſub ſpecie amicitiæ ipſis Magnatibus adulantur, & tanta ſciunt dicere, & facere, quod

Digitized by Google

usque ad cubiculum, id est, usque ad secreta consilia admittantur. Ubi cum se introductos viderint, & omnes in amore suo bene raptos cognoverint; eosque ebrios, & dormientes, id est, ignaros, & negligentes invenerint; statim ad auferendum eis caput, id est, debitam intentionem, & conscientiam convertuntur, in quantum scilicet ipsorum malo consilio mediante, & eorum adulatione falsâ suffragante, viæ, & consilia reperiuntur, quibus isti Principes, & Domini ad exactiones, & rapinas contra Deum, & justitiam concitantur; in quantum capite conscientiæ perdito, in sanguine crudelitatis volutantur, & in terra, hoc est terrenorum amore jacent totaliter, & versantur; & inde fit, quod exercitus subditorum dilabitur, & gravatur. Unde de talibus malis Consiliariis, & adulatoribus potest dici illud, quod de Isboseth dicitur 2. Reg. 4. Quod duo latrones ingressi invenerunt regem dormientem super lectum in conclavi, & eum interficientes, sublato capite, abierunt. Duo enim latrones, sunt duo genera personarum, scilicet mali consiliarii seu detractores, & adulatores, qui pro eo latrones dicuntur, quia principibus caput, & conscientiam, aliis verò famam, & temporalem substantiam furantur.

Vel dic, quod ista mulier significat falsos amicos, qui omnino studeut divitum amicitias, & familiaritates contrahere; ad hoc ut possint capita, id est, capitale, & divitias eorum subtrahere, & lucrum temporale inde recipere, & acquirere. Quod cum fecerint, & ipsos pauperes, mortuos, & depressos viderint, statim solent eos dimittere, & de ipsis ampliùs non curare. Sufficit enim eis, quod possint caput talium secum ferre. Unde illud Eccles. 13. *Si nihil habueris, derelinquet te, si habueris aliquid, tecum convivet.*

Vel dic, quod ista mulier significat avaritiam, Simoniam, carnalem affectionem, quæ revera multis modernis Principibus taliter hodie intimatur, & multos taliter infatuat, quod caput rectæ intentionis & debitæ conscientiæ ipsis subtrahunt vel furantur.
F Quod patet de multis, qui in tantùm in proprio sanguine volutati, id est, in proprio amore consanguineorum suorum implicati sunt, quod in terra, id est, in terrenorum amore jacere, & de cœlestibus nihil curare penitus comprobantur. Et hoc est, quod hic dicitur: *Ecce Holofernes jacet in terra, & caput ejus non est in eo.* Idèo reprehenduntur tales Josuæ 7. cui in persona Prælati dicitur: *Surge, cur jaces pronus in terra?*

Moralizationem allegoricam, & etiam mysticam, quam ponunt Doctores, & glossæ, scilicet quod per Judith intelligatur Ecclesia, per Nabuchodonosor diabolus, per Holofernem Antichristus, omitto causâ brevitatis. Diabolus enim principem exercitus reproborum, scilicet Antichristum mittet, cui se mundus partim sponte, partim coactè subjiciet, quos tamen sancta mulier Ecclesia, in fide perseverando, finaliter vincet. Unde dicitur Joan. 4. *Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

Moralitatum libri Judith finis.

MORALITATUM LIBER DECIMUS NONUS
In Librum Hester.

Capitulum primum. Textus. In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque ad Æthiopiam.

Moralitatum Cap. I.

Assuerus Assyriorum Rex, qui regnabat ab India usque ad Æthiopiam super centum, & viginti septem provincias, anno tertio regni sui, fecit grande convivium principibus, & pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, præfectis provinciarum longo tempore, & hoc in illa domo mirabili, de qua legitur in Historiâ Alexandri, quod columnæ erant argenteæ, tectum sicut firmamentum, gemmis lucentibus, instar stellarum, & signorum distinctum; septem autem
G diebus fiebat præparatio, postea autem præparatum est convivium in vestibulo horti nemoris, quod regio cultu, & manu erat consitum; erant autem ex utraque parte tentoria, mirâ contexta varietate, & in pavimento lecti aurei; (ut dicit Comestor) vineam habebat mirabilem hortus ejus, id est, vites erant argenteæ, palmites aurei, botri diversarum gemmarum varietate distincti, populum autem universum, qui inventus est in Susis, ad convivium invitavit.

Assuerus iste, qui interpretatur Beatitudo, atrium vel ostium, significat Christum, qui est Rex magnus super omnes Deos, & qui est Beatitudo ad glorificandum, atrium ad recipiendum, ostium ad nos in paradisum introducendum. Unde Joan. 10. *Ecce ego sum ostium.* Ille igitur tertio anno regni sui, id est, tertio tempore mundi, scilicet in tempore gratiæ, cunctis suis fidelibus in horto regiæ Ecclesiæ sanctæ Matris mirabile convivium præparavit, in quo scilicet corpus proprium comedendum dedit, & in quo sanguinem suum loco vini effudit. Unde Luc. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & convocavit multos.* Convivium autem dicitur à con & vivo, vivis, &c. quia ibi simul vivitur, & sic propriè fidem Ecclesiæ designat, ubi, & in qua diversæ nationes, & populi vivere comprobantur. Et quia nobilitatem convivii facit hospitis seu Domini conditio, loci dispositio, ciborum appositio, convivarum ordinatio; igitur si de re quæritur, dico, quod ille Assuerus est Christus, &c. sicut supra. Si quæritur de loco, dico quod illud convivium sit in domo, & in horto, id est, in Ecclesia, quæ dicitur domus ratione securitatis; dicitur hortus ratione fructuosæ amœnitatis. Dicitur domus, ubi columnæ argenteæ, id est, prædicatores eloquentes, & argentei debent esse; tectum verò superius, id est, Prælatorum superiorum status quasi firmamentum per constantiam debet eminere, & in eis debet stellarum, & signorum, id est, virtutum copia splendere. Unde Gen. 1. *Stellas posuit in firmamento cœli.* Hortus etiam ille vineam sacræ scripturæ continet, quæ vites argenteas per eloquentiam, palmites aureos per sapientiam, uvas de lapidibus pretiosis per virtutem, & documentorum omnium luculentiam possidet. Habetur etiam juxta hortum istum vestibulum religionis, quod ex omni parte habet tentoria, id est, personas ad Deum per affectionem extensas, quæ scilicet, miræ fuerunt sanctitatis, & pulchritudinis, & honestatis. Habet etiam H
lectos aureos charitatis, & pavimentum spatiosissimæ humilitatis. Unde Cant. 4. *Hortus conclusus, &c.* Item si quæritur, qui fuerunt convivæ? Dico generaliter, quod omnes principes, & præfecti, sint omnes boni Superiores Prælati; omnes pueri regis fortissimi, sint viri simplices, & innocentes, & mundi contra vitia fortes, & robusti; & ut breviter concludatur, omnes populi, qui sunt in Insulis, id est, omnes, qui sunt in mundo, ad fidei convivium invitati sunt, quia omnibus dicitur Luc. 14. *Omnia parata sunt, venite ad nuptias, dicit Dominus.*

Hic dicitur, quod cibi in vasis aliis, atque aliis inferebantur, & poculis aureis bibebatur in convivio Assueri, eratque vinum abundantissimum, quod etiam regali magnificentiâ erat dignum, sic tamen fiebat, quod nullus erat, qui *nolentes ad bibendum cogeret*, & sic ordinatum erat à rege, quod unusquisque sumeret, quod placeret.

Sic verè dico, quod vinum sacræ doctrinæ, & fervor sanctæ fidei abundanter in Ecclesiæ convivio propinatur, & cibi spirituales, scilicet, bona exempla, & documenta vasis aliis, id est, personis, scilicet, per personas virtutibus, & meritis differentes quasdam, scilicet, bonas, & sanctas, quasdam verò fictas, & hypocriticas ministrantur. In illo enim convivio sunt vasa alia, & alia, quia sicut dicit Apostolus 2. Tim. 2. *In domo magna non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea, & fictilia.* Et tamen in omnibus vasis ministrantur sacramentorum cibi, quia scilicet ea per bonos, & malos Ecclesiæ ministros ministrantur, & fides prædicatur, & bona plurima efficiuntur. Unde Phil. 1. *Quid enim? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, in hoc gaudeo.*

Item si quæritur, qualis fuerit in comedendo modus, & regula? Respondetur, quod in illo fidei Ecclesiasticæ convivio nullus est, qui nolentes ad bibendum cogat, sed quilibet accipiet, quod delectat; quia scilicet, nullus est, qui vinum fidei bibere compellatur, vel ad fidem venire cogatur, sed unusquisque pro libito voluntatis suæ ad sacramenta fidei admittitur, & levatur. Non vult enim servos habere Dominus, sed liberos; non coactos, sed voluntarios; quia vinum fidei non datur nisi volenti, datur tamen pro libito cuicunque petenti, cum dicitur: *Omnis enim, qui petit, accipit.* Quan- A
tum enim vult, de illo potest accipere; quia scilicet, quantum placet homini, tantum potest à Deo de fide, de moribus, de gratia & virtutibus impetrare. Unde dicitur, quod Christi convivæ comederunt de piscibus, quantum volebant. Unde Joan. 7. *Qui sitit, veniat ad me, & bibat, &c.*

Vel si vis, applica omnia ista ad convivium paradisi, quod in domo securitatis, & in horto amœnitatis, & quod ab Assuero, id est, à Deo, qui est omnium beatitudo, parabitur, & in quo vinum æternæ consolationis, & ebrietas torrentis perpetuæ voluptatis cuilibet pro libito concedetur; ibi erunt lecti aurei, id est, quies, & tranquillitas inconcussa; ibi erunt vasa aurea alia, & alia, id est, sanctorum differentia secundùm sua merita subdistincta. Unde dicit Apostolus 1. Corinth. 15. *Stella differt à stellâ in claritate.*

Vel si vis, quod vasa ista alia, & alia sunt prædicatores, vinum verò cœleste doctrinam significat, quam scilicet, nullus debet compelli audire; quia scilicet, prædicator non debet auditoribus importunus esse, nec plus quàm placeat, offerre, quia aliàs posset faciliter displicere.

Cum Rex Assuerus suum solenne convivium jam septem diebus continuis celebrasset, contigit, quod vino calefactus reginam Vasti, quæ in palatio regis fecerat magnum convivium fœminarum, mandavit, quod ad se veniret, ut impositio diademate super caput ejus, pulchritudinem ipsius universis populis, qui in convivio interfuerant, demonstraret. Erat enim, sicut hic dicitur, *pulchra valde.* Vasti verò vocata ad regem, venire contempsit, propter quod quia regem offenderat, & quia cæteris mulieribus de contemnendis maritis malum exemplum dederat, de consilio Mamucha, qui erat unus de septem ducibus, qui faciem regis videbant, fuit regno depositа, & privata. Hester loco ipsius substituta;

facta

Digitized by Google

facta est etiam lex,ne de cætero mulieres maritos contemnere præsumant, & ut viri uxoribus præemineant, & in suis domibus principales existant,& majores.

Ista possunt exponi mysticè, & allegoricè. Per Assuerum intelligitur Christus Rex regum, qui scilicet, Vasti reginam, id est, animam Christianam sibi per fidem desponsavit, & regni paradisi reginam beatitudinisque capacem effecit. Igitur cum ista sit pulchra valde in naturalibus; constat, quod Rex ille Christus vino charitatis calefactus, ipsam continuè ad se vocat, & invitat, ut scilicet diadema regni, scilicet, gratiam, & gloriam super caput ejus ponat, & ejus naturalem, & moralem pulchritudinem convivis suis, id est, Angelis in paradiso ostendat, dicens illud Cant. 7. *Veni dilecta mea de Libano,veni coronaberis.* Et illud: *Veni electa mea,ponam in te thronum meum.* Sed procul dubio sæpè fit, quod ista in palatio eminentiarum temporalium constituta, & in convivio corporalium deliciarũ occupata, vocationem regis despicit, & ad eum venire per pœnitentiam contemnit;sed in exterioribus residens viri imperium vilipendit, & ideò pro certo Christus indignatus graviter ipsam punit, & de regno paradisi, quod obtinuisset, si vellet, detrahit, & deponit, dicens illud Prov. 1. *Vocavi, & renuistis, expandi manus,& non fuit, qui respiceret. Ego autem in interitu vestro ridebo.* Aliam verò sanctam, & humilem sibi quærit, quam ad gloriam eligit, & extollit.

Vel dic moraliter, quod vir ille est intellectus, vel superior portio rationis; uxor sua est voluntas,quæ pro certo temporalibus oblectata conviviis, id est, honoribus, & delitiis, virum contemnere videtur, nec ejus monitis salubribus obedit; sed circa convivia fœminarum, id est, circa malos actus, & delitias vacat solertiùs. Quo viso vir ejus debet eam de gradu libertatis per pœnitentiam deponere, & proteriam suam atrociùs castigare, & virum debere dominari uxori, spiritum carni, rationem voluntati, debet ostendere,dicens illud Apostoli 1. Tim. 2. *Mulieri docere non permitto,nec dominari in virum, sed esse in silentio.*

Vel dic, quod Rex iste significat de numero omnium Prælatum superiorem; regina ista designat Curatum vel Prælatum inferiorem, vel etiam quemcunque malum Judicem, Principem,vel Rectorem, quia, sicut videmus quotidie,Vasti,id est,mali Principes,& Prælati, molles, fœminei, & imperfecti, qui tamen sunt per rapinas, & vastationes subditorum propriè Vasti dicti, in conviviis circa fœminas ad literam occupati, ad illum, qui ipsos in tali statu posuit,scilicet ad Assũerum regem Christum, per bona opera venire contemnunt, sed in proprio palatio,scilicet in Ecclesia vel dignitatis statu lasciviunt vel excedunt,& sic etiam contemnendo viros suos,scilicet Superiores, & Prælatos, aliis inferioribus malum exemplum sunt; quapropter pro certo sæpè fit, quod iste Rex Assuerus Christus, istos de regnis,officiis, & dignitatibus per mortem vel per infortunium deponit, & loco eorum alios substituit, & reponit. Occulta enim providentia Dei iniquos superiores sibi contrarios,rebelles,& maximè,quando videt eos effœminatos,& molles,solet deponere, & locum suum aliis melioribus subrogare. Unde Job. 34. *Perdidit multos, &c.*

Vel dic, quod iste est Papa vel superior Prælatus vel Princeps, qui in palatio suo,id est,in aliquo Ecclesiæ, vel curiæ suæ gradu, officio vel beneficio, videt dominari aliquam malam, & superbam reginam, id est, aliquam muliebrem, & enervam personam, circa convivia,& fœminas occupatam, & nihilominus sibi, & mandatis Canonicis contumacem, & rebellem; ipsam ergo pro certo debet deponere, & aliam bonam personam lóco ejus subrogare, atq; diademate jurisdictionis caput ipsius insignire, dicens illud Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum,&c.*Facto enim,& verbo debent doceri non contemnere superiores, & seipsos etiam cognoscere debent esse subditos, & minores. Unde Apost. Ephes. 5. *Mulieres viris suis subditæ sunt.*

Vel dic allegoricè, sicut communiter exponunt Doctores, quod prima regis primi Christi, & Dei uxor fuit Synagoga Judæorum, quæ scilicet Vasti,quæ interpretatur finis signatus, propriè dicitur, pro eo quod ista certo,& signato fine terminari debet. Igitur ista est veritas, quod quando Rex noster Christus fidelibus suis magnum convivium fecit (quod utique fuit,quando personaliter veniens seipsum in Sacramento Altaris ad comedendum dedit) tunc procul dubio uxor sua Synagoga, quæ scil. in palatio regio, scilicet in scripturis, vel in Hierusalem, & Judæa convivium fœminis,& sanctis animabus hactenus fecerat, ipsasque pabulo fidei, & doctrinâ paverat, à rege Christo vocata, & ad fidem invitata venire renuit, & mariti sui Christi amplexus fugiens, & vitam ipsius vilipendens, in proterva rebellione, & infidelitate permansit. Cum enim ipsa propter divinas revelationes Patrum, & Prophetarum scripturas, & satisfactiones esset pulcherrima, voluit Rex Christus ipsam primitus ad convivium fidei vocare, & diademate, id est, religionis cultu insignire, & pulchritudinem virtutum suarum in exemplum fidelium conversorum voluit omnibus demonstrare, volens, scilicet quod impleretur illud Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Sed pro certo vocationem Christi,& Apostolorum contemnens, ad convivium noluit venire, nec regis jussionibus obedire.Ideò de consilio septem ducum,id est, de consensu omnium Apostolorum,& prædicatorũ,ista deponenda, & relinquenda condemnatur: & alia substituenda, scilicet Ecclesia de gentibus loco ipsius judicatur. Quod utique tunc factum est, quando relictâ Judææ, Apostoli ad gentiles se transtulerunt, & Ecclesiam ex gentilibus sicut novam puellam Hester, regi Christo quæsierunt, & Synagogâ depositâ, regioque honore propter suam infidelitatem privatâ,diadema regis Hester, quæ interpretatur abscondita, id est, ipsi gentilitati conversæ, quæ diu in peccatis abscondita fuerat, contulerunt. Ista autem Synagogæ repudiatio, & gentilium electio tunc est perfecta, & sententia super hoc per ultimum sapientum, scilicet Paulum minimum Apostolorum promulgata, quando ipse Judæis intulit ista verba Act. 13. *Quia indignos vos judicastis, ecce convertimur ad gentes.*

Capitulum secundum. Textus. His itaque gestis,postquam regis Assueri indignatio deferbuerat.

Moralitatum Cap. II.

HIc dicitur,quod repudiatâ Vasti, multæ pulcherrimæ, & speciosæ puellæ de cunctis partibus regni quæruntur, & omnibus ipsis de his, quæ ad mundum, id est, ad cultum mulierum, & ad ornatum earum pertinebant, copiosissimè providetur. Quæsitæ ergò ad Egeum Eunuchum, qui custos erat regalium fœminarum, in custodiam adducuntur,ut quæcunque ipsarum regi placeret ampliùs, loco Vasti regina efficeretur. Inter cæteras autem adducta est Hester neptis Mardochæi, de genere Judæorum, quam idem Mardochæus in filiam adoptaverat, & nutrierat, quæ formosa valde, in oculis omnium gratiosa, gloriosa, & amabilis apparebat. Eunuchus etiam custos ejus, ipsam summè dilexit, & septem puellas formosissimas sibi tradidit ancillas, & ornatus ejus præ cæteris festinavit. Igitur cum puellæ successivè per ordinem ad regis cubiculum ducerentur, factum est, quod Hester suo ordine duceretur, qui ipsam super omnes alias diligens reginam sibi elegit, & ipsam diademate coronavit, & sibi pro Vasti in conjugem copulavit, nuptias, & convivium magnum præparavit. Mardochæus autem avunculus ejus de tribu Jemini curam illius habebat, & super salute, & honore ipsius attentiùs vigilabat, qui, scilicet sibi præceperat, quod populum suum nemini diceret, & quod genus nemini revelaret. Una igitur inter multas vocata fuit, & electa, &, repudiatâ Vasti, ad imperium sublimata.

Sic verè dico, quod cum multæ, & infinitæ puellæ, scilicet multæ Christianæ animæ de universis mundi partibus quotidiè regi Christo quærantur, & sub manu, & custodia regalium fœminarum, id est, sub custodia Prælatorum in domo Ecclesiæ per fidem constituantur, & unicuique de his, quæ ad ornatum spiritualem pertinent,scilicet de documentis,& scientiis provideatur,sic tamen sæpè fit, quod inter multas eligitur una sola, quæ regi placet, & quæ ad regnum gloriæ debet sublimari, & diademate perpetui honoris coronari,& in convivio sempiterno perpetuè copulari. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Si autem quæritur,quæ sit ista. Dico quod ista Hester est,quæ interpretatur abscondita, vel elevata, quæ erat neptis Mardochæi, qui interpretatur amara contritio impudentiæ, & erat pulchra, ornata, & gratiosa, & à dicto Mardochæo tanquam filia enutrita; quia ista sola anima Christi regis conjux efficitur, & ad regnum paradisi promovetur, quæ per humilitatem est abscondita, per amorem cœlestium à terrestribus elevata; per considerationem amaræ contritionis neptis, & filia, & nutritia, & alumna, quæ scilicet per honestatem formosa, per pudicitiam est generosa. Talis enim à rege meretur eligi, & in cæli palatio diademate coronari, & propter ejus connubium gaudium celebratur; maximè si genus, & populum taceat, id est, nobilitatem generis contemnat, vel si mundum, de quo natus est, vilipendat. Ideò tali videtur convenire propriè illud Psal.44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui,& concupiscet Rex decorem tuum:* & breviter illam, quam humilitas abscondit, contemplatio erigit, & contritio adoptat, & nutrit, & quam mundi, & amicorum carnalium affectio non impedit, ad gratiam regis, & gloriam regni facile est pervenire. Psalm. cit. *Astitit regina à dextris tuis,in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Vel dic, quod illæ puellæ, quæ regi in omnibus provinciis sunt quæsitæ, significant diversas Christianitatis sectas, quæ omnes regi Christo aliqualiter famulantur, omnes fidem ejus saltem pro parte recipiunt, & sic omnes ad istius cubiculum admitti quodammodo videntur, omnesque sub custodibus, id est, sub prælatis, & pastoribus constituuntur, & quælibet earum regi Christo placere, & regnum paradisi in futurum obtinere sperantes aliis se præferre noscuntur. Sed revera sic erit, quod unica puella, id est, una sancta Ecclesia Catholica, & etiam Romana ab illo est electa. Ista verò sola aliis prælata, & tanquam unica sponsa sibi per veram, & rectam fidem est matrimonialiter copulata, omnes enim aliæ concubinæ possunt dici. Ista autem sola, & unica conjux meruit nuncupari. Unde in persona Dei dicitur sic Cant. 6. *Una est columba mea, perfecta mea, electa genitricis mea. Viderunt eam filiæ Sion,&*

Digitized by Google

beatiſſimam prædicaverunt, & reginâ, & concubinæ laudaverunt eam. Et ſi vis, dic, quod iſta eſt Heſter abſcondita, elevata,&c. Iſta autem Egeo Eunucho cuſtodi regalium fœminarum, id eſt, ſummo Pontifici, qui eſt cuſtos, & Prælatus omnium animarum, in cuſtodiam traditur; à quo ſibi mundus muliebris, id eſt, virtutum ornatus comparatur, à quo ſeptem puellæ, id eſt, ſeptem principales virtutes ſibi in obſequium aſſignantur, vel à quo ſeptem puellæ, id eſt, univerſæ mundi Eccleſiæ eidem ſubjugantur, & ſibi in obſequium deputantur, & ſic honor ejus, & gloria in melius augmentatur. Unde Exod. 2. *Sacerdoti Madian erant ſeptem filiæ.*

Vel dic, quod ſeptem puellæ regi quæſitæ ſunt particulares, & inferiores Eccleſiæ. Heſter verò eſt Romana Eccleſia, quæ licet omnes cuſtodiæ Eunuchi noſtri, id eſt, ſummi Pontificis committantur, iſta tamen præfertur cæteris, & regi Chriſto intimiùs conjugatur. Iſta ergò diademate coronata imperat, & aliæ famulantur, &c. ſicut ſupra.

G Vel expone, ſicut exponunt Doctores, quod repudiatâ Vaſti, id eſt, Synagogâ, Heſter, quæ erat de gente captivorum, id eſt, Eccleſia de gentibus, Chriſto eligitur, cui ſeptem puellæ, id eſt, univerſæ animæ fidelium in obſequium conceduntur. Iſtam verò Mardochæus, id eſt, Paulus Apoſtolus, (qui impudicitiam contexit, qui ad literam eſt de ſtirpe Jemini, id eſt, Benjamin) prædicando, nutrivit, & de ſalute ipſius curam ſollicitam ſemper egit, & eam tanquam filiam erudivit.

Hic habes, quod unaquæque concubinarum Aſſueri, poſtquam manè à rege exierat, ſtatim in cuſtodiam Eunuchi, qui concubinis præerat, pertranſibat, ad regiam tamen amplius redire non poterat, nec audebat, niſi quando Rex ipſam proprio nomine repetebat.

Sic verè nulla peccatrix anima, poſtquam à rege Chriſto per peccatum receſſerit, & ad cuſtodiam Eunuchi, id eſt, Diaboli, ſterilis, & concupiſcentiarum, & malarum animarum principis tranſierit, ad Chriſtum regem per ſe redire non poteſt, niſi per ſpecialem gratiam vocetur, & niſi per gratiam adjuvetur. Iſta enim per ſe poteſt cadere, ſed non reſurgere; quia ſecundùm Senecam virtutes magiſtris indigent, ſine magiſtro vitia diſcuntur.

Hic habes, quod Heſter non quælivit à cuſtode ſuo ſpecialem ornatum, ſed quidquid ſibi dare voluit Eunuchus, accepit, & tamen illa magis placet ſeu placuit regi, quàm reliquæ, quæ ex induſtria ſe ornaverunt. In quo notatur, quod mulieres, quæ ornatu naturali contentæ adulterina ornamenta non adhibent, plus quàm cæteræ, ut communiter, placent.

Vel dic, quod iſta perſona, quæ à cuſtode, & Prælato ſuo ornamenta divitiarum, & beneficiorum per ambitionem non exigit, ſed illis, quæ à Prælato ſibi conceduntur, contenta nil aliud petit, regi Chriſto ampliùs placere conſuevit, ſicut enim Paulus ait 1. Tim. 6. *habentes alimenta, & quibus tegamur, iis contenti ſimus.*

Capitulum tertium. Textus. Poſt hæc Rex Aſſuerus exaltavit Aman filium Amadathi.

Moralitatum Cap. III.

H

Aſſuerus exaltavit Aman filium Amadathi de ſtirpe Agag, & ſuper omnes principes regni ſui exaltavit ſolium ejus, præcepitque, quod omnes coram eo genu flecterent, & quod Aman genibus flexis adorarent. Mardochæus autem, qui ad portam regii palatii morabatur, hujuſmodi ſuperbiam abominans, eidem genu non flectebat, & cunctis adorantibus, ipſum adorare non volebat. Quod tunc videns iratus Aman in ipſum ſolum mittere manus pro nihilo duxit, ſed potiùs ordinavit totum genus Judæorum per totum imperium una die occidere, & delere. Mittit igitur literas regis per univerſas provincias, quod Judæi à majore uſque ad minimum decima tertia die interficerentur, & quod bona eorum à volentibus raperentur. Quod utique factum fuiſſet, niſi Mardochæi luctus, jejunium, cinis, & pœnitentia, & Heſter reginæ oratio, & diligentia edictum imperii immutaſſent. Dominus autem, mediante Heſter, negotium taliter immutavit, quod Judæis liberatis, Aman proprio patibulo, quod injuſtè aliis paraverat, punitus periit.

Sic verè dico, quod in curia Aſſueri, id eſt, curiis Principum, & Magnatum, ſæpe fit, quod aliquis Aman, id eſt, aliquis ſuperbus de genere Agag, qui interpretatur feſtina; & filius Amadathi, qui interpretatur populus ſerviens peccato; id eſt, de plebe ſua humili, & paupere natus, & ſervituti populi, id eſt, peccato nihilominus ſubjugatus, ad aliquem magnum ſtatum provehitur, & ad altius ſolium, id eſt, ad excellens officium plùs quàm alii, ſublimatur. Qui procul dubio ſtatim ſui prioris ſtatûs obliviſcitur, & in ſuperbiam erectus (ſi quis Mardochæus, id eſt, ſi quis ſanctus homo ipſius indignatus ſuperbiam, ſibi non obedierit, vel ipſum juxta votum non honoraverit,) ſtatim contra eum machinatur, & non ſolùm ipſum, imo etiam totum genus ſuum, amicos, familiares ſubvertere, & gravare per Domini ſui potentiam ſatagit, & molitur. Crudeles enim, & impii quotidie illud faciunt, ut, ſi A contra aliquem, juſtè vel injuſtè, fuerint irati, amicos, & conſanguineos ſuos (quamvis in nullo ſibi nocuerunt) gravant, atque lædunt, cum dicat Scriptura: *Quod unus non debet puniri pro alio, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Sæpe tamen fit, quod Heſter regina, quæ interpretatur abſcondita, id eſt, occulta Providentia, vel aliter ordinat, & ſuis malitiis obvians innocentes de manu ejus eruit, atque morte, & graviſſimis infortuniis ipſum damnat. Unde dicitur Job. 5. *Quod Dominus diſſipat conſilia malignorum, ne poſſint implere.*

Capitulum quartum. Textus. Quæ cum audiſſet Mardochæus, ſcidit veſtimenta ſua.

Moralitatum Cap. IV.

Cum totum genus Judæorum morti eſſet per Aman malitiam ab Aſſuero rege adjudicatum; Mardochæus cum aliis Judæis, necnon & Heſter reginâ jejuniis, & lachrymis ſe dederunt, & ſaccis ſe induerunt, & ſuper capita cinerem aſperſerunt, & orationibus fervidis ad dominum clamaverunt. Igitur quanquam edictum eſſet, quod nullus ſub pœna mortis non vocatus intraret ad regem, niſi fortè rex in ſignum clementiæ ſceptrum ſuum aureum ſibi extenderet ad tangendum. Heſter tamen fiduciam habens in Domino, ſumptis regalibus ornamentis, pro liberatione populi ſui duabus concomitata puellis, unâ ſcilicet, cui innitebatur, & alterâ, quæ defluentia in terram veſtimenta portabat, ad regem, quanquam ferocem, intravit, cujus aſpectus cor Domini ſtatim in manſuetudinem convertit, & in ſignum clementiæ virgam auream ſibi tangendam extendit. Quæ accedens, & virgam tangens, regem ad prandium invitavit, & liberationem populi, ſuſpenſionem Aman, revocationem epiſtolarum ipſius Aman, quæ ſuper nece Judæorum miſſæ fuerant, per novas regis epiſtolas, & ſublimationem Mardochæi ſui avunculi impetravit. Sicut enim dicitur hic, & infra: *Cum vidiſſet rex Heſter reginam ſtantem, placuit oculis ſuis, & extendit virgam auream, & acceſſit, & oſculata eſt ſummitatem virgæ. Cui ſtatim rex intulit in hæc verba: Quid vis Heſter regina, quæ eſt petitio tua? Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi.* B

Iſta omnia poſſunt ad myſterium noſtræ redemptionis applicari. Conſtat enim, quod à principio totum genus Judæorum, id eſt, hominum per malitiam, & invidiam Aman, id eſt, Diaboli, ab Aſſuero rege, id eſt, à Deo per peccatum Adæ morti fuit adjudicatum, & per epiſtolas regis, id eſt, ipſius Dei ſententiam condemnatum, Geneſ. 2. *Quacunque die comederitis, morte moriemini.* Ita quod Mardochæus, & alii Judæi, id eſt, Sancti Patres, qui edictum illud in Suſis (quæ interpretatur gaudium viri) id eſt, in Sacra Scriptura, quæ ſpirituale gaudium eſt virorum, pendere cognoverant, antiquitus flebant, ſaccis humilitatis, jejunio abſtinentiæ, & cinere mortis memoriæ ſe domabant, & pro liberatione, & redemptione ſua Dominum exorabant, dicentes illud Pſal. 79. *Veni ad liberandum nos, Domine Deus virtutum.* Nullus enim ad regem tunc intrabat, nullus cœlum occupabat, nullus morituris, & damnandis veniam impetrabat. Unde dicitur Heſter 4. *Quod non erat licitum ſacco indutum aulam intrare regis, necdum enim illuc aliquem vocaverat, nulli adhuc virtutis ſuæ virgam*, ſcilicet filium per incarnationem *oſtenderat*, redemptionis humanæ negotium deſolatum manebat. Quapropter Mardochæus, & Judæorum populus, id eſt, Sanctorum Patrum cœtus triſtabatur, & flebiliter lugebat. Unde de humana natura poteſt dici pro illo tempore illud Thren. 1. *Plorans ploravit in nocte:* & ſequitur: *Non eſt qui conſoletur eam.* Sed quid? procul dubio Heſter regina, id eſt, Beata Virgo, aſſumptis ornamentis virtutum, & adjunctis ſibi duabus puellis, id eſt, duabus virtutibus ſibi familiaribus colligatis, unâ ſcilicet, cui innitebatur (hæc eſt virginalis caſtitas, & integritas) alterâ, quæ portans caudam veſtium ſequebatur (hæc eſt humilitas) iſti regi ſe dignam, & idoneam præſentavit, quam ut ſtatim conſtantem, & ornatam, & ſanctificatam vidit, oculis ejus placuit, & ideò virgam virtutis ſuæ auream, & pretioſam, id eſt, filium benedictum emittens ex Sion, ipſum ſibi C per beatam incarnationem extendit; & ſic in ſignum clementiæ ſibi, & toti generi humano ſuum benedictum filium declinavit. Ad quem, ſcilicet, iſta humiliter accedens, per fidem credens, & conſentiens virgam iſtam tetigit, & concepit, & ſic Aman ſuperbum, & Judæorum, & fidelium inimicum ſuperavit, & potentiam ejus ſtravit; ſuumque populum à morte liberavit, & veteres literas, id eſt, vetus teſtamentum novis literis novi teſtamenti temperavit. Unde jam congaudendo poſſumus dicere illud Apoſtoli Rom. 7. *Nunc ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ut ſerviamus in novitate ſpiritus, non in vetuſtate literæ.* Iſta igitur eſt veritas, quod cum regnum Aſſueri, id eſt, Dei in duobus conſtet, ſcilicet, in juſtitia, & miſericordia; iſti reginæ paradiſi dimidiam regni ſui partem, ſcilicet, miſericordiæ diſtri-

Digitized by Google

diſtributionem, ſibi contulit Deus. Igitur iſta regina dicitur miſericordiæ. Alteram verò partem, id eſt, juſtitiæ ſibi retinuit, & ideo Sol juſtitiæ nuncupatur. Quoties igitur iſta pro aliquo ſupplicat, rex ille nihil prorſus ſibi denegat, ſed petitionem illius exauditam judicat, & poteſtatem in media parte regni ſuper facienda miſericordia ſibi donat. *Quid vis* (inquit) *Heſter regina?* &c. Unde dicitur 3. Reg. 2. *Mater mea, nefas eſt, ut avertam faciem meam.*

Vel ſi vis, dic, quod illud edictum, ſcilicet, quod nullus intret ad regem niſi vocatus, videtur adhuc durare. Conſtat enim, quod nullus ad regem, id eſt, ad Chriſti palatium introducitur, niſi prius per fidem, & gratiam vocetur. Vocatio enim ingreſſum præcedit, quia gratia gloriam antecedit. Unde Hebr. 7. *Nullus aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur, &c.*

Vel dic, quod nullus ingreſſus ad regem, Chriſtum ſcilicet, fide, & gratiâ dignus efficitur, niſi qui per ſpecialem inſpirationem, & gratiam à Deo eligitur, & vocatur, quia ſcilicet nullus ex propria virtute ſalvus efficitur, imo neceſſe eſt, quod à Deo ſpecialiter vocitetur. *Non enim eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis:* Rom. 9. Quia ſcil. ſicut idem Salvator dicit Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Et Joan. 10. dicitur: *Quod proprias oves nominatim vocat, & ipſum ſequuntur, & vocem ejus audiunt.*

Vel dic, quod altero de duobus modis impune intrabatur ad regem, ſcilicet, quando quis provocabatur, vel quando virga aurea in ſignum clementiæ tangenda extendebatur.

D Sic verè dico, quod ad Regem Chriſtum nullus intrat, nec in Paradiſo ſuæ præſentiæ ſe præſentat, niſi ipſum vel miſericordiæ vocatio, vel juſtitiæ virga ſeu correctio introducat: Iſtis enim duobus modis Deus utitur, ut aliquis ad ipſum per fidem, & pœnitentiam introducatur; quia, ſcilicet alios inſpirando vocat, & ipſos ſine violentia trahit, & appellat. Alios verò virgâ aureâ correctionis, & tribulationis tangit, & mediante virgâ hujuſmodi compræſentiales efficit, & cum virga ſignum magnæ clementiæ eiſdem oſtendit. Nunquam enim majus clementiæ ſignum peccatori oſtenditur, quàm quando virga correctionis ad eum extenditur, ut ſine periculo Dei præſentiâ perfruatur. Unde dicitur 2. Mach. 6. Quod *non ſinere diu peccatoribus ex ſententia agere, magni beneficii eſt indicium.*

Vel iſtud allega de parentibus, & Prælatis, & prædicatoribus, qui quandoque vocatione, id eſt, dulci monitione, quandoque virgâ aureâ, id eſt, aſpera correctione debent uti, ut auditores, & ſubditi poſſint ad ſtatum gratiæ introduci. Unde dicitur: *Tu virgâ percutis eum, & animam ejus de inferno liberas.* Signum enim clementiæ in virga oſtenditur, quia *qui parcit virgæ, odire filium* prædicatur.

Hic legitur, quod Heſter invitavit Aman ad prandium, ut veniret cum rege, erat enim ſecundus poſt regem, de qua quidem invitatione ſummè gaviſus ſe jactabat, & ſummè beatum ſe reputabat. Regina tamen hoc pro bono ſuo non fecerat, quia mediante tali convivio ipſum occidere proponebat. Quod factum eſt, quia ſcilicet in ipſo convivio tractatus eſt ejus interitus, ita quod de convivio ad ſuſpendium eſt ductus, & convivio, & gloriâ ſpoliatus; & inimicus ejus Mardochæus ſibi in gloria, & officio eſt ſubſtitutus. Vide cap. 5.

E Regina Heſter, quæ interpretatur abſconſa, poteſt ſignificare fortunam, quâ abſconsè, & occultè mundi negotia diverſimodè procurantur. Iſta eſt enim mundi regina, & domina, à qua univerſaliter proveniunt tam bona, quàm mala, quapropter ab antiquis fuit credita quædam Dea. Fortunam autem propriè loquendo, occultam Dei Providentiam, vel ſaltem effectus iſtius Providentiæ occultæ eſſe, aliàs pluries dixi. Ecce credo, quia, ſcilicet ab iſta ex arcanis nobis ignotis diverſa proveniunt, quæ prima facie irrationabiliter facta eſſe videntur. Igitur iſta eſt veritas, quod iſta regina noſtra Heſter, abſconſa fortuna, ſcilicet, quandoque Aman, id eſt, aliquam malam perſonam ad convivium ſuum, id eſt, ad gaudia mundanæ proſperitatis vocat, ubi (quanquam indignum) cum rege, id eſt, juxta reges, & principes in ſublimibus officiis ipſum locat, Pſalm. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum*; ita quod ex hoc lætatur quamplurimum, & ſe exaltat, & beatum vocat, & reputat; ignorans, quæ ſibi occultè iſta regina procurat, & ſervat; ſed revera illud pro bono ſuo fortuna non facit; ſed potiùs, quia ſic electum graviùs damnare, & contemnere ipſum cupit. Unde Seneca de ſententiis oratorum dicit, quod *omnis blandientis fortunæ ſponſus cum periculo nititur*, & inde eſt, quod ſubitò, dum non advertit, talis de convivio mundanæ proſperitatis ejicitur, gloriâ, & honore, ſtatu, gradu, & officio exuitur, & quandoque corporaliter ſuſpenditur, morti temporali, & perpetuæ mancipatus: & alius, ſuus forſitan inimicus, eidem in officio ſubrogatur. Ideo pulchrè loquitur Seneca in libro de tranquillitate animi, id eſt, de fortuna: *Lætiores*, inquit, *requires, quos fortuna nunquam reſipexit, quàm quos deſeruit; noli huic tranquillitati confidere; in momento mare evertitur, & eadem die, quâ navigia luxuriant, ſorbentur.*

Vel dic, quod regina iſta eſt occulta Dei Juſtitia, quæ apud Deum regem bonum procurat innocentibus, dum avertitur aliquoties malum ſuum.

Capitulum quintum. Textus. Die autem tertia induta eſt Heſter regalibus veſtimentis.

Moralitatum Cap. V.

Hic habemus, quod impio Aman non ſufficiebat, quod generaliter omnes Judæos morti tradendos procuraverat, niſi, & F
contra Mardochæum ſpecialiter, & in ſpeciali ſæviret, pro eo quod coram ipſo genua non flectebat, & ideo de conſilio uxoris trabem excelſam in domo ſua parari fecerat, & ut à rege pro Mardochæo ſuſpendendo licentiam requireret, uxor indicavit. Quod tamen mirabili commercio Deus in contrarium immutat. Noctem enim illam rex inſomnem duxerat, & hiſtorias antiquas perlegi feçerat, & de Mardochæo invenerunt ſcriptum, quod inſidias duorum eunuchorum, qui regem occidere voluerant, revelaverat; & tamen exinde nullum pretium reportaverat atque præmium; quapropter rex volens Mardochæum pro fidelitate exhibita honorare, Aman, qui pro ſuſpenſione ipſius impetranda venerat, vocavit; & qualiter ab eo honorandus eſſet, quem rex honorare decreverat, in genere requiſivit. Aman verò propter ſe ipſum petitionem hujuſmodi factam credens adhuc amplius ſperans honorari, ſic ait: *Homo*, inquit, *quem rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui eſt in ſella regis, & habere ſuper caput ſuum regium diadema, & primus de regis principibus, & tyrannis teneat equum ejus, & per plateas civitatis incedens clamet, & dicat: Hic eſt homo, quem rex ſic vult honorari.* Quo audito præcepit rex, quod ille Aman, qui primus principum erat, omnia quæ dixerat, Mardochæo Judæo faceret, quod ipſum prædicto modo protinus per civitatem perambulans honoraret. Quod ſcilicet, licet invitus, Aman ſtatim executus eſt. Et ſic factum eſt, quod tempore, quo venerat, ſicut credebat, pro eo ſuſpendendo, venit pro eo honorando. In craſtino verò in eodem patibulo, quod Mardochæo paraverat, fuit ſuſpenſus, & ipſe Mardochæus in dignitate ejus ſubrogatus, ſicut infra ponitur cap. 7. & 8.

Iſta poſſunt exemplariter allegari ad multa, & primò quidem contra Vindices, & Crudeles, quibus non ſufficit una crudelitas, G
niſi adhibeant duas vel multas, ſicut patet in iſto, cui non ſufficiebat, quod Judæos univerſaliter occideret; niſi etiam Mardochæum in domo ſua ſpeciali ſuſpendio jugularet: quia ſcilicet ſæpe fit, quod Deus aliud diſponit, & quod crudelitatem illam, quam in alium exercere voluerat, in caput ejus introducit, & proprio tormento, quod aliis paraverat, ipſum mori facit; ſicut apparet de illo, qui bovem æneum repetit, qui tamen primus in eo mortem ſeu mortis ſupplicium toleravit. Sicut etiam Pariſiis ille regis theſaurarius patibulum regium, quod cum magna diligentia pro ſceleratis ſuſpendendis paraverat, ipſe in propria perſona encæniavit, Eccl. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Quia, ſicut dicitur Eccl. 27. *Qui fodit foveam, in illam decidet, & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum alteri ponit, peribit in illo.*

Vel allega iſtud, quod ſæpe fit, quod eodem actu, quo quis alicui nocere credit, illi potiùs proficit, & nocumentum, quod ſibi parare crediderat, ad utilitatem ipſius Deus vertit, ſicut patet de illo Aman, qui pro ſuſpenſione Mardochæi venerat, & tamen contra ſpem, & voluntatem ſuam ipſum honoravit, & honorationem, quam pro ſe dictaſſe crediderat, Deus alteri ordinavit; & econverſo, mortem, quam alteri cogitaverat, ipſe Dei judicio reportavit. Mirabilis enim eſt permutatio occultæ Dei Providentiæ, quando vult operari; quod ſcilicet, bonum, quod mali pro ſe habere credunt, ad bonos quandoque derivat, Prov. 13. *Reſervatur juſto ſubſtantia Peccatorum, & malum, quod illi mali bonis paraverant, in caput ipſorum paratur.* Unde Prov. 11. *Juſtus de anguſtia liberabitur, & tradetur impius pro eo.*

Vel illud allega, quod præmium juſtorum quandoque differtur, ita quod quaſi in oblivionem tradi videtur; ſicut de illo Mardochæo patet; qui inſidias regi revelaverat, & tamen ſibi nullum præmium datum erat; veruntamen rex noſter Chriſtus, qui continuè vigilans, noctem inſomnem duxit, finaliter quando hiſtorias præteritas, & Sanctorum merita in libro indelebili ſuæ mentis relegit, ipſos nondum præmiatos reperiens honore tam temporali, quàm æterno honorandos decrevit. Illos igitur finaliter veſtibus regiis, id eſt, corporum dotibus induit, illos ſuper equos in ſella regis, id eſt, ſuper cœli celſitudinem conſtituit; illos regio diademate, id eſt, dignitate æternæ gloriæ honoravit; illos per principes ſuos, id eſt, per Angelos ſuos conduci, & deduci præcepit, atque mandavit, & ſic, quidquid tardat, ipſos tandè pro meritis ſuis remunerat, & honorat, *hoc* enim *honore dignus eſt, quemcunque rex honorare decreverit.* Unde Pſalm. 8. *Gloria, & honore coronaſti eum domine.*

Vel dic moraliter, quod veſtes regis fuerunt illæ virtutes, H
quas Chriſtus habuit circa corpus, ſcilicet, carnis munditia ſeu puritas, quæ fuit tanquam camiſia interior, pœnitentiæ aſperitas, quæ fuit ſicut tunica ſuperior; & rerum mundialium paupertas, quæ fuit ſicut clavus exterior. Equus illius regis fuit crux, in qua fuit portatus. Diadema ejus fuit corona ſpinea, quâ extit

Digitized by Google

tit coronatus. Dico igitur, quod Mardochæus, qui interpretatur amara contritio impudicitiæ, potest Petrum, & Andream significare,& quoslibet Viros Sanctos,qui revera in hoc fuerunt à rege summè honorati; quia vestibus,equo,& diademate ornati cruciati, id est, ad suæ passionis similitudinem fuerunt,& per Aman,id est, per Neronem, & Ægeam honore hujusmodi insigniti.

Etiam moraliter ista possunt dici de quolibet Sancto, qui vestibus regiis, id est,humilitate,charitate,& paupertate tegitur, diademate regis, id est, spinâ divini timoris coronatus pungitur, equorum sellâ regis, id est, à Beatâ Virgine, vel à cruce per devotionem, & fiduciam vehitur,& portatur, atque ab Aman inimico suo, id est, à mundi principibus, & tyrannis circumducitur, & vexatur. Illo enim modo Rex noster Christus suos in hoc mundo honoravit, in quantum illa, quæ ipse habuit insignia, eis donavit, & istis mediantibus cœleste præmium eis parat. Eccl. 45. *Corona aurea super caput ejus,expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.*

Capitulum decimum. Textus. Rex verò Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas.

Moralitatum Cap. VI.

Hic in cap. 10. & 11. ponitur somnium Mardochæi, scilicet quod fiebant voces,tumultus,& tonitrua, terræ motus, & conturbatio super terram. Videbat etiam, quod dracones maximi invicem confligebant, ad quorum clamorem cunctæ commotæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum, quæ timore, tribulatione, & angustiâ territa, seipsam præparabat ad mortem, quibus, scilicet justis, ad Dominum clamantibus, ecce fons parvus crevit in fluvium magnum, & in aquas plurimas redundavit, & in lucem solemque conversus est. Vel secundùm aliam literam, lux, & sol ortus est, & humiles tunc exaltati sunt, & devoraverunt inclytos. A

Sic verè cum à mundi principio post terræ motum, & tonitruum tentationis Luciferi continuè fuerit bellum inter duos dracones, id est, inter rationales creaturas, Diabolum scil. & hominem,sic factum est, quod commotæ sunt nationes Dæmonum, & iniquorum contra populum justorum, & fidelium, & prævalebant, ita quod tunc omnes justi mortem, & infernum necessariò expectabant,tribulationes, & angustias sustinebant, quapropter ad Dominum clamantes, liberationem devotè implorabant, dicentes illud Psalm. 79. *Veni ad liberandum nos.* Et ideò Dei nutu fons parvus,id est,Beata Virgo,& parva, & humilis, in fluvium magnum crevit; in quantum Deum, qui est infinitus, continere potuit, & in aquas redundavit,etiam plurimas; in quantum scil. humano generi multa beneficia propinavit, & lux, & sol, id est, Christus Dei filius sol justitiæ in mundo ortus, & natus extitit, & sic pax tranquillitatis, & bonæ voluntatis hominibus nata fuit. Tunc enim humiles, id est,captivi,qui erant in limbo, justi,qui sunt in mundo, exaltati fuerunt,ac contra inclytos, id est, contra Dæmones, & Tyrannos prævaluerunt, & virtute illius Solis Fontisque mortis æternæ periculum evaserunt. Unde Malach. 4. *Orietur vobis sol justitiæ timentibus nomen meum.*

Vel dic, quod quando in aliqua Ecclesia, vel conventu veniunt terræ motus,& turbatio,utpote quia quando moritur Prælatus, statim est in electione lis, & contentio. Fit enim tunc quandoque, quod duo magni dracones, id est,duo magni Canonici, vel Priores malitiosi, & ambitiosi inter se pro habenda dignitate confligunt. Quo facto statim nationes, & partes se dividunt, & mali contra justos prævalere contendunt. Sed pro certo sæpe fit, quod neuter duorum draconum obtinet, quinimo sæpe fit,quod aliquis fons parvus,id est,aliquis homo humilis, pauper, & nullius reputationis eligitur,& in fluvium magnum, id est, in Prælatum convertitur; & sic tandem in lucem,& solem, per sanctam, & exemplarem vitam mutatur; & sic per ipsum boni, & humiles promoventur, & extolluntur; mali verò, & superbi, mediante justitiâ, devorantur, quia pro certo sæpe fit,quando *Dominus suscitat de terra inopem, ut sedeat cum principibus,& solium gloriæ teneat,* tunc *deponuntur potentes de sede, & exaltantur humiles.* B

Capitulum decimum sextum. Textus. Rex magnus Artaxerxes ab India usque ad Æthiopiam.

Moralitatum Cap. VII.

Hic c. 16. dicitur, quod populus Judaicus in captivitate positus justis legibus utebatur. Circa quod nota, quod Judæi in terra sua,ubi erant liberi, leges Dei non servabant, sed potiùs idolis serviebant 4. Esdr. 13. In captivitate tamen, & tribulatione, & servitute Dominum coluerunt,sicut ponitur 4. Esdr. 13.

Illud potest allegari, quod *vexatio dat intellectum:* sicut dicitur Isai. 28. Et, quod *plus proficit homini adversitas, quàm prosperitas,* quia scil. *in prosperitate positi,& Deum, & ejus legem oblivisciuntur,* idolis, & vitiis famulantur, in tribulatione verò ad se ipsos revertuntur,& propter sua peccata se puniri intelligentes, servire Domino,& mandata ejus facere compelluntur.Psal.77.*Cum occideret eos, quærebant eum.* Vel expone,si vis,quod, ut communiter, homo est melior in terra aliena, quàm in propria.

Moralitatum super Hester finis.

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS SUPER JOB.

Capitulum primum. Textus. Vir erat in terra Hus, nomine Job. C

Moralitatum Cap. I.

De Job cum totus sit moralis, & moralizabilis, nihil intendo ponere, nisi aliqua,quæ narrativè ponuntur. Dic ergò quòd *vir erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir simplex, & rectus, timens Deum, & recedens à malo, & nati sunt ei septem filii, & tres filiæ, possessioque erat ei septem millia ovium,tria millia camelorum, quinquaginta juga boum, & quingenta asinæ, & familia multa nimis.*

Revera talis debet esse quilibet vir perfectus, quia pro certo iste debet esse vir,id est,vigorosus, & virtuosus in terra Hus, quæ interpretatur festinans, & conciliator diligens, & studiosus, & aliorum consiliariorum pacificus, & dulcorosus. Simplex debet esse humilis,& modestus,rectus,& justus. Debet esse timens Deum, & malorum omnium fugitivus, qui etiam debet dici Job, qui interpretatur dolens,tristis,& gemebundus, & sic iste erit inter orientales, id est,inter justos magnus in virtutibus, & fœcundus. Unde Ecclæ 1. *Magnus effectus sum, & præcessi omnes, qui ante me erant in sapientia.* Ideò possessio virtutum suarum debet esse multiplex, quia revera ipse debet habere septem filios,id est, septem spiritus S. dona, tres filias, id est tres Theologicas virtutes; septem millia ovium, id est, septem misericordiæ opera; tria millia camelorum, id est, trium partium pœnitentiæ, scil. contritionis,confessionis, & satisfactionis opera: sit etiam possessio ejus quingenta juga boum, id est,quinque sensuum carnalium cohibitio, & quingentæ asinæ, id est,quinque librorum legis, & divinorum mandatorum humilis recordatio, & familia multa nimis,id est,cæterarum virtutum abundans cumulatio. Unde infra capitulo isto primo dicitur. *Operibus manuum ejus benedixisti,& possessio ejus crevit in terra.* D

Vel dic, quod iste vir est bonus Prælatus, qui scil. debet esse vir sine imbecillitate, rectus sine acceptione personarum, vel justitiæ torvitate, simplex sine plica, id est, sine malitia, & duplicitate; timens Deum, sine servilitate; recedens à malo, non timore,sed charitate; Job dictus,id est,dolens ex compassione, & pietate; in terra Hus,id est, concilians, & concordans alios cum festinâ sedulitate; magnus inter orientales, virtutis, & famæ multiplicitate; ita quod jam de ipso potest dici illud, quod sequitur: *Non considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex,& rectus, & timens Deum.* Igitur iste habeat in possessione sua filios,id est,subditos charitativos: Filias,id est, simplices, & imperfectos: Camelos,id est,viros patientiâ, & humilitate oneribus tribulationum subjectos: Boves, id est, viros bonorum operum laboribus deditos: Asinas, & oves, id est, viros misericordes lacte Eleemosynarum irriguos, & fœcundos. Prælatus enim non solùm filios habebit,imò, & filias: non solùm boves, imò,& oves: non solùm camelos, imò, & asinas: quia scil. sub Prælato,in domo Ecclesiæ non solùm sunt perfecti, imò etiam imperfecti, non solùm sapientes,sed etiam simplices, non solùm laboriosi, imò debiles. Unde 2. Timoth. cap. 2. *In magna enim domo non solum sunt vasa aurea,imò & argentea, lignea, & fictilia.* Unde etiam inter istos subditos aliqui numerantur septenario numero propter septem opera misericordiæ. Aliqui ternario, propter Trinitatis simplicem fidem. Aliqui quinario, propter quinque sensuum custodiam.

Vel dic, quod in spirituali possessione viri justi debent esse filii, id est, opera charitativa. Filiæ, id est, opera pia: Cameli, qui oneri se inclinant, id est, humilitas, & obedientia. Oves, id est, simplicitas, & innocentia. Boves, id est, fortitudo, & temperantia. Asinæ, id est,tranquillitas, & patientia. Familia multa nimis, id est,aliarum virtutum bonorumque actuum, & affectuum fertilitas,& opulentia. Unde Phil. 4. *Habeo autem omnia, & abundo.* E

Septem filii Job vicissim convivia faciebant, nunc penes unum, nunc penes alium comedebant, & tres sorores suas vocantes ipsas ut secum comederent, & vinum biberent, invitabant. Job verò de salute liberorum sollicitus erat, & ideò completis conviviis pro singulis sacrificium offerebat.

Job significat bonum Prælatum; filii ejus significant viros scientificos,& perfectos; filiæ verò suæ designant inferiores simplices, & ignaros. Ista ergò est veritas,quod filii Job,id est,Clerici, scientificique viri, qui sunt in Ecclesia, debent vicissim convivium spirituale facere, ubi scilicet docendo, & prædicando possint auditores, & etiam alter alterum recreare. Debent etiam filias sorores.

Digitized by Google

res,id est, simplices, & laicos ad istud convivium vocare, & vino suæ doctrinæ ipsos reficere, & potare; sicut ad literam videmus de religiosis, & mendicantibus, qui alternatim sibi, & aliis prædicant, & ad prædicationes suas simplices, sæculares, & maximè sorores suas benignas, & filias invitant, & invocant, dicentes, illud Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion.* Job etiam pater istorum, id est, Prælatus summam curam, & sollicitudinem debet de salute istorum liberorum, id est, subditorum habere, & ideò ipse debet sacrificium laudis, & orationis singulis diebus Domino facere, & offerre.

Vel dic, quod per filios intelliguntur divites, per filias verò intelliguntur pauperes, & infirmi. Isti ergò filii, id est, divites quandoque solent alternatim convivia facere, veruntamen debent semper sorores suas, id est, pauperes advocare. Unde Luc. 4. *Cum facies convivium, voca pauperes.* Vel tempore Cariſtiæ debent alternatim convivium eleemosynarum impendere pauperibus, & egenis, sicut ad literam faciunt boni, & misericordes divites in istis civitatibus, qui inter se solent convenire, & unum post alium convivium Eleemosynarum, & subventionum pauperibus præparare.

F Hic dicitur, quod cum filii Dei assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan, cui cum diceret Dominus, *unde venis?* respondit, *circumivi terram, & perambulavi eam.* Igitur iste Satan non legitur à Domino aliquid petiisse, nisi quod solum Job posset affligere, & primò eum temporali substantiâ spoliare, tandem eum in corpore percutere, & gravare.

Sic pro certo dico, quod hodie, ubicunque conveniunt filii Dei coram Domino, id est, in quacunque bona societate sive Religiosorum sive Laicorum, semper est dare aliquem Satan, qui interpretatur contrarius vel adversarius, transgressor vel prævaricator; id est, aliquos rebelles, malos, & contrarios, & omnium bonorum adversarios, divinæ legis transgressores, & suæ perfectionis prævaricatores, qui pro certo non faciunt, nisi terram, & patriam explorando perambulare, & circumire; & hoc non, ut possint proficere, sed ut possint invenire, quem affligant, & cui noceant, & occasionem alios lædendi reperire; sicut ad literam videmus de detractoribus inter Religiosos, de invidis inter Clericos, & de Ballivis inter laicos. Unde 1. Pet. 5. *Adversarius vester tanquam leo rugiens, circumet, quærens quem devoret.* Et breviter isti nihil aliud quærunt, nisi quod possint Job, qui interpretatur dolens, id est, pauperes, & dolentes affligere, & eos in rebus, & corporibus, rapinis, & molestiis impugnare, commissiones enim talia faciendi libenter accipiunt, & ipsas citissimè executioni tradunt, nihilque in hoc mundo quàm nocendi potestatem appetunt. Apoc. 9. *Aculei erant in caudis eorum, &c.*

Vel dic, quod Diabolus semper est inter bonos, vel quod Diabolus non potest nocere homini, nisi à Deo acceperit potestatem.

Hic habemus, quod laxatâ manu divinæ potestatis, & protectionis, est data licentia Diabolo, quod possit affligere Job, statimque, ipso cooperante, tribulationes quatuor ei per ordinem evenerunt, quarum scilicet prima fuit: *Quod cum boves ejus ararent, & asinæ juxta eos pascerentur, irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, nec non pueros occiderunt gladio, unusque solus evasit, qui cladem ad Job fugiens nuntiavit. Ignis etiam de cælo tunc cecidit, quòd oves ejus, &* G *earum custodes pueros, uno solo evadente, consumpsit. Chaldæi etiam tres turmas fecerunt, & irruentes camelos rapuerunt: pueros verò custodes præter unum, gladio occiderunt. Filiis autem, & filiabus suis in domo fratris sui primogeniti vescentibus, & vinum bibentibus, ventus à regione deserti vehementer irruens, quatuor angulos domus concussit, & liberos omnes oppressit, ita quòd unus solus de famulis, qui hoc nuntiaret, remansit flebilis atque nudus.* Et ait Job. 1. *Nudus egressus sum ex utero matris meæ, nudus revertar illuc.*

Revera videtur, quod in domo Job, id est, in Ecclesia sancta Dei, hoc est dictum, in cœtu fidelium Satan adversarius noster Diabolus hujusmodi tribulationes diversimodè suscitat, & inducit. Constat enim, quod ibi hodie inveniuntur boves arantes, id est, avari; qui circa terram laborant, & asinæ juxta eos pascentes, id est, carnales, qui commessationibus vacant; ibi sunt oves, id est, simplices, qui illa, quæ ad salutem sunt necessaria, ignorant. Ibi etiam sunt cameli, id est, alii principes, & superbi, qui gibbum, & tumorem superbiæ, & præsumptionis habent. Ibi sunt filii, & filiæ, id est, Religiosi, & Religiosæ, qui comestionibus, & vini potationibus, & ebrietatibus inhiant, & anhelant. Ibi sunt pueri istorum custodes, id est, mali Prælati, qui pueriliter alios gubernant. Istos ergò diversimodè perdit, & alios aliis culpis: nam quosdam spiritualiter interficit per Sabæos, qui eloquentes interpretantur, id est, per eloquentiam propriam, & suggestionem; quosdam per Chaldæos, qui interpretantur quasi feræ, vel quasi mammillæ, id est, per mundi prosperitatem, & lactationem; quosdam per ignem avaritiæ, & cupiditatis; quosdam per ventum superbiæ, & vanitatis. Istis enim quatuor plagis Diabolus Job, id est, Christum depauperavit, & possessionem bonarum personarum tam Ecclesiasticarum quàm sæcularium denudavit multipliciter. Unde de Christo videtur posse dici illud Mar. 14. *Relicta sindone nudus profugit.* Et Amos 2. *Robustus inter fortes nudus effugiet.*

Vel si vis, dic, quod omnia ista, quæ habemus hic, scilicet, quod omnia bruta animalia Job perierunt, & ab hostibus rapta fuerunt, & servitores perempti; veruntamen pauciſſimi sunt, qui evaserunt, quinimò liberi ejus mortui fuerunt. De servis vero Job, seu pueris aliqui pauci superfuerunt. Potestque ad hoc allegari, quod cum Job, id est, Christus sub se habeat homines, & bestias, id est, fideles, & infideles, Christianos, & gentiles; ista tamen est veritas, quod omnes bestiæ, id est, gentiles, & filii infideles moriuntur, & damnantur; de hominibus verò, id est, fidelibus sunt pauciſſimi, qui salventur. Unde dicitur Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quinimò etiam de hominibus istis, id est, de personis rationabilibus, & de Christi fidelibus illi, qui sunt filiæ, id est, illi, qui sunt spirituales filii Dei, id est, Clerici, & Religiosi, magis pereunt, & vento superbiæ, & epulatione gastrimargiæ damnationi succumbunt, quàm illi, qui pueri, & servi, id est, subditi sunt, & simplices, & ignari; quia scilicet de illis aliqui remanent, & salvantur, isti verò quasi omnes ad vitia prolabuntur. Secundùm enim Auguſt. *Simplices & idiotæ rapiunt cælos, & nos cum literis nostris mergimur in profundum inferni.*

Vel dic, quod Sabæi, qui interpretantur eloquentes, sunt adulatores vel etiam advocati, qui revera pueros custodes, id est, Prælatos, & Superiores gladio linguæ suæ percutiunt, ita quod boves, & asinas, id est, lucra, & utilitates ab ipsis præ aliis reportant, & rapiunt.

Vel dic, quod in domo Dei boves, id est, viri scientifici, & perfecti debent in agro sacræ scripturæ arare, id est, studere, legere, & prædicare. Asinæ verò, id est, simplices juxta eos debent pasci, id est, eorum doctrinis, & prædicationibus informari, à pueris verò, id est, à puris, & innocentibus Prælatis debent communiter custodiri. Sabæi tamen, qui interpretantur clamantes, id est, detractores litigiosi, istos molestant, & tam majores quàm inferiores infestant. Unde 1. Reg. 26. *Quid clamas, & inquietas regem?* Vel dic, quod Chaldæi generaliter significant humani generis inimicos, scil. Mundum, Diabolum, & Carnem; Chaldæi enim interpretantur quasi feræ, & iste est mundus cum avaris, qui more ferarum devorant aliena. Interpretantur etiam quasi dæmones, iste est Diabolus cum tyrannis. Interpretantur insuper quasi mammillæ, ista est caro cum illecebris; quæ scil. delectationibus suis lactat, & decipit. Isti igitur Chaldæi, id est, isti hostes humani generis, inter turmas prædictas se dividunt, & sic camelos seu pueros, id est malos, & bonos rapiunt spiritualiter, & occidunt, & molestant temporaliter, & affligunt.

Vel dic, quod cameli, & alti, & gibbosi significant altos Principes, & Prælatos, quos pro certo tres turmæ Chaldæorum, quæ interpretantur mammillæ, id est tria genera personarum lactando in amorem suum rapiunt, & Job Domino suo, id est, Deo, A ipsos subtrahunt atque tollunt. Primi sunt nepotuli, & amici carnales. Secundi sunt verbosi adulatores. Tertii sunt donorum, & munerum oblatores. Ab istis enim tribus generibus Chaldæorum, quæ quasi mammillæ dicuntur, nostri Superiores, & maximè Prælati, lactantur, & recreantur. Ideò ab ipsis taliter rapiuntur, quod nulli alii emolumentum de eis consequuntur, ita quod ipsi Prælati videntur dicere illud Eccles. 25. *In tribus beneplacitum est spiritui meo.*

Vel si vis, dic, quod domus primogeniti, in qua filii, & filiæ comedentes, vento irruente, sternuntur, domos, & curias Principum vel Prælatorum designat, qui pro eo primogeniti fratris dicuntur, quia aliis ditiores, & potentiores esse noscuntur. Deuter. 21. *Dabit pater primogenito suo de his, quæ cuncta habet duplicia.* Ista igitur est veritas, quod illi, qui in domo primogenitorum suorum, id est, curiis, & hospitiis divitum, & Magnatum morantur, & qui panem, & vinum eorum comedunt, & apud eos officiis, & obsequiis deputantur, diversis periclitantur vitiis, & casibus, & periculis exponuntur. Ventus enim, & flatus Diabolicæ tentationis ibi præcipuè solet flare, quæ totam domum istam solet ad malum concutere, & movere, & sic illos, qui sunt ibi, per vitia opprimere, & damnare. Constat autem, quod illi, qui curias sectantur divitum, sunt, ut communiter, adulatores, raptores, invidi, & superbi, & sic evidens est vitiorũ turbine eos ibi opprimi, & involvi. Unde Seneca dicit de istis: *Si quis cum Magnatibus habitat, aut veritas, aut eorum amicitia perdenda est.* Unde illud Matth. 11. *Ecce qui in domibus regum sunt, mollibus vestiuntur.*

Vel dic, quod in talibus domibus, officiis, statibus homo statim periculum patitur; & hoc, quia ventus invidiæ, qui, ut communiter à regione deserti, id est, à malis, desertis, & insufficientibus personis solet procedere, ibi flat, qui totam domum quandoque concutit, & conturbat; & illos, qui ibi habitant, aliquoties opprimit atque damnat. Unde Ezech. 1. *Ecce ventus turbinis veniet ab aquilone.*

Vel dic, quod frater noster primogenitus fuit Lucifer, qui dicitur frater noster, quia fuit ab eodem Patre Deo genitus, & creatus, Psal. 109. *Ante luciferum genui te.* Et Job. 40. *Ecce Behemoth, quem*

Digitized by Google

B *quem feci tecum.* Primogenitus verò, quia prima creatura Dei est. Et alibi: *Ipse est principium viarum Dei.* Convivium verò ejus est prosperitas, cujus scilicet dominium vendicat ipse sibi. Unde Luc. 4. ostendens Christo omnia regna, & gloriam, dixit: *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me, quia mihi tradita sunt, & cui volvero, do ea.* Ista igitur est veritas, quod, quando filii Job, & filiæ Dei, id est, Christiani, & Christianæ, imo etiam generaliter tam viri quàm mulieres, tam Ecclesiastici quàm sæculares, in domo fratris sui primogeniti diaboli, scilicet in mundo, & in convivio ejus, scilicet, in mundi prosperitate comedunt & bibunt, & de cibis hujus convivii, id est, de mundi bonis, & divitiis lautè sumunt; vinum etiam mundi scientiarum hauriunt, atque sumunt; subitò fit, quod vento tribulationis è regione deserti, id est, ab occulta Dei providentia insurgente, & quatuor angulos hujus domus, id est, quatuor partes prosperitatis mundanæ, scilicet divitias, delitias, honores, & scientias, concutiente, & destruente, ipsi tales convivæ, id est, ipsi in mundi prosperis convivantes, subitò aliquoties opprimuntur, & per infortunium, id est, per mortem ad casum flebilem deducuntur. Ventus enim deserti, id est, tribulatio mortis domum istam concurit, & subvertit, & convivas ejus per damnationem, & tribulationem temporalem opprimit, atque perdit. Unde Ezech. 27. *Ventus austri contrivit te in corde maris; divitiæ tuæ, & thesauri tui, & multiplex instrumentum tuum cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.*

Capitulum secundum. Textus. Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei.

Moralitatum Cap. II.

Job percussus in corpore, ità quod à planta pedis usque ad verticem non esset in eo sanitas, bonis omnibus à diabolo denudatus in sterquilinio sedebat, saniemque ulcerum testâ radebat, &
C tribulationes sibi immissas in patientia sustinebat. Uxor verò ejus cum servis ipsum atrociter deridebat, & fœtorem ipsius abhorrebat, sicut hic, ubi dicit: *Benedic Deo, & morere;* & infra, ubi ipse Job. 19. dicit sic. *Halitum meum abhorruit uxor mea.* Amici verò ejus ipsum arguebant, & irritabant; & peccarum ejus volebant probare; servi verò ejus sibi obedire nolebant. *Servum meum vocavi, & non respondit mihi.* Sed finaliter visâ ejus pœnitentiâ, & patientiâ, Dominus eum sanavit; septem filios, & tres filias sibi dedit, Job ult. Amici, & noti ejus ad eum convenerunt, ipsumque consolati sunt. Et qui priùs eum contempserunt, sibi bona propria diviserunt.

Moraliter loquendo Job significat peccatorem, qui scilicet à diabolo per peccatum percussus, bonis suis, scilicet virtutibus, & gratiis spoliatur, & ulceribus malarum conditionum, & consuetudinum plenus, in sterquilinio, id est, immunditia voluptatis, vel in fœtore incontinentiæ seu infamiæ moratur. Ubi uxor ejus, id est, conscientia sua ipsum remordet, & abhorret, ubi servi sui, id est, interiores affectus, & exteriores sensus, qui sibi servire debuerunt, sibi non famulantur; sed contrariantur: & ubi amici sui, id est, Sancti ipsum contemnunt, & arguunt, & vilitatem ejus detestantur. Statim enim quando quis bonis suis spiritualibus per diabolum fuerit spoliatus, restat, quod de sanctis suis amicis spiritualibus sit contemptus.: Unde Thren. 1. *Omnes amici ejus spreverunt eum, & facti sunt inimici.* Et ideo ponitur consequenter; quia scilicet *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Sed pro certo quandoque fit, quod iste Job, qui interpretatur dolens, id est, peccator de peccato contritus, saniem vitiorum testâ, id est, mortis memoriâ mediante, per confessionem educit, & ad pœnitentiam, & patientiam se convertit, dicens Job ult. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam.* Et tunc Deus bona deperdita, id est, virtutes, & gratias, & hoc quandoque in duplo majores, quàm habuerat, sibi restituit; septem filios, id est, septem dona Spiritûs sancti; tres filias, id est, tres virtutes Theologicas sibi concedit. Et sic quilibet amicorum suorum, id est, sanctorum, ad amorem suum redit, ipsumque spiritualiter consolatur, & bona sua, id est spirituales gratias sibi distribuit, & concedit. Unde dicitur Dan. 4. *Figura mea restituta est mihi, & Optimates me requisierunt.*

D Vel si vis, dic exemplariter, quod mundi amici, uxor, & servi, quamdiu homo est in tribulatione, & paupertate, de ipso non curant, imo quandoque gravia improperia contra eum jactant; si verò ad prosperitatem redierit, tunc eum consolantur, & amant.

Vel dic, quod tres amici Job sunt fides, spes, & charitas: vel contritio, confessio, & satisfactio: vel elemosyna, jejunium, & oratio, quæ ad ipsum consolandum veniunt, & finaliter bona spiritualia sibi distribuunt, & concedunt.

Moralitatum super Job finis.

* * * *
* * * *
*

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS PRIMUS SUPER ISAIAM.

Capitulum primum. Textus. Visio Isaiæ filii Amos.

Moralitatum Cap. I.

Isaias de genere regali secundùm Hebræos: Tantæ autem sanctitatis extitit, ut ponit Comestor, quod cum exercitus Sennacherib Hierusalem obsideret, & juxta aquas Syloæ fixisset tentoria, ita quod piscina, & hostibus, & civibus communis esset; Isaias à Domino impetravit orando, & obtinuit, quod cum hostes ad piscinam veniebant, eam sine aqua reperiebant; cum verò cives ad piscinam descendebant, aquas in abundantia inveniebant, ita quod hostes mirabantur; unde aquas in civitate habebant. In cujus memoria aquæ Syloæ adhuc continuè, sed certis horis, ac interpolatis ebulliunt, sicut ait Epiphanius.

Talis fons videtur esse gloria paradisi, quia ita est; quæ ex oratione Isaiæ, id est, ex ordinatione Dei solis civibus, id est, solis bonis, & justis se exhibet; hostibus verò, & impiis, & peccatoribus se subtrahit, atque latet. *Ista* enim *est* secundùm Aug. *quæ nulli negabitur digno.*

Vel dic, quod illa est divina gratia, & devotio, quæ solis civi- E
bus, & sanctis hominibus conceditur, hostibus verò, id est, peccatoribus, qui sunt de exercitu Sennacherib, id est, diaboli, qui Hierusalem, id est, Ecclesiam quotidie obsidet, denegatur. Mali enim istum fontem invenerunt valde siccum, boni invenerunt ipsum opulentum, & plenum; quia fons compunctionis, & devotionis à malis invenitur aridus; à bonis verò invenitur dulcis, & sapidus, & amœnus: quod etiam est verum de fonte, & gratia compassionis, vel de fonte divinæ scripturæ, vel cujuslibet spiritualis recreationis. Unde Zach. 13. *Erit fons patens domui Jacob.* Iste etiam fons continuè, sed certis horis erupit, quia divina gratia secundùm Dei occultam ordinationem, quando vult, se subtrahit, atque venit; compunctio etiam, & devotio non solet continuò fluere, sed interpolatim certis horis, & diversis temporibus à Deo ordinatis, solet erumpere, & manare. Unde dicitur Joan. 3. *Spiritus enim, ubi vult, spirat.* Quia, sicut dicit Apostolus Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.*

Vel dic, quod talis fons debet esse Prælatus, quia scilicet iste debet se quantum ad malos exhibere siccum, sterilem, & austerum; quantum ad bonos autem effluentem, & plenum; siccum enim, & durum, & rigidum, debent eum hostes Hierusalem, id est, Tyranni Ecclesiæ sentire; boni verò, qui Hierusalem, id est, Ecclesiæ sunt cives, & amici, ipsum debent affluentem, & pium liberalem, & fluidum invenire. Unde Eccl. 12. *Benefac justo, & non dederis impio*: quod tamen est contra multos Ecclesiasticos, & Prælatos, qui scilicet liberaliores sunt ad histriones, & Tyrannos nobiles, qui Ecclesiæ sunt hostes; quàm ad bonos, & pauperes; qui sunt cives; magisque & affluentiùs malos promovent; bonis verò subditis, & pauperibus siccos, avaros, & impios se demonstrant. Unde Joan. 3. *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.*

Vel dic, quod talis fons est Judex vel Prælatus, personarum acceptor, qui scilicet solis civibus, id est, solis nepotibus, notis, & familiaribus se liberalem exhibet; hostibus verò, id est, extraneis quibusdam sicut sterilis, & avarus apparet; quia scilicet aquas beneficiorum suorum temporalium solis illis communicat, quas aliis generaliter negat, cum tamen ad fontem pertineat, quod sit patens, & communis omnibus.

Capitulum quintum. Textus. Cantabo dilecto meo canti- F
cum patruelis mei vineæ suæ.

Moralitatum Cap. II.

Quidam paterfamilias plantavit vineam electam, & sepem circumdedit ei, & lapides elegit ex ea, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea, & expectavit, quod faceret uvas, & fecit labruscas. Iste ergo indignatus contra eam, incepit totaliter comminari. *Quid enim,* inquit, *debui facere vineæ meæ, & non feci? nunc ostendam vobis quid faciam vineæ meæ. Auferã sepem ejus, & erit in direptionem, diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, non putabitur, & non fodietur, & ascendent spinæ, & vepres super eam, & nubibus mandabo desuper, ne super eam pluant imbrem.*

Charissimi, sicut hic ibidem exponitur vinea Domini Sabaoth domus Israël est, scilicet, Ecclesia vel religio, quam scilicet in agro hujus mundi plantavit, sanguine suo rigavit, & sepem angelicæ protectionis ei circumdedit, turrem contemplationis in ea constituxit, & torcular passionis propriæ in ea fabricavit, lapidesque, id est, offendicula, & errores in ea sustulit, & amovit. Unde Matth. 11. *Homo quidam plantavit vineam, & circumdedit ei sepem, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim,* quapropter à principio *exspectavit,* quod *hæc vinea* Religionis vel Ecclesiæ, *uvas*

id est,

Digitized by Google

id est, virtutes, & fructus bonorum operum *faceret*, & quod vino consolationis ipsum Dominum recrearet; *sed* revera ista *non* videtur facere *uvas sed labruscas*, non opera bona, sed vana, non actus virtuosos, sed potiùs inutiles, & defectivos. Hierem. 2. *Quomodo conversa es in pravum vinea aliena?* Et ideo indignatus Dominus, beneficia sua ab ea subtraxit, sepem, & maceriam divinæ protectionis submovit, & dæmonibus, & Tyrannis eam in direptionem, & conculcationem exposuit. Jam enim, sicut apparet sensui, ista vinea per examinationem, & discussionem non foditur, & per correctiones à suis superfluitatibus non putatur aut scinditur, quin imo spinis temporalium sollicitudinum pungitur, & vepribus, quarum spinæ sunt acutæ, & curvæ, & tenaces, id est, multâ Prælatorum, & Ecclesiasticorum rapinâ, & variâ tenacitate repletur, & sic à Deo maledicta, & condemnata est. Et ideo de ea videtur posse dici illud Prov. 24. *Per agrum pigri hominis transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum dirupta erat.* Et breviter videtur, quod *Deus mandavit nubibus desuper*, id est, Sanctis, & Angelis suis, ne super istam pluant, & imbrem spiritualium bonorum, & beneficiorum effundant, quia scilicet, jam videtur Dominus ipsam dereliquisse, & in suis manibus dimisisse, & de ejus regimine non curasse. Unde dicit Psal. 105. *Abominatus est hereditatem suam, & possessionem suam sprevit.*

Vel dic moraliter, de vinea animæ, &c. Expone, & dic, quod turris est contemplatio, torcular, &c.

Capitulum sextum. Textus. In anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem.

Moralitatum Cap. III.

Isaias vidit *Dominum super solium excelsum, & elevatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum, Seraphin stabant super illud, sex ala uni, & sex ala alteri, duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & impleta est domus fumo.*

Per istos Seraphin, qui interpretantur incendium, intelligo viros sanctos, qui scilicet, per charitatem ardent, & alios in Deum elevant, & inflammant, quia isti pro certo solent alis contemplationis de mundo in paradisum volare, solium Domini, & majestatem circumire, & templum paradisi mentaliter visitare, nec non H *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, in honorem Trinitatis Deo decantare, totamque domum Ecclesiæ fumo orationis, & sanctarum affectionum implere, & clamorem divinæ laudis, & prædicationis alter ad alterum proclamare, & cardines Ecclesiæ, id est, alios fideles ad contritionem, & devotionem concutere, & movere. Unde Amos 9. *Percutite cardinem, & moveantur superliminaria.* Isaiæ 40. *Clama, quid clamabo? omnis caro fœnum.* Sed quid? procul dubio istæ alæ contemplationis istorum debent esse sextuplices, id est, sex partes contemplationis, quas debent habere fideles, quæ sunt amor fervens, spes erigens, devotio ungens, oratio supplicans, consideratio Christi operum eidem gratias agens, humilitas in propriis meritis, id est, de propriis meritis non præsumens. Istarum enim alarum seu virtutum duæ sunt, quæ cordis faciem, id est, intellectum concernunt, scilicet, humilitas, & consideratio Christi. Ista enim duo magis pertinent ad intellectum, scilicet proprios defectus agnoscere, & inde humiliari, & considerare Christi beneficia, & inde regratiari. Item duæ concernunt pedes, id est, affectum, quia secundùm August. *Pes meus, affectus meus*, scilicet, amor, & devotio. Amor enim amat, desiderat, affectio se per devotionem ungit, & rigat. Item duabus alis volare dicuntur; & istæ sunt spes, & oratio; istæ enim usque ad Solium Patris volant, & tamen Christi beneficia secum portant. Ideo de istis sex alis, id est, de istis sex contemplationis partibus potest dici totum illud, quod sex erant gradus, quibus ascendebatur ad solium. 2. Paral. 9.

Vel dic, quod sex alæ Seraphin, sunt virtutes hominis justi, duæ scilicet, quæ caput seu faciem, id est, intentionem contegunt videlicet, justitia, ut sit intentio recta; innocentia, ut sit munda. Item alæ duæ, quæ pedes, id est, affectionem contegunt, scilicet, temperantia, ut sit modesta; spes cælestium, ut sit erecta. Istæ duæ, quibus debent volare, sunt contemplatio, quæ volat ad cœli gaudia, timor, & consideratio, quæ volat ad mortis seu inferni tormenta. Istæ ergo sunt alæ, quibus debet volare anima viri justi, qui A scilicet alâ innocentiæ volat ad se ipsum, alâ justitiæ volat ad proximum, alâ temperantiæ volat ad mundum, alâ spei volat ad Deum, alâ contemplationis volat ad cœlum, alâ verò timoris volat ad mortem vel in Deum vel in infernum. Bene igitur dicitur de justis Isa. 40. *Quod ipsi assumunt pennas ut aquilæ, &c.* & Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas ut columbæ, & volabo, & requiescam.*

* * * *
* * *
*

Capitulum trigesimum octavum. Textus. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem.

Moralitatum Cap. IV.

Cum Rex Israël Ezechias ægrotavit, promisit Dominus quindecim annos superaddere vitæ suæ, & ut de sanitate recuperanda certior fieret, fecit Dominus umbram per decem lineas retroverti in horologio Achab. Sol enim à progressu cursus super decem gradus, & lineas retrocessit, & sic vitam regi superaddidit, umbra verò retrocedente, sol necessariò retrocessit. Istud autem inter cætera Dei opera magnum fuit mirabile, quia scilicet sol, qui est planeta non retrogradus, cum Dei miraculo retroivit.

Igitur allegoricè loquendo, horologium, quod continuè currit, quousque veniat ad terminum, ubi cadat; significat humanam naturam, quæ scilicet, semper est in cursu, & fluxu, quousque ipsam sistere facit casus mortis. Unde Job. 14. *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Nam sicut pondera, & mensuræ horologium continuè faciunt fluere, & incessanter currere, quousque ad punctum, & ad horam, ad quam tensum est, pervenire habeat, tunc verò solet distendi, & campanarum sonitus audiri. Sic verè vita humana secundùm pondus, & mensuram divinæ providentiæ, & secundùm quod à Deo pendet, continuè habet fluere, quousque ad horam mortis valeat pervenire. Tunc enim horologium istud per mortem distenditur; campanarum, id est, amicorum, & vicinorum fletus, & sonitus audiuntur. Unde B illud Matth. 20. *Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus multus.* Per umbram etiam istius horologii intelligo vitia generis humani, quæ scilicet decem lineas habere dicuntur, quia per transgressionem decem mandatorum ab invicem distinguuntur, quæ etiam umbra dicuntur, pro eo quod mentis intelligentia per ea obfuscatur Psal. 43. *Cooperuit nos umbra mortis.* Per solem intelligitur Dei filius, qui etiam *sol justitiæ* nuncupatur, Malach. 4. Per decem gradus intelligitur decem creaturarum rationabilium status, id est, novem ordines Angelorum, & humana natura, per regem verò infirmum intelligo Adam cum sua posteritate, qui scilicet Rex corporalium creaturarum dicitur, qui etiam diversis vitiis infirmatur. Unde Psal. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Igitur dico, quod Rex Juda, id est, homo dudum diversis vitiorum languoribus infirmabatur, ita quod in horologio vitæ humanæ umbra peccati jam processisse decem lineis, id est, usque ad transgressionem decem mandatorum decalogi videbatur, quapropter jam homines poterant dicere illud Hierem. 6. *Væ vobis, quia declinavit dies, & factæ sunt longiores umbræ vesperi.* Sed pro certo Deus pater volens istum regem, id est, hominem à peccato sanare, fecit solem, id est, filium suum benedictum ab excellentia suæ Deitatis quodammodo retrocedere, & per summam humilitatem transactis novem gradibus, id est, novem Angelorum ordinibus, ad decimum gradum, id est, ad humanam naturam, quæ etiam in drachma decima figuratur, per incarnationem descendere, & venire. Unde illud Eccles. 48. *Retro rediit sol, & addidit vitam regi.* Sic ergo factum est, quod umbra peccati in horologio vitæ humanæ similiter retrocessit, & vita, & sanitas gratiæ ipsi regi, id est, homini apparuit, & cessit. Quia pro certo homo tunc temporis est sanatus, cum sol justitiæ Christus ad gradum decimum est reversus, & per beatam incarnationem in hominem est conversus, ut Psal. 89. *Convertere Domine usquequo.* Et Genes. 19. *Sol egressus est super terram, & Loth egressus est Segor.*

Vel dic moraliter, quod horologium, quod fluit, est voluntas, sol verò, qui illuminat, est gratia, quia verè tunc Rex iste, id est, homo infirmus, & languidus per peccata sanatur, quando sol divinæ gratiæ per decem gradus, id est, per adimpletionem decem mandatorum ad id ipsum revertitur, & quando umbra ignorantiæ vel peccati in horologio cordis sui minuitur, & auferC tur; umbræ enim peccati diminutio, & solis seu gratiæ illuminatio, & decem graduum, id est, decem mandatorum impletio, nihil aliud est, quàm regis hoc est animæ, & affectûs curatio, & salvatio Psal. 19. *Domine salvum fac regem.*

Moralitatum super Isaiam finis.

Moralitatum Liber Vigesimus
Secundus Super Hieremiam.

Capitulum decimum tertium. Textus. Hæc dicit Dominus ad me: Vade, & posside tibi lumbare.

Moralitatum Cap. I.

Hieremiæ præceptum fuit, quod lumbare suum acciperet, & in Ephratem absconderet infra petram. Qui post multum tempus ad Euphratem rediit, & lumbare putrefactum invenit, ita quod nulli usui aptum esset. Dixit autem sibi Dominus, quod lumbare domus Israël

Digitized by Google

Israel erat, quæ sibi, id est Deo, adhæserat, quam cum vitiis putrefactam videret, intendebat projicere, & de terra propria captivare.

Illud allega, quod nullus est adhærens Deo per charitatem, & sanctitatem, si in Euphrate, quod interpretatur frugifer, id est, in fructibus divitiarum, & in aquis delitiarum mergatur, quin per vitia putrefiat; ita quod ab hæsione, quâ adhærebat Deo, prorsus cadat, Isa. 14. *Quasi cadaver putridum non habebis consortium.*

D Infra cap. 18. dicitur de figulo, quod sedens super rotam faciebat vas, quod cum dissipatum fuisset, de eodem luto fecit aliud vas, prout placuit sibi.

Cui quidem figulo assimilatur Deus, qui filios Israel, quos destruebat, finaliter reædificare, & construere iterum intendebat; potestque hoc ad occultam Dei prædestinationem adduci, quæ scilicet alios ædificat, salvat, & plantat; alios destruit, & damnat; & quando illum, quem ante destrui per peccatum permiserat, iterum per pœnitentiam reparat, & reformat: quod etiam temporaliter quandoque facit, quia illum, quem antea deprimerat, aliquando iterum ad prosperitatem relevat, & restaurat. Unde ibidem dicitur, quod *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel.* Ideo bene dicit Apost. Quod *figulus de eadem massa facit vas aliud in honorem, &c.*

Capitulum vigesimum quartum. Textus. Ostendit mihi Dominus, & ecce duo calathi.

Moralitatum Cap. II.

Hic cap. 24. dicitur, quod Hieremias vidit ante templum duos calathos plenos ficubus, unum qui habebat ficus bonas; alius verò habebat valde malas; ita quod non poterant manducari; & dictum est, quod primæ ficus primam captivitatem filiorum Juda designabant, qui sub Jechonia se tradiderant voluntariè; secundæ verò malæ, ultimam captivitatem illorum, qui cum Sedechia per violentiam fuerant capti; primi enim pro magna parte redierunt, ultimi verò in captivitate perierunt.

Illud allega, quod isti peccatores, qui patienter, & voluntariè sustinent captivitatem, & adversitatem, quam meruerunt, & patienter expectant Domini voluntatem, dicentes illud supra: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei,* Domino sunt accepti. Et, sicut ficus bonæ, in calatho divinæ comprobationis constituti, faciliter etiam consequuntur misericordiam, & ad prosperitatem, & gloriam reducuntur. Econtra verò illi peccatores pessimi sunt, qui
E cum pœnas habent immissas à Deo, eas non voluntariè, sed coactè, non patienter, sed violenter ferunt; quia scilicet tales in sua captivitate obstinati pereunt, & ad Dei misericordiam non accedunt.

Capitulum trigesimum quartum. Textus. Verbum quod factum est ad Hieremiam à Domino, quando Nabuchodonosor.

Moralitatum Cap. III.

Hic cap. 34. dicitur, quod cum Hieremias contra Hierusalem prædicaret, & captivitas immineret, & tribulatio totum populum conturbaret; factum est, quod populus Juda in Hierusalem fœdus cum Domino pepigit, & in pacto quilibet servos Hebræos dimisit, & ad majorem firmitatem pacti vitulum occiderunt, & per medium diviserunt, & inter divisiones vituli transierunt, veruntamen populus citò post à pacto recessit, & servos, quos liberos dimiserat, quilibet in servitutem retraxit. Quapropter ira Dei fortiùs contra ipsos insurrexit, & ipsos citò pòst Chaldæis suis hostibus subjugavit.

Vitulus occisus est Christus, in duas partes in passione per separationem corporis ab anima divisus, per cujus scilicet medium pertransitur, quando sua occisio vel passio ad memoriam revocatur; & tunc pactum transeundo firmatur, quando Deo ad honorem, & memoriam passionis aliquid promittitur, & proponitur. Ista est igitur veritas, quod quandoque multi sunt, qui tempore tribulationis imminente, & officio prædicationis sonitum commovente, & infirmitatis impetu pulsante, quandoque de peccatis suis, timore concussi, pœnitent, & pactum de non peccando cum Deo facientes, sectionis vituli, id est, passionis Christi memoriam adhibent, & servos, quos injustè possederant, sc. peccata propria, vel bona aliena, quæ non justè occupaverant, dimittunt, & restituunt, & relaxant. Unde Isai. 58. *Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe.* Veruntamen sæpe fit, quod in hoc non solent perseverare, sed recidivando, & peccando, à pacto jam
F facto recedere; servos dimissos, id est bona restituta pauperibus; vel servos dimissos, id est, peccata confessa Sacerdotibus, resumere; propter quod iram Dei contra se provocant, ita quod finaliter necesse est eos temporaliter, & æternaliter deperire. Chaldæi enim, id est, dæmones, contra eos finaliter insurgunt, qui eos in Babylonem, id est, in infernum captivant, detrahunt, & deducunt. Unde Thren. 1. *Ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.*

Capitulum trigesimum quintum. Textus. Verbum quod factum est ad Hieremiam à Domino.

Moralitatum Cap. IV.

Rechabitæ fuerunt quædam familiæ Judæorum, quæ quodam arctiori ritu viventes, quasdam de mandato patrum cæremonias mirabiles observabant. Quidam enim dictus Rechab, de cujus stirpe processerant, hoc ipsis dederat in mandatis, quod ipsi, uxores, & filii vinum in æternum non biberent, domos non ædificarent, sementem non sererent, vineas non plantarent; sed in tabernaculis, quamdiu viverent, habitarent, ut sic multis diebus super terram viverent, & manerent. Isti igitur, qui in tabernaculis extra civitatem manebant, timentes Chaldæos, in Hierusalem refugerunt, vinum oblatum à Hieremia refutaverunt, & ideo mandatum patris sui servaverunt, tuetique à Nabuchodonosor, & à mortis periculo meruerunt. Ab istis igitur Rechabitis videtur habuisse exordium status, & conditio eremitarum, & primorum monachorum, & sic videtur dictum illud, quod scribitur in historia tripartita, videlicet, lib. 1. cap. 11. secundùm opinionem aliquorum, quod monachi habuerunt originem à Deis. Vel dic mysticè, quod Rechabitæ, qui interpretantur ascendentes vel excelsi, seu teneri patribus, vel delitiæ patrum, significant viros religiosos, & quoscunque perfectos, qui scilicet ascendunt per cælestium affectionem, excelsi sunt per vitæ eminentiam, & perfectionem; & teneri sunt patribus per parentum honorem, & subventionem; delitiæ sunt patrum, id est, superiorum, & Prælatorum, & Angelorum, per placentem, & sanctam conversationem. Unde Prov. 8. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum, &c.* Tales igitur patrum suorum, id est, Dei, Prælatorum, & seniorum mandata servare, & à vino, scilicet, in quo est luxuria, id est, à carnis delitiis abstinere: à sementis satione, id est, à divitiarum acquisitione supersedere, & à domorum ædificatione abstinere: vineas etiam, quæ inebriant homines, id est, carnales affectiones, & adulationes debent evellere, non plantare; & habitare debent in tabernaculis, hoc est, peregrinos, & hospites se debent in hoc sæculo reputare, dicentes cum Apostolo Hebr. 13. *Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus.* Sic enim diu per gratiam poterunt vivere, in sanctitate, & justitia persistere, Hierusalem, id est, paradisum finaliter intrare, & Chaldæorum, id est, dæmonũ sævitiam non timere. Tales enim, qui terrena contemnunt, à dæmonibus tutiores sunt, & mundi tribulationes, & tentationes cavent faciliùs, & evadunt Psal. 90. *Non timebunt à timore nocturno.*

Capitulum trigesimum octavum. Textus. Audivit autem Saphatias filius Madian, & Gedelias filius Phasur.

Moralitatum Cap. V.

Quia Hieremias vera prædicabat, & regem, principes, & populum Hierusalem captivandos à Nabuchodonosor publicè dicebat, & ipsos de suis criminibus arguebat, principes à rege impetraverunt, quod in lacum mitteretur, & sic in domum Melchiæ in lacu, in quo non erat aqua sed lutum, missus est, & usque ad os in luto sepultus, ut ibi quam citò moreretur; Abdemelech tamen quidam Æthiops relaxationem ejus impetravit, & ipsum subductis funibus, & pannis veteribus, & putridis, quos de domo regis sumpserat, de lacu, & luto levavit, propter quod salutem animæ, & vitæ suæ Deus dicto Æthiopi repromisit.

Allega ista, quod hodie in curiis Principum, & potentum non est qui audeat verum dicere, vitia redarguere, infortunia promulgare, quia Principes statim indignantur, & tales veridicos incarcerare, vel aliàs gravare continuò moliuntur. Unde Amos 5. *Oderunt in porta corripientem, & loquentem, &c.* Gal. 4. *Inimicus factus sum vobis vera dicens.*

Vel aliega, quod quandoque inveniuntur sæculares magis misericordes quàm Ecclesiastici. Æthiops enim gentilis pauperem innocentem de carcere liberat, ubi Principum, & Sacerdotum malitia ipsum damnat.

Vel dic, quod Hieremias significat Christum, quem quia vera prædicabat, Principes Sacerdotum morti adjudicabant, & in lacum, id est, sepulchrum literaliter posuerunt, & sic nomen ejus delere ex hominum memoria crediderunt. Thren. 3. *Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me.* Æthiops tamen, A
id est gentilitas ipsum credendo levavit, & fidem ejus recipiens & eum funibus charitatis amplexans, pannos veteres, & putridos, id est, memoriam propriæ fragilitatis ministrans, ipsum, & ipsius fidem de luto miseriæ, & de lacu incredulitatis salvavit.

Vel dic, quod Hieremias est peccator, quem Æthiops, id est, pauper Christus, & à lacu peccati, & avaritiæ liberavit, quando pannos putridos, id est mortis, & putrefactionis suæ memoriam sibi donat, & charitatis funibus ipsum ligat, Oseæ 11. *In funiculis Adam traham eos.*

Vel illud allegant Fratres Minores pro se. Dicunt enim quod Hiere-

Digitized by Google

Hieremias,id est homo,de lacu mundi, & luto avaritiæ, & periculo mortis æternæ extrahitur; quando ab Æthiope,id est, à B.Francisco pannis putridis,id est, humili habitu induitur,& quando funibus, id est, chordis ipsorum cingitur, & ligatur. Allega, ut supra.

Capitulum quadragesimum primum. Textus. Et factum est in mense septimo venit Ismael filius Nathaniæ.

Moralitatum Cap. VI.

CUm Godolias fuisset præfectus reliquiis Israël, & cum Ismael ad ipsum sub specie boni veniens, ipsum occidisset; factum est, quod octoginta viri rasi barbâ, scissis vestibus, & squallentes in Hierusalem veniebant, & in manibus munera, & thura habebant, ut scilicet Godoliæ munera offerrent, & thura in domo Domini incenderent, & orarent. Istis igitur prædictus Ismael proditor, seu traditor obviam venit, & incedens, & plorans, ipsos sub specie boni recepit, & statim eos interfecit, & cadavera eorum in lacum projecit. Dicitur tamen ibi, quod inter eos decem viri fuerunt,qui dicerent se in agro thesaurum hordei,frumenti, & olei, & mellis habere,quod se sibi promisêre daturos, si suis parceret animabus. Quod factum est. Istis enim solis pepercit, alios verò occidit, & etiam omnes reliquias captivavit.

B Dic, quod Ismael iste est Diabolus, qui pro certo sub specie fletûs,id est, sub specie boni,& pietatis,ad homines intrat, & eos per diversa peccata interficit, atque necat; maximè autem quando invenit homines,qui sunt rasi barbâ,id est, imbecilles, & effœminati, squallentes vultu, id est, conversatione difformes,& denigrati, scissis vestibus,id est, cunctis virtutibus exuti, & denudati; videlicet, quia isti Godoliæ, id est mundi Principibus student placere, & munera portare, & thura,id est, adulationes deferre. Tales prorsùs spiritualiter interficit: & eorum cadavera, id est, eorum fœtentes animas in lacum inferni projicit,& immittit Isai. 24. *Congregabuntur congregatione unius fascis in lacum,& claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur. Et erubescet luna, & confundetur sol,cum regnaverit Dominus, &c.* Veruntamen quandoque inter ipsos peccatores inveniuntur decem homines, id est, aliqui viri decem legis mandata servantes, qui scilicet in agro cordis sui, hunc thesaurum virtutum, & meritorum habent absconsum,scilicet frumentum, de quo fit panis, id est, divinæ scientiæ utilitatem; hordeum, paleâ tectum, hoc est, seipsum abscondentem humilitatem; oleum, quod est lenitivum,hoc est compassionis benignitatem, vel mel,quod est justui sapidum,hoc est,qui devotionis habent suavitatem. Ista enim si quis habuerit, ab Ismael Diabolo non lædetur, sed de manibus ejus præservabitur, & tolletur. Undè Apocalyp. 6. *Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno, & vinum, & oleum ne læseris.*

Vel dic, quod ille Ismael significat malos Ballivos, & Judices, qui pro certo squallentes, & pauperes rapinis, & vexationibus interficiunt; illis verò, qui habent thesaurum in agro, id est, divitibus, & munera promittentibus parcunt. Undè 1. Reg. 15. *Pepercerunt pinguioribus Amalech, quicquid verò vile, & reprobum fuit, demoliti sunt.*

Vel allega contra proditores,vel latrones, & homicidas, qui fingunt se flere,ut possint hominem decipere, & lædere.

Capitulum quadragesimum secundum. Textus. Et accesserunt omnes Principes bellatorum, & Johanan filius Careæ.

Moralitatum Cap. VII.

CUm reliquiæ Israël Idololatriæ se dedissent contra voluntatem atque consilium Hieremiæ, & Christi, statim incepit eos Hieremias redarguere,& adventum Nabuchodonosor,Ægyptique destructionem,& eorum captionem,& occisionem prædicere,& contra eos severiter prophetare; propter quod, ut dicit Comestor, contra ipsum commoti fuerunt, & eum lapidibus obruerunt; Ægyptii verò ipsum prophetam honorantes, eum in sepulchris regum sepeliverunt.

Istud allega ad duo exemplariter. Primò quod *non amat pestilens eum,qui se corripit,* Prov. 15. quinimò *si quis contra impios veritatem loquitur,ab ipsis protinus impugnatur.* Et Prov. 9. *Qui arguit derisorem,sibi injuriam facit.* Secundò illud allega, quod quandoque extranei magis compatiuntur homini quàm propinqui, sæculares quàm Religiosi; quia scilicet ipsum Jeremiam Ægyptii sepelierunt, & sui eum occiderunt. Matthæi 10. *Inimici hominis domestici ejus.*

Epiphanius dicit, quod cum Hieremias esset in Ægypto, oratione sua aspides, & crocodilos fugavit, à quibus antea Ægyptus infestabatur; quinimò etiam, secundùm quod tradunt Hebræi, de pulvere ejusdem loci adhuc crocodili fugantur, & aspidum percussura sanatur. Et dicit idem Epiphan. se audivisse à viris se-

nioribus, qui ex servorum Antigoni, & Ptolomæi stirpe descenderant, quod Alexander Macedo ad tumulum Prophetæ veniens, & loci mysterium cognoscens, ipsum in Alexandriam transtulit, & gloriosè eum sepelivit, & ex tunc aspidum, & crocodilorum, qui priùs civitatem infestabant, rabies aufugit, & cessavit.

Istud allega, quod cum ità sit, quod Hieremias, qui interpretatur excelsus Domino, id est, viri sancti ad Deum elevati; Vel etiam Christus dudum à Judæis occisus, venenosa animalia, id est, Dæmones, & vitia sua oratione fugaverunt, & superaverunt, dum vivebant; utile est, quod pulverem sepulturæ suæ, id est, memoriam mortis ipsorum sumamus, & eorum auxilio contra serpentes hujusmodi triumphemus. Alexander enim, id est, homo, qui videt civitatem cordis sui, à talibus venenosis animalibus, id est, à vitiis, & Dæmonibus infestari, debet istum, id est, Christum mortuum, vel quemlibet Virum Sanctum ibidem per devotionem transferre, & eum ibi per jugem memoriam sepelire, & sic procul dubio poterit istorum serpentum impetum præcavere. Matth. 27. *Involvit corpus in sindone munda,& posuit illud in monumento suo.* D

Epiphanius idem dicit, quod Hieremias, dum esset in Ægypto, dedit signum sacerdotibus idolorum, quod quando pareret, idola eorum corruerent; propter quod iidem sacerdotes imaginem Virginis in gremio bajulantis imaginem pueri statuentes, in secreto templi abdito adorabant. De quo cum Ptolomæus Rex ipsos interrogasset, dixerunt, hoc est traditum Prophetæ, & ejus mysterium, & quod ità credebant in rebus esse futurum.

Istud autem dicitur esse completum, quando Joseph, & Maria cum puero in Ægyptum fugerunt, quia *tunc* (sicut dicunt historiæ) *omnia Ægypti idola corruerunt.* Isai. 19. *Dominus ingredietur Ægyptum, & corruent omnia idola ejus.* Iste etiam (ut ait) *dedit signum, quod quando omnes gentes adorabunt lignum, tunc Dominus veniet ad judicium.*

Vel si vis, allega, vel de incarnatione, vel de cruce, vel quod ante judicium totus mundus debet Christo credere, & lignum, id est, fidem crucis, & Crucifixi tenere.

Moralitatum super Hieremiam Finis.

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS TERTIUS SUPER EZECHIELEM.

Capitulum primum. Textus. Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis.

Moralitatum Cap. I.

EZechiel vidit quatuor animalia mirabilis conditionis, sicut ponitur Ezech. 1. & quodlibet istorum habebat quatuor facies, id est, quatuor partes protensas, scilicet faciem hominis à parte priori, faciem aquilæ à parte superiori, faciem leonis à dextris; faciem bovis à sinistris; habebant etiam quatuor alas, quarum duæ invicem jungebantur, & corpora eorum duabus alis tegebantur, & pennæ unius ad pennas alterius erant junctæ, & sub pennis manus hominis ponebantur, pedes autem ad similitudinem vituli habebant, & pedes eorum recti erant; aspectus eorum ad similitudinem carbonum ignis ardentium rutilabant; scintillæ, & fulgura de medio animalium prorumpebant, & sic patet, quod ista animalia habebant facies, alas, manus, & pedes, & omnia quadruplicia, quia habebant quatuor facies, quatuor alas, quatuor manus, quatuor pedes. E

Istam visionem exponit Gregorius de quatuor Evangelistis, sed ad præsens nos eam exponamus de omnibus justis. Dico igitur quod viri justi, & Ecclesiastici, qui in quatuor partibus mundi sunt positi, in istis quatuor animalibus designari possunt, qui pro tanto animalia dicuntur, quia vitâ gratiæ animantur. Isti quatuor facies, id est, quatuor Virtutes Cardinales, per quas cognoscuntur, à Deo habebant, in quantum, scilicet temperantiam, quæ est facies hominis;justitiam,quæ est facies leonis;fortitudinem, quæ est facies bovis; prudentiam, quæ est facies aquilæ, virtualiter habebant. Homo enim, qui refrænat, & temperat appetitum, significat temperantiam. Leo, qui est rex animalium, & discernit inter læsum, & percutientes;ipsosque secundùm quod magis, & minùs læserunt, punit,significat justitiam. Bos verò, qui est animal forte, & patiens laborum, significat fortitudinem, & constantiam. Aquila verò, quæ visum habet clarissimum, significat prudentiam. Ulteriùs, quantum ad se habent faciem leonis, id est, justitiam ad dextram, quantum ad statum prosperitatis, faciem hominis, id est, temperantiam; faciem bovis ad sinistram, id est, fortitudinem quantum ad statum adversitatis; faciem aquilæ,id est, prudentiam desuper, quantum ad statum superioritatis. Ezechiel. 10. *Intellexi, quod Cherubin esset, & quatuor vultus uni.* Item isti debent habère quatuo r alas, id est, quatuor bonas

Digitized by Google

affectiones, quibus possunt ad superiora, & futura volare. Ala enim gaudii volat ad merita. Ala doloris volat ad peccata. Ala timoris volat ad infernum. Ala spei volat ad Paradisum, quia gaudium de bono, dolor de malo, timor de supplicio, spes de præmio, sunt quatuor alæ istorum; quibus volant ad salutem. Undè Daniel. 7. *Alas habuit quasi avis quatuor super se.* De istis autem alis verum est, quod unà cum faciebus desuper extenduntur, in
F quantum, scilicet justorum virtutes, & affectiones bonæ sursum in Deum referuntur, & ipsas desuper datas fatentur, dicentes illud Jacob. 1. *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Alterius autem ad alterum dicuntur junctæ, in quantum scilicet ipsæ affectiones justorum inter se charitate ligantur, in tantum quod dolor, gaudium, spes, timor unius, gaudium & dolorem, & spem, & timorem alterius congaudendo, & condolendo tangere videantur. Undè de Cherubin dicitur, Exod. 25. quod *extensæ erant alæ eorum alterius ad alterum.* Adverte etiam, quod de istis affectionibus duæ sunt de præsenti, scilicet gaudium, & dolor; & duæ sunt de futuro, scilicet spes, & timor; & ideò benè dicitur, quod *duæ alæ extendebantur*, supple ad futurorum considerationem, scilicet, spes ad Paradisum, timor ad infernum. *Duæ verò alæ corpus tegebant*, scilicet gaudium, & dolor, quantum ad præsentium, & propinquorum meditationem. Corpus enim tegere respicit præsens tempus; alas verò extendere, futurum. Isai. 6. *Duabus alis tegebant corpora sua, &c.* Si autem vis dilatare, ostende, quomodo quælibet ala, id est, quælibet affectio ex pluribus constat pennis, &c. Sed procul dubio manus humanæ sub alis esse dicuntur, quia opera rationalia, quæ per manus hominis notantur, alas affectionum justorum semper concomitari debent. Non enim sufficit velle, nisi adsit & perficere, & parum valet affectio, nisi, cum possibile est, adsit manualis operatio. Apostolus Phil. 2. *Operatur in nobis velle, & perficere.* Ista manus seu operatio debet esse quadruplex, quia quantum ad se exercere opera pœnitentiæ debet; quantum ad bonos, opera beneficentiæ; quantum ad malos, opera justitiæ; quantum ad Deum opera honoris, & reverentiæ. Ezech. 1. *Manus hominis sub pennis eorum.* Item pedes ipsorum animalium erant recti, ad denorandum; quod intentio est finis justorum, quæ per pedes, qui sunt finis corporum, intelligitur, & vitulina, id est, simplex, & recta esse tenetur. Pedes etiam isti sunt quadruplices, in quantum scilicet intentio debet habere quatuor conditiones, ut scilicet sit sancta sine iniquitate; simplex sine duplicitate; recta sine varietate; continua sine diffidentiæ instabilitate. Ezech. 1. *Per quatuor partes euntes ibant.* Aspectus etiam eorum, id est, conversatio
G debet more carbonum per charitatem ardere, & per doctrinam proximi scintillare, & per bona exempla in aliorum oculis fulgurare; & sic scintillæ, & fulgura videbuntur de medio istorum animalium emanare. Apoc. 4. *De throno exibant fulgura, voces, & tonitrua.*

Vel dic, quod facies, quæ continet omnes sensus, significat discretionem; alæ, quæ volant, significant contemplationem; manus, quæ laborant, significant operationem; pedes, qui corpus portant, significant affectionem; aspectus, id est, habitus, quem omnes considerant, significat conversationem. Dico igitur, quod facies discretionis viri justi debet esse quadruplex, quia quandoque debet esse humana dulciter aliis indulgendo; & benigniter se habendo; quandoque leonina, severiter malos puniendo, & justitiam faciendo; quandoque bovina, tardè, & maturè procedendo; solidè, & fortiter in uno proposito bono permanendo; quandoque aquilina clarè, & subtiliter considerando, & sursum ad Deum per affectionem volando. Daniel. 7. *Capita quatuor erant in bestia.* Similiter alæ contemplationis debent esse quatuor; quia debet contemplari, & considerare primò se quantum ad vilem nativitatem, vitam miseram, mortem asperrimam. Secundò mundum, quàm sit fallax, quàm transitorius, quàm laboriosus. Tertiò infernum, quàm scilicet durus, durabilis, & periculosus: Quartò Paradisum, quàm sit amœnus, perpetuus, & gaudiosus. Allega ut supra. Item dico, quod isti debent habere quatuor manus, id est, quatuor partes bonæ operationis, scilicet pœnitentiam, beneficentiam, justitiam, & prudentiam, &c. ut supra. Item quatuor pedes bonæ affectionis, scilicet gaudium de bono facto, dolorem de malo commisso, timorem de supplicio inferni, spem de gaudio Paradisi. Item pedes debent esse vitulini, & recti per simplicitatem, & rectitudinem intentionis. Debent ista animalia habere aspectum splendentis conversationis, quæ emittit scintillas charitatis, & dilectionis, ac etiam si sit necesse, fulgura asperæ correctionis Psalm. 143. *Fulgura coruscationem, &c.* Et si vis, dilata, quod iste aspectus erat ad similitudinem lampadum, & dic de lampade, sicut supra lib. 13. cap. 26. & 54.

Vel dic, quod tale animal fuit Christus, qui habuit faciem humanam, quando fuit incarnatus: bovinam, quando per mortem fuit immolatus: leoninam, quando resurrexit: aquilinam quando ascendit; qui etiam habuit quatuor alas, id est, quatuor glorificati
H corporis dotes habuit, & scintillas bonæ doctrinæ, & fulgura bonorum exemplorum emisit. Et tunc more carbonum per justitiæ rigorem ardebit, quando sæculum judicabit, quia tunc secundùm Ps. 119. *Erunt sagittæ potentis acutæ.*

Vel si vis, dic in malo, quod animal quatuor facierum, significat homines varios, & perversos, &c. Undè supra de pardo; ubi invenies moralizatum contra avaros.

Vel dic, quod mali habent quatuor facies; in quantum facies suæ exterioris apparentiæ, in conditiones quatuor variatur; quia aliquando est humana per fictam benignitatem; aliquando leonina per apertam crudelitatem; aliquando bovina per simulatam ruditatem, aliquando aquilina per elatam pompositatem Ezech. 1. *Apparuit rota una super terram habens quatuor facies.* Item isti habent quatuor alas superbiæ, in quantum isti videntur superbire de quatuor, scilicet de divitiis, scientiis, eminentiis, & corporalibus gratiis. Daniel. 7. *Alas habebat quatuor super se.* Zachar. 1. *Vidi, & ecce quatuor cornua.* Item quatuor habent manus, in quantum ipsi habent quadruplicem malam operationem, scilicet opera superba contra Deum; luxuriosa quantum ad se; ingrata quantum ad amicos; crudelia, & injuriosa quantum ad inimicos. Zachar. 2. *Ostendit mihi Dominus quatuor fabros*, id est, quatuor malos operarios, scilicet superbos, luxuriosos, ingratos, & injuriosos. Item isti habent quatuor pedes, id est, quatuor malas affectiones, scilicet gaudium, & inanem lætitiam; dolorem, & invidiam; tristitiam, & timorem desperationis, & spem fatuæ præsumptionis. Habent igitur gaudium de mundi prosperis, dolorem de mundi asperis, timorem de gloria & bonis temporalibus amittendis; spem de majori eminentia consequenda. Dicitur, quod isti quatuor pedes affectionis sunt recti, quia flecti nequeunt ad pietatem, sunt vitulini, quia semper habent admixtam aliquam lasciviam, & carnalitatem. Thren. 1. *Sordes ejus in pedibus ejus.*

Vel dic, quod pedes istorum significant quatuor istorum malas occupationes, scilicet avaritiam, quâ currunt ad divitias; carnis concupiscentiam, quâ currunt ad delitias; ambitionem, quâ currunt ad eminentias; iracundiam, quâ currunt ad vindictas vel sævitias. A
Ezech. 1. *Per quatuor partes euntes ibant.* Aspectus etiam istorum, id est, conversatio scintillat per exempla mala, & coruscat per superflua ornamenta. Psalm. 96. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, &c.*

Vel dic, quod tale animal est mulier, quæ circa fatuos juvenes quadruplici facie solet uti, sc. in principio humanâ, attrahendo; deindè leoninâ, fortiter contradicendo; tertiò bovinâ, se dissimulando, seu pungi, & rogari se permittendo; tandem aquilinâ ad cuncta eorum beneplacita volando.

Vel dic, quod tale animal significat Ecclesiam, quæ quantum ad sui progressionem quatuor habuit facies seu partes. Prima fuit humana, id est, simplex, pauper, & nuda in Apostolis. Secunda fuit leonina, ferox, & audax, & firma in Martyribus. Tertia fuit bovina, id est, labori pœnitentiæ assueta in Confessoribus. Quarta nunc est aquilina clarè videns, per scientiam, & fidem instructa in Doctoribus.

Vel dic, exponendo de quatuor Evangelistis, sicut exponit Gregorius in homilia prima super Ezechielem. Quia scilicet quatuor animalia ante thronum filii hominis quatuor Evangelistas designant. Facies hominis Matthæum, qui præ cæteris loquitur de Christi humana generatione. Facies leonis Marcum, qui loquitur de Christi resurrectione; quia scilicet leo suscitat catulum mortuum rugiendo. Facies bovis Lucam, qui præ cæteris loquitur de morte Christi, & immolatione. Facies aquilæ Joannem, qui præ cæteris loquitur de Christi alta Deitate, & ascensione, &c. Per omnia vide Gregorium, ubi supra.

Vel dic, quod homo est rex animalium, leo ferarum, bos jumentorum, aquila avium. Ista enim quatuor animalia circa thronum Christi fuisse describuntur, ut per hoc ipse rex regum, & Dominus dominantium fuisse intelligatur. *Habebat in femore suo scriptum, rex regum.*

Illud, quod ponitur supra in principio: *Ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, nubes magna, & ignis involvens*, potest exponi contra divites malos, qui scilicet sunt ventus propter vanitatem, turbo propter violentam rapacitatem, ab aquilone venientes propter operis frigus, & tepiditatem; nubes propter ignorantiæ obscuritatem; magna propter prosperitatem, & rerum facultatem; ignis propter crudelitatem; involvens propter acquirendi insatiabilitatem, &c.

Vel expone de Spiritu sancto, qui est ignis, nubes, & ventus, &c. Animalia sancta, sicut exponitur, Ezechiel. 1. *Ibant, ubi erat spiritus* B
impetus, illuc gradiebantur, & unumquodque ante faciē suam ambulabat, & non revertebantur, cum ambularent, & hæc erat similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum, & quasi aspectus lampadarum, & hæc visio erat in medio animalium, splendor ignis de igne fulgur egrediens. Sic verè facient Sancti Viri: quia ubicunque impetus, & motus, & inspiratio Spiritus sancti ipsos moverit, continuè ibunt: & illud, quod suggesserit, debent sine contradictione complere. Cujus tamen contrarium faciunt illi, qui bonis spiritus Sancti cogitationibus, & inspirationibus non obediunt, sed resistunt. Undè Actor. 7. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiri-*
tui

Digitized by Google

tui sancto resistitis. Unusquisque istorum ante faciem suam ambulat, in quantum de bonis æternis, quæ ante nos sunt, cogitat, & ad ipsa per opera bona, affectus, & desideria graditur, & aspirat, temporalia verò, quæ post nos remanent, nec respicit, nec affectat. Philip. 3. *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea verò, quæ ante sunt, extendens meipsum destinatum persequor ad bravium.* Item cum ambulant, non reverti dicuntur, quia scilicet quilibet vir justus, in via morum, quam incepit, & in bono proposito nunquam per recidivationem, vel Apostasiam, vel negligentiam desistit à bono opere sive cessat. Undè Job. 16. *Semitam, per quam non revertar, ambulo.* Item similitudo, & aspectus istorum, id est, conversatio, debet esse quasi aspectus carbonum ardentium; ignis per fervidam charitatem; & quasi aspectus lampadarum per lucidam honestatem; & de medio talium debet egredi ignis boni amoris, à quo etiam exire debet fulgur justi rigoris.

Vel si vis, per animal intellige malos, ut supra expositum est, eodem hoc capitulo, qui non secundùm rationem, sed secundùm impetum spiritus sui, & voluntatis suæ gradiuntur ante faciem suam, scilicet ad mundi bona, qui habent ante se, per desideria deferuntur; nunquam autem per pœnitentiam à suo malo itinere revertuntur; sed more carbonum, & lampadarum per avaritiam inflammantur; & ideò in medio talium, ignis, id est, avari Ballivi, & famuli conversantur, à quibus procul dubio fulgur rapinæ contra subditos egreditur, & grassatur.

Postquam Ezechiel fecit mentionem de quatuor sanctis animalibus, ipse dicit quod juxta animalia apparuit rota una super terram habens quatuor facies, hoc est dictum, quod quatuor erant rotæ simul junctæ, & ecce rota una in medio rotæ, & totum corpus rotarum erat plenum oculis, & erat una similitudo omnium quatuor, & facies, & aspectus rotarum, & opus erat quasi visio maris, statura quoque, & altitudo erat in rotis, & aspectus horribilis: per quatuor partes ibant euntes, & non revertebantur, cum incederent, & ad quemcunque locum declinabant, quæ prima erant; sequebantur, &c. Cumque ambulabant animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta eum, cum euntibus ibant, cum stantibus stabant, & cum elevatis à terra pariter elevabantur, spiritus autem vitæ erat in rotis. Quocunque ibat spiritus, illuc & rotæ elevabantur sequentes eum.

Per rotas istas possumus intelligere bonos subditos, & maximè religiosos vel clericos, sicut per animalia intelligimus Prælatos. Boni enim subditi rotæ dicuntur, pro eo quod volubiles, & mobiles per obedientiam esse dignoscuntur. Ezech. 10. *Rotas ipsas præsente me vocavit volubiles.* Istæ igitur debent esse quatuor vel habere quatuor facies, propter virtutum cardinalium quaternitatem. Quilibet enim quatuor esse dicitur, qui quatuor virtutibus insignitur, utpotè, quia dicitur temperatus, justus, fortis, & prudens. Unus etiam dicitur in medio alterius per intimam charitatem; quia quilibet debet habere alium in medio sui cordis per memoriam, compassionem, charitatem, & paritatem. Rota enim in medio rotæ ponitur, quando per memoriam, & amorem alter in medio, id est, in corde alterius stabilitur, sicut dicitur Prov. 18. *Frater qui adjuvatur a fratre tanquam civitas firma.* Et Gal. 6. *Alter alterius onera portate, &c.* At si dicat sic: Alter in medio alterius. Rota
D tamen ista super terram apparere dicitur; quia quilibet vir justus super terram, id est, super terrena, per ipsorum contemptum, esse tenetur, Eccl. 5. *Tu super terram.* Dico igitur quod istæ rotæ sc. boni religiosi, vel subditi debent apparere super terram, contemnendo, & spernendo terrenam prosperitatem. Debent esse juxta sancta animalia scilicet frequentando societatem. Debent esse quatuor facierum; continendo quadruplicem virtutum cardinalium quantitatem. Debet unus esse in medio alterius per mutuam dilectionem, & charitatem; Debet etiam esse in eis una similitudo per ccommunem victûs, & habitûs paritatem, & per mutuam morum conformitatem, ut sic alter posset dicere alteri illud Isa. 14. *Nostri similis est effectus.* Aspectus eorum debet quasi visio maris per contritionis amaritudinem, & per pœnitentiæ asperitatem. Debet etiam in eis esse statura per constantiæ firmitatem, altitudo per mentis sublimitatem, & aspectus horribilis per squalloris abstinentiæ hispidam difformitatem, Ps. 75. *Terribilis es, & quis resistet tibi?* Job. 4. *Inhorruerunt pili carnis meæ.* Item isti debent per quatuor bonas affectiones: scilicet per gaudium de bono, & dolorem de malo, timorem de supplicio, spem de præmio ad bona opera ambulare, & incedere. Reverti etiam non debent, cum ambulaverint, quia nunquam debent resistere vel retrocedere à bono, quod inceperunt, quia dicitur Luc. 6. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens aptus est regno Dei.* Item tales pleni oculis esse dicuntur, quia viri justi oculis discretionis, & circumspectionis illuminati esse tenentur, ut sic videant, & considerent, quidquid ad salutem pertinere videatur, Apoc. 4. *Plena erant oculis ante, & retrò.* Undè Ezech. 10. dicitur: *quod rotarum corpus, colla, manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis,* ad similitudinem caudæ pavonis, ad denotandum, quod isti boni religiosi, & subditi debent habere pennas contemplationis, manus bonæ operationis, collum gu-
E stativæ devotionis, & oculos discretionis, & similitudinem caudæ pavonis, id est, picturam bonæ conversationis. Et quocunque declinabat, quæ prima erat, sequebantur; quia scilicet inter bonos religiosos, & subditos debet esse tanta humilitas, obedientia, & talis morum conformitas, quod ubicunque vident declinare illos, qui primi, & superiores sunt inter eos; scilicet bonos Prælatos, & honestiores, & seniores personas; pro certo alii debent sequi per imitationem, & obedientiam inclinari. Matth. 8. *Magister sequar te, quocunque ieris.* Illæ igitur rotæ, scilicet boni subditi, debent sequi animalia sancta, id est, bonos Prælatos, & viros doctos, scilicet obediendo, & se eis conformando. Ezech. 10. *Gradientibus illis rotæ quocunque subsecutæ sunt.* Ità cùm eis debent ire benè operando, cum eis stare fortiter perseverando, cum eis elevari à terra terrena despiciendo, & cœlestia affectando, *Elevatæ sunt de terra coram me,* & ratio est, quia spiritus vitæ debet esse in eis, id est, spiritus sanctus, qui debet eis virtutem, & gratiam dare, ipsi verò debent cum sequi, & inspirationi, & voluntati ipsius obedire. Ezech. 1. *Ubi erat impetus spiritus, ibi gradiebantur.*

Consequenter vidit Ezechiel firmamentum super capita animalium sanctorum, quod erat de specie crystalli, & in firmamento erat sedes de lapide sapphiri, & in throno sedebat similitudo filii hominis, qui in se gerebat per circuitum speciem ignis, & electri, & circa se habebat quasi similitudinem arcus cœli, ac si fuerit in die pluviæ, & in nube. Sed pro certo quando supra firmamentum cœli, quod erat supra caput eorum, fiebat vox, statim animalia pennas suas submittebant, & sic vocem, quæ facta fuerat, audiebant.

Dic, quod firmamentum significat Ecclesiam, quæ benè fundata est super firmam petram; quæ crystallina dicitur; quia in ea splendor veritatis fidei, & etiam stabilitas perpetuæ permanentiæ reperitur. Sub isto etiam firmamento dicuntur animalia sancta habitare, quia nullus est bonus aut sanctus, nisi illi, qui in firmamento Ecclesiæ per fidem, & gratiam dignoscuntur manere Gen. 1. *Stellas posuit in firmamento cœli.* In isto autem Ecclesiæ firmamento est thronus Ecclesiasticæ, & maximè Apostolicæ Prælaturæ, quia scilicet de sapphiro, cujus est color cœlestis, dicitur esse, pro certo eo quod Ecclesiastica jurisdictio cœlestis, & spiritualis totaliter debet esse, Isa. 54. *Fundabo te in sapphiris, & dabo jaspidem:* id est, justitiam, *Propugnacula tua.* In isto etiam throno, id est, dignitate Ecclesiastica, debet sedere filius hominis, id est, persona rationalis, per honestatem ad modum electri debet fulgere; per charitatem more ignis debet fervere; per sapientiam debet splendere; arcum etiam cœlestem, id est, justitiam debet circa se poslidere, qui tamen in die pluviæ, & in nube esse dicitur, pro eo quod justitia semper debet esse cum misericordia, & cum dulcedinis profluvio. Undè Gen. 9. *Arcum meum ponam in nubibus.* Quid igitur? procul dubio si contingat, quod de firmamento Ecclesiæ, & quod de throno judiciariæ potestatis, à filio hominis, id est à Prælato exeat aliqua vox, hoc est: à Domino præceptum vel statutum; statim animalia sancta, quæ sunt subtùs, id est, subditi
F boni debent statim alas pompæ, & superbiæ deponere, & illud quod mandatur, reverenter audire. Nunquam enim debet esse aliquod tam grossum animal, nec ità alta, nec sancta aut solennis persona; quin mandata Dei, & Prælatorum verba, documentaque majorum, & seniorum debeat reverenter audire, & omnem pompam submittere, & pennas cujuslibet nobilitatis vel sufficientiæ suæ postponere, & quod dicitur vel prædicatur, humiliter auscultare, dicens illud Abac. 3. *Domine audivi auditum tuum.*

Vel dic, quod thronus sapphireus est B. Virgo, & si quæratur, quare dicitur sapphirea, tractatum est supra de lapidibus cap. de sapphiro. Filius autem hominis est Christus, qui scilicet in isto throno per incarnationem erit, & ibi sicut splendidus, & fervidus apparuit. Quando igitur vocem istius audimus, statim alas superbiæ deponere debemus, & cum reverentia exequi, quod
G nobis mandatum sentimus, Psalm. 94. *Hodiè si vocem ejus audieritis.* Arcum etiam prædicationis, & justitiæ habuit, quo peccatores sagittavit: in pluvia fuit, pro eo quod spe veniæ ipsos dulciter consolatus refrigeravit. Prædicationis enim arcus dicitur, quâ debet pungere in die pluviæ, quia debet urgere. Apocal. 6. *Sedens super equum habebat arcum.*

Vel dic, quod ille filius hominis, scilicet Dei filius in throno sedebit in judicio, ubi per magnum rigorem, quem prætendit, igneus apparebit, & ibi arcum justitiæ tendet; quem tamen pluvia misericordiæ, quantum ad bonos temperabit; malos autem sagittabit, ità quod omnes submittant alas suas, in quantum vocem suam omnis creatura timebit, Gen. 3. *Vocem tuam Domine audivi, & timui, eò quod nudus essem:* Et tunc dicet peccatori (quando se nudum, & sine indumento charitatis, & gratiæ sentit, & quando, quidquid fecit, omnibus notum fiet illud) Hier. 13.

Nudavi femora tua ante faciem tuam, & apparuit ignominia tua, &c.

* * *

Digitized by Google

Capitulum secundum. Textus. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini. Et vidi.

Moralitatum Cap. II.

COnsequenter postquam Ezechiel animalia mirabilia, & Dei gloriam conspexerat, ad terram cecidit præ timore, sed ingressus in eum spiritus Domini, statuit eum supra pedes suos, præcipiens, quod quidquid sibi daret, comederet, & voraret: & ecce quasi manus de cœlo mittitur, in qua quidam liber clausus, & involutus continebatur, qui coram eo expanditur, & ante ejus oculos explicatur. Hic liber scriptus intus, & foris erat, scripturamque mirabilem continebat, scilicet lamentationes, carmen, & væ, scripturæ series possidebat. Isto igitur libro Ezechiel fuit cibatus, & factus est in ore ejus sicut mel dulce.

Ezechiel in isto loco significat humanum genus, quod per Adæ peccatum primitus cecidit, sed tandem per Spiritus sancti mysterium resurrexit, qui scilicet ipsum supra pedes, id est, ad statum gratiæ statuit, & erexit; manus enim divinæ munificentiæ de cœlo homini missa fuit, vel manus, id est B. Virgo, quæ librum salutis nostræ, id est, Christum attulit; qui quamvis ab æterno fuisset per secreta Divinæ Providentiæ à nobis involutus, & clausus, utpote, qui nondum fuerat hominibus revelatus; ipsum tamen finaliter Deus Pater per nativitatem, & crucem, & mortem coram nobis expandit. Apoc. 20. *Alius liber apertus est, qui est vitæ.* Iste enim scriptus erat intus per Deitatem, & foris per humanitatem. Et pro certo ista scriptura in se habuit Sacramentorum fidei mirabilem veritatem, quia in ista apparuerunt lamentationes pœnitentium, carmina contemplantium, & gratias Deo agentium, & feliciter in patria viventium, & væ damnatorum, & pereuntium. In isto enim libro & in verbis ejus potes, si vis, legere lamenta pœnitentiæ. Undè dicitur Luc. 15. *Quod gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Item ibi sunt carmina spei, & misericordiæ, & futuræ gloriæ. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite Paradisum.* Item ibi est væ damnationis perpetuæ, & hoc cum dicitur Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* Hic autem liber, quando per devotionem comeditur, dulcis, & sapidus invenitur. Ps. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.*

Vel dic, quod iste liber est liber sacræ scripturæ, qui intus est scriptus per sensum spiritualem, & foris per literam historialem, qui scilicet est involutus per figurarum consignationem, expanditur tamen coram nobis per Doctorum expositionem. Iste liber continet lamentationes mundanæ miseriæ, & incolatus, sicut est illud Ps. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* & alia similia; etiam carmina laudis, & spiritualis consolationis, sicut illud: Psal. 116. *Laudate Dominum omnes gentes,* cum similibus. Et væ æternæ damnationis, & excommunicationis, sicut illud Ezech. 18. *Anima, quæ peccavit, ipsa morietur.* Sed ille liber in ore hominis fit suavis, quando per os Prædicatorum, & Doctorum de scriptura prorumpit aliquis sermo dulcis.

Capitulum quartum. Textus. Et tu fili hominis sume tibi laterem, & panes.

Moralitatum Cap. III.

PRæceptum fuit in visu Ezechieli, quod civitatem Hierusalem oppugnaret, & quod inter se, & civitatem sartaginem collocaret. Præceptum fuit sibi, quod durante obsidione ipse dormiret super latus suum sinistrum pro iniquitate domûs Israël, & quod dormiret super latus dextrum, pro iniquitate domûs Juda, A Præceptum etiam fuit sibi, quod panem faceret, quem sub stercoribus cooperiret, & quod ipsum manducaret in pondere, & aquam suam biberet in mensura.

Charissimi per civitatem Hierusalem intelligitur civitas pacifica Paradisi, quam quilibet debet velle acquirere, & ideò ut ipsam habeat, non debet cessare cum machinis bonorum operum eam impugnare. Veruntamen sartaginem mortis vel ignis infernalis, videlicet ubi peccatores frixantur, debet inter se & civitatem Paradisi per considerationem ponere, & quod istam magis quàm Paradisi gloriam meruerit, debet cum formidine cogitare, ibique cor suum debet per timorem figere, vel versare. Dum autem durat ista obsidio, id est, ista bonorum operum pro acquirenda superna Hierusalem executio; homini præcipitur tria facere, sc. de latere in latus dormire; panem suum stercoribus tegere, & panem, & aquam in pondere, & mensura comedere; quæ sunt tria, quæ homo spiritualiter debet facere, si vult civitatem Paradisi acquirere. Et primò debet per contemplationem, dormire super latus sinistrum infernalis adversitatis; deindè super latus dextrum æternæ fœlicitatis: quia homo debet per considerationem jacere, & dormire, nunc in latere sinistro cogitando de inferno, nunc in latere dextro cogitando de Paradiso: 2. Cor. 6. *A dextris, & sinistris per arma justitiæ, &c.* Secundò debet panem suum, id est, mundi prosperitatem stercoribus cooperire, ut cogitare non cessel, *sperma fœtidum, faccum stercorum, & cibum vermium se esse,* Secundùm Bernardum, & Innocentium: debet cogitare, quod omnia ista sunt vilia, & viliora, quàm stercora reputanda. Undè Phil. 3. *Omnia arbitratus sum sicut stercora.* Tertiò debet panem, & aquam, id e. mundi delitias, & divitias in pondere, & mensura comedere, & bibere, ut scil. superfluè non appetat divitias habere, nec delitias frequentare, sed usum eorum in mensura studeat temperare. In usu enim divitiarum, & delitiarum debet esse pondus; quia scilicet homo debet ponderare, quàm difficilè acquiruntur, quàm timidè conservantur, quàm dolorosè perduntur. Item ibi debet esse mensura, ut scilicet nulla sit superfluitas, imò cum Salomone dicat illud Proverb. 30. *Divitias nec paupertatem mihi dederis Domine, tribue tantum victui meo necessaria.* Et juxta illud Sapient. 11. *Sapiens debet facere quidquid facit, in numero, pondere, & mensura.* B

Capitulum octavum. Textus. Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis, ego sedebam in domo mea.

Moralitatum Cap. IV.

CUm civitas Hierusalem, & seniores templi Dominum reliquissent, & idololatriæ dediti essent, ità quod diversa idola in templi parietibus depinxissent; factum est, quod similitudo manus apprehendit Ezechielem, qui erat captivus in Babylone, & adduxit eum in Hierusalem in visione Dei; cui dixit Dominus, ut videret abominationes magnas; quas faciebant filii Israël, propter quas ipsũ procul recedere faciũt à sãctuario suo. Vidit igitur Ezechiel in tẽpio primò in porta aquilonis idolum zeli; quod erat ibi factum ad provocandum æmulationem; qui tandem fodiens parietem, vidit similitudines reptilium animalium, idola domûs Israël. Vidit etiam seniores Israël, qui in conspectu istorum reptilium adolebant incensum. Item conversus ad aliam partem vidit mulieres, quæ plangebant Adonidem. Item ad alios parietes, vidit quosdam viros in templo, qui scilicet dorsum ad altare vertebant, & ad orientem adorabant. Alios vidit, qui ramos ad nares suas applicabant. Istæ igitur erant abominationes idololatriarum, quas filii Israël faciebant in templo, & in secretis cubilium suorum, propter quæ Deum à suo sanctuario recedere faciebant; dicentes: quod Dominus terram dereliquerat, & eorum scelera non videbat. Adverte autem, quod Adonis fuit quidam gratissimus juvenis filius Martis, quem Dea Venus in tantum dilexit, quod de eo amicum suum fecit. Hunc igitur ab apro, quem venabatur, occisum cœperunt mulieres plangere, & redivivum credere, & indè apud gentiles mulieres consuevit mos plangendi mortem Adonidis in dolore, sicut Ovid. Metamor. lib. 14. dicit. C

Revera per istas abominationes, quæ fiebant in templo à filiis Israël, possunt intelligi quædam vitia, quæ hodiè fiunt in Ecclesia à quibusdam fidelibus Christianis. Isti enim ex proposito videntur delinquere, ut Deum à sanctuario suo, i.e. ab amore Ecclesiæ faciant fugere, & recedere, ipsamque necesse habebat in tyrannorum manibus dimittere, & de ea non curare. Undè dicit Job. 34. *Quasi de industria recesserunt à Deo.* Si enim parietem foderimus, & si de Babylone, i. e. de mundo ad considerationem Hierusalem, i.e. Ecclesiæ ducti fuerimus, procul dubio multa abominabilia, & enormia videre poterimus. Undè Hier. 13. *In agro vidi abominationes.* Sunt igitur ista quinque per ordinem detestanda, sc. idolum, reptilia, & eas adorantes, plorantes Adonidem, dorsum ad altare vertentes, & ramos ad nares applicantes. Per idolum igitur zeli intelliguntur immundi detractores, qui zeli, & invidiæ sunt idola, & præsentatores: quia sc. illi sunt, qui verbis detractoriis æmulationem, & invidiam provocant, & rixas, & odia sæpè movent. Undè Ps. 77. *In sculptilibus tuis ad æmulationem eum sæpe provocarunt.* Per reptilia depicta intelligo mundi malos divites, & potentes, qui dicuntur reptilia, quia reptant per avaritiam circa temporalia. Isti enim ornatu superfluo depinguntur, & à senioribus, id est, à malis advocatis, & consiliariis, & ab aliis adulatoribus coluntur, & malis consiliis, adulationibus, aliorumque accusationibus incensantur. Undè dicitur Act. 25. *Quod seniores Judæorum postulabant adversus Paulum damnationem.* Isti autem Principes, & divites benè universa reptilia dicuntur, quia quidam bufoni inflato per superbiam, alii lacerto caudato per malitiam, alii limaci viscoso per luxuriam assimilantur, & sic de aliis Psalm. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus.* Per plorantes Adonidem, intelligo juvenes, & juvenculas, & curiosas; qui super aliis personis juvenibus plorare videntur, in quantum pro eorum malo amore suspirare videntur, dicentes illud Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Per vertentes dorsum ad altare intelligo malos Religiosos, & Ecclesiasticos, qui oculos mentis ad ortum solis, id est, ad claritatem mundanæ prosperitatis vertunt; ab altari verò, id est, à Dei servitio seipsos divertunt; & magis quærũt sæcularia quàm regularia, & temporalia quàm spiritualia. Hier. 2. *Verterunt ad me dorsum, & non faciem.* Per illos autem, qui applicant ramos ad nares, intelligo delitiosos, qui scilicet in ramis, & D

rebus

Digitized by Google

rebus odoriferis delectantur, & in hoc excedere comprobantur. Hæc enim omnia abominabilia sunt apud Deum, & detestabilia apud mundum. Undè dicitur Malac. 2. *Abominatio facta est in Israël, & in Hierusalem*, id est, in Ecclesia, & Religione, *quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quoniam dilexit filiam alieni Dei*, id est, prosperitatem mundi: quare autem ista faciant, apparet, quia ipsi videntur credere, quod dereliquit Dominus terram, & quod non videat. Psalm. 72. *Dixerunt, quomodò scit Deus?*

Capitulum nonum. Textus. Et clamavit in auribus meis voce magna dicens: Appropinquaverunt.

Moralitatum Cap. V.

EZechiel vidit viros sex, id est, sex Angelos, qui habebant unusquisque vas interfectionis, id est, gladium; erat in medio vir unus indutus lineis, habens atramentarium scriptoris in manu
E sua. Isti igitur præceptum est à voce Domini de gloria exuente, quod signaret Thau super frontem virorum dolentium, & gementium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Hierusalem. Aliis autem, qui portant gladios, dictum est, ut per medium civitatis transirent, & quod homines utriusque sexus occiderent, & quod à sanctuario Domini inciperent, & quod nulli penitùs parcerent, nisi super illis in fronte signum Thau viderent. Sic igitur factum est, quod contaminaverunt domum, & impleverunt atria interfectis, & ratio redditur ibidem, quod *iniquitas domûs Israël magna est nimis valdè, & repleta est terra sanguinibus.*

Moraliter per signum Thau, quod factum est ad modum crucis, significatur crux, vel commemoratio divinæ passionis; per illum, qui indutus est lineis, intelligitur prædicator, qui scilicet verbis, & exemplis imprimit in frontibus, id est, in mentibus hominum signum illud, qui scilicet per castitatem est lineis indutus, & per scientiam debet esse scriptoris atramentario munitus. *Iste* enim *est Angelus, qui portat signum vitæ vel Dei vivi.* Apoc. 7. Per Angelos autem cum gladiis intelliguntur Angeli judices, qui scilicet ad executionem judiciorum parati sunt. Undè Cant. 3. *Uniuscujusque ensis super femur suum.* Quid igitur? Pro certo finaliter quando viderit Dominus, quod domus Juda, id est, Ecclesia, quæ fidem Trinitatis confitetur, quia Juda interpretatur confitens; & domus Israël, id est, Religio, quæ per contemplationem debet Deum videre, & terra, id est, mundus benè fuerint plena sanguinibus carnalitatis, & eorum iniquitates benè increverint, scilicet in fine mundi, tunc mittet Angelos suos vel gladios justitiæ, ut vindictam æternæ damnationis exerceant in eisdem, & sic fiet, quod nulli penitùs parcent, imò senes, & juvenes, & virgines, qui malè fecerunt, interficient, & super omnia à sanctuario Domini, id est, à statu Ecclesiasticorum incipient, & eos præ cunctis punient atque lædent; quia quantò quis propinquior est Deo statu, & gradu, & scientiâ; tantò si delinquit, acriùs est puniendus, quia dicitur Luc. 12. *Servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis.* Breviter igitur illud est verum, quod solùm viri gementes, & dolentes super peccatis suis, & aliorum, signum Thau, id est, crucis Christi memoriam in cordis frontibus deferentes, tunc temporis salvabuntur, & ab Angelis percurientibus, & peccatores morti, & damnationi tradentibus, non lædentur, sed ab ipsis Angelis divino munere defendentur. Undè Apoc. 7. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quousque signemus servos Dei in frontibus eorum.*

Capitulum duodecimum. Textus. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis in medio domûs.

Moralitatum Cap. VI.

F PRæceptum est Ezechieli, quod vasa aurea more transmigrantium, & mutare volentium præpararet, sibique dictum est: *Fili hominis fode parietem, in humeris portaberis, in caligine efferaris, faciem tuam velabis, ut non videas terram.* Et dictum est sibi, quod hoc significabat, quod princeps Juda, sc. Zedechias esset captivandus, excœcandusque, & in Babylonem captivus ducendus, & tamen eam non visurus, & ibi morituras.

Illud potest dici de homine mortuo. Iste enim de hoc sæculo ad aliud transmigrat: paries, id est, sepulchrum foditur, & in humeris portatur: in caligine mortis effertur, & sibi facies sudario operitur.

Vel dic de homine peccatore, qui per spem futuræ pœnitentiæ in infernum defertur; facies mentis suæ sudario, id est, amore mundanæ gloriæ involvitur; in caligine ignorantiæ, & peccati portatur, & per obstinationem penitùs excæcatur; ità quod terram, id est, mundum, & terrena bona, per quæ vehitur in Babylonem, id est, in infernum, ad quem captivus ducitur, videre per considerationem non dicitur; quia peccator, dum est in mundi prosperis, nunquam de talibus meditatur. Undè de anima peccatrice dicitur: Thren. 1. *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui.*

Petr. Berchor. super Ezechielem.

Capitulum decimum sextum. Textus. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis notas fac. G

Moralitatum Cap. VII.

DEscribit hic Ezechiel civitatem Hierusalem, vel Synagogam à Deo priùs dilectam, sed tandem idololatriâ damnatam, sub figura puellæ dicens; quod erat quædam puella, cujus radix & generatio fuerat de terra Chananæa, pater suus Amorrhæus, mater sua Cethea. Ista à principio quando nata est, non fuit à suo sanguine munda, nec aquâ lota, nec sale salita, nec præcisus umbilicus ejus, nec pannis involuta: Quidam tamen Dominus videns eam super faciem terræ projectam, sanguine infectam, & nudam, atque confusione repletam misertus est ejus, & quia jam ad mundum muliebrem venerat, & ubera ejus intumuerant, pilusque ejus germinaverat, ità quod jam amari poterat; expandit pallium super istam, & operuit ejus nuditatem, & jurato pacto ipsam accepit uxorem. Istam igitur aquâ lavit, sanguine mundavit, oleo unxit, discoloribus vestivit, hyacintho calceavit, byssò tinxit, subtilibus coloribus induit, ornamento ornavit, armillas in manibus dedit, torquem collo circumdedit, inaurem super os ejus posuit, circulos ejus auribus inseruit, & coronam decoris in capite ejus posuit, similam, mel, & oleum ad comedendum dedit, & sic pulcherrima facta fuit, ità quod nomen, & fama ipsius ad gentes pertransivit. Ipsam etiam vir suus auro, & argento ditavit, & bonis omnibus ampliavit. Sed ista fiduciam habens in decore suo, ingrata viro, qui tanta sibi dederat, & non recordata dierum adolescentiæ suæ, cum pluribus fornicata fuit; quos etiam de bonis, quæ sibi maritus dederat, ditavit, & quidquid pro ornatu suo acceperat, ad complacendum lenonibus convertit; quæ tandem publica meretrix facta est, nec tamen taliter satiata, se indifferenter exposuit omnibus. Quæ omnia videns vir suus, vestibus, & bonis concessis expoliavit, ipsamque adulteram, nudam, & confusam dimittens damnavit. Hæc igitur in manibus inimicorum suorum traditur, à quibus lapidatur, trucidatur, & comburitur, & ejus lupanar, quod sibi ædificaverat, destruitur, & sic suus vir de ea vindicatur.

Ista puella potest significare humanam naturam, cujus primus ortus, & generatio fuit de terra Chananæa; in quantum in campo Damasceno, qui est in Syria, quæ dudum fuit terra Chananæa, H fuit Adam secundùm Sanctos creatus, & natura humana sibi constituta. Pater suus Adam fuit Amorrhæus, id est, amarus: mater ejus Eva fuit Cethea, id est, confracta; quia pater, & mater, id est, Adam, & Eva confracti sunt tentatione, & amaricati sunt tribulatione. Ista igitur à principio nata est cum umbilico peccati originalis, cum sanguine carnalis libidinis, & delectationis, sine sale debitæ discretionis, & sine pannis honestæ conversationis. Sed pius Dominus, id est, Dei filius videns istam puellam, scilicet humanam naturam super faciem terræ jacentem, & à terrestri Paradiso projectam, & in tenebris per avaritiam implicatam, sanguine carnalitatis infectam, nudam virtutibus, & vitiorum confusione plenam, ad amandum tamen habilem, uberibus naturalis compassionis tumidam, & pilis cujusdam naturalis affectionis bonæ fœcundam, ipsam dilexit, & eam per incarnationem, & gratiam matrimonialiter sibi junxit, aquâ baptismi eam lavit, sanguine originalis peccati purgavit, & pallio fidei suæ ipsam operuit, & involvit. Undè Ruth. 3. *Extende pallium tuum, quia propinquus es, &c.* Istam etiam unxit oleo pietatis, vestivit discoloribus honestatis, calceavit etiam eam hyacintho, id est, amore cœlestis civitatis, tinxit byssò castitatis, & induit eam subtilibus innocentiæ, & intimioris puritatis, & ornavit eam ornamento totius sanctitatis. Undè Ps. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Isti igitur animæ seu etiam naturæ tali modo Deo per gratiam adjunctæ vel copulatæ, & à statu peccati misericorditer relevatæ in manibus armilla bonæ operationis traditur, collum elevationis suæ torque, id est, vinculo divinorum mandatorum cingitur, os locutionis suæ Inaure temperantiæ ornatur: auris sua circulo promptæ obedientiæ decoratur, & caput suum, id est, cor, coronâ, id est, vitiorum victoriâ insignitur. Undè Eccles. 45. *Corona aurea super caput ejus, &c.* Ista igitur tandem nutritur similâ sanctæ doctrinæ, & eruditionis, melle gratiæ, & devotionis, oleo charitatis, & dilectionis; ditatur auro sapientiæ, & argento eloquentis prædicationis; & sic efficitur decora, & pulchra, & pulchritudine totius moralis perfectionis famosa; & vulgata, per diffusionem suæ bonæ opinionis. Undè Cant. 1. *Pulchra es, & decora filia Hierusalem.* A Sed pro certo sæpè accidit, quod ista puella, scilicet anima de sua pulchritudine, & sua morali, & naturali perfectione superbit: & sic lenonibus, id est, Dæmonibus, mundo, & carni, per diversa peccata se tradit, & cum eis fornicans suum virum Christum deserit, & beneficiorum ejus oblita, cunctis indifferenter vitiis se exponit; quinimò donaria gratiarum naturalium, quæ à viro Deo suo acceperat, in usum peccatorum suorum, & in servitium mundi, carnis & Diaboli convertit, & sic se ipsam vilem, & abominabilem Deo facit. Quod videns Dominus, ipsam bonis

Digitized by Google

temporalibus, & naturalibus ſpoliat, & tortoribus infernalibus tradens, igni, & gladio mortis perpetuæ velut adulteram eam damnat; quia pro certo illud eſt verum, quod natura humana ſeu peccatrix anima ad ipſum Deum per incarnationem aſſumpta vel per pœnitentiam reſumpta, & ad morum pulchritudinem, & perfectionem reducta; quando gratiis ſibi factis malè utitur, ad æternum ſupplicium judicatur, & in inferno concremanda damnatur. Undè Ezech. 23. *Viri igitur iſti juſti ſunt: Hi judicabunt eas judicio.*

Vel dic, quod iſta puella eſt Eccleſia, quæ in principio fuit nuda per paupertatem, & per divitiarum tenuitatem, & per credentium paucitatem, fuit ſanguine plena per Martyrum pœnalitatem, ad terram projecta per contemptum, & adverſitatem, à fœcibus errorum non benè lota, nec ſale perfectæ ſapientiæ ſalita per fidei ſanctitatem, per hæreſum abſterſionem, & puritatem; veruntamen Dominus miſertus ejus, ipſam ab erroribus lavit, & purgavit, redditâ pace, ſanguinem Martyrum jam ab ea abſterſit, & eam priùs dejectam, jam mirabiliter dilatavit, & prædictis virtutibus adornavit, auroque & argento ditavit, gratiis, & ſcientiis, honore, & regimine ampliavit. Sed quid? Iſta videns ſe decoram, & proſperitate floridam, jam non ceſſat virum ſuum Chriſtum, & ejus ſervitium contemnere, quinimò jam videtur tempus adoleſcentiæ ſuæ; & paupertatem illam, quam habuit in principio, oblivioni tradidiſſe, & non ceſſat cum lenonibus, id eſt, cum mundo, carne, & Diabolo per vitia fornicari, & divitiis à Deo receptis ipſos oblectare, bonaque Eccleſiaſtica in uſus deputare Dæmonum; quia propter hoc videmus, quod Chriſtus iſtam tanquam adulteram jam reſpuit, veſtimentiſque bonorum terrenorum exuit eam, & in manibus tyrannorum eam tradidit, quæ ſcilicet ipſam lacerant tribulationibus, & B diverſis afflictionibus eam cremant. Nam quia Eccleſia bonis ſibi à Deo conceſſis malè utitur, juſto Dei judicio fit, ut à Principibus affligatur, ut ſic iſta, quæ primitivi ſui ſtatûs oblita, Deo pro tantis bonis ingrata extitit, cogatur de tribulationibus ad eum reverti, quem dereliquit.

Vel ſi vis, applica contra quaſdam mulieres, quæ quamvis de vili plebe quandoque aſſumantur, & ornamentis, divitiis, & delitiis impleantur, iſtæ tamen aliquoties fornicantur, & iſtæ comburi merentur.

Vel dic contra ingratos, qui de nihilo elevati, benefactorem ſuum deſerunt, & aliis ſe committunt; tempus priſtinæ paupertatis ſuæ obliviſcuntur, & bona ſibi conceſſa ab homine vel à Deo in uſus ſuperbiæ, & in offendiculum Creatoris ſui vel benefactoris expendunt, ſicut ad literam patet de multis, qui de vili ſtatu ad divitias pervenerunt.

Capitulum decimum ſeptimum. Textus. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, propone.

Moralitatum Cap. VIII.

Sicut ponit Ezechiel in præſenti c. quædam aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit in Libanum, tulit medullam cedri, & ſummitatem frondium ejus avulſit, & tranſportavit eam in urbem Chanaan in urbem negotiatorum.

Aquila iſta eſt Filius Dei, qui propter immenſitatem eſſentiæ fuit magnus, & plumis virtutum omnium fuit plenus. Iſte enim C venit ad Libanum hujus mundi, qui in cedro, id eſt, in Altiſſima Virgine tulit noſtræ humanitatis medullam, cujus frondes, id eſt, defectus avulſit, & abſtulit, & eandem ipſam in urbem negotiatorum, id eſt, in Paradiſum, quæ eſt urbs Sanctorum, in aſcenſione portavit.

Poſtquam aquila dicta medullam cedri in urbem negotiatorum tranſtulit; plantavit vineam ſuper aquas multas in terra bona; ut faciat fructum, & ſic crevit in vineam grandem; ità tamen, quod rami vineæ aquilam, quæ ipſam plantavit, reſpicere teneatur. Facta eſt igitur Vinea, & fructificavit, & emiſit propagines, ſed quædam alia aquila erat magnarum alarum, ad quam iſta vinea incepit reſpicere, & auxilium ab ea petere, propter quod aquila prima, quæ ipſam plantaverat, eam evulſit, & ventus urens ipſam arefecit, omnemque proſperitatem amiſit.

Sic verè hodie, & quotidiè, loquendo allegoricè, conſtat, quod vera aquila, id eſt, Dei Filius, poſtquam medullam cedri, id eſt, humanitatem noſtram acceperat, & in urbem negotiatorum (id eſt, in Paradiſum, ubi ſancti negotiatores, & mercatores, qui, ſcilicet, æterna pro terrenis mercari ſciverunt, commorantur) eam aſcendendo detulit; vineam Eccleſiæ ſuæ plantare voluit, & eam in terra bona, id eſt, in Fide Chriſtiana ſuper aquas, id eſt, ſuper fluvium gratiarum, & ſcientiarum fundavit. Iſta igitur crevit in vineam latam, & jam quaſi per totum ſæculum ſe diffudit, propagines, id eſt, fideles emiſit, & jam fructus divitiarum multarum acquiſivit. Undè dicitur Gen. 2. *Plantavit Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio.* Iſtud tamen verum eſt, quod rami hujus vineæ, id eſt, filii Eccleſiæ ſemper ad iſtam aquilam, ſcil. ad Deum tenebantur reſpicere, & per fidem, ſpem, & devotionem in ipſum oculos mentis figere, & ad eam totis affectibus anhelare. Undè Pſ. 120. *Ad te levavi oculos meos.* Sed iſta vinea cum ramis ſuis jam videtur Deum plantatorem ſuum Chriſtum deſpicere, & ad aliam aquilam huic inimicam, ſcil. ad mundum vel ad mundi Principes, & raptores, oculos mentis flectere, ab ipſis auxilium, & favorem implorare; quapropter fit, quod prima aquila, id eſt, Chriſtus iſtam vineam cum ramis, id eſt, Eccleſiam cum filiis ſuis deſpicit, & ipſam tyrannis, & hæreticis, mediante vento tribulationum, comburendam tradit; quia dum Eccleſia, & Eccleſiaſtici ſperare in Domino omiſerunt, & ad auxilium ſæcularium Principum confugerunt, ipſe Dominus ſuum retraxit auxilium, & contra eos venti tribulationum increverunt, ità quod proſperitatem, & gloriam perdiderunt. Igitur reſpiciamus primam aquilam, non ſecundam, & ſperemus in Domino, non in mundo Pſ. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in divitis ejus.* Ideò de tali vinea dicitur Pſ. 79. D *Vineam de Ægypto*, i.e. de gentilitate, & paupertate *tranſtuliſti, ejeciſti gentes, & plantaſti eam. Extendit palmites ſuos uſque ad mare.* Et ſequitur: *Ad quid deſtruxiſti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes prætergredientes viam? Exterminavit eam aper de ſylva, &c.*

Vel dic, quod talis vinea ſignificat ſortilegos, quos prima aquila, id eſt, Deus in Eccleſia, & fide plantavit, & quandoque in Eccleſiæ beneficiis; qui tamen poſtea cum altera aquila, id eſt, cum Diabolo ſe confœderant, & ab ipſa auxilium, & reſponſa poſtulant, qui, ſcil. in fine comburuntur, & damnantur.

Conſequenter Dominus promiſit ſe plantare aliquem ramum cedri ſuper montem excelſum, & quod faciet fructum, & fiet in cedrum magnam, ità quod volucres ſub ea habitabunt, & humiliabitur lignum ſublime, & exaltabitur lignum humile, ſiccabitur lignum viride, & frondeſcet lignum aridum.

Illud applica, quod Deus de uno modico ramo fecit quandoque magnam cedrum, id eſt, magnam, & honorabilem perſonam, & in monte excelſo alicujus dignitatis conſtituit eam, ità quod volucres, id eſt nobiles ſub ipſa commorantur, & ſic fit, quod Deus quotidiè facit ſiccare ſublimes, & virides, id eſt, ſuperbos, & carnales; exaltari verò & frondeſcere facit, per proſperitatis gloriam, humiles, & pauperes. Undè Luc. 1. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.*

Capitulum decimum nonum. Textus. Et tu fili hominis aſſume E planctum ſuper Principes Iſraël.

Moralitatum Cap. IX.

Quædam leæna tulit unum de leunculis, & leo factus eſt, & didicit capere prædam, & homines devorare, viduas facere, & civitates in deſertum ducere, ità quod deſolata eſt terra à facie rugitus ejus, & audierunt gentes, & non abſque vulneribus cœperunt eum: miſeruntque eum in carcerem, ne audiretur ampliùs vox ipſius ſuper montes, &c.

Talis leo ſignificat quoſdam malos Officiales, & perverſos, qui in principio ſunt leunculi, id eſt, parvi Ballivi vel Advocati, ut quia mater ipſorum, id eſt, Eccleſia vel Religio, civitas vel Prælatus, ipſos ad aliquod officium aſſumit, qui tandem lapſu temporis leones, id eſt, magis crudeles Tyranni efficiuntur; ità quod ab eis per rapinas homines devorantur, & civitates etiam deſertæ, & pauperes efficiuntur; ità quod rugitu horum pauperes totius patriæ deterrentur. Undè 1. Pet. 5. *Tanquam leo rapiens, & rugiens circumit, quærens, quem devoret, &c.* Sed finaliter querela gentium contra tales ſolet inſurgere, & poſt multa tribulationum vulnera quandoque procuratur, quod ipſe in carcerem vel in mortem, vel in indiſpoſitionem traditur, ità quod ex tunc vox minarum ſuarum ſuper montes, id eſt, in altis dignitatibus, & officiis ampliùs non auditur. Ità quotidiè videmus ad ſenſum in curiis Dominorum, ubi leones Conſiliarii ſeu Officiales crudeles finaliter deſtruuntur, & juſto Dei judicio *eadem menſurâ, quâ alios menſi fuerant, metiuntur.* Matth. 7.

Conſequenter dicitur ibi: *Mater tua quaſi vinea plantata in ſanguine, cujus fructus, & frondes ejus creverunt ex aquis multis, & factæ ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra dominantium, & exaltata eſt ſtatura ſua inter frondes, ſed tandem evulſa eſt in ira, in terramque projecta eſt, & ventus urens ſiccavit eam, arefactæ ſunt virgæ roboris ejus, & ignis comedit eam, ita quod non fuit ampliùs in eis virga*, id eſt, ſceptrum dominantium.

Talis vinea dicitur eſſe progenies tyrannorum, ipſorumque domus, imperium, & majeſtas, quæ ſcilicet, in ſanguine, id eſt, violentiâ eſt fundata, & cum effuſione ſanguinis introducta. Dato enim F quod iſti poſſint proſperari, & quod eorum domus videatur exaltari, & maximè reputari, virgæque ſolidæ, id eſt, homines fortes quandoque ſolent exindè generari, qui etiam aliis habebant ſceptro, & imperio dominari; finaliter tamen domus à Deo evellitur, & ità igne tribulationis arefcit, & conſumitur, quod nulla virga fortis, id eſt, nulla perſona nobilis, nullum ſceptrum dominantium, id eſt, nullus, qui habet dominium, invenitur

Digitized by Google

venitur in eis; quia breviter iſtud eſt verum, quod vinea, id eſt, domus vel civitas, vel juriſdictio, ſeu quæcunque Reſpublica, quæ à ſanguine crudelitatis, & rapina ſumpſit ortum, non ſolet diu ſtare, ſed finaliter areſcere, & perire; ſicut patet de Imperiis Gothorum, Vandalorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, & ſicut potiſſimè patet de domibus Italiæ tyrannorum, quia ſicut dicitur Iſaiæ 9. *Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, &c.*

Vel dic, quod vinea plantata in ſanguine eſt perſona Eccleſiaſtica, vel una cognatio vel congregatio, quæ affectu ſanguinis, & conſanguinitatis promovetur, quæ quamvis aliquando proſperentur, ità quod exindè virgæ ſolidæ, id eſt, perſonæ notabiles producantur: finaliter tamen deficiunt, areſcunt, & ſiccantur, ità quod nulla virga fortis, id eſt, nullus notabilis in eis reperitur. Ideò benè dicitur Mich. 3. *Væ, qui ædificatis Sion in ſanguinibus!*

Capitulum vigeſimum primum. Textus. Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Fili hominis, pone faciem tuam.

Moralitatum Cap. X.

DOminus minatur civitati Hieruſalem, quod ipſe educet gladium ſuum de vagina ſua ad omnem carnem. Gladium, dico, ſuum limatum, & exacutum, & irrevocabilem. *Gladius*, inquit, *meus ut ſplendeat, limatus eſt; ut cædat victimas, exacutus eſt;* præcepit quoque Dominus, *quod duplicetur gladius, aut tri-*
G *plicetur. Hic eſt*, inquit, *gladius occiſionis magnæ;* Sequitur. *Mucro evaginare ad occidendum.* Et dicit, *quod præ timore iſtius gladii tabeſcet omne cor, diſſolventur univerſæ manus, infirmabitur omnis ſpiritus: & per cuncta genua fluent aquæ.*

Talis gladius videtur eſſe mors. Iſte eſt gladius, qui eſt acutus ad penetrandum, & eſt limatus, & ſplendidus ad terrendum; iſte etiam gladius quandoque eſt duplex; in quantum occidit corpus, & animam; quandoque triplex, in quantum occidit animam, corpus, & famam. Iſte etiam irrevocabilis dicitur, quia poſtquam de vagina diſpoſitionis ſuæ ipſum Dominus immiſerit, irrevocabiliter illum, quem vult percutere, vulnerat. Et ideò iſte ad omnem carnem mittitur, quia omnis caro cum gladio iſto trucidatur, & propter hoc iſte gladius dicitur *magnæ occiſionis*, quia iſte eſt cauſa generalis omnis hominis interfectionis. Undè Deut. 32. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes.* Qui igitur iſtum gladium benè videt, & conſiderat, neceſſe eſt, quod cor ejus præ timore tabeſcat, & quod omnis ſpiritus ſuperbiæ refrænetur, & quod aquæ lachrymoſæ compunctionis per genua humilitatis fluere cenſeantur.

Vel dic, quod tales gladii ſunt Tyranni, qui ſunt exacuti ad pungitivè rapiendum, & ad occidendum per crudelitatem, ſplendidi ad pomparicè incedendum per proſperitatem. Sunt irrevocabiles per obſtinationis, & mali ſui propoſiti firmitatem, quia, ſcilicet, iſti per ſævitiam ſunt acuti, per inanem gloriam ſunt ſplendidi, per præcipitationem, & fatuitatem irrevocabiles poſſunt dici. Nullo enim timore Dei, vel nullo amore proximi, vel nullo conſilio alicujus boni viri à ſuâ malitiâ revocari poſſunt. Iſtos igitur Diabolus de vagina ſuæ iniquitatis evaginat, & per eos juſtos dilacerat, & detruncat, & diverſis tribulationibus eos turbat, quapropter omne cor, & omnis ſpiritus meritò metuit, & formidat.

Vel dic, quod gladius eſt lingua detractionis, Pſalm. 56. *Lingua eorum eſt gladius acutus.* Quæ limatur ornatè loquendo, ſplendet adulatoria inferendo; & eſt irrevocabilis, vix aut nunquam famam, quam abſtulit, reſtituendo, & ideò iſte gladius dicitur duplicatus, in quantum detractor plures ſimul interficit obloquendo,
H quia ipſe lædit ſe, & illum, quem diffamat, & eum, quem auſcultat. Undè Hugo lib. 2. de anima volens oſtendere, quod dicitur lingua à lædendo, à lingendo, vel ligando, & à lambendo, dicit ſic, quod lingua dicitur; quia lingit adulando, mordet detrahendo, occidit incidendo, ligat, & ligari non poteſt; labitur, & teneri nequit; labitur ut anguilla, penetrat ut ſagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, ſeminat diſcordias, & multos interficit uno ictu, blanda eſt, ſubdola, & lata, & parata ad miſcenda mala, & extrahenda bona. Undè Prov. 21. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Prov. 18. *Quoniam mors, & vita in manu linguæ.* Bernardus etiam in quodam ſermone dicit: *Quod verbum leviter profertur, ſed non leviter revocatur.*

Capitulum vigeſimum tertium. Textus. Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Fili hominis, duæ mulieres.

Moralitatum Cap. XI.

OOlla, & Ooliba fuerunt duæ mulieres, filiæ matris unius, ſicut figurat hic Propheta de civitatibus Hieruſalem, & Samariæ, & fuerunt impudiciſſimæ meretrices; ità quod prima Oolla primò inſanivit libidine in Aſſyrios amatores ſuos, veſtitos hyacintho, Principes, & aſcenſores equorum, & juvenes cupidinis; ſed finaliter iſti amatores ſui occiderunt eam, & diſcooperuerunt ignominiam ejus. Quod cum vidiſſet ſoror ejus Ooliba, magis ad A hæc inſanivit libidine; quia videns imagines Chaldæorum depictas in parietibus, expreſſas coloribus, accinctos baltheis renes, & tiaras in capitibus, ad ſimilitudinem filiorum Babyloniis, inſanivit libidine, & miſit pro eis nuncios in patriam ſuam, ut dormirent cum eadem; quapropter factum eſt, quod ipſi ſui amatores, ipſam nudam ſpoliaverunt, & veſtimenta ejus tulerunt, naſum ejus, & aures præſciderunt, & quæ reliqua fuerant, gladio conciderunt.

Iſtud poteſt allegari contra malas mulieres, quia dato, quod aliqua videat, quod ſoror ipſius, vel vicina fuerit ex hoc diffamata, depauperata, & ſpiritualiter interfecta; ipſa tamen fieri libidinoſa propter hoc non omittit, imò comptos, & etiam pictos juvenes diligit, quapropter nuda, & pauper remanet, & vitam famæ, & gloriæ indè perdit.

Vel dic, quod tales malæ mulieres ſunt animæ peccatrices, quæ ab iſta matre videntur conceptæ, & ab iſto patre primogenitæ, vel creatæ. Iſtæ enim cum Aſſyriis, id eſt, cum adverſariis ſuis, id eſt, mundo, carne vel Diabolo fornicari videntur; in quantum in eorum ſuggeſtionibus, pompis, & proſperitatibus delectantur, ità quod cum ipſis per diverſa vitia fornicantur. Fit autem, quod amatores ſui, mundus, caro, & Dæmonia, qui ipſas nunc amare ſe ſimulant, iſtas veſtibus virtutum ſpoliant, naſo devotionis, & auribus, id eſt, auditu verbi Dei eas privant; & ſic damnationis gladio eas finaliter truncant. Et dato, quod iſta prima pereat in oculis aliarum, aliæ tamen ſe propter hoc non caſtigant, imò ad idem una, exemplo alterius, magis perambulat, & declinat ſupplicium.

Vel dic, quod tales ſunt malæ religioſæ perſonæ, quæ dato, quod gloriam mundanorum appetentes, cum ipſis quandoque per apoſtaſiam fornicantur, ità quod indè etiam ad periculum, & carcerem deducuntur; alii tamen nequaquam propter hoc caſtigantur, imò ad eundem caſum currere quotidiè comprobantur.

Capitulum vigeſimum ſeptimum. Textus. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Tu ergo fili hominis aſſume.

Moralitatum Cap. XII.

B

MIrabilem figuram unius navis videtur hic deſcribere Prophetа comparans civitatem Tyri navi, pro eo quod in mari ſedebat, & multa navigia poſſidebat. Iſti igitur navi ſeu civitati ſic loquitur: *O Tyre, tu dicis, perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita, finitimi tui, qui ædificaverunt te, impleverunt decorem tuum, abietibus de Sanir extruxerunt te, cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum, quercus de Baſan dolaverunt ad remos tuos, tranſtra tua fecerunt tibi de ebore Indico: Prætoriola tua de inſulis Italiæ. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, ut poneretur in malo. Hyacinthus, & purpura de inſulis Eliſa facta ſunt operimentum tuum.*

Per iſtam civitatem, quæ navi comparatur, intelligitur Eccleſia militans, quæ dicitur Tyrus, quæ interpretatur anguſtia, propterea quod ſemper iſta in tribulationibus, & anguſtiis vivit, & more navis in fluctibus amaricationum ſemper ſiſtit. Undè Prov. 31. *Facta eſt quaſi navis inſtitoris.* Abietes, quæ ſunt arbores leviſſimæ, ſunt pauperes, qui fuerunt primitivæ Eccleſiæ fundatores, qui de Sanir (quod interpretatur Deus luminis) eſſe dicuntur, pro eo, quod ipſi fundatores Eccleſiæ à Patre luminum conſtituti noſcuntur, qui etiam fuiſſe luminoſi, & ſcientifici eſſe comprobantur. Undè Jac. 1. *Deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Cedrus arbor altiſſima ſignificat Prælatum, qui in dignitate, & ſtatu cæteris eſſe altior, & in contemplationis celſitudine debet aliis eſſe major, qui etiam de Libano (quæ interpretatur candor) eſſe dicitur, pro eo quod Prælatus candidatus per caſtitatem eſſe tenetur. Undè Cant. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Iſte igitur fit Malus in navi Eccleſiæ erecta, quando ad Prælationis dignitatem aſſumitur; quia pro certo de cedris, id eſt, de altis contemplativis, & perfectis perſonis debet malus navis, id eſt, Prælatus Eccleſiæ fieri, & ad Prælaturæ officium elevari, Pſ. 91. *Juſtus ut palma florebit.* Quercus arbor duriſſima, & C fortiſſima ſignificat Martyres, qui fortes, & ſolidi extiterunt, qui ſc. de Baſan (quod interpretatur ſiccitas) fuerunt dicti, pro eo, quod

Digitized by Google

fuerunt præmis, & abſtinentiis deſiccati, Zach. 11. *Ululate quercus Baſan.* Igitur ità remi Eccleſiæ facti ſunt, in quantum ipſam ad portam Paradiſi ducunt. Veruntamen iſti per Martyria fuerunt dolati, & à cunctis ſuperfluitatibus per gladios detruncati. Tranſtra iſtius navis ſignificant Confeſſores, qui de ebore Indico dicuntur eſſe pro eo, quod iſti caſtitatis candore præ cunctis viſi ſunt floruiſſe. Prætoriola verò, id eſt, apothecæ, Doctores ſignificant, qui aromata ſcientiarum in ſe reponunt, & de inſulis Italiæ (quæ interpretatur mens excedens) dicuntur eſſe, pro eo, quod per profunditatem ſcientiæ humanam indaginem excedunt. Byſſus verò, quæ eſt linum candidiſſimum, puritatem deſignat conſcientiæ. Hyacinthus, cujus color eſt cœleſtis, ſignificat converſationem ſpiritualis, & cœleſtis apparentiæ; purpura verò deſignat ruborem & ardorem charitatis, & amicitiæ; quia ſcilicet, velum, id eſt, conſcientiæ ſecretum de Byſſo, id eſt, puriſſimum, & mundiſſimum eſſe debet; operimentum verò exterioris converſationis debet eſſe per charitatem purpureum, & per cœleſtem vitam, & apparentiam hyacinthinum, Hier. 10. *Hyacinthus, & purpura indumentum eorum.*

Dico igitur, quod navis vel civitas Eccleſiæ facta eſt, de abietibus de Sanir, id eſt, de pauperibus luminoſis, & à Patre luminum per gratiam illuminatis. Mali etiam, id eſt, Prælati ipſius facti ſunt de cedris Libani, id eſt, perſonis in Deum elevatis, & velo byſſino, id eſt, puritate conſcientiæ decoratis. Quercus etiam de Baſan, id eſt, perſonæ fortes, & conſtantes, ſiccæ, & abſtinentes, ſcilicet, Martyres; tranſtra eborea, id eſt, caſti Confeſſores; Prætoriola de Inſulis Italiæ, id eſt, Doctores, mente alios excedentes decorem ipſius compleverunt; hyacinthuſque cœleſtis apparentiæ; purpura verò patientiæ ſibi operimentum charitatis dederunt. Sic igitur potuit antiquitus dicere navis iſta. *Perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita*, id eſt, in plenitudine omnium bonorum ſpiritualium collocata. Iſti igitur tunc temporis poterat dici illud, Hier. 16. *Similam, mel, & oleum comediſti, & decora facta es.*

Poſtquam Ezechiel deſcripſit civitatem in ſimilitudinem navis, incepit dicere de divitiis, & gloria iſtius civitatis. Et ponit quomodò ad nundinas ejus diverſæ gentes de diverſis mundi partibus ducunt diverſa mirabilia, & mercimonia; quæ repleta eſt, & glorificata nimis in corde maris, ſed iſtius finis fuit interitus. Undè ſibi dicitur: *In aquis multis adduxerunt te remiges tui, ventus auſtri contrivit te in corde maris, divitiæ tuæ, theſauri tui, inſtrumentum tuum, nautæ tui, & gubernatores, qui tenebant ſuppellectilem tuam, & populo tuo præerant, viri bellatores tui cum univerſa multitudine tua cadent in corde maris. Nunc contrita es à mari; in profundis aquarum opes tuæ: ſibilaverunt ſuper te negotiatores populorum. Ad nihilum deducta es, & non eris in perpetuum.*

Illud poteſt applicari contra mundanam religionem, vel Eccleſiam, quæ ſcilicet, in principio fuit navis ſalutifera, modò, quo ſupra dictum eſt, fabricata. Iſta enim antiquitus habebat nundinas ſpirituales, in quibus ſpiritualia pro terrenis dabat, & ſic ſanctos negotiatores bonis cœleſtibus ditabat. Et ideò antiquitus populi ſæculares ad iſtam per devotionem confluxerunt, mercimonia ſua ſcilicet redditus, & poſſeſſiones attulerunt, & eam ſummis opibus ditaverunt; nunc verò ad alias novas nundinas (ſcilicet, ubi dantur ſpiritualia pro terrenis, beneficia pro pecuniis, alta officia pro carnalibus amicitiis) jam quaſi totus mundus incepit confluere; mercimonia munerum, precum, & adulationum offerre; ità quod jam conſtat Eccleſiam divitiis, opulentiis plenam eſſe, atque pompis, & ſuperbiis laſcivire. Sed pro certo timendum eſt, ne ventus auſtri, id eſt, proſperitas ſua ipſam conterat, & in mare tribulationum, & amaricationum ſubvertat. Jam enim videmus, quod divitiæ, theſauri, & multiplex inſtrumentum incipiunt ab Eccleſia deficere, nautæ, & gubernatores, qui præſunt ſuo populo, id eſt, Prælati, bellatores, ſcilicet prædicatores, & viri juſti jam incipiunt cadere. Sicut ceciderunt à virtute morali: ità etiam videmus eos à proſperitate temporali ità continuè declinare; quia juſto Dei judicio fit, quod qui propter temporalia Deum voluerunt deſerere, etiam ipſam gloriam temporalem compellantur amittere; quapropter jam cernimus, quod opes temporales jam ceſſant, quodque iſta navis Eccleſiæ ad nihilum deducitur, negotiatoreſque, id eſt, ſæculares jam eam contemnendo ſuper ipſam ſibilant, & inſultant. Undè Iſa. 2. *Repleta eſt terra ejus idolis.* Et ſequitur: *Quod dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & arrogantem, & humiliabitur, &c.* Quia breviter, poſtquam terra, id eſt, Eccleſia incæpit repleri auro, & argento, divitiis; ſtatim repleta eſt equis, id eſt, viris luxurioſis, & ſuperbis; & idolis, id eſt, viris ignorantibus, & pigris; quapropter jam incipit Dominus ſuper ſuperbos, & arrogantes clericos viſitare, & ipſorum ſuperbiam humiliare. Undè illud Iſa. 32. *Humilitate humiliabitur civitas.*

Vel ſi vis, dic contra mundi magiſtros, ſtatus, & contra magna mundi Imperia, quale fuit Imperium Græcorum, Perſarum, Chaldæorum, Pœnorum, Romanorum, & contra ſuperbas ſæculi civitates, qualis Babylon, Ninive, Carthago, Troja, & ſimiles; vel contra ipſos mundi ſuperbos Dominos, & Tyrannos, qualis fuit Nabuchodonoſor, Cyrus, Alexander, Julius Cæſar, & alii, qui mundum per violentiam oppreſſerunt, & qui ſumma proſperitate floruerunt; nautas, naves, & bellatores ad ſubjugandos populos habuerunt; ità quod à cunctis partibus populi mercimonia, id eſt, tributa, & munera detulerint: quos tamen cum regnis, & imperiis ſuis, per violentiam acquiſitis, ventus auſter, id eſt, flatus fortunæ ſubvertit in mare, id eſt, in paupertatem ſubmerſit, & ad nihilum compulit, & redegit, Pſalm. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum ſicut cedros Libani, &c.*

Capitulum vigeſimum octavum. Textus. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili.

Moralitatum Cap. XIII.

IN perſona, & figurâ primi Angeli Propheta pulchrè reprehendit Principem Tyri, qui de ſua ſapientia ſuperbiebat, dicens: *ſic elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & non homo, & in cathedra Dei ſedi, in corde maris; cum ſis homo, & non Deus, & poſuiſti cor tuum quaſi cor Dei. Ecce ſapientior es tu Daniele, & omne ſecretum non eſt abſconditum à te, in ſapientia tua, & potentia tua feciſti tibi fortitudinem, & acquiſiviſti aurum, & argentum in theſauris tuis, in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem, propterea, quod elevatum eſt cor tuum quaſi Dei; ecce ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentium, & nudabunt gladios ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum, & interficient te: in interitu occiſorum morieris in corde maris, &c.*

Iſta poſſunt applicari contra mundi ſapientes, & advocatos, qui præ cæteris habent cor altum, & elevatum. Videntur enim dicere ſe Deos eſſe, & non homines; in quantum aliquid ultra alios homines ſapiunt; & in quantum omne ſecretum diverſarum quæſtionum diſſolvere prætendunt; etiam quod Danieli, id eſt, cuicunque ſancto viro vel Theologo in ſapientia ſe præponunt, & in cathedra Dei ſediſſe, id eſt, in ſtudiis docuiſſe, vel in judiciis, vel in officiis pro tribunali jura reddidiſſe ſe dicunt. Igitur iſti cor ſuum quaſi cor Dei videntur ponere, in quantum ſe aliis noſcuntur præferre, & de ſcientia ſuperbire. Undè 1. Cor. 8. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Quid igitur? Pro certo iſti in ſua ſapientia, id eſt, in conſiliis, judiciis, advocationibus, ſeſſionibus acquirunt fortitudinem temporalem, multiplicant theſauros, & divitias infinitas, & in negotiatione uſurarum, & mercimoniorum, quæ alii aliquando exercent, dilatant, multiplicant bona ſua, & acquirunt fortitudinem potentiæ ſæcularis. Ità quod, ſicut videmus, pauci ſunt, qui talium reſiſtunt hodiè poteſtati. Hier. 4. *Sapientes enim ſunt, ut faciant mala, benè autem facere neſcierunt.* Sed Deus tradet tales finaliter in manu robuſtiſſimarum gentium, ſcilicet, Dæmonum, qui gladiis infirmitatum, & tribulationum, qui ipſos acuunt, pulchritudinem ſuæ ſapientiæ polluunt, decoremque ſuæ temporalis gloriæ deſtruunt, & per mortem temporalem eos quandoque ſubitò interficiunt, & in corde maris, id eſt, in inferno per æternam damnationem occidunt. Iſtis igitur dicitur illud Iſaiæ 47. *ſapientia tua, & ſcientia tua decepit te, & dixiſti: Ego ſum, & præter me non eſt altera, & veniet ſupra te malum, & non ſcies ortum ejus, & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare.*

Propheta loquitur ibidem de primo Angelo dicens: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, ac perfectus decore, in delitiis Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topaſius, jaſpis, chryſolitus, onyx, & beryllus, ſaphyrus, carbunculus, & ſmaragdus, aurum opus decoris tui. Tu Cherub extentus, & protegens, poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti, & es perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ.*

Iſta poſſunt exponi de quolibet viro juſto, & maximè Eccleſiaſtico, vel Prælato; quia talis debet eſſe ſignaculum ſimilitudinis per Dei, & Sanctorum imitationem. Plenus ſapientiâ per ſpiritualem diſcretionem. Perfectus decore per honeſtam converſationem. In delitiis Paradiſi eſſe per affectionem, & per contemplationem. Omnium lapidum pretioſorum operimentum habere per omnium virtutum adeptionem; quia in operimento perfectionis ſuæ debet relucere Sardius; qui timorem pellit, & facit audacem, id eſt, ſpei virtus, & ſoliditas. Topaſius, qui lunam ſequitur, id eſt, obedientiæ, & imitationis bonorum conformitas. Jaſpis, qui oculos clarificat, id eſt, fidei ſplendor, & luciditas. Chryſolitus, qui Dæmones terret, id eſt, humilitas. Onyx, qui oculos facit tremulos, id eſt, Dei timor, & ſua conſiderata ſeveritas. Beryllus, qui litibus præeſt, id eſt, patientia, & benignitas. Saphyrus, qui diſcordes reconciliat, id eſt, perfectus amor, & charitas. Carbunculus, qui ſummè emicat, id eſt, diſcretio, ſapientia, & ſagacitas. Smaragdus, qui viſum recreat, id eſt, bona converſatio, & honeſtas. Aurum etiam, quod ſummè ponderat, debet eſſe opus decoris ſui, id eſt, morum gravitas, & maturitas. Iſta enim omnia debent eſſe operimentum boni Prælati, veſtis, tegimen cujuslibet Eccleſiaſtici, vel etiam viri juſti, ut ſic dicatur illud Eccleſ. 50. *Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo.* Iſte inſuper debet eſſe Cherub, id eſt, vir Angelicus, qui interpretatur plenus ſcientiâ, propter ſcripturæ, fidei, & ſcientiæ eruditionem. Debet eſſe extentus ad alios per libera-

Digitized by Google

liberalitatem,& compassionem. Debet esse protegens per pauperum adjutorium, & defensionem. In monte etiam sancto Dei positus est, id est, in alto officio, dignitate, & beneficio. Debet esse in medio lapidum ignitorum, id est, in medio bonorum consiliatorum charitate ardentium, per bonam societatis frequentationem, & sic à die conditionis suæ, id est, à die juventutis, vel promotionis debet esse perfectus in viis suis per sanctitatis professionem; quia pro certo, qui præmissa omnia habuerit, perfectus non immeritò dici poterit. Ità quod de illo dici poterit illud Eccles. 31. *Probatus in illo, & perfectus inventus, & erit illi gloria aterna.*

Consequenter loquitur ibidem Propheta, quod Cherub, qui fuerat in monte sancto Dei, & delitiis Paradisi, perfectus scientiâ, & decore, quod propter negotiationes etiam, quibus se immiscuerat, perdidit omnia sua. Dicit igitur sibi sic: *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, ejeci te de monte sancto meo, & perdidi te, ô Cherub, & prodiens de medio lapidum ignitorum, elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti* A *sapientiam tuam in multitudine iniquitatum tuarum, polluisti sanctificationem tuam. Producam igitur ignem de medio tui, & dabo te in cinerem super terram, in conspectu omnium videntium te, nihil factus es, & non eris in perpetuum.*

Ista possunt applicari contra Religiosos, & Ecclesiasticos negotiatores, vel negotiorum sæculi tractatores, vel curiarum Principum sectatores; quia procul dubio multi sunt hodiè in monte sancto Dei, id est, in Ecclesia, & in delitiis Paradisi, id est, in Religione, qui licet sint pleni sapientiâ, & perfecti decore, id est, honestæ conversationis decentiâ, in mundi tamen negotiis se immergunt, & in rebus sæcularibus se delectant; quapropter sæpè fit, quod interiora mentis suæ iniquitate replent. Isti igitur sunt, qui in decore suo, id est, in gratiis sibi à Deo collatis cor suum elevant, & superbiunt, sed sic, relaxante Domino manum suam, sanctificationem gratiæ suæ, & ubicunq; discretionem, & sapientiam perdunt. Tales igitur de monte sancto, id est, de statu sanctitatis ejiciuntur, per diversa peccata perduntur, & igne diversarum concupiscentiarum uruntur, & finaliter nihil reputantur, Psalm. 57. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Quod potissimè de Clericis mercatoribus, usurariis, & simoniacis potest dici: qui scilicet, malis, & inhonestis contractibus, & usurariis, & simoniacis pactionibus in Religione, & Ecclesia indecenter utuntur, non advertentes, quod vendentes, & ementes Dominus de templo ejecit. Undè Joan. 2. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Utinam ergo tales negotiatores de monte sancto Dei fuissent ejecti, & à statu Ecclesiastico destituti.

Capitulum vigesimum nonum. Textus. In Anno decimo decimo mense, una die mensis.

Moralitatum Cap. XIV.

Loquitur Dominus Pharaoni regi Ægypti sub figura unius draconis in fluminibus quiescentis dicens sic: *Ecce ego ad te ô Pharao rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluvio-* B *rum, & dicis: Meus est fluvius, & ego feci memetipsum, & ponam frænum in maxillis tuis, adhærere faciam pisces fluviorum squamis tuis, & extraham te de fluminibus tuis, & projiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui super faciem terræ cadent, bestiis terræ, & volatilibus cœli dedi te ad devorandum.*

Tales dracones videntur esse multi Ecclesiastici mali, vel mundi divites, & avari, vel mali Principes, & Prælati, qui dracones dicuntur, eò quod per avaritiam, rapinam vel sævitiam inflammantur. Hi sunt igitur, qui cubant in fluminibus delitiarum. Hi sunt, quibus adhærent multi pisces, id est, multitudo malorum familiarium, nepotum, consanguineorum, & compatriotarum. Hi sunt, qui bonum, quod habent, non attribuunt Deo, imò seipsos se fecisse, & suâ industriâ statum suum acquisivisse dicunt, ad laudem virtutum propriarum; quia pro certo tales solet Dominus fræno mortis infrænare, & eos in desertum, id est, in infernum projicere, & pisces suos sibi adhærentes, id est, malam suam sequelam, & parentelam cum ipso perdere, & à statu prosperitatis ejicere, & bestiis, id est, Tyrannis, qui bona ipsius mortui diripiunt, & volatilibus, id est, Dæmonibus, qui animam rapiunt, finaliter ipsos dare. Constat enim, quod dum tales maligni justo Dei judicio de fluminibus delitiarum, & à statu prosperitatis cadunt; pisces sibi adhærentes, id est, ipsorum consanguinei, & familiares, qui scilicet, propter eos in honore C fuerant, pariter corruunt, & pereunt. Zach. 13. *Percusso enim pastore disperguntur oves gregis.* Dracones etiam, id est, sitibundi divites, postquam diu fuerunt in fluminibus delitiarum; justum est, quod extrahuntur ad desertum miseriarum, & maximè illi, qui dicunt, quod ipsi fecerunt semetipsos, id est, illi, qui bona sua non Deo, sed propriæ industriæ attribuunt; ipsumque Deum quamplurimùm offendunt, quapropter de fluminibus devotionis, quantum ad animam, vel de fluminibus delitiarum, quantum ad corpus, merentur extrahi, & in desertum peccati vel miseriæ relegari. Verè enim illi, qui bona sua spiritualia sibi attribuunt, meritò labi in diversa vitia permittuntur. Illi verò, qui bona sua temporalia ad Dei gratiam non referunt, ad desertum paupertatis meritò devolvuntur. Undè Gregorius dicit: *Quod conditoris dispensatione agitur; quod de se confidens anima tentationis jaculo feriatur, ut infirma quod sit, inveniatur, & fastum superbiæ prætermittat.*

Hic etiã fit mentio de baculo arundineo Ægypti, de quo etiã habetur 4. Reg. 18. & Isa. 36. Ægyptus enim *baculo arundineo* cõparatur, qui nullam soliditatem habens, cum se ei inniti homo voluerit, protinus frangitur, & cassatur. Apparet enim esse fortis, & solidus. Veruntamen, si desuper innixus fueris, onus impositum non sustinet, cum sit intus vacuus, & inanis. Tales sunt falsi amici, qui exteriùs videntur splendidi, & per promissam fidelitatem solidi, quos tamen si quis probaverit vel in aliquo necessitatis articulo eis inniti, & in eis confidere voluerit, vel onus alicujus laboris sustinendi ipsis imposuerit, statim ipsum per impatientiam, & infidelitatem fractum videbit. Ità quod illud, quod promittere videbatur, scilicet fidelitatem, non faciet, nec tenebit. Soliditatem enim, & stabilitatem habet solummodò exteriùs in apparentia, vacuus autem est, & insolidus interiùs in conscientia, quia scilicet, iste fidelitatem habet in ore, nunquam in opere, vel in corde, Isa. 36. *Ecce confidis super baculum istum arundineum confractum super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, confringetur, & perforabit manum ejus. Sic & Pharao omnibus confidentibus in eum.*

Vel dic, quod iste baculus significat prosperitatem mundanam, D mundum, corpus, vel vitam temporalem vel Diabolum. Ista enim omnia licet videantur solida, sunt tamen fragilia atque fluida; quia ubi quis diutiùs sperat vivere, vel in prosperitate gaudere; ibi baculus iste sibi per mortem, vel infortunium citiùs frangitur, & eo magis cernitur variari.

Capitulum trigesimum primum. Textus. Et factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis.

Moralitatum Cap. XV.

Assur regem superbissimum Ezechiel comparat cedro, dicens sic: *Ecce Assur,* inquit, *quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, & inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus; atque nutrierunt illum, abyssus exaltavit eum, flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, rivos suos emisit ad universa ligna nemoris, propterea elevata est altitudo ejus, multiplicata sunt arbusta ejus, & elevati sunt rami ejus præ aquis multis. In ramis ejus fecerunt nidos volatilia cœli, sub frondibus ejus habitabant omnes bestiæ saltuum, & sub umbra habitabant cœtus gentium plurimarum; cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, abietes verò non fuerunt æquatæ frondibus ejus. Omne lignum Paradisi non erat assimilatum ei, & pulchritudini ejus, quapropter æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ sunt in Paradiso.* Sed quid? Pro certo Dominus dicit. *Pro eo, quod elevatum est cor ejus in altitudine sua; traditus est in manibus fortissimi gentium, & succident eum crudelissimi nationum. Confringentur arbusta ejus, & recedent de umbra ejus populi terræ.* Et sic dicitur, quod *deductus est cum lignis voluptatis ad terram ultimam, cum descendentibus ad infernum, & ad interfectos gladio; & consolata sunt super eum omnia ligna.*

Per talem cedrum intelligo mundi divites, & superbos in digni- E tatibus, & officiis constitutos, ut sunt ad literam aliqui mali Sæculares vel Clerici in Prælatorum, vel in Principum officiis elevati. Ps. 36. *Vidi impium superelevatum, & exaltatum sicut cedros Libani, &c.* Quia isti hodiè in Libano hujus mundi per prosperitatem sunt pulchri; frondibus, id est, diversis possessionibus sunt nemorosi; dignitatibus, & officiis sunt elevati; & excelsi; & etiam inter frondes, hoc est inter alitos, & Magnates, & divites præ aliis sũt exaltati; ità quod in Paradiso, & in Ecclesia vel patria pauca sunt ligna, quæ eis in gloria assimilentur; ità quod ipsi abietes, & platani, id est, ipsi divites, antiqui nobiles, excelsi milites, Principes, vel Prælati ipsorum mundanæ prosperitati, & gloriæ nullatenùs adæquentur. Sicut ad literam videmus de multis Advocatis, & officialibus regiis, & similibus, qui in mundana gloria magnos nobiles antecedunt, quia hodiè quasi totus honos, & prosperitas sæculi ad istos est devoluta. Isaiæ 60. *Gloria Libani ad te veniet, decor Carmeli, & Saron.* Et breviter altitudo sui status super alios elevatur; arbusta etiam eorum, id est, familiares, & compatriotæ, propter eos ad officia vel beneficia elevantur, volucres cœli, id est, nobiles non dedignantur nidificare, id est, moram contrahere apud ipsos. Daniel. 4. *Erant subtus eam habitantes bestiæ terræ, & in ramis ejus commorantes aves cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Ratio autem istorum est, quia aquæ divitiarum nutrierunt istos, & abyssus, id est, Diabolus exaltavit eos; & flumina diversarum pensionum, & lucrorum irrigaverunt istos; quapropter non mirum, si contingit ipsos esse magnificatos, & excelsos. Sed quia isti de tanta sua altitudine, & sublimitate se erigunt in superbiam, & cor eorum per inanem gloriam exaltatur, ideò finaliter in manus crudelium, id est, Dæmonum traduntur; ità quod quandoque fit, quod temporaliter per infortu-

Digitized by Google

fortunia succidantur, & quod arbusta eorum, id est, improbi familiares,& filii,qui per eos exaltati,& promoti fuerant,temporaliter confringuntur,& bestiæ, id est, simplices subditi de umbra sui dominii liberantur, ipsisque obedire amplius non dignantur. Isti etiam ad locum inferni vel terram infimam paupertatis deducuntur; ita quod ligna terræ infima, id est, pauperes, quos depresserant, de casu ipsorum non modicum consolantur, dicentes illud Isai. 14. *Quomodò cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris; corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, & tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis factus es.*

Vel dic, quod ista arbor est Ecclesia, quæ propter flumina donorum Spiritus S. quæ eam vegetarunt, & propter abyssum æternæ ordinationis, & aquas divinæ gratiæ, & devotionis, quæ eam nutrierunt, ità est hodiè exaltata divitiis, & potentiis dilatata, quod cedri,abietes, & platani,id est, mundi alti Principes,Divites,& Domini, sibi nullatenùs adæquantur, alia etiam ligna Paradisi, id est, aliæ sectæ, quæ fuerunt,scilicet Lex naturæ, & secta etiam Legis scriptæ sibi nullatenùs comparantur: undè jam factum est, quod in ramis suorum officiorum,volucres cœli, id est,mundi nobiles gaudent nidificare; bestiæ verò, & populi, inferiores simplices subditi sub umbra fidei suæ lætantur habitare; verùm quia ista arbor de tanta sui sublimitate, & prosperitate est in superbiam erecta, & cor ejus quamplurimùm elevatum; jam paulatim in manus crudelissimorum,id est,Principum, & Tyrannorum traditur, atque arbusta ejus, id est,personæ Ecclesiasticæ franguntur,& suppeditantur. Aves, id est, nobiles,subesse Ecclesiæ, maximè in temporalibus,dedignantur. Ideò de sub ipsis,id est,jurisdictione ejus effugere probantur, populi etiam, id est, fideles ad alienas sectas quotidiè fugiunt; & per schismata umbram Ecclesiæ derelinquunt; ità quod jam gladius, id est, tribulationibus Tyrannorum taliter est truncata, quod jam ad terram ultimam, id est,ad miseriam est deducta. Undè Thren. 1. *Facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.*

Vel dic, quod talis cedrus est vir contemplativus & altus, qui aquis devotionis nutritur,fluminibus Spiritus Sancti rigatur, & sic ad perfectionis altitudinem exaltatur; ità quod abietum, & platanorum, id est, mundanorum sapientum nulla sibi sublimitas adæquatur; ligna etiam Paradisi, id est, alii fideles sibi nullatenùs comparantur. In ramis enim suarum affectionum nidificant aves, id est, Angeli per delectationem; sub umbra suorum exemplorum habitant bestiæ,& populi,id est,homines simplices, & ignari per imitationem. Veruntamen quando ex tali sanctitate cor eorum per præsumptionem, & inanem gloriam elevatur; sæpè fit, quod relaxante Domino manum suam, in manus crudelium, id est, Dæmonum per peccata cadere permittuntur,& finaliter ad infernum,& ad terram ultimam deducuntur, Isa.14. *Detracta est usque ad inferos superbia tua.* Benè igitur consulitur ab Apóst. 1. Cor. 10. *Qui stat, videat, ne cadat.*

Prætermitto figuram de morte,& de destructione illarum nationum,quæ ponitur Ezech. 32. Ubi dicitur: *Ibi Mosoch, ibi Thubal, ibi Elam,* & sic de aliis; quia ipsam alibi recolo me dixisse. De conditionibus etiam boni pastoris,& mali pastoris, quæ ponuntur hic, cap. 33. nihil hic pono,quia omnia ista non videntur posita narrativè, sed potiùs literaliter, & ordinativè.

Capitulum trigesimum septimum. Textus. Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu.

Moralitatum Cap. XVI.

Vidit Ezechias unum campum plenum ossibus,quæ erant multa valdè super faciem campi, siccaque vehementer. Accidit ex voluntate Dei,quod, Ezechiele prophetante, facta est commotio, & accesserunt ossa ad ossa,unumquodque ad juncturam suam; & ecce super eos nervi, & carnes; & extensa est super eos cutis,& spiritum non habebant, & prophetavit ad spiritum dicens de quatuor ventis: *Veni spiritus, & suffla super interfectos istos ut revivisçant. Et ingressus est in ea spiritus,& vixerunt, & steterunt supra pedes suos, exercitus grandis valdè nimis.*

Ista ossa possunt significare congeriem seu congregationem omnium peccatorum, qui sunt in campo hujus mundi, vel in campo Ecclesiæ militantis; qui sunt nudi, id est, sine conversationis decore; & sicci, id est, sine compassionis humore; ad invicem distincti, id est, sine dilectionis amore; spiritu carentes, id est, sine gratia, & devotionis vigore; sine nervis, id est, sine concordiæ ligamento, vel fortitudinis fulcimento; & sine carnibus, id est, sine pietatis mollitie vel lenimento. Undè dicitur Ezech. 37. In persona peccatorum: *Aruerunt ossa nostra, abscissi sumus.* Sed Propheta prophetante, id est, prædicatore prædicante, vel Prælato redarguente, in istis ossibus fit quandoque commotio contritionis, & accedunt ossa ad ossa per affectum spiritualis devotionis, & applicatur unumquodque ad juncturam suam per ligamentum concordis unionis; & pro eo etiam quod quilibet efficitur contentus proprii gradus, & promotionis. In istis igitur statim crescere incipiunt nervi,id est,fortitudo;carnes,id est,pietatis fluida plenitudo;cutis,id est, honestatis exterior gratitudo; & à quatuor ventis,id est, in quatuor bonis affectibus, venit in eos spiritus,id est, divinæ gratiæ sanctitudo. Undè Dominus dicit talibus pœnitentibus illud,quod ibidem dicitur: *Dabo super vos nervos, & supercrescere faciam in vobis carnes,& superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum,& vivetis.* Sic igitur fit,quod inflante Spiritu S. super ossa arida, id est, super indevotos peccatores,& eos subintrante; ipsi statim incipiunt per gratiam vivere; à terra,id est, ab affectu terrenorum surgere, & ea contemnere, & erecti per spem, & contemplationem, & rectitudinem mentis stare, Ezech. 2. *Ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos.*

Vel dic, quod quatuor partes, à quibus venit spiritus in mentem aridam,& indevotam,sunt quatuor considerationes, quibus pœnitens debet uti, scilicet nativitatis vilitas, mortis necessitas, inferni asperitas,& Paradisi fœlicitas; quia peccator, qui ad istas partes benè considerat,& attendit,Spiritum sanctum in se faciliter rapit, &c. sicut supra.

Vel dic, quod talia ossa arida sunt hypocritæ,qui quamvis habebant nervos confœderativæ collisionis,carnes non fictæ compassionis, cutem honestæ conversationis; spiritum tamen, ut dicitur, non habebant, in quantum carent spiritu gratiæ, & devotionis. Undè Sapientiæ 1. *Spiritus disciplinæ effugiet fictum, &c.*

Capitulum trigesimum octavum. Textus Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis.

Moralitatum Cap. XVII.

Minatur Dominus cuidam Principi futuro, qui dicetur Gog, qui cum magnis exercitibus ascensurus est, & in novissimo annorum ad terram Israël ad spolia populi Dei detrahenda, & dicit sic: *In igne zeli mei locutus sum dicit Dominus,quia in die illa erit magna commotio super terram, & commovebuntur à facie mea pisces maris, volucres cœli, bestiæ terræ, & omne reptile,quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terræ,& subvertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram, & gladius uniuscujusque ad proximum suum, ignem & sulphur palam super eum, & super exercitum ejus.*

Illud potest exponi contra Diabolum,qui cum exercitibus suis,id est, congerie malorum non cessat contra populum Domini, id est, contra beatos quotidiè militare, & eos bonis suis spiritualibus spoliare; quia pro certo in novissimo annorum, scilicet in die judicii, iste cum toto exercitu reproborum peribit. Tunc enim fiet commotio, & mirabilis eorum mutatio, quia scilicet in igne furoris, id est, justitiæ, & rigoris ipsius Dei, commovebuntur à statu suæ mundanæ prosperitatis, pisces maris, id est, voluptuosi; volucres cœli, id est, superbi & ambitiosi, qui non quærunt nisi alta; bestiæ terræ, id est, avari atque divites; reptilia, id est, infirmi, mali, pauperes homines, qui sunt super faciem terræ, scilicet, Ecclesiæ, hoc est dictum, mali Clerici, & læculares. Tales igitur sunt de exercitu istius regis Gog, id est, Diaboli, & ideò Dominus finaliter ignem, & sulphur, id est, ardorem, & fœtorem æternæ damnationis super eos pluet, gladium suæ diræ sententiæ in eos mittet, montes, id est ipsorum altos status destruet, sepes, & muros eorum, id est, ipsorum malos fautores, & protectores subvertet, & eos omnes ad infernum damnabit, interficiet,& occidet; quia pro certo Gog cum suis exercitibus, id est, Diabolus cum suis perversis hominibus in judicio destruetur, & malorum status, & prosperitas subvertetur.Psalm. 10. *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Capitulum quadragesimum primum. Textus. Et introduxit me in templum, & mensus est frontes.

Moralitatum Cap. XVIII.

TEmplum; quod vidit Ezechiel cum sua mirabili dispositione & fabrica, non faciliter exponitur, sed qui significationem suam, desiderat, videat Gregorium in homilia super Ezechielem. Non enim est meum tam difficillima exponere, qui non quæro, nisi aliquid de segete scripturarum excerpere; ut post messores possem aliquem manipulum colligere. Dicitur igitur; quod Ezechiel in descriptione templi vidit quandam picturam in pariete; quam Cherubin nominabat. Erat enim pictura animalis,quod duas facies habebat,sc. ab una parte faciem hominis,& ab alia parte faciem leonis,& juxta quamlibet faciem palmæ species pingebatur,ad quam ipsa facies Cherubin vertebatur.

Ista pictura potest significare viros Ecclesiasticos,& maximè Prælatos,qui in templo Ecclesiæ sunt locati; quia pro certo isti debent dici Cherub, qui interpretatur plenitudo scientiæ, quia isti debent esse viri scientifici,& discreti,Ezech.28. *Tu Cherub extentus, & protegers plenus sapientiâ, & perfectus decore.* Debent etiam habere duas facies; in quantum in facie apparentiæ exterioris conver-

Digitized by Google

conversationis, & moris, ipsi esse debent diversimodè duplicati; quia secundùm diversitatem locorum, temporum,& personarum, ipsi debent esse in conditionibus variati; quia in ipsis debet esse facies hominis, & facies leonis; in quantum debent esse aliquoties humani,& benigni; quandoque verò severi, & leonini; ut sint sicut homines quantum ad misericordiam, & benignitatem; leones verò quantum ad justitiam, & severitatem, ut sic facies humana respiciat bonos ad promovendum, leonina verò respiciat malos ad puniendum, Ezech. 1. *Facies hominis, & facies leonis.* Veruntamen quælibet facies debet palmam respicere,quia misericordia,& justitia se debent ad palmam æternæ gloriæ,& ad vitiorum victoriam ordinare; sive sit homo misericors sive justus,semper debet intentionem rectam habere, & ad hoc,quod palmam gloriæ postmodum capiat, anhelare, dicens illud Cant. 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.*

Hic cap. 42. fit mentio, quod Sacerdos,quando ministrabat in templo, induebat vestimenta sua sancta, quando verò redibat ad populum, vestimenta sua exuebat, & sua communia induebat.

Sic verè quilibet sacerdos, id est, quilibet sacer,ac sanctus dux,id est, quilibet justus, quando in sanctuario Paradisi vel in templo Ecclesiæ per servitii divini executionem ministrat, vestimenta sancta, id est, sanctam,& fidelem conversationem debet induere, & continentiâ morum spiritualium se ornare. Undè Lev. 19. *Sancti estote,quia ego sanctus sum*: veruntamen quando redit ad populum, id est, quando ad vitam activam revertitur, & ad mundi negotia conversationumque sæcularium applicatur; tunc debet illas sanctas vestes exuere,vestesque communes induere, id est, conversationem magis affabilem accipere, & communem; ut sic illis, cum quibus habitat,se studeat (sine peccato tamen) pro viribus conformare, uti hic. *Vestietur vestimentis aliis, &c.*

Vel dic, quod secundùm locum & personas, gradum, statum,& officium,quod habemus, necesse est assumere sanctas vestes, D
moresque induere magis graves. Quando tamen prædicta cessant, tunc homo proprias vestes debet resumere, &, sicut ante consueverat,se haberet 2. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum.*

Vel dic, quod loca quandoque nocent seu proficiunt ad virtutes; quia, scilicet, si in loco sancto manseris, vestem sanctæ conversationis habebis; si verò ad populum vel ad sæcularia negotia exieris, mores sæculares, & mores reportabis. Undè Seneca Ep. 9. *Nihil est tam damnosum bonis moribus, quàm in spectaculo residere.*

Capitulum quadragesimum quartum. Textus. Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respicit ad orientem.

Moralitatum Cap. XIX.

Vidit Ezechiel portam in sanctuario, & erat clausa, & dictum est sibi. *Quod porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam,quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per illam, eritque clausa principi,princeps iste sedebit in ea.*

Dic,quod ista porta est Beata Virgo, quæ in sanctuario castitatis, & sanctitatis posita,semper per virginitatis sigillū mente,& corpore fuit clausa. Vir enim per istam portam non transivit, in quantum ipsam homo per copulam carnis non cognovit, Isa. 52. *Non transibit per te incircumcisus immundus.* Dominus enim solus ingressus est per eam per carnis assumptionem. Nam ipsi principi Christo fuit clausa per virginitatis dedicationem; & ipse solus in ea sedit per corporalem habitationem, Psalm. 117. *Hæc porta Domini; justus intrabit per eam.* Undè Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus.*

E Ibidem ordinat Dominus,quod Levitæ, qui recesserant ab eo, & erraverant in idolis suis, quod non debebant ad eum accedere, nec sanctuarium intrare, nec in sacerdotio ministrare. Soli enim filii Sadoch, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum peccarent filii Israël,ipsi stabunt in conspectu meo,ut offerant mihi adipem, & sanguinem; ipsi ingredientur ad sanctuarium, & accedent ad mensam meam,ut ministrent mihi. Adverte tamen,quod isti sacerdotes debebant indui vestibus lineis, nec debebat super ipsos accedere quicquam laneum; vittæ lineæ erant in capitibus eorum;femoralia linea in lumbis eorum; & non accingentur in sudore, caput suum non radent, comam suam non nutrient, sed capita sua tondebunt, vinum, cum ingressuri sunt atrium, non bibent. Viduam autem repudiatam non accipient, ad mortuum generaliter non intrabunt; populum, quid sit inter sanctum, & pollutum,docebunt, legem teneri facient, & justa judicia judicabunt.

Sic verè charissimi, illi sacerdotes, & Levitæ, id est, Ecclesiastici, qui à Domino per vitia recesserunt, & idolis suis, id est, divitiis per avaritiam; malis mulieribus per luxuriam; vel malis superioribus per Simoniam servierunt, non sunt digni Domino ministrare, nec ad sanctuarium sacrificii altaris accedere, nec sacerdotio gaudere. Soli enim filii Sadoch,qui interpretatur justus,sc. soli filii justitiæ,qui legis divinæ cæremonias custodire consueverunt, digni sunt, qui ad mensuram altaris accedunt, & quod sacerdotio fungantur, & quod adipem,id est,Christi carnem,& sanguinem offerant, & ministrent, Levit. 22. *Omnis alienigena non accedat.* Item omnia vestimenta,id est, omnes mores, & conditiones istorum linea & pura,& sancta debent esse,& nihil laneum, id est, nihil carnale vel indecens debet in eis apparere. Linum enim, quod est candidum, puritatem significat; lana verò, quæ de carne nascitur, carnis voluptatem designat; & ideò in capite cordis, & mentis debet esse vitta linea, id est puritas innocentiæ interioris, & in lumbis debent carnis femoralia linea restringi, id est, continentia castitatis exterioris teneri, Lev. 16. *Tunica lineâ vestietur, & femoralibus lineis verecunda celabit.* Isti igitur, quando sudant in confessione, vitia emittendo,nullo modo debent accingere seipsos,vitia restringendo, F
sed potiùs laxare omnia,integrè confitendo. Illi etiam, qui in templo Ecclesiæ ministrant,non debent vinum, supple, in quo est luxuria, bibere, voluptati superfluè intendendo. Undè Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Isti etiam non debent Comam, id est, divitiarum superfluitatem nutrire; nec etiam ex totò ipsi debent caput mentis à capillis divitiarum radere vel nudare, sed tondere tamen debent istos capillos, ipsas pauperibus erogando,& plus debito crescere non sinendo, superfluitatem omnimodam per tonsuram temperantiæ resecando. Rasura enim omnimodam abdicationem divitiarum designat. Tonsio verò, quæ partem aufert, & partem dimittit, temperatam resecationem insinuat, ad denotandum, quod Ecclesiasticus debet superflua expendere,& retinere necessaria, undè vivat. Undè Prov. 30. *Divitias nec paupertatem dederis mihi Domine, sed tribue tantùm victui meo necessaria.* Item isti non debent viduam aut repudiatam,id est, retroactam malam vitam ab eis dimissam per recidivam assumere. Quia dicitur Luc.9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum,&c.* ad mortuos etiam,id est, ad infames, & malas personas non debent accedere, nec societatem cum ipsis contrahere; sed populum ad literam debent docere,& ad discernendum inter sanctum,& pollutum,bonum & malum debent instruere,& inter virum, & proximum suum justè judicare Psal. 57. *Juste judicate filii hominum.*

Dicit ibidem Dominus,quod illi,qui dereliquerant eum, & idola adoraverant, janitores in domo Domini futuri erant.

Sic verè hodiè sunt illi in domo Ecclesiæ janitores, id est, Prælati, & Introductores, qui Dominum & Deum derelinquunt; & idola, id est,mundi bona diligunt, atque colunt; bona etiim mundi idola sunt, quia similitudinem, non veritatem prætendunt. Vel etiam idola sunt Majores,& Superiores, quia qui istos adulationibus coluerit,atque muneribus,janitor in Ecclesia, id est, Officialis, Prælatus, vel Introductor faciliter erit.

Capitulum quadragesimum sextum. Textus. Hæc dicit Dominus: Porta atrii interioris, quæ respicit ad orientem. G

Moralitatum Cap. XX.

In vestibulo domus Domini,quam vidit Ezechiel,erant duæ portæ, sc. aquilonaris,& meridionalis, per quas populus intrabat in vestibulum. Veruntamen sic fiebat,quod ille,qui illuc intrabat, nunquam per eandem portam redibat,imò semper per portam oppositam exibat; & econtra; excepto Principe, qui eâdem portâ, quâ intrabat,egredi poterat, si volebat.

Pars aquilonis sterilis,& frigida in scriptura, significat in mundo statum adversitatis,& paupertatis. Pars verò meridionalis luminosa, & calida designat statum, scil. prosperitatis. Vestibulum autem designat statum hujus vitæ vel cujuscunque mundanæ vel Ecclesiasticæ dignitatis. Istud igitur est verum, moraliter loquendo, quod nullus est,qui eâdem portâ egrediatur, per quam intrat, quinimò ut communiter per contrariam portam, id est, per contrarium statum, & modum de mundo vel Ecclesia egrediuntur. Illi enim,qui intrant per viam aquilonarem,id est,per mundi tribulationem,& paupertatem,solent per viam oppositam, sc. per viam meridionalem, id est, per statum prosperitatis exire. Econtra verò, qui per meridionalem intraverit,per aquilonarem adversitatis exibit, quia revera illi, qui in isto mundo sunt in adversitate, erunt, cum exierint, in cœli prosperitate. Econtra verò illi,qui hic intrant per sæculi consolationes, finaliter exibunt per inferni tribulationes. Non est enim decens,imò ut communiter,& impossibile,quod de aquilone ad aquilonem,id est, de paupertate ad paupertatem venias. Nec quod de meridie ad meridiem, id est, de mundi gloria ad cœli gloriam post accedas; quinimò ut communiter de aquilonari ad meridiem, & è converso gradimur; & de mundi tribulationibus ad prospera, nec non de mundi prosperis ad adversa pervenitur. Illud tamen potest falli in Principe,id est,in aliquibus viris principibus,& spiritualibus; qui à Deo privilegiati per portam, quam intrant, exeunt, quia de prosperitate mundi ad cœli prosperitatem transeunt, & econtra quandoque de tribulatione mundi ad inferni desolationem trans- H
currunt. Undè 3. Reg. 13. *Non reverteris per viam, quâ venisti.*

Capitu-

Digitized by Google

Capitulum quadragesimum septimum. Textus. Et convertit me ad portam domûs, & ecce aquæ egrediebantur.

Moralitatum Cap. XXI.

DIcit Ezechiel, quod ipse vidit aquas redundantes à latere dextro templi; & ecce vir habens funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos, & transduxit me per aquam usque ad talos; & reversus mensus est mille cubitos, & transduxit me usque ad genua; Denuo mensus est mille cubitos, & transduxit me per aquas usque ad renes. Et finaliter mensus est alios mille cubitos, torrentem magnum, quem non potui pertransire; quoniam intumuerunt aquæ torrentis profundi, qui non potest transvadari.

Aquæ, quæ exeunt à latere dextro templi, id est, ab ipso pectore, & ab ipsa influentia, & inspiratione Christi, significant aquas divinarum scripturarum, in quibus procul dubio sunt diversæ partes in profunditate, & difficultate ab invicem differentes. Nam secundùm quod vir, qui portat calamum mensuræ, id est, Christus, secundùm Apostolum Rom. 12. *unicuique distribuit, sicut vult, mensuram*; hominem diversimodè per istum fluvium scripturarum deducit, & nunc usque ad talos, id est, parum difficiliter ad historiam; nunc ad genua, id est, magis difficiliter quantùm ad allegoriam; nunc usque ad renes, id est, magis difficiliter quantùm ad tropologiam; nunc autem summè inexplicabiliter, quantùm ad moralitatem, vel quantùm ad anagogiam intellectum nostrum in isto flumine circumducit. Quia A revera quamvis per multos passus secundùm magis, & minus exponendo vel intelligendo faciliter transeamus; aliquando tamen istum torrentem ità impernavigabilem invenimus, quod pro libito non transimus, ità quod pro defectu ingenii nostri nobis potest dici illud Joan. 4. *Domine, neque cum quo haurias, habes, & puteus altus est.* Et sicut ibidem dicitur, *iste fluvius habebat super ripas & ex utraque parte torrentis omne lignum fructiferum; & non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: per singulos menses affert primitiva sua, & erit fructus ejus in cibum, & folia ejus in medicinam, & omnis anima vivet, ad quam pervenerit torrens iste, quia aquæ ejus de sanctuario egrediuntur, & stabunt super fluvium piscatoris.*

Sic verè divina scriptura ex utraque parte sui, scilicet, quantum ad sensum literalem, & spiritualem habet lignum fructiferum, id est, vitalem, & fructuosam scientiam, & doctrinam, quæ scilicet fructus scientiarum non cessat producere, & folia verborum proferre, quæ tamen folia seu verba nunquam contingit cadere vel perire; juxta illud Matth. 5. *Jota unum non præteribit à lege.* Fructus iste scientiarum valet ad cibum meritorum habendum, folia verò illius, scilicet sacræ scripturæ verba valent ad medicinam malorum; animæ autem, id est, personæ, quas torrens scripturæ irrigat, per gratiam vivificantur: piscatores verò, id est, prædicatores, & Doctores stare, & sedere in isto fluvio comprobantur. Isti enim sunt aquæ, quæ de sanctuario Domini, id est, de Paradiso per revelationem fluxerunt, & ideò non mirum, si de ipsis tanti fructus, id est, tantæ commoditates descenderunt; & sic per singulos menses, id est, continuè fructus, & utilitates nobis impendunt. Psalm. 1. *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.*

Vel dic, quod ligna fructifera significant viros justos, qui ex utraque parte fluminis, id est, Ecclesiæ, sunt plantati. Etenim fluvius à fluendo dicitur, pro eo, quod fluctuare dignoscitur. Duas etiam habet partes, scilicet statum Clericorum, & Laicorum, inter quos constat esse multitudinem bonorum lignorum fructiferorum, id est, hominum utilium, & justorum; qui fructum bonorum operum proferunt; & folia sanorum verborum producunt, atque per menses singulos, scilicet continuè primitias devotionis, & reverentiæ Deo reddunt; quia pro certo folia verborum suorum non defluunt per mendacii vanitatem; imò B stabiliter permanent per veritatis, & certitudinis firmitatem; & ideò fructus suorum operum, & cibum bonorum exemplorum aliis proferunt; folia verò suorum verborum, & medicinam bonæ doctrinæ aliis circumfundunt, Psalm. 1. *Et folium ejus non defluet, &c.* Folium enim, id est, verbum viri justi non debet fluere, imò semper debet per veritatem firmum esse, & sine varietate, & mendacio stabiliter permanere.

Moralitatum super Ezechielem Finis.

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS quartus super Danielem.

Capitulum Primum. Textus Anno tertio regni Joachim regis Juda.

Moralitatum Cap. I.

NAbuchodonosor rex Babylonis cum subjugasset Hierusalem, & in Babylonem populum duxisset, voluit quod pueri, qui fuerint de semine regio, in quibus nulla esset macula, decori formâ, docti scientiâ, vescerentur cibis mensæ suæ; & erudirentur scientiis, & linguis scientiæ, ut sic fierent digni stare in conspectu Regis.

Rex iste est Diabolus, qui in Babylonia, quæ interpretatur confusio, id est, in mundo regnat, ubi perpetua confusio dominatur. Mensa istius regis est mundi prosperitas, quâ Diabolus cibat, & reficit suos procuratores. Pueri isti sunt sancti viri religiosi, & perfecti, qui de semine regio, id est de semine Christi per electionem, & adoptionem sunt nati. Undè Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Quid igitur? Pro certo quando Nabuchodonosor, id est, Diabolus potest C prævalere contra Ecclesiam vel religionem, & ipsam per peccatum suo dominio subjugare, & populum ejus in Babylonem, id est, in amorem hujus mundi deducere; ipse summè nititur, quod pueri de semine regio, id est, viri Ecclesiastici, & Religiosi, qui sunt sequaces, & semen regium, id est, semen personarum sanctarum; aut quicunque sunt immaculati, & sancti, & in scientia spirituali, & Theologica eruditi, & morali pulchritudine insigniti, utantur cibis mensæ suæ, mundi delitiis, & prosperis, & instruantur in literis scientiæ Babylonis, id est, mundi scientiis, malitiis, & cautelis; & hoc totum, ut ipsos possit habere stantes ante se inferiùs in inferno. *Quia extrema gaudii luctus occupat* Prov. 14. Et hinc est, quod multi Ecclesiastici non curant hodiè nisi de delitiis, & scientiis mundi, scilicet legibus, & medicinis, & ideò boni debent facere, sicut fecerunt quatuor de illis, scilicet Ananias, Azarias, & Misael, & Daniel; qui mensam regis spreverunt, abstinentesque fuerunt, & non fuerunt concremati nec contaminati; sed Domino placuerunt, & pluribus scientiis effulserunt. Sic verè & ipsi debent sibi cavere de mensa ista, id est, de mundi prosperis, & in abstinentia de paupertate voluntaria vivere, & ità Domino complacere, & sicut isti pueri in igne non fuerunt combusti, sic nec viri abstinentes igne luxuriæ comburuntur. Et ideò benè dicitur Eccles. 37. *Propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Et sicut isti pueri abstinentes fuerunt inventi pulchriores, & sapientiores, & regi præ cæteris ampliùs placuerunt; sic verè, qui sunt abstinentes, coram rege Christo plus placent, & plus pollent pulchritudine morali, & scientia spirituali; & minus possunt igne uri, id est, concupiscentiâ carnali.

Capitulum secundum. Textus. In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium. D

Moralitatum Cap. II.

VIdit Nabuchodonosor somnium, scilicet statuam grandem, & sublimem, & terribilem ad videndum, caput, & collum ex auro optimo; pectus & brachia ex argento; venter, & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ, pedis verò pars quædam ferrea, quædam fictilis, & testea. Nam quantò statua ad pedes appropinquabat, tantò metallum ejus deteriùs erat. Tandem vero de quodam monte abscissus est unus lapis parvus sine manibus, qui percussit pedes, & factus est mons magnus in terra.

Statua hæc, est Ecclesia, vel Religio, quæ pro certo per progressum temporis multipliciter mutat statum. Primus igitur status Ecclesiæ significatur in capite; quia caput, scil. principium ejus pro certo fuit aureum, per ruborem ferventis charitatis, & per vigorem constantissimæ firmitatis, sicut patuit in Martyribus, & Apostolis, qui fuerunt primi. Secundus significatur per secundam partem statuæ, sc. per pectus, & brachia; & hi fuerunt Eremitæ, & Confessores, & hi pro certo fuerunt argentei, i.e. candidi per nitidam castitatem. Tertii fuerunt Doctores, & hi intelliguntur per æs, quod summè resonat, quia fuerunt sonori per eloquentiæ honestatem, & venustatem; & sic patent tres status, & tres ætates Ecclesiæ primitivæ. Sed pedes, & tibiæ finis Ecclesiæ vel Religionis sumus nos alii; quia nos sumus partim ferrei per crudelitatis, & sævitiæ duram ferocitatem, & indevotionis duritatem; partim autem testei per avaritiæ crudelitatem, & per carnalem infectionem, ut patet de modernis Ecclesiasticis, qui sunt crudeles, & duri, quia omnes alios volunt suppeditare. Sunt etiam lutum, & testei, id est, avari, terrei, & luxuriosi; & ideò talibus accidit, quod dicitur. Quia dicitur ibidem: *Præcisus est lapis de monte, qui totam statuam cassavit.* Sic verè Diabolus Lucifer, qui de monte Paradisi cecidit, totam Ecclesiam hodiè concutit, & frangit. Vel dic, quod statua est Religio, ejusque caput est ejus fundator; pectus, & brachia fuerunt

Digitized by Google

fuerunt ejus primi Confessores & Sancti,qui ibidem fuerunt. Venter autem clausirum est, cujus intestina sunt subditi, qui sunt ibi. Pedes autem,& tibiæ sunt ejus sequaces, famuli aut officiales, qui sunt circa religiosos, & maximè laici conversi. Est igitur Religio grandis, & sublimis meritis, & virtutibus terribilis inimicis. Caput igitur ejus,id est,fundator, fuit aureum per charitatis ruborem. Pectus,& brachia,id est, sancti Patres fuerunt argentum per charitatis candorem. Venter autem,& femora,id est, claustrales, & conventus,alii fuerunt ærei,id est, sonori per prædicationis, & confessionis laudem,& orationis,& gratiarum actionis clamorem. Pedes autem, qui statuam sustinent,id est, boni laici activi, debent esse ferrei per fortitudinis vigorem, terrei per humilis pœnitentiæ squallorem. E

Vel dic,quod statua significat Ecclesiam, in qua caput, id est, Capitanei, & Prælati respectu aliorum debent esse aurei, & cæteræ partes,& personæ,quantò sunt capiti,id est, Prælato propinquiores, & in statu,gradu, & officio superiores; tantò debent esse inferioribus meliores. Undè Vegetius: *Tunc respublica bene regebatur, quando non poterat esse major, nisi qui melior.* Et nota;quod Ecclesia bene dicitur statua à stando, quia in stabilitate fidei est fundata. Ps. 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam*, & Ecclesia in æternum stat.

Vel dic,quod statua est homo dives,potens, grandis, & sublimis, quem omnes timent. Iste igitur quandoque habuit caput, id est, originem auream,quia ex nobili plebe traxit originem.Brachia ejus, id est,uxor, amici,& collaterales sunt argentei, id est, pleni pecuniâ, & argento,id est,fulgentes gloria temporali. Venter,& femora ejus, & filii ejus, & filiæ, qui de suo ventre, & femoribus exierunt, sunt ærei,& sonori per jactantias,pompas,gaudia, & cantilenas, per rixas,& discordias. Unde Job. 21. *Pueri eorum exultant lusibus.* Pedes,& tibiæ,id est,eorum famuli, & officiales partim sunt ferrei per crudelitatem, quia alios feriunt per rapinas & injurias; partim sunt terrei,id est,cupidi,& avari,quia,uti videmus,Ballivi divitum,& potentum sunt crudeles, & rapaces; & sunt etiam cupidi, & tenaces. Unde Eze. 22. *Omnes isti sunt ferrum, plumbum, & stagnum.* Sed pro certo de monte,id est,de paradiso venit quandoque lapis,id est, occulta Dei sententia,percutiens statuam, id est, quæ istum divitem cum istis suis membris collateralibus, & sequacibus destruit, atque rumpit;& hic quandoque temporaliter,& post mortem æternaliter: quia sc. collaterales,& consiliatores sequaces, executores, & adulatores divitum, & cæteri in suis criminibus vel rebus acquisitis participantes,cum eo perpetuò damnabuntur. Unde Isa. 14. *Præparate filios ejus occisioni.*

Vel dic,quod statua est dives causidicus vel mundanus, qui tenet aurum,& argentum,lapides pretiosos,terras,& possessiones, qui est terribilis,& sublimis. Sed quid? Pro certò sæpè venit quidam lapis parvulus,id est,quidam novus juvenis, & astutus; qui incipit regnare,causare vel mercari,qui tandem frangit illum magnum, & possessiones ejus acquirit, & ipsum prosternit, & inter omnes fit magnus,id est,in tota terra, & patria nominatus; sicut ad literam videmus de divitibus; quorum quidam pereunt, alii loco istorum surgunt. Unde Eccl. 11. *Multi potentes oppressi sunt,&c.* F

Vel dic,quod statua ista est homo, qui quandoque in capite, id est,in principio,& juventute est aureus, id est, perfectus, & bonus, & tandem in pectore,id est, in ampliore ætate fit argenteus, id est, minus valens,& tepescens à fervore;tandem fit æreus,id est,sonorosus,querulosus. In fine,id est,in senectute fit terreus, id est, cupidus, & avarus; ferreus,id est,impius,frigidus,& indevotus; quia acres in principio franguntur in fine, & ideo per lapidem divinæ sententiæ perpetuò confringuntur.

Vel dic,quod statua est mundus,qui habet quatuor partes, id est, quatuor imperia, sc. Assyriorum aureum, Persarum argenteum, Græcorum æreum, Romanorum ferreum. Lapis verò parvus est Christus; de monte,id est,virgine; sine manibus, id est, sine virili opere scissus,qui istam statuam, id est, mundi regna cum suis sectis, id est,idololatris conquassavit, & per fidem Ecclesiæ mons magnus factus est; quia jam totum mundum implevit.

Capitulum tertium. Textus. Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream.

Moralitatum Cap. III.

G NAbuchodonosor fecit erigi quandam magnam statuam auream maximæ quantitatis in quodam campo, & fecit coram ipsa citharizare melodissimè omnibus generibus instrumentorum, & dato, quod statua non haberet vitam,nec se posset movere; tamen voluit, quod omnes adorarent eam, alioquin mitterentur in fornacem ignis, sicut patet in tribus pueris sanctis, qui noluerunt ipsam adorare, & missi sunt in ignem.

Rex iste significat istos,qui regunt mundum vel Ecclesiam, majores scil. & Principales. Statua significat aliquos ministros imperitos ad modum statuæ ab eis per affectionem vel per dona creatos; vel aliquos Consiliarios, qui quamvis sunt statuales & ignari, ipsos tamen colunt,& credunt tanquam Deos,& ab aliis volunt coli; sicut ad literam videmus, quod vix est dare aliquem Judicem vel Prælatum,quin secum habeat aliquam statuam, id est, aliquem consiliarium statualem; cui scil. principaliter credit, & eum adorat, & ab aliis eum honorari facit,& quam in domo,& curia sua super omnes erigit,& extollit; & isti tales dicuntur aurei, quia satis habent de auro,ad dandum suis majoribus munera. Isti etiam secum habent citharistas,hoc est dictum,adulatores, qui non cessant in eorum auribus citharizare adulando,laudando, & alios impiè accusando, & eis in suis nequitiis favendo. Quia dicitur Prov. 28. *Qui derelinquunt legem,laudant impium.* Quid igitur? pro certo Nabuchodonosor aliquis Princeps mundi vel Ecclesiæ,constituit in campo uno, id est, in una patria, civitate,Ecclesia vel Religione,unam statuam, id est, unum ignorantem judicem per affectionem vel per personarum acceptionem erectum; in cujus auribus illi de familia sua non cessant resonare, & ipsam tanquam Deum adorare, & si quis non velit eam adorare,aut verbis adulatoriis commendare, ipse verè mittitur in fornacem ignis,quia sc. statim igne rixæ,iræ,& avaritiæ deprædatur,& ideo pueri,sancti,id est,bonæ personæ,quæ hujusmodi superbias abhorrent,ab eorum promotione comburuntur, & in igne rapinæ ponuntur. Unde Isa. 59. *Qui recessit à malo, prædæ patuit.*

Pueri sancti & abstinentes præcepto regis in ignem missi sunt, ut ibi comburerentur, sed statim fecit dominus fornacem quasi ventũ roris flantem;& filius hominis cum eis visus.Ministri autem,qui fornacem incenderunt, combusti sunt, ipsis nihil patientibus in fornace, & hoc in Babylonia.

Babylonia, quæ interpretatur confusio, est mundus, fornax ejus est ardor tentationum,& tribulationum; Rex autem ejus est Diabolus,qui dicitur *princeps mundi.* Joan. 12. Quando igitur Diabolus rex Babylonis,id est,mundi, invenit aliquos viros perfectos, qui suis suggestionibus nolunt obedire, qui sunt abstinentes à vitiis, statim vult,quod ponantur in ignem adversitatum,& tribulationum, ut ibi timore vel amore comburantur,& ad hoc plures ministros habet sibi suffragantes, habet enim gulosos, & luxuriosos, qui trahunt ad ignem voluptatis, habet mundi principes,& usurarios, qui trahunt ad ignem adversitatis. Sed quid? Statim verò, quod isti sunt in tali igne, pro certo Deus adhibet ventum Spiritus sancti, & rorem suæ misericordiæ,& consolationis,& adjutorium suæ protectiónis; juxta illud 1. Cor. 10. *Non patietur vos Deus tentari supra illud, quod potestis,&c.* Et si isti à tali igne non lædunter, sed potiùs,si cunctanter in eo perseverant;eorum vincla sc. peccata,& vitia consumuntur,& purgantur;quia Deus nunquam deest homini tribulato,dum tamen velit eum requirere. Unde Isa. 43. *Dum ambulaveris in igne, non combureris;& odor ignis non erit in te,quia ego Dominus Deus Israel.* Sed pro certo sæpe accidit, quod illi qui erant ministri fornacis, qui sc. gaudebant de tormentis aliorum,& qui eos tribulabant, ut sunt mali Ballivi, ipsi ab ea fornace comburuntur, & alii exeunt illæsi; quia sæpe Dei judicio fit,quod ignis crudelitatis, qui de fornace Babylonis, id est, cura mali Principis prorupit, iste ministros suos officiales,& Ballivos involvit, ut tales ad tribulationes, & paupertates deveniant,quas ipsi aliis intentabant. Quia ut scribitur, Prov. 17. & 24. *Qui in ruina alterius lætatur,non erit impunitus.* Et quod etiam videmus,ipsi boni laudes, & gratias in ipsa fornace tribulationis referunt Creatori, dicentes: Dan. 3. *Benedictus es, &c.* quando istos malos vident comburi Ps. 57. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, &c.* H

Fornax Babylonis fuit incensa stupâ,& applicata pice, & malleolis; ut sic filios Israël devoraret. Fornax est peccatum luxuriæ. Stupæ sunt aliqua dona,quæ offeruntur,quæ parum valent. Pix, quæ ligat, & inficit,sunt solatia corporum,tactus, & gestus. Malleus est vetula Maquarella, quæ mentem juvenculæ malleat verbis suis: Naphtha, quod secundùm Plinium est bitumen cognatum ignibus, & quod igne viso rapit eum,significat oscula, & affatus. Ministri igitur Nabuchodonosor, id est,Dæmones, accendunt hodie fornacem luxuriæ cum stupa,id est,cum donis,& muneribus;cum pice, id est, cum corporalibus gestibus,& affectibus;cum malleis,id est, cum verbis vetularum fallacibus;cum naphtha,id est,osculis, & tactibus, & hoc ut filii regis Israel,id est, Christiani, igne luxuriæ comburantur, ipsi tamen nihil timent,si fuerint abstinentes,& in Deo confidentes,&c. ut in præcedenti capitulo. A

Capitulum quartum. Textus. Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea,& florens in palatio meo.

Moralitatum Cap. IV.

NAbuchodonosor vidit somnium. *Videbam,*inquit, *& ecce arbor in medio terræ,& ecce magna,& fortis, & altitudo ejus nimia, & proceritas ejus contingens cœlum, & aspectus in omnem terram, folia ejus pulcherrima,& fructus ejus nimis, & esca universorum in ea,sub ea habitabant animalia, & bestiæ terræ, in ramis ejus volitabant volucres cœli,& ex ea vescebatur omnis caro. Tunc,* inquit, *ecce vigil de cælo,& clamavit fortiter: Succidite arborem, præscindite ramos ejus,excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus, & fugiant bestiæ, quæ subtùs eam sunt,& volucres de ramis ejus alligentur vinculo ferreo,& cum feris pars ejus sit in herba terræ,cor ejus ab humano immutetur,& cor feræ detur ei. Rore cœli tingatur, veruntamen germen radicum ejus in terra finite.*

Arbor ista significat mundi principes, & divites,qui in medio terræ,id est,planitie hujus mundi versantur. Isti enim sunt magni quoad facultates;fortes quoad potestates; & maximè contra pauperes,

Digitized by Google

B qui vix aut nunquã possunt habere jus suum de eisdem; & sunt alti quoad generis nobilitatem, ità quod quasi cælum tangere per elationem videntur, & potestas eorum, fama, & prosperitas per terræ latitudinem dilatantur. Isti habent plures ramos, id est, plura prædia, castra, villas, vel homagia. Etiam isti habent folia, scil. exteriora vestimenta, & ornamenta pulchriora: quibus bene volunt parari, & ornari, & ipsi, & uxores, & filii: habent fructus numios, id est, divitias infinitas; ità quod esca universorum est in eis, quia multi homines vivunt de bonis suis, & ideo volucres cœli, id est, mundi nobiles, & divites ac Ballivi versantur in eorum ramis, id est, in eorum officiis, villis, & homagiis. Vel volucres, id est, Clerici, & Prælati; qui scil. hodiè gaudent volare, & discurrere per officia Principum, & Magnatum. Psal. 103. *Super ea volucres cæli habitabunt.* Multa etiam animalia, id est, multi simplices sunt eis subditi, & sub eorum dominio commorantur, & breviter omnis caro eis subjicitur in hac vita. Sed quid? sæpe accidit, quod dum tali prosperitate fruuntur, nec eâ debito modo utuntur; venit vigil de cælo, id est, occulta Dei sententia, quæ super humanis vigilat incessanter, & præcipit, quod arbor hæc per mortem succidatur, & de vita præsenti evellatur, & quod ei non remaneant nec folia vestimentorum, quia totus nudus recedit; nec fructus divitiarum, nec rami prædiorum, nec volucres, nec bestiæ, id est, aliqui assistentes, & subditi familiares vel amici manent. Quia breviter sicut dicitur Job. 27. *Dives cum mortuus fuerit, nihil secum effert.* 1. Cor. 15. *Tunc evacuabit Deus omnem principatum*, quia nullus quantumcunque magnus in hac vita, habebit ibi famulum vel subjectum, sed quilibet pro capite solus erit, dicens illud Hier. 15. *Solus sedebam, quia amaritudine replesti me.* Sed aliquando accidit illud, quod sequitur, quod ipse vigil, id est, Dei sententia præcipit, quod iste alligetur foris in inferno extra Ecclesiam, seu extra mundum, saltem in purgatorio vinculis ferreis, id est, vinculis pœnalibus, & purgantibus, juxta decretum divinæ scientiæ, & ordinationis ac punitionis, & quod cum feris, id est, cum dæmonibus conversetur, & quod ulterius per desperationem, & tormentorum acerbitatem cor ipsius immutetur, & quod cor feræ, scil. infectum, & desperatam ei detur, quod maximè verum est de damnatis, qui odiunt Deum, & quorum ratio est absorpta. Sed tamen quicquid sit, radix semper intacta permanet, & servatur, id est, spes resurrectionis, quia boni, & mali resurgent. 1.
C Cor. 15. *Quoniam omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et ideo, quia de quolibet est dubium, utrum sit in purgatorio, præcipit vigil, id est, Dei sententia, & ordinatio, quod rore cœli contingatur, id est, gratiis & suffragiis Ecclesiæ, quia scil. pro amicis nostris mortuis semper debemus rorem beneficiorum cœlestium, scil. eleemosynarum, & orationum instillare super eos dicentes illud Gen. 27. *In cœli rore erit benedictio tua.*

Vel dic, quod arbor est Ecclesia, vel Religio, quæ est magna, fortis, indeficiens, & ad cœlum contemplatione erecta, & foliis, scientiis suis, & eloquentiis sacræ scripturæ est plena, fructibus, id est, divitiis, & facultatibus fœcunda, ramos habet pulcherrimos, id est, dignitates, officia, & beneficia; & ideo volucres, id est, viri nobiles, & contemplativi; bestiæ, id est, simplices, & subditi in ramis hujusmodi commorantur. Et breviter omnis caro invenit sibi suum cibum spiritualem, & temporalem, scil. fidem, gratiam corporalem, & temporalem subjectionem. Nobiles enim & rustici, & divites, & pauperes, contemplativi, & activi Ecclesiæ fiunt subditi, & in ea inveniunt tam temporaliter, quàm spiritualiter sufficiens nutrimentum. Inquit enim: *Esca universorum erat, in ea.* Sed verè hodie ista arbor Religio vel Ecclesia quasi succiditur per peccatum; quia nullus facit debitum suum, & ideo jam cessant in Ecclesia folia scientiarum; fructus divitiarum, rami proventuum, & beneficiorum hodiè deperduntur; volucres cæli, id est, mundi nobiles, & bestiæ, id est, rustici aufugiunt, eam contemnendo, & persequendo, & contra eam armando se. Et breviter ista arbor, id est, Ecclesia est hodie ligata vinculis ferreis, statutis Principum sæcularium, in tantum, quod non possit se movere, & cum feris, id est, cum crudelibus mundi Principibus, ipsam mordentibus, & devorantibus habitat, &
D moratur. Thren. 1. *Quia omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.* Et breviter nihil est ibi solatii vel vigoris, nisi radix, id est, fides, quæ semper remanet intacta. Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* aut nisi ros cæli, id est, gratia, & devotio, quæ semper occultè à Deo super Ecclesiam destillatur. Vel dic, quod volucres sunt contemplativi, bestiæ sunt activi, qui hodie deficiunt in Ecclesia.

Vel dic, quod volucres, nobiles sunt vasalli, bestiæ sunt tyranni, qui hodie non dignantur Ecclesiæ subesse. Eze. 13. *In ramis ejus habitaverunt volatilia cæli, & in ramis fuerãt universæ bestiæ regionis.*

Vel dic, quod arbor est Paradisus, ubi sunt folia, & fructus, id est, æterna prosperitas indeficiens, vel fructus, id est, Deitas. Folia, quæ sunt exteriùs, id est, Christi humanitas, ibi sunt rami, id est, diversæ mansiones, ordines, & distinctiones. Ibi sunt volucres, id est, Angeli Dei. Bestiæ, id est, homines. Et breviter omnia inveniunt ibi suum cibum.

Vel dic, quod volucres cœli sunt Beati, qui sunt sursum in ramis, id est, in mansionibus Ecclesiæ triumphantis. Bestiæ sunt viatores hujus mundi, & de fructibus arboris, id est, de gratiis Sanctorum, & suffragiis hic vivunt, & spe istius arboris, id est, æternæ glotiæ recreantur. Ibidem secundùm Apostolum 2. Cor. 5. *Per fidem ambulamus, & non per speem.*

Vel dic, quod ista arbor est vir perfectus, & maximè Christus. Hic enim magnus est per meritorum facultatem, fortis per constantiæ firmitatem, altus per contemplationis sublimitatem; quia dato, quod sit in terra, tamen debet sursum usque ad cœlestia sublevari per contemplationem, & desiderium, & affectum. Unde Sap. 18. *Usque ad cœlos attingebat stans in terra.* Illud præcipuè verum fuit de Christo, qui erat in terra, quantum ad humanitatem, & tamen ad cœlos attingebat, quantum ad divinitatem. Unde Gen. 28. *Vidit Jacob scalam.* Item, hic est pulcher in foliis conversationis, & locutionis; plenus in fructibus bonæ operationis; & habet pulchros ramos bonæ affectionis, & ideo esca universorum est in eo, quia pauperes ab eo temporaliter nutriuntur, & divites spiritualiter; ita quod cibus spiritualis eruditionis, exemplorum prædicationis, cibus temporalis E
subventionis in eo reperitur, & ideo Angeli, qui sunt volucres cælestes, id est, viri sapientes, & discreti; bestiæ, id est, simplices, & ignari circa eum conversantur. Illi enim associando, & congaudendo, isti doctrinam ipsius hauriendo jocundantur. Et breviter. *Omnis caro participiat bona sua*, sicut scriptum est.

Vel dic, quod rami ejus sunt officia, & beneficia, & præbendæ, & pro certo ibi sunt volucres, id est, boni viri justi, & spirituales; quia perfecti viri non ponunt in officiis nisi personas bonas, & justas, & talibus conferunt bona sua, & maximè bona Ecclesiæ, curas, & præbendas; bestiæ autem debent esse subtùs, quia pro certo viri bestiales in Ecclesia debent inferiùs esse in statu depressionis, & subjectionis, & non Prælationis.

Cum Nabuchodonosor deambulabat in aula Babylonis, incepit efferri magnâ superbiâ in seipso. Dumque Deum quamplurimum offendisset, & nec peccata sua ad Danielis consilium redimere vellet, sed potius dixit: *Nonne ista est Babylon civitas magna, quam ædificavi in domum regis, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* statim subita adfuit Dei sententia contra ipsum, quæ eum in bestiam commutavit, & eum propriâ gloriâ spoliavit, figuram, sensum, & rationem sibi abstulit, & cor sicut feræ sibi dedit, & quasi bos fœnum comedit, & eum de regno proprio projecit.

Ecce sic est, quod quandoque homo gloriatur in civitatibus, prædiis, & possessionibus, quas ædificavit, & acquisivit, & in aliis bonis suis; nec ipsa divinæ gratiæ, & virtuti, sed magis propriis virtutibus adscribit; neque curat elëemosynam porrigere indigenti juxta consilium prædicatorum; & tunc subitò venit sententia contra ipsum, quæ eum ad statum paupertatis, & miseriæ dejicit, & temporaliter in hac vita, & æternaliter in altera; & eum quandoque de regno mundanæ gloriæ deponit, & ipsum cum feris infernalibus ponit, sensum, & rationem præ acerbitate tormentorum ab eo tollit, gloriamque ejus per mortem corporalem subvertit, & de homine in bestiam ipsum vertit, in quantum figuram sui pristini statûs ac prosperitatis confundit.

Vel alio modo talis peccator bestia fit, in quantum in fine insaniendo, sensum, & rationem perdit, sicut de multis videmus, qui phrenetici moriuntur. Ps. 106. *Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius.* F

Vel dic ista contra malos nobiles, & fatuos, & alios, qui quandoque à statu prosperitatis cadunt; dignitates, & hæreditates, & officia perdunt; à societate hominum ejiciuntur; quasi bos fœnum comedere, & quasi rustici labore vivere, & pristinas delitias dimittere, & cum feris, id est, cum pauperibus conversari coguntur. Sed quid? Pro certo ipsi videntes seipsos depositos, desperationem incurrunt. Bestiæ quasi vastiæ, quæ secundùm Isidorum dicuntur à vastando, id est, crudeles, & prædones fiunt, cor humanum, id est, conscientiam piam perdunt; & cor feræ, id est, impiam mortem acquirunt, in virosque malos se convertunt. Unde 1. Reg. 10. *Mutatus est in virum alterum.* Hierem. *A malo in malum egressi sunt.*

Postquam Nabuchodonosor occulto Dei judicio bestia factus est, de regno ejectus, & ad statum tribulationis devenit; principes ejus negaverunt eum, quamdiu fuit bestia; sed statim quando recepit pristinum sensum, figuram, & statum; principes ejus cognoverunt eum sicut priùs, & receperunt eum.

Tales verè sunt amici mundi maximè dum eorum amicus Dominus ad statum tribulationis, & infirmitatis devenit, quia statim, quando occulta Dei providentia aufert sibi omnem prosperitatem, regnum, sensum, & statum; verè principes sui, id est, amici, cognati, & parentes ejus despiciunt eum, nec volunt eum amplius videre, nec regem nec Dominum amplius appellare. Quem si acciderit ad statum redire, & principes ipsum recipiunt, & ei, sicut primitus, obsequuntur, & quem prius sicut bestiam contemnebant, tunc tanquam regem, & Dominum reverentur. Unde Eccles. 13. *Si habueris, convivet tecum.*

Nabuchodonosor rex Babylonis factus bestia, sine sensu, fœnum comedit, sicut bos inter bestias habitans, & in sylvis societatem hominum contemnebat, & ideo tunc à Principibus est contemptus.

Rex iste Babylonis, id est, confusionis significat malos Prælatos, impios, & crudeles. Nabuchodonosor interpretatur sedens in angustia; quorum vitiis Ecclesia potest dici Babylon, id est, confusio. Isti enim hodie sunt mutati in bestias, quia sunt multi bestiales, & luxurioſi,

Digitized by Google

noſi, ſocietatem hominum, id eſt, perſonarum rationabilium contemnentes. Et ideo de iſtis dicitur Dan. 4. *Cor ejus ab humano immutetur, & cor feræ detur ei;* & ideo verè Reges, & Principes, & laici ſolent tales contemnere, & eorum ſtatum, & conſortium abhorrere.

Vel dic, quod principes, qui ſunt majores Prælati Eccleſiæ vel
G Religionis, videntes eos tales ſic viventes beſtialiter, debent eos ſtatim regno, id eſt, ſuſcepto regimine privare. Ezech. 21. *Prophane impie dux, tolle cidarim, depone coronam.* Si autem pœnitentiâ ducti, fiant iterum homines, id eſt, viri boni perfecti, ſenſum, & mores recuperantes, tunc, ſecundum quod eis videbitur, poſſunt ipſos priſtinæ gloriæ reſtituere, & in eodem loco vel alibi iterum Prælaturam eis reddere.

Quamvis Daniel diceret Nabuchodonoſor malam interpretationem de arbore, & Balthaſari de manu in pariete, ut patet infra Dan. 5. ita quod unum diceret de regno ejiciendum, & alterum occidendum, ex hoc tamen nunquam fuerunt moti contra ipſum, ſed donis, & honoribus eum ditaverunt.

Sic verè quamvis Daniel, id eſt, prædicator nos aſpere corrigat, & futura pericula nobis dicat; ex hoc tamen non debemus indignari, ſed ei corde humili regratiari, quia *Qui corrigit hominem, gratiam apud eum invenit.* Proverb. 28.

Quamvis Nabuchodonoſor, & Balthaſar correctionem, & increpationem Danielis gratioſè reciperent, & eum honorarent, nunquam tamen propter hoc ſe emendaverunt, & ideo perierunt. Sic verè ſunt aliqui, qui libenter correctionem audiunt, ſed nunquam propter hoc emendantur. Ezech. 33. *Audiunt ſermones meos, & in cantica oris ſui vertunt illos.*

Quamvis Darius ſummè diligeret Danielem, tamen propter conſuetudinem, & decretum ſanctum tradidit eum juxta promiſſa leonibus devorandum contra propriam voluntatem, ſicut dicitur infra cap. 6.

Sic verè reges, & viri perfecti ſummè debent cavere, quid promittunt, quia turpe eſt regredi verbum ſuum. Juxta illud Prov. 12. *Labium veritatis firmum erit.*

Euilmerodach (teſte hiſtoria ſcholaſtica) pro Nabuchodonoſor patre ſuo regnum rexit, dum à regno exularet, & ibi plura iniqua commiſit, & ideo quando pater ad regnum rediit, filium, qui deliquerat, carceri mancipavit, & ei plura tormenta inflixit. Tandem pater mortuus eſt, & filius ejus, qui erat in carcere, ad regnum iterum ſublimatur. Iſte autem, qui viderat patrem ſuum priùs in beſtiam mutatum, & iterum in hominem figuratum, timuit, quod de morte ad vitam reveniret, & ideo fecit capi trecentos vultures, patrem ſuum dividens, unicuique vulturi partem dedit, & eos avolare permiſit, dicens: *Quia niſi omnes in ſimul convenirent, impoſſibile erat patrem ſuum, quem comederant, reſumere vitam.*

H Sic verè chariſſimi, quandoque accidit, quod Evilmerodach, id eſt, aliquis iniquus ad regnum, id eſt, ad aliquod officium ſublimatur, ubi quandoque multa iniqua committuntur, ſubditos gravando, & ſpoliando, & ideo ſæpe accidit, quod propter nequitiam ejus ſuperior magiſter, qui ipſum habet corrigere, ipſum percutit, incarcerat atque affligit, vel pœnam ei tribuit competentem; illi ex tunc accidit mori patrem ſuum. Ideo ſi iſte pater vel corrector moritur, id eſt, ſi aliquod infortunium ei venerit, ipſe ſtatim conſurgit verſus ipſum, & eum per detractionem, & falſam accuſationem laniat, & vulturibus, id eſt, ſuis inimicis porrigit eum devorandum, & diffamandum, & hoc ut perpetuò ad ſtatum proſperum non reſurgat. Proverb. 9. Quia *qui arguit deriſorem, ipſe ſibi injuriam facit.* Matth. 10. *Tradet enim frater fratrem, & filius patrem, & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient, eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Luc. 11. *Qui autem perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Et: *Inimici hominis erunt domeſtici ejus.* Micheæ 7. Matth. 10.

Capitulum quintum. Textus. Balthaſſar rex fecit grande convivium optimatibus mille.

Moralitatum Cap. V.

BAlthaſſar rex Babylonis, cum ſemel eſſet obſeſſus à Dario rege Perſarum, vilipendens obſidionem, fecit grande convivium familiaribus ſuis, & fecit apportari vaſa aurea, & argentea, quæ de Hieruſalem, & templo attulerat pater ſuus, & tunc in ipſo convivio biberunt in ipſis ipſe, & optimates ſui, uxor, & concubinæ ſuæ, & laudaverunt Deos ſuos; ſed hoc abhorrens Deus fecit venire in ipſo convivio in pariete unam manum, quæ ſcripſit per ordinem iſta tria
A verba: *Mane, Thecel, Phares*, quod ſignificat, *numerus, pondus, diviſio.* Significat autem Deus, quod ipſum numerabat, & ponderabat opera ſua, quantum valebant, & quia deficiebat in numero, & ponderе, tunc dividebat regnum ejus, & ſibi penitus aufferebat, & ſic factum eſt, quod in ipſa nocte rex, qui obſidebat civitatem, cepit eum, & occidit, & regnum ejus, & totam ſubſtantiam devoravit.

Balthaſſar, qui interpretatur devorans divitias, ſignificat mundi divites, & potentes, qui non ceſſant divitias devorare, & accumulare, nec tamen ab eis ſatiantur, quia *venter impiorum inſatiabilis.* Prov. 13. Iſti ſunt reges Babylonis, quia regunt mundum, ubi non eſt niſi confuſio, Oſeæ 8. *Ipſi regnaverunt, ſed non ex me, &c.* Iſti quotidie obſidentur à rege Perſarum, id eſt, à Diabolo, qui eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Sed verè iſti non curant de iſta obſidione, ſcil. de Diabolo, qui continuè per tentationem, & tribulationem, & mortis temporalis, & æternæ tentationem ipſos obſidet, & infeſtat; imo pro certo ipſi vacant conviviis, & ludis, potibus, & cibis, & cum uxoribus ſuis, & familiaribus, & Diis ſuis, id eſt, illis de parentela ſua, de quibus magis ſperant, & exultant, in vaſis aureis, & argenteis bibere delectantur. Sed pro certo Deo ſæpe diſplicet hujuſmodi vanitas, & proſperitas, & ideo dum ſunt in aula Babylonis, id eſt, proſperitatis mundanæ, quando non cogitant de futuris, Deus mittit manum ſuam, id eſt, poteſtatem, & virtutem, & in pariete corporum ſententiam ſcribit, & dicit: *Mane, Thecel, Phares.* Quia ipſe numerat tempus, & vitam eorum, & ipſam abrumpit, & ipſe etiam ponderat, quantum de virtutibus, & vitiis habeant, & tandem dividit eos, ſcil. animam à corpore ſeparando per mortem, vel dividit eos, ſcil. à ſocietate fidelium, & partem eorum ponit cum infidelibus in inferno, & ideo rex Perſarum, id eſt, Diabolus, auditâ Dei voluntate, & ſententiâ, ipſos corporaliter, & æternaliter occidit, qui ipſos tamdiu obſederat in hoc mundo. Unde Luc. 12. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem congregaſti, cujus erunt? &c.*

Vel iſta dic contra executores teſtamentorum, qui ſcil. mortuo divite, & lectâ teſtamenti ſcripturâ, optimè numerant, & ponderant bona ſua, ipſaque inter ſe dividunt, & diſpenſant. Ideo bene dicitur: *Diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Perſis, & Medis*, id B eſt, tuis executoribus, & aliis. Si vis, dic interpretationem de Medis, & Perſis, &c. Unde tales ſic morientes, poſſunt de ſuis executoribus dicere illud Pſal. 21. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, &c.*

Cap. 6. Cum Daniel eſſet honoratiſſimus in Palatio regis Darii, inviderunt ei aliqui Principes, & ideo ipſum mitti in lacum leonum, propter hoc quod Deum colebat, procuraverunt. Sed ſtatim adfuit Dei providentia, qui Danielem inter leones illæſum ſervavit. Quod videns rex in craſtinum ipſum liberavit, & ejus accuſatores cum uxoribus, & filiis in lacum intromiſit, & ſtatim coram ipſo fuerunt à leonibus devorati.

Rex iſte eſt Deus, cujus regnum (teſte Gregorio) eſt Eccleſia. Lacus eſt purgatorium vel infernus, ubi ſunt leones, id eſt, dæmones rugientes. Accidit etiam, quod in regno Chriſti, id eſt, Eccleſia, quandoque Daniel, id eſt, aliquis homo Clericus eſt, qui propter ſcientiam, & bonitatem, ab omnibus honoratur, & ideo verè habet ſtatim inimicos invidos. Quia ſecundùm Senecam in libro de moribus: *ſi nullos inimicos facit injuria, multos tamen facit invidia.* Unde ſæpe accidit, quod propter proſperitatem, quâ fulget inter cæteros, mors eis ab inimicis intentatur. Et ideo dato, quod diſpliceat regi mors innocentum, tamen propter decretum Medorum immutabile, id eſt, propter *decretum, quo ſtatutum eſt omnibus ſemel mori*, ſecundùm Hebr. 9. ipſe diſſimulat, & permittit. Igitur Daniel, id eſt, juſtus mortuus, in lacum, id eſt, in foveam vel purgatorium mittitur, & lapis tunc ſuperponitur in ſepulchro, ubi ſcil. ab Abacuc, id eſt, à bonis amicis pulmento piorum ſuffragiorum ſpiritualiter ſuſtentatur. Sed pro certo leones, id eſt, dæmones ei non poſſunt nocere, imo de ipſo lacu, id eſt, de purgatorio, à rege, id eſt, à Deo liberantur, & ad aliam gloriam ſublimantur, ſcilic. ad gloriam paradiſi. Alii autem in lacum, id eſt, in infernum ponuntur cum uxoribus, & filiis, id eſt, cum fautoribus, & imitatoribus ſuis, ubi à leonibus, id eſt, à dæmonibus devorantur perpetuò, & ità ſuper eos rugierunt leones. Et ſic invidi, & homicidæ, dum aliis credunt nocere, ſibi ipſis nocent, & aliis proficiunt, & valent.

Vel dic ſpiritualiter per modum exempli, quando quis per invi- C
diam procurat alteri malum, tranſit ſuper ipſum, & idem præjudicium ſæpe incurrit, quod aliis intentabat, ſicut patet de Aman, & Mardochæo. Unde Prov. 26. *Qui fodit foveam, incidit in eam.*

Capitulum ſeptimum. Textus. Anno primo Balthaſſar regis Babylonis, Daniel ſomnium vidit.

Moralitatum Cap. VI.

DAniel vidit in medio maris quatuor ventos pugnare, & ſtatim beſtiæ grandes de mari pariter aſcenderunt, & inter ſe diſſimiles, & foroces, &c.

Mare, quod *eſt inſcrutabile*, eſt *cor hominis.* Hier. 17. Quatuor venti ſunt quatuor affectiones, ſcil. ſpes, timor, gaudium, & dolor, & iſtæ inter ſe pugnant, quia in corde hominis ſemper eſt pugna inter iſtas affectiones, & paſſiones. Ideo bene dicitur in proſa: *Confuſa ſunt hæc omnia, ſpes, timor, gaudium, & dolor.* Et ideo ſæpe accidit, quod poſt iſtos ventos, id eſt, poſt hujus mundi conflictum ſequuntur quatuor beſtiæ fortes, & diverſæ, id eſt, quatuor peccata mortalia. Nam ex ſpe ſequitur præſumptio, ex timore deſperatio, ex dolore obſtinatio, & ex gaudio luxuriæ corruptio; & ſic cor humanum ex iſtis quatuor ventis, id eſt, beſtiis diſſipatur. Unde Prov. 19. *Cogitationes variæ verſantur in corde viri.* Ideo Eccleſ. 17. *A corde quatuor oriuntur.*

Vel dic, quod quatuor venti ſunt ſuperbi nobiles. Beſtiæ ſunt crudeles inferiores, qui ideo quatuor dicuntur, pro eo quod in quatuor mundi partibus collocantur. Iſti igitur inter ſe pugnant, & per rixas ac diſcordias jugiter ſecum certant. Unde Prov. 13. *Inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia.*

Digitized by Google

Daniel vidit *quandam beſtam leænæ ſimilem, & habebat alas ſicut aquila, & ſublatæ ſunt alæ ejus, & ipſa ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor ejus datum eſt ei.*

Beſtia ſignificat ſuperbum, & ideo ſimilis dicitur leænæ, quæ eſt beſtia ſuperbiſſima; quia ſuperbi hujus mundi ſunt crudeles more leonis, pauperes devorando, ſicut patet de militibus, officialibus, & ballivis. Iſti quandoque habent alas aquilæ, per quas in
D altum vehuntur, id eſt, altas perſonas & nobiles, per quas frequenter ſublimantur, promoventur, & honorantur, ſicut videmus, quia non eſt ita modicus Ballivus vel uſurarius, quin habeat majorem in curia vel patria, qui ipſum ſublevet ac ſupportet. Iſti autem aquilæ dicuntur ſimiles, quia tales mali malorum fautores ad modum aquilæ per rapinas vivunt de ſanguine alieno, Hier. 2. *In alis tuis inventus eſt ſanguis pauperum, & innocentum.* Aliàs enim malos non ſuſtinerent, niſi inde ſanguinem emungerent, & de eorum rapinis emolumentum haberent. Job. 39. *Pulli aquilæ lambunt ſanguinem.* Sed quid? Sæpe accidit, quod alæ iſtæ à talibus evelluntur, quando Domini per mortem ſubtrahuntur. Iſti etiam ſui amici vel fautores ſibi per aliquod infortunium auferunt de terrena dignitate, & proſperitate, quam ſuper alios obtinebant. Et ſuper pedes quaſi homo ſtant, hoc eſt dictum, quod ipſi cadunt à ſtatu ſuo ad terram, id eſt, ad pauperem ſtatum, ita quod ſi erant equites, fiant pedites. Ideo dicitur, quod *cor ejus datum eſt ei*, quia tunc temporis redeunt ad cor ſuum, & cognoſcunt, quid ſunt, & unde ſunt, & quid eſt mundi proſperitas, quam ſic perdunt. Iſai. 46. *Redite prævaricatores ad cor, recordamini prioris ſæculi.* Sicut enim videmus, quando inferiores perdunt alas ſuas, id eſt, fautores ſuos, qui eos in Prælatorum curiis ſuſtinebant, ipſi ſolent ſimiliter de terra tolli, & à ſtatu vel officio, vel ſaltem reputatione tolli atque deponi. Zach. 13. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.*

Vel dic, quod poſt mortem amicorum ſuorum, & alarum ſuarum evulſionem, ipſi ſimiliter de terra per mortem tolluntur, & ad infernum pedes ire compelluntur; ubi cor eorum, id eſt, triſtitia, & deſperatio ſibi datur, & pœnitentia de malè actis, ſi poſſent. Hier. 8. *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens.*

Vel dic, quod leæna, quæ eſt beſtia ita luxurioſa, quod cum pardo fornicatur, quod eſt animal pictum, ſignificat mulierem adulteram, quæ cum pictis, & pulchris juvenibus fornicatur, & leoni,
E id eſt, marito proprio fraudem facit. Alæ igitur iſtius ſunt gratiæ, per quas elevatur, & ſuperbit, ſcilicet pulchritudo, nobilitas, potentia, & voluptas. Sed quid? Verè iſtæ alæ primò ſubtrahuntur ei, quia, ſcilicet ſua pulchritudo per ſenectutem deficit, ipſa tandem de terra viventium tranſit, & ſuper pedes ſuos tota nuda in ſuis naturalibus relicta in inferno cogitur ſtare, & cor ejus datur ei, hoc eſt: perpetuâ triſtitiâ lamentari.

Secunda beſtia, quam vidit Daniel, erat ſimilis urſo. *Ecce* (inquit) *alia beſtia ſtetit ſimilis urſo in parte, & in ore ejus tres dentium ordines, & in dentibus ſuis erant tres principes, qui dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas.*

Beſtia poteſt ſignificare Principes malos, & Prælatos, qui revera Urſo (qui mel ſummè diligit) ſunt ſimiles, quia ſcilicet mel, id eſt, dulcorem voluptatum, & deliciarum diligunt, & vellus hirſutum divitiarum gerunt. Nam ſicut urſus apes inquietat; ſic tales inimicos pauperes per rapinas vexant, ut mel, id eſt, ipſorum bona rapiant, & evellant. Iſti habent os magnum, id eſt, magnam curiam, & hoſpitium, ſeu clauſtrum, & monaſterium, ubi ſunt plures dentes, id eſt, plures perſonæ in tribus ordinibus, id eſt, pluribus officiis, diſtinctionibus, ſtatibus, gradibus ordinatæ; quædam ſuperiores, quædam mediocres, aliæ inferiores, ſed in iſtis dentibus, & ordinibus ſunt tres principales dentes, id eſt, aliqui magni in officiis ſuperiorum, gratiis excellentes; quia Principes in ſuis curiis, & officiis; Prælati in ſuis hoſpitiis ſemper habent aliquos fautores, per quos reguntur, & ordinantur. Sed quid dicunt iſtæ beſtiæ, iſti conſiliarii, fautores, & magiſtri? Pro certo non dicunt eis, quod regant bene terram ſuam, vel quod faciant juſtitiam, vel quod ab iniquitate caveant, ſed ipſi dicunt eis, *Surge, comede carnes plurimas*, hoc eſt, dictum: Devora ſubditos, excoria, rape, comede carnes, id eſt, ſubſtantias aliorum.

Vel dic, quod iſta beſtia eſt infernus, qui eſt ſimilis urſo, quoad voracem inſatiabilitatem; habet tres ordines dentium, id eſt, tres differentias mordacium tormentorum, ſcilicet limbum, purgatorium, & barathrum. Iſti enim dentes dicunt inferno, quod devoret carnes plurimas; quia iſta tria loca devorant hodie quaſi omnes perſonas, quia barathrum devorat damnatos, limbus pueros non baptizatos, purgatorium pœnitentiam acturos. Unde Prov. 30. *Tria ſunt inſatiabilia.*

Vel dic, quod ferox urſa, quæ nulli parcit, & quæ duas alas habere dicitur, eſt mors, cujus alæ ſunt duæ, ſcilicet infirmitates,
F & caſus, quæ mortem faciunt undique volare, & ad loca varia ſe transferre. Iſta enim habet tres ordines dentium, ſtatuum, & locorum; Paradiſum, purgatorium, & infernum; & fortè ibi ſunt principes tres, ſcilicet minores Angelorum ordines, qui mortis caſibus, infirmitatibus, & actibus hominum præficiuntur ſecundùm aliquos Sanctos, & iſti pro certo dicunt morti. *Surge, commede carnes plurimas;* quia iſti Principes Angeli ordinant ſecundùm occultam Dei providentiam de quolibet, quando, quomodo, & quare, & ubi, in quo iſtorum trium ordinum locandus ſit quilibet, cum moriatur. Ideo de morte dicitur Pſal. 64. *Ad te omnis caro veniet.*

Vel dic, quod beſtia eſt Chriſtus, qui fuit ſimilis urſo, id eſt, peccatoribus in parte, quantùm ad naturam, non quantùm ad vitia. Tres ordines id eſt, tres naturæ in una perſona, ſcilicet divinitas, corpus, & anima. Tres Principes ſunt tres ſtatus Eccleſiæ, qui per Noe, Daniel, & Job intelliguntur, id eſt, continentium, conjugatorum, & virginum; qui dicunt Chriſto per orationem, quod ipſe comedat, & eos ſibi incorporet; & uniat per fidei Sacramentum carnes plurimas, ſcil. homines hujus vitæ, ut fidelibus adjungantur in corpore Chriſti myſtico, putà Judæos, hæreticos, Saracenos, & per pœnitentiam reprobos Chriſtianos. Pſal. 64. *Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.*

Vel dic, quod iſta beſtia urſina eſt vaniloquus, habens tres ordines dentium, id eſt tria genera verborum in ore, ſcilicet detractionem, jactantiam, & blaſphemiam; & iſti devorant carnes plurimas; quia jactantia devorat carnes proprias, detractio carnes proximi, blaſphemia carnes Chriſti. Vide ſupra de manticora lib. de animalibus.

Tertia *beſtia quaſi pardus, habebat quatuor alas avis, & quatuor capita*, & habebat poteſtatem magnam.

Pardus coloratus, & præceps eſt hypocrita, qui quamvis ſit coloratus in converſatione picta, & ficta; tamen præceps eſt ad ſanguinem; id eſt, habet plures modos decipiendi, & iſto modo aliqui acquirunt poteſtatem, honorem, & reputationem.

Vel dic, quod beſtia ſit peccator, cujus quatuor alæ, ſunt quatuor malæ affectiones; quatuor verò capita ſunt quatuor principalia crimina ex ipſis orientia, &c. ſicut ſupra cap. 4.

Vel dic, quod pardus eſt vir perfectus, qui habet pellem pictam G
honeſtæ converſationis, & iſte habet quatuor capita, id eſt, quatuor principales virtutes, ſcilicet juſtitiam, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam. Habet etiam quatuor alas, id eſt, quatuor affectiones bene ordinatas, ſcil. ſpem, timorem, gaudium, & dolorem; cum quibus volat ſurſum ad cœleſtia contemplando, & ideo poteſtas ei datur in cœlo, & in terra. In terra dico, quantum ad temporalem promotionem; in cœlo verò quantùm ad cœli beatificationem. Et debent convenire capita cum alis, quia gaudium debet habere temperantiam, dolor prudentiam, ſpes juſtitiam, timor fortitudinem. Ezech. 1. *Quatuor facies uni, &c.*

Quarta beſtia erat terribilis, & fortis nimis, diſſimilis aliis, & habebat dentes ferreos, & comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus conculcabat, & capita habebat decem.

Iſta ſignificat mundi divites, & tyrannos, qui propter ſuam malam vitam, quam plerique ducunt, ſunt terribiles, & aliis diſſimiles Chriſtianis; ut de quolibet dicatur illud Sap. 2. *Gravis enim eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt nobis vita ejus.* Decem capita ſunt decem capitalia vitia, quæ opponuntur decem præceptis, Apoc. 13. *Habebat capita ſeptem, & cornua decem.* Dentes iſtorum ſunt eorum Officiales, & Ballivi, qui dicuntur dentes à demendo, quia iſti ſunt rapaces, & avaræ naturæ, & aliis demunt, & ſubtrahunt, quidquid poſſunt. Et iſti dicuntur ferrei, propter duram crudelitatem, ſunt magis fortes quoad divitias, & quoad potentiam ſæcularem in tantum, quod nullus poteſt contra eos prævalere, & ita illæ beſtiæ, id eſt, Principes potentes, mediantibus ſuis dentibus, id eſt, ſuis Coadjutoribus hodie omnia devorant, & confundunt, & illud, quod non poſſunt conſumere, ſcilicet illos, contra quos non poſſunt prævalere, vilipendunt, & deſpiciunt, capita habent plura, id eſt, plures dignitates, villas, & caſtra.

Vel dic, quod iſta beſtia ſunt Cauſidici, & Ballivi, & Officiales; & talium dentes, quibus demunt bona aliorum, ſunt Principes, & Prælati, cum quibus ſunt, & per quorum virtutem faciunt multa mala. Nam habent dentes ſuper eos, id eſt, Dominos magnos, & magiſtros, ſub quorum umbra ipſi devorant omnes alios circumſtantes, per avaritiam, & rapinam; & illud, quod non poſſunt devorare, conculcant pedibus, id eſt, contemnunt per ſuperbiam mentis. Iſti habent hodie plura capita, id eſt, dignitates, & præbendas. Pſal. 72. *Ipſi peccatores in ſæculo, &c.*

Apparuit quædam beſtia mirabilis, & terribilis, fortis, & magna, H
habens capita ſeptem, & cornua decem, & inter omnia iſta cornua ortum eſt unum cornu modicum, habens oculos hominis, & os loquens grandia, & à facie ejus tria de aliis cornua ſunt evulſa, & iterum crevit illud cornu, cum quo bellum faciebat contra Dei ſanctos, & prævalebat, & reges terræ humiliabat. Putavit, quod poſſet mutare tempora, & reges, ſed tandem antiquus dierum venit, & judicium ſedit, & poteſtas iſtius ablata.

Si vis expone allegoricè, ſicut expoſuit gloſſa de Antichriſto; & dic, quod beſtia eſt regnum Romanum; Decem capita ſunt decem regna; cornua ſunt reges; cornu modicum eſt Antichriſtus, contra Deum loquens grandia, reges ſubjiciens, oculos clari intellectûs habens. Iſte enim contra Sanctos pugnabit, & prævalebit ad tempus, ſed tamen finaliter veniet antiquus dierum Chriſtus ad judicium, & ceſſabit ejus poteſtas, ſed de hoc nihil ad præſens.

Sed

Digitized by Google

Sed expone moraliter, & dic, quod beſtia eſt Princeps, vel Prælatus magnus,& fortis,habens plura capita, id eſt, plura loca, capitalia, villas, & caſtra; cornua ſunt principes, Ballivi, & Officiales ſui, mediantibus quibus aliis cornu impedit, & deterit, ſed aliquando accidit, quod oritur inter eos unum cornu modicum, id eſt,una modica, & parva perſona, quæ primò eſt in parvis officiis; quæ tamen oculos ſuæ claræ diſcretionis, cautelarum, & cavillationis habet; & propterea laqueo ſuæ eloquentiæ, id eſt, jactantiæ, & adulationis, minarum, & elationis ipſa prævalet contra alios; & maximè contra Sanctos,& juſtos, & ſuppeditat tres vel plures; & alii officiales à facie ejus evelluntur, & deponuntur de ſuis officiis, & quandoquè favente fortunâ in tantum creſcit in mundi proſperis, quod Dei Sanctos vel pauperes religioſos, & alios ſe meliores concutit, & conculcat; Deum contemnit; reges terræ, id eſt, nobiles,& potentes humiliat, & affligit; ut patet de iſtis, qui ſunt cum
A Regibus, & Prælatis,de quibus dicit Apoſtolus, 1. Theſſ. 2. *Deum non timent, & cunctis hominibus adverſantur.* Sed finaliter venit Chriſtus antiquus dierum, & vocat eos ad judicium per mortem ſubitam, & ſic eorum poteſtas deficit. Ideo de tali cornu dicitur Pſal. 74. *Cornua peccatorum confringentur.*

Vidit Daniel, quod *throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit; veſtimentum ejus quaſi nix, capilli ejus quaſi lana munda, thronus ejus quaſi flamma ignis; rota ejus ignis accenſus; & fluvius igneus rapiduſque egrediebatur à facie ejus: & libri aperti ſunt;* & judicium factum eſt, & tunc omnium beſtiarum ablata eſt poteſtas, & filio hominis ſibi præſentato dedit antiquus dierum poteſtatem, regnum, gloriam, & honorem.

In iſtis verbis deſcribitur judicis, vel judicii ſtatus, quia pro certo in throno,id eſt,in prælatione, & poteſtate judiciaria non debet ſedere niſi antiquus,id eſt, homo ſapiens, & maturus; qui debet habere capillos,id eſt,interiorem affectionem; & veſtimentum, id eſt, exteriorem converſationem albam,& mundam,ſanctam,& puram, caſtam,& honeſtam, & immunem ab omni affectione, & acceptatione munerum & perſonarum,quaſi nix, & quaſi lana albi capilli ejus: dato quod hodie multi ſeſſores, & judices ſunt contrariæ conditionis. Unde Eccl. 10. *Vidi ſtultum in dignitate ſublimi.* Thronus ejus,id eſt,authoritas;rotæ circa eum volventes, id eſt, miniſtri ſui volubiles,& apti ad obediendum, debent eſſe igniti, id eſt, ferventes,& charitativi; vel ignei,id eſt,rigidi ad malos puniendum,& fervidi ad juſtos promovendum; & ideo fluvius igneus rapiduſque, id eſt,extenſio,& ſententia aſpera,& rigoroſa à facie ejus debet contra ipſos emanare;quia nullum debet timere,quin per juſtitiam, & rigorem faciat judicium æquitatis. Unde Hebr. 1. *Facit miniſtros ſuos flammam ignis.* Hic debet habere plures miniſtros, quia judicium non debet fieri, niſi coram pluribus aſſiſtentibus, & conſiliariis. Libri debent eſſe aperti; quia ſecundùm id, quod in libro legum,& canonum invenitur ſcriptum, debet procedere; & filio hominis, id eſt, bonis, notabilibuſque perſonis finaliter debet dare poteſtatem,gloriam,& honorem.Beſtiarum autem, id eſt, ferocium iniquorum ratione carentium debet auferre, & reprimere poteſtatem. Deut. 25. *Quem injuſtum videris,condemnabis, quem verò juſtum videris, victoriæ palmam dabis.*

Vel dic econtrario,quod in throno, & in dignitatibus ſæculi ſedentes Prælati,& Judices, ſunt hodie in tanta pompa, quod habent millia millium miniſtrantium,& aſſiſtentium,ſed ipſæ rotæ, & mi-
B niſtri ſui ſunt ignei per rapinam,& excoriationem, etiam fluvius, id eſt, rigor crudelitatis, & rapinæ à facie talium egreditur in ſubditos undequaque Joel. 2. *Ante faciem ejus ignis vorax.*

Capitulum octavum. Textus. Anno tertio regni Balthaſſar regis viſio apparuit mihi.

Moralitatum Cap. VII.

CUm eſſet Daniel in regione Helam, vidit ſe eſſe ſuper portam Ulay. *Vidi*, inquit, *& ecce aries unus habens duo cornua, & unum cornu majus alio, qui cornibus ſuis ventilabat per omnes mundi partes,& nullus poterat ſibi reſiſtere, fecitque ſecundùm voluntatem ſuam,& magnificatus eſt. Tunc venit hircus caprarum ab occidente, habens cornu inſigne ante oculos undique ventilans, & efferatus eſt in arietem, & communivit cornua ejus, & nullus poteſt liberare arietem de manu ejus, tamen in fine cornu illud magnum fractum eſt conſumptumque.*

Aries iſte ſignificat aliquem religioſum, ſimplicem, & maturum, vel quemcunque virum bonum, & honeſtum, qui quandoque habet duo cornua,id eſt,ſcientiam utriuſque teſtamenti. Vel duo cornua,id eſt,ſcientiam naturalem, & affluentiam temporalem. Vel duo cornua, id eſt, mitram, quia forte eſt Epiſcopus vel cornutus, vel duo officia, id eſt,duplicem juriſdictionem, id eſt, ſpiritualem, & temporalem, quia *cornua in manu ejus.* Abacuc. 3. Iſte quando-
C que favente fortuna magnificatur, & creſcit per potentiam ſæcularem, in tantum quod non invenit ſibi reſiſtentem. Sed ſæpe accidit,quod venit hircus, id eſt, vilis & inſufficiens perſona, quæ tantummodo habet unum cornu, id eſt, unum officium, qui pugnat contra Prælatum,& prævalet contra eum, & frangit cornua potentiæ ejus, & regnat loco ejus, ſic quod nullus poteſt ſibi reſiſtere in una poteſtate. Unde Abacuc. 1. *Impius prævalet adverſus eum,&c.* Sed tamen in fine frangitur cornu ejus,id eſt, ejus poteſtas, quia ſæpe accidit, quod qui fregerunt aliorum poteſtates, poſtquam diu regnaverunt,& mundum tribulaverunt, ita quod nullus eis potuerit obviare, finaliter confringuntur, & per mortem ſubitam morinntur. Iſai 30. *Subitò, dum non ſperatur, venit contritio ejus, &c.*

Vel dic, quod hircus fœtidus eſt aliquis luxurioſus, & immundus, qui quandoque habet unum cornu inſigne, ſcilicet generis nobilitatem, vel ſæculi dignitatem,& poteſtatem, & hoc inter oculos, quia ſcilicet iſte præ oculis ſemper habet præſumptionem, & ſuperbiam, vel aliquod bonum, ſi ipſum habet. Iſte igitur pugnat contra arietes cornutos,id eſt,contra prædicatores humiles,eos conterit, & tamen finaliter ipſe perit.

Vel dic,quod aries eſt prædicator, cum cornu duplicis teſtamenti, cui nullus reſiſtit; ſed undique circuit prædicando; Verùm quandoque venit hircus fœtens, id eſt, peccatum luxuriæ, quod quandoque ei prævalet, & ſuam deſtruit poteſtatem.

Vel dic, quod aries eſt dives advocatus cum pluribus cornibus, id eſt, officiis, & dignitatibus, qui in tantum proſperatur in terra, quod per rapinas, & exactiones omnes vicinos conturbat, ita quod nullus poteſt ſuis malitiis obviare; ſed in occidente mortis venit hircus fœtidus, id eſt, Diabolus, qui circa tales effrænatur per mortem temporalem. Vel hircus, id eſt, mors, quam comitatur fœtor, & horror,eos confringit per damnationem æternam, ita quod nullus eis ampliùs ſuffragatur, quia *omnes amici ejus ſpreverunt eam inter anguſtias.* Thren. 1. Et iſte hircus ſcil. Diabolus habet unum cornu, ſcil. excellentiam nobilitatis naturalis, quâ pollet, quia *non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei.* Job. 41. Quam habet ſemper per ſuperbiam ante oculos mentis,& imaginis ſuæ.

Daniel vidit unum modicum cornu, quod factum eſt magnum, & tunc fortificatum, inſurrexit contra ſtellas, & dejiciebat eas in terram contra ſanctuarium Dei, & conculcavit illud, & magnificatum eſt in fortitudine cœli, & proſtrata eſt veritas in terra.

Tales ſunt multi, qui primò ſunt modici, quantum ad dignita-D tes,proſperitates & divitias; ut fortè, quia ſunt de humili plebe,& in parvo ſtatu; tandem tamen fiunt grandes, quia ipſi ditantur & magnificantur,& tunc ipſi inſurgunt contra Deum per vitia,& peccata:& ſtellas,& ſanctuarium,id eſt,Dei ſanctos,perfectos, religioſos; vel ſanctuarium, id eſt,religionem per rapinas, & exactiones deſtruunt & conculcant; ita quod ad literam per talium fraudes,& malitias fortitudo cœli,id eſt,Eccleſiæ impugnetur, & veritas deprimatur. Unde Iſa. 59. *Corruit in plateis veritas, &c.*

Daniel ſe aſſerit vidiſſe hircum, qui ventilabat ſe per quatuor partes cœli, & quod nulla erat beſtia,quæ ſuæ poſſet reſiſtere voluntati; veruntamen cornu ejus inſigne,quod habebat, ante oculos fractum eſt,& quatuor loco illius ſurrexerunt.

Iſtud expone,ſicut libro de animalibus capitulo de angue, ubi agitur de hydra, cujus ablato uno capite duo ſurgebant.

Capitulum decimum. Textus. Anno tertio regni Cyri regis Perſarum, verbum revelatum eſt.

Moralitatum Cap. VIII.

VIdit Daniel,& *ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo,corpus ejus quaſi chryſolitus, facies ſicut ſpecies fulguris, oculi ut lampas ardens, brachia ejus, & quæ deorſum erant, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum ejus quaſi vox multitudinis.*

Iſte eſt vir perfectus,qui veſtitus debet eſſe lineis, id eſt, candore E puritatis in conſcientia. Renes ejus id eſt, actus, & motus renum debet eſſe cinctus, & reſtrictus fulgore caſtitatis in apparentia; & converſatio debet eſſe aurea, & honeſta, & maximè quoad renes, id eſt, quoad actus veneris; corpus ejus, id eſt, intentio debet eſſe chryſolitus,id eſt,pretioſa,& ſancta.Facies ejus,id eſt, affectio debet eſſe ſicut fulgur,per ardorem charitatis. Oculi cordis ſui ſicut lampas,per ſplendorem diſcretionis,& ſublimitatis. Brachia ejus id eſt, virtus debet eſſe ærea, id eſt, ſonora per ſonoram prædicationem, & per meritorum operationem, & candens per colorem ſupernæ charitatis. Unde Matth. 17. *Veſtimenta ejus alba ſicut nix.* Sic igitur perfectus eſt lineus quoad puritatem, aureus quoad honeſtatem, chryſolitus quoad ſanctitatem, fulgureus quoad charitatem, lampadeus quoad ſcientiæ claritatem, æreus quoad bonorum operum diuturnitatem, quia æs eſt metallum durabiliſſimum. Unde de tali viro poteſt dici illud Zach. 6.

Ecce vir oriens nomen ejus.

Digitized by Google

Capitulum decimum tertium. Textus. Erat vir habitans in Babylone, & nomen ejus Joachim.

Moralitatum Cap. IX.

INgressa est Susanna pomarium viri, ut illic recrearetur, & lavaretur. Emisit autem puellas, & remansit sola, & statim affuerunt duo seniores iniqui, qui ipsam voluerunt maculare, sed quia non consensit eis, perhibuerunt testimonium adulterii contra ipsam, quæ cum duceretur ad mortem, adfuit Daniel, qui probavit eos mendaces, & sic Susannam liberavit, & senes ad supplicium condemnavit.

Susanna est anima. Vir ejus est Christus. Viridarium Christi est Religio. Aqua, quæ est ibi, est fons devotionis. Unguentum, quod est ibi, est dulcedo consolationis. Ancillæ animæ sunt gratiæ, & virtutes. Duo senes sunt mundus, & Diabolus. Daniel est Prælatus, presbyter vel Sacerdos. Accidit igitur quod Susanna, id est, anima Christiana venit ad viridarium viri sui Christi, id est, statum suæ Religionis, ut ibi recreetur, & salvetur, & ut ibi aquâ devotionis, & lachrymarum à cunctis sordibus, & vitiis abluatur, & unguento divinarum gratiarum, & consolationum spiritualiter inungatur. Sed quandoque accidit, quod ista à se emittit ancillas, id est, virtutes per aliqua peccata, quæ committit in Religione, & sola sine virtutibus vult manere. Unde Luc. 10. *Soror mea reliquit me solam ministrare:* Et tunc verè insurgunt statim adversus eam duo senes scilicet Mundus, & Diabolus, qui tentant eam, & volunt, quod misceatur cum eis per vitia, & peccata, scil. cum Mundo per avaritiam, & luxuriam; cum Diabolo per superbiam, iram, & invidiam; quia tunc est sola, & non habet adjutorium gratiæ Dei. Sed quandoque Dei auxilio fit, quod ipsa scil. anima resistit, & non consentit, & tunc isti duo senes, scilicet Diabolus, & Mundus, imponunt sibi & procurant, quidquid mali possunt, tribulationes & labores. Veruntamen Dei juvamine, & operâ Danielis, id est, consilio Sacerdotis, ipsa evadit, nec perit manibus eorundem. Psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, &c.*

Vel dic, quod pomarium est mundus, ubi est jam uxor Joachim Dei patris, nempe anima, quæ dum credit mundi voluptatibus uti scilicet aquâ & unguento, id est, mundi prosperis, emittit ancillas, id est, virtutes; & sic senes, id est, caro, & Dæmon tentant eam, scilicet caro de luxuria, de superbia dæmon, & tunc ipsa est in periculo mortis æternæ, nisi clamat ad Dominum per confessionem, & orationem, & nisi à Daniel, id est, à Christo per suam gratiam liberetur. Psal. 118. *Me expectaverunt peccatores, &c.*

Vel dic, quod Susanna, quia erat sola, fuit in periculo damnationis, & ideo bonum est semper habere amicos secum, hoc est: locios bonos, ne propter sollicitudinem veniant nobis mala. Unde Gen. 2. *Non est bonum hominem esse solum.*

Vel dic, quod senes sunt Judices moderni, qui, si sit aliqua persona in viridario, id est, in juritdictione sua; quæ coram eis habet negotia; nisi eis sit favorabilis, & nisi eorum faciat voluntatem, eis applaudendo vel munera præsentando, verè non timent sententiare contra ipsam. Veruntamen Daniel, id est, Christus in fine ipsos crudeliter condemnabit. *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Matth. 7. & Rom. 2. & 14.

C Cap. 14. In Babylone erat idolum nomine Bel, quod rex, & populus colebant, ita quod rex infinitam quantitatem ciborum continuè tradebat Sacerdotibus Belis, ut ponerent coram Bele, qui fingebant, quod omnes cibos nocte qualibet devoraret, illi autem fecerant meatus subtus terram, per quos ipsi, uxores, & filii ingrediebantur, qui omnia devorabant. Daniel autem hoc volens probare, occultè pavimentum cinere superspersit, & sigillo regis ostium sigillavit. De nocte autem per occultos meatus Sacerdotes cum uxoribus, & parvulis venerunt, & quæ posita fuerant, comederunt, ita quod in cinereo pavimento vestigia virorum, mulierum, & parvulorum apparuerunt, & sic ipsorum malitiæ sunt repertæ, ita quod eos rex, & Babylonii punierunt, & idolum destruxerunt.

Babylon, quæ interpretatur confusio, est mundus plenus confusione. Bel est Christus, quia Bel interpretatur vetustas. Iste autem dicitur, Dan. 7. *antiquus dierum.* Iste autem in templo sanctæ Ecclesiæ colitur, & tam à regibus quàm à cæteris populis adoratur. Quid? Pro certo reges, & populi tradiderunt à principio maximas impensas, cibos, reditus, possessiones Sacerdotibus Bel, id est, Christi Sacerdotibus, & viris Ecclesiasticis, ut ipsi Bel, id est, Christum in persona pauperum per eleemosynas, & in persona propria per devotionem nutrirent; ipsi verò fingunt & dicunt, quod Bel omnia devorat & consumit, id est, quod omnia in divinis usibus consumuntur. Sed ipsi habent occultos meatus, per quos transeunt, & introeunt, & uxores eorum, & filii; qui bona data Ecclesiæ devorant, & consumunt. Et ideo sicut Daniel projecit cinerem in pavimento, sicque in crastino apparuerunt vestigia virorum, uxorum, & puerorum, & sic deprehensa est fraus eorum, & sic templum, & sacerdotes à rege sunt destructi; Ità etiam verè charissimi in templo H Ecclesiæ apparent tot vestigia istarum concubinarum, & filiorum eorum, quod jam quasi publicum est; ita quod sacerdotes amodo non possunt dicere, quod talia bona à Bele devorantur, id est, in Dei usibus expendantur, quia planum est, quod in pomparum suarum, id est, in virorum, filiarum & concubinarum utilitatibus expendantur. Et ideo pro certo hodie rex, & populus, visis hujusmodi fraudibus, subtrahunt eis redditus, & impensas, quas antiquitus dederunt, & templum Ecclesiæ cum suis Sacerdotibus, quantum possunt, destruunt, & subvertunt, ideo dicitur Malach. 2. *Vos sacerdotes recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Levi, propter quod dedi vos contemptibiles omnibus populis, & humiles.*

Vel dic, quod rex est Christus, cujus templum Ecclesiæ intrant mulieres, infantes, & parvuli, id est, personæ ignorantes, per vias occultas; id est, occultè, & simoniacè per favores, & dona; & hoc non ut ipsi serviant Deo; sed ut ipsi comedant, & habeant impensas, id est, temporales divitias, quæ sunt ibi; modò autem omnia sunt sigillata sigillo regis; quia quamdiu durat vox hujus vitæ, non apparent merita personarum; sed quando transibit vox hujus vitæ, tunc apparebunt vestigia talium, tunc videbuntur mala, quæ modò faciunt, & modi horum ingressûs, & tunc à rege Christo æternis cruciatibus occidentur. Unde Thren. 1. *Vidit gentes ingressas sanctuarium, de quibus præceperas, ne intrarent, &c.*

Moralitatum super Danielem finis.

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS quintus super Jonam.

Capitulum primum. Textus. Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi.

Moralitatum Cap. Unicum.

JONAS Propheta, cui Dominus præceperat, ut iret in Niniven, destructionem urbis prædicare, voluit à facie Domini fugere, & inventa navi disposuit in Tharsis navigare. Veruntamen, cum esset in navi, descendens ad profundum navis, cœpit sopore gravi dormire; tempestas autem propter ipsum in mari surrexit, quæ navem, & nautas ferè submersit; sed nautis ad sortes recurrentibus, & propter quem tempestas fieret, scisitantibus, cecidit sors super Jonam. Qui statim è somno evigilat, & compertâ causâ, in mare projicitur, & statim tempestas sistitur, & sedatur. Dominus autem cetum præparavit, qui Jonam deglutivit, & ipsum triduo in suo ventre viventem, & Deum orantem tenuit, & tandem ad litus maris ipsum portavit, & evomuit. Qui tandem pergens Niniven, mandatum Dei loquitur, & post quadraginta dies submersionem minatur, quæ tamen pœnitentiam faciens liberatur.

Ista exposuit Christus allegoricè de se ipso dicens Matth. 12. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ,* & ideo possumus dicere, quod Jonas, qui interpretatur columba, Christum pium, simplicem, & columbinum significat, qui procul dubio pro prædicando in Niniven, id est, in mundum à patre mittitur. Et quia tempestas tribulationis, & damnationis aliquo modo cessare nequibat, à nautis, id est, à Judæis de navi Hierusalem ejicitur, & in mari, id est, in mortis amaritudine damnatur. Dicebant enim Judæi illud Matth. 18. *Expedit, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & submergatur in mare.* Et illud Joan. 11. *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, ut non tota gens pereat.* Istum igitur cetus piscis immanis, id est, terra vorattix per sepulturam absorbuit, & ibi triduo continuit, sed post triduum per resurrectionem evomuit, & tandem civitas hujus mundi per pœnitentiam salvata extitit. Unde illud Genes. 40. *Tres adhuc dies sunt, per quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet in gradum pristinum.*

Vel dic, quod Jonas significat quosdam discordes, & litigiosos à facie Domini per peccata fugientes, & in Tharsis, quod interpretatur explorans gaudium, id est, in explorationem gaudiorum sæculi pro viribus navigantes. Unde Job. 34. *Quasi industria recesserunt à Deo.* Qui gravi somno peccati obruti, totam navem, id est, Religionem, Ecclesiam, civitatem vel patriam, ubi degunt, tribulant, & turbant, & tempestatem, dissensionem, & exactionem excitant, & producunt. Sicut ad literam videmus in claustris, de quibusdam discolis, detractoribus, brigosis, & verbosis, qui non cessant discordiam seminare, dissensionum, & litium causa esse. Sicut enim dicitur Prov. 17. *Semper jurgia quærit malus.* Sicut & videmus de quibusdam malis Officialibus, & rixosis hominibus, qui quamdiu vivunt, non potest esse pax in patria; sed semper tribulatio vel tempestas; & ideo semper necesse est, quod sors fortunæ super tales finaliter cadat, & quod ipsos sua iniquitas comprehendat, & quod nautæ navis, id est, Prælati vel Rectores patriæ ipsos de navi, id est, de prosperitate, & statu dejiciant, & deponant in mare, id est, in tribulationum amaritudinem eos ponant, & devorandos ceto, id est, dæmonibus, vel malis hominibus & austeris Commissariis, & Ballivis eos tradant, qui scilic. eos ad litus aridum, id est, ad paupertatis statum evomant, & deducant. Ista quotidie videmus de istis malis hominibus, mundum tribulantibus, & in mundi prosperitate B dor-

Digitized by Google

dormientibus, quia finaliter deponuntur, & in mare tribulationum
C ponuntur, & ceto, id est, duris Commissariis examinandi traduntur, à quibus ad littus paupertatis postea evomuntur. De istis igitur dicitur Prov. 22. *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ.*

Vel dic, quod iste dormiens est peccator, delitiis, & prosperitate gaudens, & in alios tempestates tribulationum excitans, qui finaliter in mare, id est, in amaritudinem tribulationum projicitur, & in mundi pericula; ibique à ceto, id est, à diabolo, & inferno voratur, & in ventre ejus iterum removendus, id est, resurrecturus servatur.

Cap. 3. Prædicante Jona, & subversionem urbis minante, *pervenit verbum ad regem. Qui surgens de solio suo, abjecit vestimenta sua, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & præcepit quod homines, & jumenta saccum induerent, & non comederent, nec biberent, sed omnes unanimiter jejunarent, & omnes in fortitudine ad Deum clamarent. Quod videns Dominus, & civitati illi pepercit, & ipsam non subvertit.*

Sic verè nullus est ità magnus Rex aut Dominus, quin debeat verba prædicatorum timere, & ad eorum verba solium per humilitatem descendere, saccum pœnitentiæ induere, & in cinere, id est, in mortis meditatione manere, & ad jejunandum, id est, pœnitentiam faciendam, homines & jumenta inducere vel monere. Quod si fecerit, à damnationis periculo se poterit liberare, aliàs enim necesse est ei tribulationibus corporis, & cordis subjacere. Unde Luc. 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Cap. 4. Hic habetis, quod super caput Jonæ subitò orta fuit hedera, quam desiccavit subitò ventus urens, &c.

Mundi prosperitatem intellige per hederam, quæ si subitò orta fuerit, ut communiter, necesse est ut recedat. Unde Prov. 13. *Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicatur.* Vide de hedera cap. suo lib. 12. & expone ibi.

Moralitatum super Jonam Prophetam finis.

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS SEXTUS, SUPER ZACHARIAM PROPHETAM.

Capitulum primum. Textus. In mense octavo in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam.

MORALITATUM CAP. I.

ZACHARIAS vidit quatuor cornua, & dictum est sibi, quod *illa erant, quæ ventilaverant Judam, Israël, & Hierusalem, & post vidit quatuor fabros.* Et responsum est sibi, quod *illi erant fabri, qui venerant cornua suprædicta deterere.*

Ista signa potes generaliter applicare, quod non est dare tam durum seu crudelem Tyrannum, quin quandoque inveniat duriorem. Quatuor enim cornua duros, & elatos peccatores significant; qui in quatuor mundi partibus manent; qui etiam revera Judam, id est, Deum confitentem, Israël, id est, Deum contemplantem; Hierusalem, id est, pacificè conversantes, tribulationibus feriunt; sed Dominus contra tales fabros præparat, quando alios bonos judices, vel alios fortiores Tyrannos ad confringendum istorum elationem, & proterviam procurat: & pro certo quotidie videmus, quod Tyranni Officiales, & usurarii, postquam bonos diu ventilaverunt, solent invenire fabros Domini, id est, aliquos alios Commissarios, qui ipsos, & eorum superbum statum confundunt. Unde Eccles. 5. *Excelso alius excelsior est, & in his quoque alii eminentiores sunt.*

Vel dic, quod quatuor cornua sunt quatuor malæ affectiones, scilicet gaudium inaniter exhilarans; dolor malè affligens; timor malè humilians; spes malè præsumens. Ista sunt cornua, quæ malè animam ventilant: & quidem Judam, id est, confessionem, Israël, id est, contemplationem, Hierusalem, id est, concordiam, & pacis unionem. Et ideo quatuor fabri, id est, quatuor virtutes Cardinales sunt ad ista cornua conterenda necessariæ, & ad malas affectiones quadruplices moderandas. Unde Ezech. 33. *Contra malum bonum est.*

E Vel dic, quod quatuor cornua sunt quatuor species elationis, superbiæ, scilicet elatio propter eminentias, propter divitias, propter proprias virtutes, propter mundi favores, & famæ varias opiniones. Sed quatuor fabri, id est, quatuor sensus humilitatis, ista quatuor cornua conterunt, quia quatuor species humilitatis, quæ sunt.

Spernere nullum, spernere mundum, spernere sese,
Spernere se sperni;

Quatuor ista superbiam tollunt. Psalmo 74. *Cornua peccatorum conterentur, &c.*

Capitulum quartum. Textus. Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me.

MORALITATUM CAP. II.

VIdit Zacharias unum candelabrum aureum totum, quod habebat lampadem cum lucernis, & septem olei infusoria. Juxta quod duas olivas vidit, quarum una ad sinistram lampadis stabat, ad dexteram alia.

Candelabrum in Ecclesia est quicunque justus, plenus sapientiâ, & quicunque alios illuminat doctrinâ, qui totus debet esse aureus, id est, sanctus, non solùm intus in conscientia; imo exteriùs in apparentia. Unde Paral. 3. *Deauravit eam intrinsecus auro mundissimo.* Iste igitur debet habere lampadem Spiritus sancti cum septem lucernis, id est, cum septem donis; & duas olivas, id est, duas species misericordiæ spiritualis, & temporalis, cum suis infusoriis, id est, cum suis septem operibus piis.

Vel dic, quod candelabrum illuminans Ecclesiam est Spiritus sanctus, cujus lampas, odor, & charitas septem lucernas, id est, septem dona continet; quod septem fusoria, id est, septem misericordiæ opera, oleum eleemosynarum, & pietatis infundentiam secum habet, & quod prope se duas olivas habet, id est, duas species virorum misericordium (scilicet istos, qui temporaliter, & spiritualiter pietatem faciunt) visitat, & confortat; quia misericordia temporalis, quæ consistit in alios pascendo, hospitando, sepeliendo; & misericordia spiritualis, quæ consistit in alios corrigendo, docendo, & consolando, & eis remittendo, & pro eis orando; lampadi, id est, Spiritui Sancto, vel charitati vicina sunt, & ab ipsis proveniunt; ut de istis duobus generibus misericordium dicatur illud Zachar. 4. *Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ.*

Capitulum quintum. Textus. Et conversus sum. Et elevavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans. F

MORALITATUM CAP. III.

VIdit Zacharias volumen, cujus longitudo erat viginti cubitorum, latitudo decem, in quo maledictio contra fures & perjuros continebatur.

Talis est sacra scriptura, quia ista est volumen involutum, à paradiso volitans, & alatum; cujus longitudo est fides, quæ in viginti cubitis, id est, in viginti particulis distincta consistit; in quantum septem Sacramenta, septem virtutes, & sex opera misericordiæ continet; latitudo decem mandata legis tenet, in quibus fur, & perjurus maledicitur, & ad mortem perpetuam condemnatur.

Duas vidit Zacharias mulieres, quæ habebant alas quasi milvus; & spiritus erat in alis earum, quæ unam amphoram inter cœlum, & terram levabant, & eam, ut ædificaretur ei Domus in terra Sennaar, deferebant: in medio amphoræ quasi mulier, quæ dicebatur impietas, continebatur, & massâ plumbeâ os amphoræ claudebatur. Ipsa verò amphora egrediens, & aliorum oculus vocabatur. *Hic est*, inquit, *oculus eorum in universa terra.*

Per istam amphoram profundam potest intelligi usurarius vel avarus, qui scilicet per avaritiam est insatiabilis, & capax; per malitiam est profundus, in qua ista mulier, quæ est impietas continetur, & in ipsius animo massa plumbea, id est pondus malæ consuetudinis continetur. Impietas enim, id est, crudelitas in amphora, id est, in corde usurarii vel avari sedet, & ibi sicut in hospitio suo manet; sicut videmus de usuratiis, quorum voluntas caret pietate, & quorum conscientia est plena omnimoda crudelitate. *Vocabuntur termini impietatis, & populus, &c.* Patet etiam quod massa plumbea, id est, pondus malæ consuetudinis impietatem in istorum conscientia taliter detinet, quod ipsam contrahere verbo vel verbere nullus valet. Satis non potest Deus vel Prælatus percutere vel prædicator urgere, quia iniquitatem suæ perversæ conscientiæ nunquam ab istis poterit amovere. Unde Isa. 9. *Succensa est quasi ignis impietas.* Ista amphora dicitur egrediens inter cœlum, & terram, pondus dicitur oculus terram dirigens. Dicitur ad terram Sennaar, quod interpretatur fœtor, finaliter tendens; & sicut visum est, dicitur impietatem continens; quia procul dubio avarus à Dei gratia, & amicitia egreditur; inter cœlum, & terram, id est, inter alta & infima, per status sui instabilitatem, & inconstantiam suspenditur; cœcorum sæcularium lux, & oculus, rector, & director creditur; impietate repletur, & finaliter in terram fœtorum inferni defertur, ubi locus talium finaliter ordinatur. Hier. 19. *In Tophet sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum.* Sed istæ duæ mulieres istam amphoram de terra erigunt, & eam in terra Sennaar deducunt, quia duæ mulieres, id est, duo mollia vitia, scilicet carnalis parentum affectio, & terrenorum ambitio improbantur, quibus scilicet annexæ sunt alæ milvi, id est, quædam pigritia, & superbia, & elatio, & in istis alis virtutis præsumptio; quæque istam amphoram, scilicet avarum, & peccatorem per inanem spem erigunt, ita quod eum semper velle sursum ad cœlum, id est, ad celsitudinem statûs ascendere faciunt, & tamen

Digitized by Google

men constat, quod inter cœlum, & terram remanet, quia nunquam attingit ad celsitudinem, quam optat, quinimo semper solet in pendulo manere, & nullam statûs certitudinem obtinere; quia non sufficit istis status inferior, quem relinquunt; Cælum autem, id est, statum altiorem non possunt attingere, quem exposcunt, & sic inter cœlum, & terram, id est, in incertitudine statûs remanent, quia illud, quod desiderant, attingere non valent. Unde Ezech. 8. *Elevavit me spiritus, & statuit me inter cœlum & terram*, spiritus, dico, elationis. Istæ igitur mulieres, id est, affectus carnales, & avaritia istam amphoram, id est, peccatorem in terram Sennaar, id est, in campum fœtoris, scilicet in infernum portant, ubi locum perpetuæ mansionis sibi præparent. Ezech. 23. *Fili hominis, duæ mulieres fuerant filiæ matris unius.*

Vel dic, quod duæ mulieres, quæ peccatorem in inferno portant, sunt mundus, & caro; uxor diabolus, vel carnalis voluptas, vel spes pœnitentiæ finalis, & timor afflictionis. Illæ malæ mulieres alas superbiæ possident, & spiritum malæ affectionis habent, & ideo amphoram, id est, peccatorem in infernum deferunt. Vide, si vis, supra de elephante cap. ult.

Capitulum sextum. Textus. Et conversus sum, & elevavi oculos meos, & vidi.

Moralitatum Cap. IV.

H Zacharias vidit quatuor quadrigas egredientes è medio duorum montium æreorum, quarum prima habebat equos rufos, secunda nigros, tertia albos, quarta fortes & varios.

Dic, si vis, quod istæ quatuor quadrigæ sunt quatuor Virtutes Cardinales, scilicet fortitudo, temperantia, justitia, & prudentia. Istæ sunt quadrigæ Domini, ad quas debemus esse ligati, & jugo disciplinæ, & obedientiæ subjugati.

Istæ enim à duobus montibus æreis, id est, à duabus animæ potentiis perpetuis, & solidis, scilicet intellectu, & affectu oriuntur, & ab ipsis naturaliter producuntur, quæ quadrigæ quatuor habent species equorum, scilicet hominum sibi famulantium, quia fortitudo habet equos rufos, id est, Martyres proprio sanguine rubricatos. Temperantia habet nigros, scilicet Confessores per squalorem pœnitentiæ offuscatos. Prudentia habet albos, id est, Doctores lumine scientiæ dealbatos. Justitia habet varios, id est, bonos Prælatos, & Principes, nunc ad promovendum, nunc ad puniendum æquitate prævia, variatos. Isti sunt igitur equi Domini, id est, Viri Sancti, qui quadrigas Virtutum Cardinalium traxerunt, quibus mediantibus, merces meritorum portaverunt, & in se ipsis vexerunt. Unde Abac. 3. *Quis ascendet super equos tuos? & quadrigæ tuæ salvatio.*

Vel dic, quod quadrigæ quatuor cum equis suis, sunt quatuor status, & conditiones, scilicet niger, qualis est status Monachorum nigrorum, Augustinianorum. Rufi, qualis est Minorum, Cistertiensium. Albi, qualis est Carmelitarum. Varii, qualis est sæcularium Clericorum, & laicorum, qui determinatum habitum non habent. A

Vel dic, quod equi sunt viri justi, quorum quidam sunt rufi per charitatem, nigri per humilitatem, albi per innocentiam, & castitatem, varii per honestatem. Psal. 44. *Circumamicta varietate.*

Vel dic econtra, quod equi diaboli sunt peccatores, Isa. 31. *Equi eorum caro, & non spiritus;* istorum quidam sunt rufi per malitiam, quidam nigri per infamiam, quidam albi per hypocrisim, quidam varii per duplicitatem, & inconstantiam.

Moralitatum super Zachariam Prophetam finis.

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS IN LIBRUM PRIMUM MACHABÆORUM.

Capitulum primum. Textus. Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo.

Moralitatum Cap. I.

Alexander Rex Macedonum multos reges, & principes debellaverat, munitiones eorum confregerat, spolia multitudinis gentium acceperat, & in manu forti regnaverat super terram; & factum est, quod moreretur, & regnaverunt pueri ejus, unusquisque in regno suo; & imposuerunt sibi diademata, & multiplicata sunt mala in terra.

B Sic verè dico, quod Alexander, qui interpretatur auferens angustias tenebrarum, id est, bonus Prælatus, qui tenebras angustiæ, & ignorantiæ per sapientiam scit auferre; angustias subditorum per dulcedinem, & clementiam scit lenire; quandoque regnat in Ecclesia, vel patria ità fortiter, & prosperè, quod malos Tyrannos fortes suppeditat, munitiones, id est, malas cogitationes eorum dissipat, spolia scientiarum, & divitiarum undequaque augmentat. Sed sæpe fit, quod ipso mortuo in regno ejus vel Ecclesia divisiones solent fieri; ità quod depuetis suis, id est, subditis quilibet vult regnare, & diadema jurisdictionis capere, ità quod sine rege, & regimine, quilibet ambitiosè cupit imperare, vel saltem sine jugo, sicut Rex, vivere, & manere. Unde Judic. 18. *in diebus illis Rex non erat in Israel, sed unusquisque hoc, quod volebat, faciebat.* Ista enim in Ecclesiis, vel conventibus post mortem Prælati videntur: quia quilibet imponit sibi diadema; in quantum Prælati fieri præsumunt, & imaginantur, & quilibet in loco suo regnat; in quantum vagabundi fiunt, & obedire Majoribus dedignantur, & sic mala multiplicantur in terra; quia per mortem boni Prælati, & per dissensionem eligentium, per insolentiam præsumentium subditorum fiunt in Ecclesia multa mala. Sicut dicitur Prov. 11. *Ubi non est gubernator, populus corruet.*

Factum est, quod Antiochus radix peccati imponeret sibi duo diademata, & regnaret super Asiam, & Ægyptum; non sufficiebat sibi regnum Asiæ, & Græciæ possidere, nisi etiam studeret alienum regnum, scilicet Ægypti per violentiam usurpare. Cum igitur prævaluisset contra Ptolomæum regem Ægypti, & spolia quamplurima congregasset, apposuit etiam filios Israël impugnare. Intravit igitur sanctificationem in superbia, & accepit altare aureum, & mensam, & candelabrum, phialas, mortariola aurea, velum, cortinas, & ornamentum aureum, quod erat in facie templi, & accepit aurum, argentum, vasa concupiscibilia, thesauros occultos de domo Domini, & comminuit omnia, & sublatis omnibus in terram suam rediit, & Hierusalem tristem, & desolatam dimisit. Causa autem, quare ista mala filiis Israël Deus permiserit pervenire, redditur ibidem; quia in diebus illis exierant ex Israël filii iniqui, qui à testamento Dei recesserant, & testamentum cum gentibus disposuerant, gymnasium secundùm modum gentilium in Hierusalem extruxerant, præputia sibi fecerant, & C nationibus se junxerant, & venundati erant, ut facerent mala. Et accedentes ad regem potestatem faciendi justitiam impetraverunt. Quibus Deus indignatus ipsam civitatem Hierusalem in manu Antiochi reddidit, qui templum, & civitatem, ut dictum est, expoliavit.

Exponendo mysticè, dico, quod Hierusalem Ecclesiam significat, quæ filios Israël, id est, Ecclesiasticos, Deum videntes, continet; & sic fit, quod hic inveniuntur multi iniqui testamentum Dei, & cultum religionis, & Ecclesiæ contemnentes, & ab eo per vitia recedentes; testamentum gentium, id est, ritus, & mores sæcularium eligentes; & se in moribus, & ritibus, & gentium nationibus, id est, sæcularibus conformantes; gymnasia sæcularis scientiæ, in Hierusalem, id est, in Ecclesiam introducentes; & præputia carnalis vitæ sibi facientes; & à rege, id est, à Principibus sæcularibus potestatem faciendi justitiam, id est, sæcularia officia, commissiones, & negotia, impetrantes. Videns igitur Dominus filios Israël, id est, Ecclesiasticos in sæculares converti; vitam regularem, & Ecclesiasticam negligere, & sæcularem diligere, & amplecti, solet eos Antiocho, id est, mundi Tyrannis, & Regibus subjugare, qui jam non cessant Hierusalem, & templum ipsius, id est, Ecclesiam, & Religionem bonis suis temporalibus spoliare. Psal. 105. *Tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos.* Non enim sufficit istis Principibus, quod notabilia regna habeant; quinimo ad alia regna, possessiones, & terras jugiter aspirant, & anhelant. Nec eis sufficit Ægypti, id est, mundi spolia, & divitias tollere; nisi etiam contra Hierusalem, id est, contra Ecclesiam studeant rapinis dimicare, & eam bonis ipsius spoliare. Isti igitur duo diademata sibi imponunt, in quantum in mundo, & in Ecclesia dominari quærunt, Clerumque gravant, & premunt.

Vel dic contra ambitiosos: Antiochus, qui interpretatur pauper silens, significat ambitiosos, qui in principio se esse pauperes prædicant: silentes, & pacificos se fingunt. Psal. 87. *Pauper ego sum & in laboribus, &c.* Sic igitur hi faciunt: quasi super duo regna imperant, dum duo officia studeant acquirere; etenim, regnum proprium, id est, status sibi proportionatus sibi non sufficit; quinimo regna & beneficia aliorum ambiunt, & cupiunt, & sic quandoque fit, quod Ptolomæum de regno Ægypti, id est, aliquem alium de sua dignitate deponunt, & sic duo diademata, id est, duas dignitates sibi accipiunt. Apocal. 13. *Habet duo cornua similia agni.* Et alibi. *Intravit Ptolomæus Antiochiam, & imposuit* D *sibi diademata.* Sed istis adhuc non sufficit, nisi ad Hierusalem, id est, ad templum, id est, ad majoris statûs, vel dignitatis Prælaturam veniant, quam superbè, & ambitiosè intrare procurant. Isti igitur mediante exercitu suo, id est, altis Principibus Sæcularibus intrant sanctificationem, id est, Ecclesiæ prælationem in superbia; ubi pro certo cum intraverint, statim se convertunt ad vasa aurea, & argentea, ornamenta, & supellectilia, id est, ad Ecclesiæ divitias deprædandum, ad subditos molestandum, & templum sibi commissæ Ecclesiæ spoliandum, & quod deterius est, quicquid possunt in ista Hierusalem, id est, in isto templo rapere, in terram suam ad literam portant, in domo paterna palatia ædificant, & de bonis Ecclesiæ nepotulos ditant, & sic templum suum depauperare, ut ditent alios, nunquam cessant. Illud autem infortunium miseræ Hierusalem meritò supervenit, quia filii, scilicet mali Ecclesiastici,

Digitized by Google

ſiaſtici, à teſtamento legis divinæ recedunt, & per diverſa peccata nationibus ſæcularibus ſimiles atque pares fiunt. Et ſic habere talos Prælatos propter peccatum populi merentur, cum delinquunt. Unde Job. 34. *Dominus regnare facit hominem hypocritam propter populi peccata.*

Vel dic, quod talis Antiochus eſt diabolus, qui propter peccata Chriſtianorum uſque ad Hieruſalem, id eſt, uſque ad Chriſtianorum fidem exercitum vitiorum deduxit; ſanctificationem, id eſt, ſtatum religionis cum ſuperbia intravit, & inde ornamenta ſpiritualia abſtulit penitus. Exinde enim ſuſtulit altare devotionis, candelabrum diſcretionis, menſam compaſſionis, phialas prædicationis, mortariola divini timoris, velum continentiæ, & caſti nitoris, coronas eminentiæ, & honoris, & ornamentum bonæ converſationis, & ſpiritualis honeſtatis, & decoris. His enim omnibus jam videtur Eccleſia per diabolū ſpoliata, & ad triſtem deſolationem deducta. Aurum enim & argentum, & occultos theſauros, id eſt, ſapientiam, clementiam, & virtutes ſuſtulit, & vaſa concupiſcibilia, id eſt, bonas, & ſanctas perſonas exinde rapuit, & amovit. Unde Thren. 1. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Et hoc pro certo, quia filii Iſraël, & viri Eccleſiaſtici, qui nationibus ſæcularibus ſe conformare nituntur, & teſtamentum Dei, & cultum religionis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ abominantur, talia incurrere promerentur. Unde Ezech. 23. *Scelus tuum, & fornicationes tuæ fecerunt tibi, &c.*

Vel ſi vis dic, quod Antiochus eſt malus Prælatus, quo intrante, & imperante in Hieruſalem, id eſt, in Eccleſia, vel Religione ſtatim per ſuum malum regimen ibidem deficiunt ſpirituales, & temporales divitiæ ſupradictæ, quia Proverb. 28. *Regnantibus impiis ruina hominum.* Idem autem dic de malo Principe, quando incipit in patria dominari.

Conſequenter ibidem dicitur, quod ſpoliato templo per Antiochum ingemuerunt principes, ſeniores, & juvenes; virgines infirmatæ ſunt, & ſpecioſitas mulierum eſt immutata; & omnis maritus ſumpſit lamenta, & univerſa domus Jacob induit confuſionem.

Sic verè templo Eccleſiæ expoliato, principes, ſeniores, juvenes, virgines, mariti, & mulieres, & omnis ſtatus ſæcularium perſonarum ſpiritualiter infirmantur, & de bono in malum immutantur. Conſtat enim, quod Eccleſiaſticis à diabolo per peccatum ſpoliatis, ſæculares ſolent malo exemplo eorum faciliter deſolari, & à virtutum tramite immutari. Iſa. 24. *Sicut populus, ſic ſacerdos.*

Dicitur conſequenter ibidem, quod princeps tributorum miſſus à rege, venit Hieruſalem, & locutus eſt eis verba pacifica in dolo, & crediderunt. Sed cum intra urbem receptus fuiſſet, irruit repente in civitatem, & perdidit populum ex Iſraël, & accepit ſpolia civitatis, & ſuccendit eam igni, & deſtruxit domos ejus, & muros ejus in circuitu, & captivas duxit mulieres & natos; & pecora poſſederunt. Et facta eſt Hieruſalem habitatio exterorum, & facta extera à ſemine ſuo; & nati ejus dereliquerunt eam, ſanctificatio ejus deſolata eſt, dies feſti ejus converſi ſunt in luctum, Sabbatha ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum: ſecundùm gloriam ejus multiplicata eſt ignominia ejus.

Moraliter Hieruſalem eſt anima, ad quam iniquus Princeps, id eſt, diabolus per tentationes ſe applicat, & ſibi in dolo ſub ſpecie boni mala ſuggerendo loquitur, ita quod quandoque per malas complacentias, & conſenſus ſibi credit, & eum recipit & admittit, ſed ſtatim poſtquam civitatem mentis per peccatum mortale intraverit, repente per vitiorum cumulum ſuper ipſam irruit, & populum ſuum, id eſt, potentias, & ſenſus deſtruit, ſpoliaque virtutum dirumpit; muros, diſciplinæ ſcilicet regularis, in ea deſtruit, & igne cupiditatis eam cremat, & comburit; mulieres, id eſt, bonas affectiones, natos ejus, id eſt, utiles operationes ab ipſa genitas captivat penitus; pecora verò, id eſt, beſtiales motus ibi poſſidet, atque nutrit; & ſic fit, quod iſta à ſuo ſemine, id eſt, à bonis virtutibus fit extera, atque alteri populo, ſcilicet vitiis fit ſubjecta. Nam ſanctificatio ſuæ devotionis deſolatur, feſtivitas ſpiritualis gaudii contriſtatur, ſabbathum quietis mentis ſollicitudinibus conturbatur, & ſic honor ſuæ ſpiritualis, & naturalis conditionis in nihilum commutatur, & ſic gloria, quam anima habuerat ante peccatum, in ignominiam convertitur. Thr. 1. *In circuitu ejus hoſtes ejus, facta eſt Hieruſalem quaſi polluta menſtruis.* Fatuum eſt igitur talem hoſpitem recipere, & cordis noſtri januas per conſenſum tali principi aperire.

Vel dic myſticè, quod Hieruſalem ſignificat Eccleſiam, Princeps ambitioſum. Iſta eſt enim veritas, quod ambitioſus in dolo verba pacifica loquitur, ſeipſum mitem diſſimulat, ut ingreſſus ſibi pateat, & ad ſtatum Prælationis, vel promotionis interiùs intra Eccleſiam admittatur. Sed quando ſe videt introductum, & ad Prælationis officium ſublimatum, in ſtatu, & officio confirmatum; ſtatim ſolet contra ſubditos per rapinas, & exactiones irruere, populum ſubditum perdere, ſpolia, & divitias hujus civitatis ſibi cumulare, muros civitatis, id eſt, libertates, & privilegia dirumpere, ignem crudelitatis ubique accendere, mulieres, & natos, id eſt, inferiores perſonas, & ſimplices ſcandalizare, & à ſtatu gratiæ captivare, pecora verò, id eſt, carnales perſonas ſecum accipere. Et ſic iſta civitas, ſive Eccleſia à ſemine ſuo, id eſt, ab omnibus filiis ſuis extera efficitur; in quantum nullus compatriota, vel gratiæ filius in ejus beneficiis, & officiis promovetur, fitque habitatio exterorum, in quantum iſti Prælati ibi introducunt multitudinem conſanguineorum, & compatriotarum ſuorum. Thr. 5. *Hæreditas terræ verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos.* Sub tali igitur Principe perit ſanctificatio devotionis, ſabbathum, & feſtum quietis, & conſolationis, honor dignitatis, & promotionis, & ut breviter concludatur, tota gloria commutatur in ignominiam vilitatis, & confeſſionis. Thren. 2. *Oblivione tradidit Dominus Sion, feſtivitatem, & ſabbathum.* Quia pro certo quantùm ſub bono Prælato, vel Principe, Eccleſia, vel patria conſolatur, tantùm ſub malo ambitioſo raptore confunditur; temporaliter, & ſpiritualiter deſolatur. Unde Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe in deliciis, tantum date ei tormentum.*

Sequitur ibidem, quod poſtquam per milites regis Antiochi, deſolata, & vaſtata eſt Hieruſalem; civitatem David, id eſt, arcem Sion ceperunt, & eam turribus, & muris munierunt, & conſtituerunt ibi gentem peccatricem, viros iniquos, & convaluerunt in ea, & ibi poſuerunt arma, & eſcas, & congregaverunt ſpolia Hieruſalem, & poſuerunt illic, & facti ſunt eis in laqueum magnum, & inſidias, & contaminaverunt ſanctificationem, & fugerunt inhabitatores Hieruſalem propter eos.

Sic verè Antiochus, id eſt, diabolus, & milites ſui, vaſtatâ civitate Hieruſalem inferiori, & ſubjugato prius ſtatu ſæcularium laicorum, & per diverſa peccata, & vitia multipliciter diſſipato; arcem Sion, id eſt, ſtatum bonorum & Religioſorum, ſibi myſticè, & ſpiritualiter dedicaverunt, & etiam eam ſibi habitationem fecerunt. Ibique ad literam poſuerunt gentem peccatricem, quæ præ cæteris hodie in Eccleſia ad literā convaleſcunt, & terrena proſperitate proficiunt atque creſcunt, quia ſæpè fit, quod in mundo, id eſt, Eccleſia illi, qui ſunt iniquiores, ſunt divitiis pleniores. Hierem. 12. *Quare impii proſperantur, & bene eſt omnibus, qui prævaricantur?* Ipſamque arcem, id eſt, Eccleſiæ ſtatum, ſpoliis Hieruſalem, id eſt, divitiis ſæcularium ditaverunt, eſcas, id eſt, delitias, & commeſſationes, arma, id eſt, pompas, & lites ibidem introduxerunt, & ipſam muris, turribus, caſtris, & domibus, omnibuſque pompis, & faſcibus accinxerunt. Sed revera iſta proſperitas temporalis ſibi per diabolum procreata, non cedit ſibi ad virtutum augmentationem, ſed potiùs ad iniquitatis accumulationem; quod patet ex hoc, quod ſequitur; quia illi, qui conſtituti ſunt in arce, id eſt, multi moderni Eccleſiaſtici, ſunt hodie in laqueum, & in inſidias aliorum; quia ipſi per fraudes, & malitias aliis inſidiantur, & ſic per malæ vitæ ſuæ ſcandalum alii pereunt, & ſcandalizantur. Et quia ſanctificationem Eccleſiæ per luxurias ſuas contaminaverunt, ideò habitatores Hieruſalem, id eſt, ipſi cives Eccleſiæ inferioris, ſcilicet ſæculares, à ſtatu gratiæ per iſtorum malum exemplum, vel ab amore Eccleſiæ fugere comprobantur. Et breviter iſta eſt veritas, quod mali Eccleſiaſtici ſunt hodie præcipui milites diaboli, & in ſtatu Eccleſiæ eſt hodie ſua ſpecialis habitatio, & aliorum illaqueatio, & deceptio. Unde Oſeæ 5. *Audite ſacerdotes domus Iſraël, laqueus facti eſtis ſpeculationi, ſicut rete expanſum ſuper Thabor.*

Antiochus Rex ſcripſit, & ordinavit per totum regnum ſuum, quod omnis populus unus eſſet, & quod unuſquiſque legem ſuam, & patrum ſuorum dimitteret, & legem ipſius, ſcilicet idololatriam, cuſtodiret. Et quod continuò occideretur, ſi quis his juſſionibus contrairet. Multi igitur in Hieruſalem legem Domini dimiſerunt, & regiis juſſionibus paruerunt. Præcepit igitur Rex ædificari aras, & templa & idola, ſacrificare carnes ſuillas, & peçora communia, & relinquere filios ſuos incircumciſos, & coinquinari animas eorum in immunditiis. Et qui ſacrificare renueret, moreretur. Abominandum etiam idolū ſuper altare Domini ædificavit Antiochus, ut ibidem dæmoniis immolaretur, ubi Domino fuerat immolatum; & præpoſuit principes populi, qui hoc fieri cogerent; qui etiam filios Iſraël in abditis effugaverunt, alii ante januas thura, & ſacrificia incenderunt, libros legis Domini combuſſerunt, & quoſcunque legem Domini ſervantes, & libros legis habentes invenire poterant, occiderunt; & libros, continentes leges idolorum, illuc tranſtulerunt, & eos, qui circumcidebant pueros ſuos, trucidabant, & ante domos eorum pueros à cervicibus matrum ſuſpendebant.

Sic verè diabolus iniquus ſummè cupit, quod lex ſua ab omnibus teneatur, & quod univerſæ generationes leges ſuas dimittentes, legi naturæ, & divinæ gratiæ renuntiantes, unus populus, ſcilicet reproborum efficiatur, & eidem ab omnibus famuletur; & nititur, quod in civitate Hieruſalem, id eſt, in conſcientia cujuslibet fidelis, & in Eccleſia, aras, templum ſuum, faciat, & quod ibi idola diverſorum vitiorum erigat, & quod carnes ſuillas, id eſt, vitium carnalitatis, ibidem offerendas inducat, quodque nullus filios ſuos, id eſt, affectus, & operationes à ſuis ſuperfluis vitiis circumcidat; ſed potiùs ſeipſum, & per luxuriam, & avaritiam coinquinet, & in immunditiis vitiorum vivat. Iſa. 66. *Anima eorum in abominationibus delectata eſt, &c.* Igitur iſte jam in templo Eccleſiæ abominanda idola deſolationis, id eſt, malos Eccleſiaſticos, &

Digitized by Google

cos, & Prælatos ſuper altare dignitatum & officiorum conſtituit, & erigit, qui ſcilicet abominabilis vitæ ſunt, & deſolationem ſuorum locorum faciunt, & inducunt. Hierem. 23. *Poſuerunt idola ſua in domo, in qua invocatum eſt nomen meum.* Jam libros divinæ legis, id eſt, ſcientiam Theologicam de Juda, & Hieruſalem, id eſt, de Eccleſia deſtruit, & libros ſuos, id eſt, lucrativas ſcientias immittit. Jam nullos pueros, id eſt, nullos fideles circumcidi à ſuperfluitate vitiorum permittit, quinimo illos, qui libros divinæ ſcientiæ habent, ſcilicet viros ſcientificos, iſtos etiam, qui pueros circumcidunt, id eſt, illos qui corrigendo alios, à carnis voluptate purificant, impugnat tribulationibus, & affligit. Principes ſuos, id eſt, hæreticos, & ſcelerum patronos ibidem collocat, per quos fideles ad hæc nefanda opera inducit multipliciter, & impellit. Sic igitur fit, quod iſta Hieruſalem, noſtra Eccleſia, multipliciter deſolatur, & creſcentibus vitiis, virtutibus denudatur, & legis divinæ cultu ceſſante, ibidem diabolus per vitia colitur, Hier. 7. *In deſolatione erit terra, &c.*

Capitulum ſecundum. Textus. In diebus illis ſurrexit Matathias filius Joannis filii Simeonis.

Moralitatum Cap. II.

CUm apparitores Antiochi veniſſent in civitatem Modin, & populum ad cultum idolorum cogerent, primò ante omnia
B aggreſſi ſunt Matathiam, pro eo quod ſacerdos erat, & inter alios erat ſolennior perſona; ſperabant enim quod iſto ad idololatriam inclinato, alii faciliter obedirent. Unde dicitur illi: *Princeps magnus, & ſolemnis es, atque clariſſimus es in civitate hac, ornatus filiis, & fratribus. Igitur accede prior, & fac juſſum regis, & ejus beneplacitum, & eris tu & filii tui inter amicos regis, & magnificatus auro, argento, & muneribus.* Veruntamen Matathias fortiter reſtitit, & legem Domini relinquere noluit, quinimo zelo Dei accenſus, idolum, quod fecerant, diſſipavit, & quendam Judæum, qui ad immolandum coram omnibus acceſſerat, ac apparitorem etiam regis, qui alios immolare cogebat, ſuper altare peremit, & tandem collectis ſecum ſociis, & amicis, ad montes, & ad deſerta confugit, & quicquid habebat, in civitate reliquit.

Sic myſticè loquendo, quando diabolus Rex inferni mittit ſatellites ſuos, ſcilicet inferiores dæmones, ut undique cultum idolorum, id eſt, vitiorum ſuſcitent, & ad hoc homines commoveant ſuis tentationibus & impellant, ante omnia nituntur Mathathiam, id eſt, bonos Prælatos, & ſacerdotes, id eſt, clariores, & diſcretiores, & ſuperiores perſonas decipere, & donis & precibus ad peccata allicere, ut ſic per malum illorum exemplum poſſint alios faciliter ſuperare. Unde 3. Reg. 22. *Non pugnabis contra quempiam, ſed contra Regem Iſrael;* Nam ſicut ponit hic Stephanus de Longotono, ſicut falco primam gruem primò invadit, ſic diabolus ad tentandum Prælatos, & Clericos primò currit. Unde 1. Reg. 31. *Totum pondus prælii verſum eſt in Saul regem.* Sed iſte debet fortiter reſiſtere, legem Domini non relinquere, ſed potiùs idola vitiorum pro viribus in civitate Eccleſiæ deſtruere, & Judæos, id eſt, ſubditos immolantes punire, & ipſos diaboli ſatellites ſuperare, & ſpiritualiter occidere, & relictis illis, quæ in civitate mundi habet, ſcilicet affectu terrenorum bonorum depoſito, debet in montem, & ſolitudinem paradiſi per affectionem & contemplationem fugere, & ad hoc ipſum alios invitare. *Qui Domini eſt* (inquit) *ſequitur me.* Iſa. 2. *Venite, aſcendamus ad montem Domini.*

C Hic habes, quod cum multi filii Iſraël aſcenderunt in ſolitudinem, & montes, ne ſacrificarent idolis, quæ jam in valle & civitatibus colebantur; ſe abſconderunt in abditis, & ſpeluncis. Satellites autem Antiochi conſtituerunt eis prælium ſabbatho, ad finem quod non ſe defenderent; cum ipſis arma ſumere in ſabbatho non liceret. Ipſi ergo ſe non defenderunt, nec arma contra hoſtes ſumpſerunt, & ſic uſque ad mille animas trucidati fuerunt. Mathathias autem & ſui propoſuerunt in ſabbatho arma ſumere, & contra hoſtes defendere ſe viriliter.

Illud poteſt allegari contra multos Religioſos, qui de civitate mundi, & de valle terrenorum exeunt ad montem perfectionis, & gradum aſcendunt Eccleſiaſticum, & in cavernis religionis nituntur ſe abſcondere, & ab idololatria & cultu vitiorum, quæ in mundi civitate coluntur, immunes & liberos eſſe ſe credunt, facientes illud, quod dicitur Gen. 19. *Non ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac.* Sed revera Dæmones ipſos ibidem tentationibus inſequuntur, & in diebus ſabbathinis, id eſt, in ipſa quiete contemplationis, & in montibus perfectionis, & ſpeluncis religionis contra eos præliantur. Qui quia arma bonorum operum non ſumunt, nec loca occulta, ſcilicet corda oppilant à malis deſideriis, nec claudunt, nec contra hoſtes viriliter ſe defendunt; ideo ipſi, qui in ipſo mundo non perierant, in Religionis, vel perfectionis apice vitiis pereunt, & ſuccumbunt. Fatuum igitur fuerat illis ad montes iſtos fugere, niſi vellent ſe fortiter armis bonorum operum defenſare. Sed revera non ſic Mathathias, & filii ejus, id eſt, non ſic boni, & prudentes Religioſi & Clerici; quia iſti in iſtis montibus, & ſpeluncis viriliter bonorum operum arma ſumunt, & ſeipſos, viriliter reſiſtendo, defendunt, & ibi non pereunt, vel delinquunt; nec periculum damnationis incurrunt.

Vel dic, quod dies ſabbathi ſignificat feſta, in quibus diabolus D
contra homines fortiùs inſurgit pro eo, quod eos vagos, & otioſos cognoſcit; quia tunc arma bonorum operum non aſſumunt; ſed potiùs otiis, ludis & lætitiis intendunt, & ideo tentati à diabolo faciliùs ſuccumbunt. Unde Thren. 2. *Vocaſti quaſi ad diem ſolennem, qui terrerent me de circuitu.* Boni tamen propter ſabbathum non ceſſant arma bonorum operum aſſumere, & ideo nec hoſtes eos per tentationes audent invadere; vel ſi invadent; ſolent contra eos fortiter dimicare, dicentes illud Marc. 3. *Utique licet in ſabbathis bene facere.*

Legitur de Mathathia, quod ipſe, & filii ſui adjunctis ſibi illis, qui voluntarii erant in lege, & fugiebant à malis, magnum exercitum collegerunt, & viros impios percuſſerunt, pueros incircumciſos circumciderunt, filios ſuperbiæ ſunt perſecuti, & aras, quas fecerant idololatræ, deſtruxerunt, tandem verò moriens filios ſuos inſtruxit, & eos ad pugnandum pro legibus ſalubriter erudivit.

Mathathias autem, qui interpretatur à Deo Datus, ſignificat bonum Prælatum, & ſuperiorem à Deo datum, & promotum; & non, à carnis affectione, ambitione vel ſimoniâ, vel laicorum potentia promotum. Unde Hebr. 5. *Non aſſumit ſibi honorem, niſi qui à Deo vocatur, ſicut Aaron.* Talis igitur debet viros devotos, & in lege Dei voluntarios ſibi adjungere, & eos in conſiliis, & beneficiis ſecum habere. Unde Eccleſ. 9. *Viri juſti ſint tibi convivæ, &c.* Impios viros debet perſequi, & punire, & de medio tollere, incircumciſos verò, id eſt, carnales ſuperfluitatibus morum, & divitiarum onuſtos debent corrigendo circumcidere. Aras verò idolorum, id eſt, avaros, & luxuriosos, in quibus ſcilicet, ſemper viget ignis cupiditatis; & carnalis voluptatis, thus ſuperbiæ, & fumus vanitatis, debet deſtruere, & tandem filios, & ſubditos ſuos debet inſtruere, & ad dimicandum ſi ſit neceſſe, pro legibus animare, dicendo illud 1. Machab. 3. *Accingimini, & eſtote filii potentes, &c.*

Capitulum tertium. Textus. Surrexit Judas Machabæus pro patre ſuo, & juvabant eum fratres ſui. E

Moralitatum Cap. III.

SUrrexit Judas Machabæus pro patre ſuo, & juvabant eum fratres ſui, & dilatavit gloriam populo ſuo. Induit ſe loricâ ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica, & protegebat gladio ſuo caſtra. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis in venatione rugiens, perſecutus eſt inimicos, perſcrutans eos, perambulavit civitates Judæ, & congregavit pereuntes, & nominatus eſt uſque ad noviſſimum terræ, & repulſi ſunt inimici præ timore ejus, & omnes operarii iniquitatum conturbati ſunt.

In iſtis verbis rectè ponitur exemplar, & regula cujuslibet boni Principis. Judas enim interpretatur confitens, vel glorificans. Machabæus interpretatur ingenioſus, protegens, & percutiens, quia revera bonus Prælatus, vel Princeps debet Deum laudare, prudens, & circumſpectus, ſubtilis & ingenioſus eſſe, innocentes protegere, peſtilentes percutere gladio juriſdictionis ſpiritualis vel temporalis, vel gladio ferventis orationis cordialis. Debet caſtra ſibi ſubjecta, id eſt, territorium ſuum, & Eccleſias, tam bona, quàm perſonas protegere, loricam juſtitiæ accipere, arma bellica virtutum induere, ut ſic poſſit gloriam, & proſperitatem populi ſib. ſubjecti dilatare, Ezech. 38. *Tu Cherub extentus & protegens.* Unde iſtis dicitur illud Apoſtoli: *ſtate ſuccincti lumbos veſtros, induite loricam juſtitiæ.* Debet etiam eſſe ſimilis leoni audacter arduа aggrediendo, & propter nullum quantumcunque magnum ab executione juſtitiæ tepeſcendo, ſicut catulus leonis debet rugire altiſonè prædicando, & ſic iniquos debet perſequi, ipſos ſeveriter puniendo, & eos debet perſcrutari, & inquirere, diligentiſſimè examinando, & civitates ad literam perambulare, ſubditos viſitando, & juſtitiam faciendo. Pſ. 100. *Perambulavi in innocentia cordis mei.* Et ſic talis Judas poterit dici ille, de quo Proverb. F
30. *Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum.* Et revera ſi noſtri Principes tales fuerint, tunc præ timore eorum, inimici ſui tam temporales, quàm ſpirituales repellentur; & ab eorum præſentia, & juſtitia terrebuntur; operarii iniquitatum formidabunt; pereuntes, ſcilicet pauperes, & tribulati, qui injuriam patiuntur ab aliis, defendentur, & congregabuntur, & ipſi per famam perpetuam, quam acquirunt, ubique nominabuntur. Illud eſt verum, quando in uno loco eſt juſtus judex, vel Prælatus, prudens, & ſeverus, omnes mali generaliter timent eum. Oſeæ 11. *Leo rugiet, & formidabunt filii maris, ipſe verò acquirit nomen perpetuum, & rotundum.* Unde Eccleſ. 15. *Nomine æterno hæreditabit illum Dominus.* Et 1. Paralip. 14. *Divulgatum eſt nomen David in cunctis regionibus.* Veruntamen adverte, quod dictum eſt, quod fratres ejus juvabant eum, quia quilibet bonus frater Canonicus, vel ſubditus, debet ſuperiori collaborare, & eum ſpiritualiter per orationes, & nominatim temporaliter per obſequia & ſubventiones beni-

Digitized by Google

benigniter adjuvare, quia Proverb. 18. *Frater adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Cujus tamen sæpissime fit contrarium, quia confratres,& subditi libentiùs laborant, quandoque ad superiorem confundendum,quàm ad eum adjuvandum. 2. Cor. 11. *Periculum est in falsis fratribus.*

Judas pugnans contra Apollonium, ipsum occidit, & gladium sibi abstulit, & quamdiu vixit, in ipso gladio semper pugnavit, & hostes suos debellavit. Tandem Seron princeps Syriæ contra eum applicuit, quem Judas gladio superavit. Illud potest exponi sic: Apollonius, qui interpretatur mirabilis, mundum significat, qui in cordibus fatuorum ut pulcher, & mirabilis rutilat, gladius ejus, cum quo impugnat peccatores, est ipsius prosperitas. Seron, qui interpretatur princeps mœroris, est Diabolus, quia pro certo Judas, qui interpretatur confitens, debet primo mundum per contemptum vincere, & gladium ejus, id est, mundi
G prosperitatem, quam sit mutabilis, labilis, & deceptibilis, per consideration accipere, & sic isto gladio, id est, hac consideratione mediante poterit Seron principem Diabolum superare.

Hic dicitur, quod populus videns populum Seron & multitudinem sui exercitûs, incepit dubitare de victoria, sed Judas dux eorum incepit hujusmodi sermonibus eos confortare, *facile*, enim *est multos concludere in manibus paucorum, nec est differentia apud dominum auxiliari in multis, vel in paucis, quia non in multitudine exercitûs potestas belli, sed de cœlo fortitudo est.*

Istud applica contra illos, qui in multitudine exercitûs gloriantur, & quod victoria magna dependet ab occulta Dei ordinatione, non à militum fortitudine; cujus signum est, quia plerumque fortiores à debilioribus vincuntur, & plures à fortioribus superantur. Vel si vis, dic, quomodo (si imbecilles, & timidi de suis viribus desperantes formidant Diabolum,& vitiorum exercitum, qui fortis est, & multiplex, invadere) Judas,id est,bonus dux, vel prædicator, debet eos ad sperandum in domino, & in Dei auxilio animare, & ad non timendum Diaboli potestatem invitare, dicendo illud 2. Paral. 20. *Nolite timere hanc multitudinem,non enim pugna vestra est, sed Dei.*

Adverte quod filii,qui erant in arce Hierusalem, erant duces eorum,qui veniebant contra eam.

Sic verè hodie sæpe fit, quod illi, qui tenent arcem, & apicem dignitatis in Hierusalem,id est,in Ecclesia, duces sunt, & adjutores Tyrannorum, & Principum, qui militant contra eam, quia ipsis dant decimas, & libertatem nocendi, & populum Ecclesiasticum deprimendi. Unde subditi possunt dicere illud Cant. 1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, quod de proditoribus potest dici, qui in terram, in qua habitant, extraneos hostes introducunt.

Cum plures duces Antiochi, scilicet Nicanor, & Gorgias & alii congregassent se ad prælium contra Judam in multitudine copiosa, factum est, quod idem Nicanor de victoria futura præsumens, pro negotiatoribus maritimarum civitatum mitteret, ut filios Juda ipsis pretio venderet, cum victoriam habuisset; promittebat enim nonaginta mancipia Judæorum eis danda esse pro talento argenti; ut sic de pretio ex captivitate futura Judæorum solvendo suppleret duo millia talentorum, quæ singulis annis Antiochus dabat pro tributo Romanis. Veruntamen nutu divino contrarium factum est, quia duces, reges, & eorum exercitus copiosi, à Juda & suis fuerunt victi, & multi occisi, & alii turpiter fugati. Negotiatores verò, qui pro emendis Judæis venerant, fuerunt ab ipsis suis pecuniis, quas portaverant, spoliati. 2. Machab. 8. Hæc enim poniuntur ibi.

H Illud applica contra præsumptuosos milites, qui paucitatem hostium vilipendentes, & in suorum multitudine, & fortitudine confidentes, & victoriam sibi promittunt, seque jam esse de infortunio eorum certos credunt. Unde quandoque fit, quod suos hostes, antequam eos vincant, aliis vendunt; & quod eorum terras aliis distribuunt, non advertentes, quod quandoque contrarium Deus ordinat, qui non in multitudine bellatorum, sed in suo beneplacito victoriam administrat. Sic igitur sæpe fit, quod illi qui præsumebant vincere, superantur, & qui alios sperant emere, ab eis spoliantur: quod utique tunc accidit, quando illi pauci ad Dei recurrunt auxilium,& de Deo, non de se,præsumunt, dum illi multi in superbia plus confidunt. Non debet quis quantumcunque fortis, & potens,sibi victoriam promittere, sed potiùs hostes suos, quanquam pauperes, & humiles, formidare; quia sicut ille dicit: Inimicum quamvis humilem docti est timere. Ideò ad reprimendam præsumptionem talium dicitur 3. Reg. 20. *Non glorietur accinctus,æquè ut discinctus,* quia, sicut hic dicitur capitulo præcedenti, *facile est apud Deum multos in manu paucorum concludi.*

Vel si vis,allega contra illos, qui gloriantur de infortuniis aliorum, tribulationesque horum æstimant suas consolationes, & per eorum gravamina, & damna sperant se ditari mercimoniis atque lucris, quibus sæpe fit, quod in eodem negotio, unde aliorum præjudicium sperant, viliratem acquirunt & miseriam; sicut ad literam erat de istis mercatoribus; qui ubi in alienis miseriis speraverunt lucrum, consecuti sunt præjudicium & damnum. Isa. 59. *Expectavimus lucem, & ecce tenebræ.*

Capitulum quartum. Textus. Et assumpsit Gorgias quinque A millia virorum, mille equites electos.

Moralitatum Cap. IV.

CUm filii Israël vicissent Nicanorem & Ptolomæum, Principes Antiochi,quos una cum Gorgia Lisias miserat contra eos, Gorgias adhuc ex diverso stabat, qui ipsos invadere proponebat. Quod advertens Judas,dixit filiis Israel. *Non concupiscatis spolia, quia bellum adhuc contra nos est. Gorgias enim & exercitus ejus prope nos est,sed state propè invicem contra inimicos vestros, & expugnate eos, & post hoc sumetis spolia.* Quod & factum est, quia primò Gorgiam vicerunt, & fugaverunt, demum verò ad diripienda spolia redierunt,inter quæ aurum, & argentum, hyacinthum & purpuram, & alias opes maximas invenerunt.

Isti igitur tres hostes,quos Lisias,id est, Diabolus contra nos mittit;mundum,carnem,& Diabolum significant, qui in hac valle miseriæ fideles fatigant. Ptolomæus, qui interpretatur ad mensuram deductus, carnem seu corpus significat, quæ finaliter ad mensuram deducitur,quando infra sepulchrum deducitur, & arctatur, Isa. 34. *Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum.* Nicanor, qui interpretatur stans lucerna,significat mundum, qui fatuis videtur stabilis, & lucens, & more lucernæ oculos mentis debilitans, & offuscans,& tamen istos,quos offuscat, alliciens. Unde ista est illa lucerna de qua Luc. 11. *Vide igitur,ne lumen, quod est in te, tenebræ sint.* Gorgias autem,qui interpretatur præcisio luctantium,significat Diabolum,qui luctatores,id est,mundi crudeles,& Tyrannos, finaliter præscindit, & prosternit, de quo potest exponi illud Gen. 32. *Ecce vir luctabatur cum eo usque ad mane, qui tetigit femur ejus,& statim emarcuit.* Ista est veritas,quod Judas & sui,id est,aliqui fideles Ecclesiæ Dominum confitentes, quandoque Ptolomæum, & Nicanorem,id est,carnem & mundum superant per castitatem, & contemptum; & de isto fortiter victorizant,ut quia statum Religionis, & pœnitentiæ subintrant. Sed quid? Pro certo Gorgias Diabo- B
lus adhuc latet, qui istos filios in castris mundanorum bonorum non inveniens, sed ea reliquisse comperiens, in montibus superbiæ quærere incipit, in quantum,quos per luxuriam, & avaritiam non potest vincere, per superbiam superare præsumit. Istis igitur debet prædicari, quod spolia illorum, quos occiderunt, non concupiscant, sed potiùs contra Gorgiam Diabolum, qui contra eos latet, præliaturos se præparent, & contra eum per perseverantiam stent, & per bona opera dimicent, & postea, obtentâ victoriâ, post hanc vitam spolia Paradisi tuti inter se dividant. Illa enim spolia, quæ possunt haberi ante plenam victoriam, scil. bona mundi, non debent à fidelibus, & maximè à Religiosis, concupisci; ne forte dum isti ad bona colligenda vacarent, contingeret eos à Gorgia Diabolo per avaritiam trucidari, quia sicut dicitur Prov. 19. *Melius est nunc humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.* Sed ista spolia, quæ post hanc victoriam consummatam (prout sunt bona gloriæ Paradisi) à bonis concupiscuntur, & tunc ab eis lætè & tutè possunt adipisci Isa. 9. *Exultant victores capta prædâ, quando dividunt spolia;* & tunc invenietur ab ipsis *aurum*, id est, clara visio, & æterna sapientia; *argentum*, id est, divinæ laudis dulcis resonantia; *Hyacinthus*, id est, cælestis immensitas, & permanentia; *purpura*, id est, ardens, & ignea charitas, & amicitia; *opes multæ*, id est, bonorum abundantia. Unde 2. Machab. 8. *Post Sabbathum* (id est, in superabundantia resurrectionis, & non modo) *debilibus viduis diviserunt spolia.*

Volens Judas purificare templum, quod ab Antiocho fuerat pollutum,& injectis idolis super altare ipsius maculatum, & sacrificiis factis & libatis dæmonibus inquinatum, elegit sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege domini, ut mundarent sancta, & transtulerunt lapides contaminationis, scil. idolum, quod super altare posuerant,in locum immundum.

Sic verè Judas dux belli, id est, Papa vel Episcopus, videns tem- C
plum Ecclesiæ ab Antiocho, id est, à Diabolo pollutum, & altare id est,statutum Ecclesiasticum, idolis, id est, vitiis inquinatum; immundis sacrificiis,id est,immundis operibus,ibidem dæmonibus, id est,ad suggestionem dæmonum sacrificatis atque factis, multipliciter defœdatum,debet sacerdotes sine macula, id est, mundos ministros quærere,qui legis divinæ, id est, fidei, & sacræ scripturæ sunt æmuli,quos ibidem debet ordinare, & in Ecclesia præficere, ut possint immunditias vitiorum abstergere, & mundare, dicens illud Isa. 1. *Lavamini,& mundi estote;* lapides verò contaminationis, id est, personas immundas,& peccatores, & inutiles, quæ more idolorum sunt ignaræ,indevotæ,desuper altare, id est, de Ecclesiæ dignitatibus deponere, & in locum immundum,& in statum infimum collocare.

Judas cum mundaret templum domini, & videret, quod altare pollutum erat, pro eo quod super illud positum erat abominandum idolum, & sæpiùs dæmonibus immolatum, deposuit illud

Digitized by Google

illud de loco ſuo, & loco ejus lapidibus integris altare novum conſtruxit, ſuper quod ſacrificia Domino immolari mandavit; lapides verò depoſiti altaris, decrevit ad partem ponere, quouſque propheta domini ſurgeret, qui de ipſis juberet aliud ordinari. Videbat enim, quod ſine ſcandalo ſtare illud non poterat altare, ex quo ſuper dæmonibus oblatum fuerat; quia illud non poterat ab illa macula ſive infamia aliqualiter mundari, nec ſine ſcandalo poſſet in eo Domino immolari.

Iſta poſſunt allegari contra infames Eccleſiaſticos; quia revera, ſi contingat altare Domini, id eſt, aliquem Prælatum, vel Eccleſiaſticum enormitate criminum pollui, & idolo abominando, ſcilicet peccato luxuriæ, hæreſis, vel ſimoniæ ſubſterni, & ſacrificiis dæmonum, id eſt, malis operibus maculari, dignus eſt is à ſtatu ſuo per Judam, id eſt, per Papam, vel ſuperiorem deponi, & ad partem, id eſt, ad ſtatum privatum, & infimum conſtitui, & alius integer, & novus, virtutibus innovatis, loco ipſius debet ſubrogari, Levit. 26. *Novis ſupervenientibus vetera projicietis;* quia dato, quod aliquis Eccleſiaſticus, qui aliquando publica crimina commiſerit, per Pœnitentiam poſſit mundari; nunquam tamen ſcandalum ſeu nota ipſius infamiæ, quam incurrit, poteſt ab eo amplius ſeparari; niſi fortè poſt condignam emendationem ex reſponſo Prophetæ, id eſt, ex diſpenſatione Prophetæ contingat aliud ordinari. Inde eſt, quod ſacerdotes illos, qui idolis immo-
D laverunt, Deus prohibet miniſtrare, concedit tamen ipſis, quod poſſunt ædituorum, & janitorum officium exercere; Ezech. 44. Dato enim, quod peccatum talium per pœnitentiam tollatur, infamia tamen non faciliter abrogatur, ideo ipſis ſublatis, alius opponatur. Unde Hebr. 10. *Aufert primum, ut ſequens ſtatuat.*

Hic dicitur, quod Judas, & ſui videntes ſanctificationem deſertam, altare profanatum, portas exuſtas, in atriis virgulta nata, paſtoforia dirupta, planxerunt, & impoſito cinere ſuper capitibus ſuis ad Dominum lacrymabiliter clamaverunt. Et primò illa, quæ erant intrinſecùs intra domum; Ædem quoque & atria ſanctificaverunt; novum altare ad ſimilitudinem prioris ex lapidibus ædificaverunt, vaſa ſancta nova fecerunt, candelabrum, menſam, & altare incenſi in templum poſuerunt; incenſum ſuper altare, panes ſuper menſam, lucernas ſuper candelabrum ordinaverunt; velum appenderunt; ſacrificia obtulerunt; & templum profanatum dedicaverunt, & faciem templi coronis aureis ornaverunt; paſtoforia deſtructa reparaverunt; januas in eis poſuerunt; & ſic cum ingenti lætitia dedicationem templi in ſequenti anno, eodem die, quo profanatum fuerat, celebraverunt.

Sic verè dico, quando Judas, & ſui, id eſt, Papa, & Cardinales, & ſancti Chriſti fideles vident ſanctificationem univerſalis Eccleſiæ per virtutum ſterilitatem deſertam, & à bonis, & honeſtis perſonis viduatam, & quando conſiderant, quod portæ ejus, id eſt, Prælati, per quos intratur, per avaritiam ſunt exuſtæ, altare, id eſt, viri religioſi, in quibus thus orationis & devotionis redolere debet, per luxuriam ſunt profanati: atria, id eſt, ſæculares clerici, virgultis, id eſt, virentibus & creſcentibus carnalibus affectionibus nepotum, & malorum familiarium turbis ſunt pleni: paſtoforia, id eſt, ſæculares, qui alios habent per elëemoſynas, & temporales ſubventiones paſcere, ſunt dirupti, & diverſis vitiis
E deſtructi: ſummâ poſſunt compaſſione triſtari, & iſtam ruinam univerſalem lacrymabiliter lamentari, quia juxta lamentationem Hier. 2. videtur quod *cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion. Luxitque antemurale, & defixæ ſunt in terram portæ ejus.* Ideo pro certo ſummè debent iſti Superiores laborare, & curare, quod iſta ſacrificatio reparetur, & quod virtutes, quas indè Antiochus, id eſt, diabolus abſtulit, iterum reſtaurentur. Ponantur igitur ibi vaſa nova, id eſt, perſonæ virtutibus innovatæ; Altare ſacrificiorum, id eſt, boni activi, qui ſacrificia bonorum operum Deo offerant; aut altare incenſorum, id eſt, boni contemplativi, qui thus orationis Deo incendant. Candelabrum luminis, id eſt, viri diſcreti, & ſcientifici, qui alios doctrinis, & exemplis ædificent, & erudiant; Menſa propoſitionis, id eſt, viri miſericordes, qui panes, & elëemoſynas Deo in perſona pauperum miniſtrent. Velum appenſum, id eſt, viri mundi, caſti, & Religioſi, qui à ſpe æternorum ſemper pendent. Tales debent Prælati in Eccleſia conſtituere; ſacrificia bonorum operum introducere; paſtoforia dirupta, id eſt, paſtum eleemoſynarum ibidem reparare; Januas exuſtas, id eſt, Prælatos defectuoſos reficere, & ſic debent templum Eccleſiæ ſpiritualiter renovare, & Deo noviter dedicare, Roman. 12. *Nolite conformari huic ſæculo, ſed renovamini in novitate ſenſus veſtri.*

Vel dic, ſi vis, quod Judas qui interpretatur confitens, ipſum Confitentem ſignificat, quia ille templum conſcientiæ per vitia reformatum renovat & reformat. Ibi enim ædificat altare holocauſti, ubi ſacrificia incenduntur, id eſt, fervidam dilectionem. Altare incenſi, id eſt, odoroſam orationem. Candelabrum luminis, id eſt, lucidam diſcretionem. Menſam propoſitionis, id eſt, elëemoſynarum largitionem. Velum appendens, id eſt, puram & caſtam affectionem; & ſic ornat faciem templi coronis aureis, in quantum facie tenus introduxit coronam auream ad coronandam converſationem bonam; & ſic templum mentis ſuæ Deo dedicat, per ſanctitatem & devotionem; & ſacrificia ibidem immolat, per bonorum operum executionem.

Et dic, ſi vis, quod iſte Judas in principio, quando videt templum conſcientiæ ſuæ ab Antiocho diabolo per vitia depravatum; portas ſenſuum igne cupiditatis exuſtas: altare cordis per affectiones indebitas profanatum; & idolum abominandum, id eſt, peccatum mortale ibidem ſublimatum; paſtoforia charitatis, & atrium pietatis diſſipata; pro certo valde debet per contritionem do- F
lere, per compunctionem flere, per confeſſionem clamare, & ad templum per pœnitentiam renovandum totis viribus, & conatibus anhelare. Ædificat igitur altare, &c. ut ſupra. Unde 1. Eſdr. 1. *Dominus Deus cæli præcepit mihi, ut ædificarem illi domum:* & meritò, quia, ſicut dicit Apoſtolus 1. Cor. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Si quis* igitur *templum Dei violaverit, deſtruet illum.*

Ex capitulo quarto. Textus. Dixit autem Judas & fratres ejus.

Moralitatum Cap. V.

HIc habes, quod milites regis Antiochi acceperant arcem Sion, & ibi in munitione erant, & indè filios Iſraël quamplurimùm affligebant; quinimo, quando Judas, & ſui templum mundabant, ipſos quamplurimùm infeſtabant, & ideo dicitur hic, quod Judas, dum templum mundavit, ne populo nocerent, milites ordinavit; montem Sion per circuitum muris, & turribus vallavit; & ne iterum conculcaretur à gentilibus, ibidem exercitum ad cuſtodiam collocavit.

Sic verè, quia milites Antiochi, ſcilicet diaboli, id eſt, noſtri milites, Principes ſæculares ab ipſa arce juriſdictionis temporalis, quam occupant, non ceſſant Judam, & filios Iſraël, id eſt, Prælatos religioſos circa templum Eccleſiæ occupatos, diverſimodè moleſtare, neceſſe eſt, quod Judas, & ſui, id eſt, Eccleſiaſtici, manu armata ſe defendant, milites ſtipendiarios habeant: & quod domos ſuas turribus, & muris muniant, & contra malitias eorum manualiter ſe defendant, & ſic vim vi rejiciant, & repellant. Sicut enim videmus, ad nihil aliud vacant noſtri milites, Officiales, G
& laici Principes, niſi ad templum Eccleſiæ, & ejus libertates frangendum, clericos, & templi hujus cultores affligendum, & contra eos machinamenta erigendum: quapropter jam neceſſe eſt Eccleſiaſticos contra cogitare, & eorum injuriis pro viribus obviare, & ne nocere valeant, præcavere. Prælatus enim ſuperior debet ibi viros, id eſt, perſonas virtuoſas promovere, quæ poſſint Eccleſiam defendere.

Vel ſi vis, dic moraliter, quod milites Antiochi, id eſt, tentationes diaboli, vel ipſi inferiores dæmones, qui ſunt milites principis mœroris, Antiochi, id eſt, Luciferi, quando arcem mentis tenent, ſummè nituntur Judam, id eſt, Confitentem impedire, ne templum conſcientiæ ſuæ per pœnitentiam renovet, & ne interiores officinas hujus templi, videlicet memoriam, voluntatem, & rationem paret, & virtutibus exornet; quapropter ille debet contra eos militare, & milites ſuos, id eſt, ferventes orationes, & cautelas contra eos ordinare, & turribus contemplationis, & divinæ invocationis, & muris ſeu cuſtodiâ & clauſurâ ſenſuum, & circumſpectionis ſe contra eos munire Prov. 18. *Turris enim fortiſſima nomen Domini, ad eam fugit juſtus & ſalvabitur.*

Vel dic, quod milites diaboli hæretici ſunt, qui dum arcem Sion occupant, id eſt, ſacram ſcripturam, quam corruptè allegantes recitant, non ceſſant ædificatores templi, ſcilicet, Prælatos Catholicos impugnare, & opus conſtructionis Eccleſiæ impedire, & ideo Judas, id eſt, bonus Prælatus debet milites, id eſt, bonos prædicatores contra eos ordinare, muris, & turribus, id eſt, doctrinis, & ſanctorum actionibus ſe, & ſuam Eccleſiam defenſare, & ibi viros verboſos, & virtuoſos, curatores, & viſitatores ad cuſtodiam collocare, Iſa. 62. *Super muros, &c.*

Vel allega contra malos, qui in arce Sion, id eſt, in Eccleſiaſticis dignitatibus dominantur, quia iſti hodie valde videntur invidere his, qui templorum ſanctificationem reparant exemplis, & prædicationibus mundantur ſcil. bonis prædicatoribus, religioſis Catholicis, Theologicis Doctoribus; ipſoſque verbis, & injuriis quandoque gravant, & in officio prædicationis vel reparationis permiſſæ ipſos impediunt; quapropter per ſeipſos neceſſe eſt, quod contra ipſos dimicent, atque pugnent, & ab eorum malitiis pro viribus ſe defendant. Illud ſæpè videmus in clauſtris ſive collegiis, quod mali Prælati, & majores, qui tenent arcem, quando vident aliquos bonos ſubditos, qui pro templo Eccleſiæ laborant, & ipſam ditare, & ornare per ſuam induſtriam procurant, pro certo ſibi quandoque invident, & eos in bonis, quæ faciebant, impediunt, & moleſtant; quia communiter mali Prælati magis bonos, quàm malos impugnant; & quando vident eos proſperari, ipſos infeſtant; quapropter ſæpe fit, quod ipſos bonos contra ſe excitant, ita quod contra H
eos litibus, & appellationibus pugnant, etiam muris & turribus, id eſt, defenſionibus & adjutoriis ſe muniunt, & parant; compulſi enim injuriis malorum ſuperiorum, neceſſe habent contra eos inſurgere Gal. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, &c.*

Vel

Digitized by Google

Vel dic, quod illi, qui sunt in arce, significant malos Principes & Ballivos, qui quando vident aliquos subditos, qui laborant pro templo suo ædificando, & qui vacant rei familiari, ità quod divites fiunt & magni: statim volunt eos impedire, & ab eis emendas, & exactiones extorquere; quapropter sæpè fit, quod illos compellunt contra se surgere, & movere.

Capitulum quintum. Textus. Et factum est, ut audierunt gentes in circuitu, quia ædificatum est altare.

Moralitatum Cap. VI.

POst multas victorias, & prælia Judæ Machabæi, fit mentio de quodam prælio, ubi in terram Galaad Judas habebat pugnare contra Timotheum ducem filiorum Ammon, qui cum magno exercitu, atque maximo ab altera parte cujusdam torrentis stabat oppositus contra ipsum, ubi Timotheus, viso Juda isto, fertur dixisse: *Si* inquit, *transierit ad nos Judas prior, non poterimus sustinere eum: & potens poterit adversum nos; si verò transfretare timuerit, & ex altera parte aquæ castra posuerit, tunc nos transeamus ad eos, quia poterimus contra ipsos.* Quod utique eventus rerum probavit, quia Judas statim prior transfretavit, & omnis populus post eum, bellumque contra Timotheum constanter iniit, & ipso victo, & multis occisis, cæteros fugavit.

Illud potest allegari pro audacia, quod *audaces fortuna juvat;* quia revera in factis bellicis, in litibus, ac in quibuscunque controversiis prosperiùs videmus succedere, priùs & audaciùs aggredientibus, quàm illis, qui timidè solent retrocedere, & præoccupationem hostium exspectare. Qui enim timet, & retrocedit, adversariis suis ipsum invadendi audaciam immittit; qui verò audacter hostes aggreditur, seipsum formidabilem repræsentat. Meliùs est igitur, cæteris paribus, prævenire, quàm præveniri, & fortunatiùs invadere, quàm invadi.

Vel allega, quod quandoque homo potest sibi ipsi sortem facere, & signum eventûs negotii futuri sibi dare, sicut patet de isto Timotheo, qui sibi ipsi signum futuræ victoriæ super prioritate transitûs proposuit, cujus veritatem eventus negotii comprobavit, cujus signum habes 1. Reg. 14. suprà, vide ibid.

Vel dic, quod Judas dux exercitus, id est, bonus ductor, vel Prælatus in prælio contra Principem filiorum Ammon, id est, contra Diabolum principem reproborum, prior aquam transire, id est, prior debet pericula aggredi, & prior hostibus obviare, exemplum subditis benè operandi dare, & eos ad simile provocare: & hoc quia pro certo, quando Princeps, id est, Prælatus, per exempli dationem priùs hostes spirituales aggredi tur, populus subditorum eum libenter sequitur, & transire post eum, & similia bona opera facere, exemplo istius animatur, Deuter. 32. *Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* Bonus igitur dux & Prælatus debet subditos in bonis exemplis præcedere, atque operibus, ut bonum exemplum subditis possit dare, Mich. 2. *Ascendit ante eos pandens iter.*

Judas fugatis hostibus suis, qui filios Israël, qui erant in Galaad, destruere voluerunt, ipsos filios Israël per eum liberatos cum omnibus rebus suis, & uxoribus, & natis in terram Juda, ut ibi securiùs viverent, secum duxit. In via igitur erat Judas extremos congregans, & eos dulciter commovens, & exhortans.

In istis Judas bonis Ducibus, & Prælatis formam tradidit, qualiter subditos suos ab hostibus spiritualibus scilicet ab hæreticis, & Dæmonibus debent eripere, & si vident eos esse in loco periculi, in societate mala, vel periculosa, vel in prosperitatibus, & delitiis hujus mundi, debent eos ad locum securum, scilicet Israëlitarum, id est, bonorum virorum societatem traducere, & in terram Juda, id est, in Ecclesiam, vel ad vitam bonam suis bonis exemplis & verbis transferre, dicentes illud Luc. 2. *Transeamus usque ad Bethlehem, &c.* Ipsos etiam, ne præ lassitudine tribulationum desperent, debent in via hujus vitæ laboriosæ exhortari, & benigniter fovere, & extremos, id est, pauperes, & simplices, vel peccatores ad unitatem Ecclesiæ congregare, dicens illud Ezech. 34. *Quod perierat, requiram, quod abjectum erat, reducam, & illud, quod fractum erat, consolidabo, &c.*

Josephus, & Azarias, quos Judas in terra Juda reliquerat in custodiam, & quibus præceperat, ne contra quemcunque pugnarent, sed quod terram diligentiùs custodirent, audientes tam prælia Judæ, quàm Simonis prosperè gesta, voluerunt & ipsi sibi nomen facere, & ideò contra gentes, contra præceptum Judæ bellare, atque pugnare dispositerunt. *Faciamus,* inquiunt, *nobis nomen, & pugnemus contra gentes, quæ in circuitu nostro sunt.* Deus autem eorum superbiam confudit, quia à Gorgia fuerunt victi, & duo millia populi Israël ceciderunt, & cum ignominia redierunt. Et assignatur ibi alia ratio: *Quia isti non erant de semine virorum istorum, per quos salus in Israel facta est.* Simile ponitur ibi de Sacerdotibus, qui altera vice, dum voluerunt fortiter facere, & indiscretè ad prælium exierunt, turpiter in prælio ceciderunt.

Illud allega contra præsumptuosos, quia multi sunt, qui quando prælia Judæ, & Simonis, id est, virtutes Sanctorum virorum audiunt, & eorum prælia contra spirituales hostes attendunt, similia attentare præsumunt, & sibi nomen, & famam acquirere concupiscunt; & ideò non propriam fragilitatem considerantes, sed potiùs de suis viribus confidentes, sæpè fit, quod indiscreti ardua aggrediuntur, contra spirituales hostes per difficiles modos abstinentiarum, & afflictionum sine consilio præliantur; nec sunt contenti fodere terram sibi commissam, id est, non sunt contenti se custodire à peccato, sed suprà vires suas aggredi dura moliuntur. Undè Exod. 18. *Stulto labore consumeris ultrà vires tuas est negotium.* Sed sæpè fit, quod Deus volens præsumptionem eorum, nominisque & famæ gloriam ac potentiam resecare, permittit eos vinci à tentationibus, & ab hostibus superari. Et quia contenti virâ, & professione sibi commissâ non erant, sed gloriam acquirere speraverunt, sinit eos cum damno suo & aliorum vitiis succumbere, & pro gloriâ appetitâ ignominiam reportare noscuntur. Igitur poterat sibi dici illud 4. Reg. 14. *Contentus esto gloriæ tuæ, & sede in loco tuo.*

Vel allega exemplariter, quomodò sæpè fit, quod illi, qui famam, & inanem gloriam concupiscunt, solent bella nova emittere, & per lites & controversias alios invadere, & super vires ardua aggredi, & indiscretè sine consilio, & in factis difficilibus se immiscere, dato, quod non sint de semine, vel genere ipsorum, ad quos pertinet talia exercere. Sed verè sæpè fit, quod isti superantur, & *undè vanam gloriam speraverunt, vituperium consequuntur,* sicut ad literam ponitur 1. Reg. 14. de Amalia rege Juda.

Vel allega, quod, qui sine consilio facta sua faciunt, & in sensu suo confidentes fortiter facere credunt, faciliter pereunt, & succumbunt. Ideò benè dicitur Eccl. 32. *Sine consilio nihil facias.*

Dicitur hic cap. 6. quod cum inimici regis Antiochi arcem ejus, quæ erat in Hierusalem, occupare vellent, milites obsessi auxilium petentes à rege, sibi per hæc verba scripserunt. *Applicuerunt hostes ad arcem, occupare eam, & nisi præveneris eos, paulatim majora facient, & non poteris obtinere eos.*

Sic verè cùm hostes nostri, & tentationes semper nituntur arcem mentis per consensum capere, nisi in principiis occurratur, in tantum invalescunt, quod post vix succumbunt.

Capitulum sextum. Textus. Et rex Antiochus perambulavit superiores regiones.

Moralitatum Cap. VII.

CUm rex juvenis 1. Mach. 6. Antiochus cum maximo exercitu venisset in prælium contra Judam, & filios Israël, & triginta duos elephantes doctos ad prælium secum haberet, ostenderunt ipsis elephantibus sanguinem uvæ, & mori, ad acuendum eos ad prælium, & posuerunt turres ligneas super eos firmas & protegentes, in quibus erant machinæ, & triginta duo viri virtutis, pugnantes desuper, & intùs magister bestiæ, & bestiæ diversæ erant per legiones, & mille viri, & quingenti equites circa quamlibet bestiam ordinati, qui per exercitum discurrentes strages hostium faciebant.

Dic, quod Antiochus, qui interpretatur Princeps mœroris, significat Diabolum, qui in exercitu suo contra Israël, id est, contra Ecclesiam & contra viros justos magnos elephantes, id est, magnos mundi Principes, & Tyrannos ordinat. Isti enim sunt Diaboli coadjutores, & in suo exercitu fortiores, & ad nocendum simplicibus terribiliores. Undè Jac. 2. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos?* Isti enim sunt, quibus insident turres, id est, altæ mundi dignitates, castra, civitates; in quibus machinæ, id est, machinationes contra pauperes, & mali consiliarii habitant, & in quibus triginta duo viri virtutis, id est, multitudo Ballivorum, & malorum famulorum latitat, qui omnes contra filios Israël, id est, contra innocentes, & pauperes subditos, vel contra Ecclesiam, & Ecclesiasticos simul pugnant; intùs in sua turri, id est, in domo sua, unus, qui dicitur magister bestiæ, latitat; quia unusquisque talis Princeps semper aliquem principalem Consiliarium habet, qui ipsum in suis malitiis dirigit, & gubernat. Ad literam enim videmus, quod mali Principes in turribus, officiis, & domibus suis tenent, & sustinent multos malos Consiliarios, secretarios, machinatores, & balistatores, id est, inferiores Ballivos, qui omnes generaliter militant contra bonos 1. Mach. 5. *Congregatæ sunt gentes adversum nos.* Istas enim bestas, id est, bestiales Principes, multi milites, & equites, id est, multi alii inferiores nobiles, vel eorum servitores concomitantur, qui quasi ad voluntatem aliorum circumeunt, & sequuntur, & de eorum rapinis vivunt, & sub eis de eorum fraude lucrum acquirunt, & quocunque se verterint, ab eis non recedunt. Undè Prov. 19. *Multi colunt personam potentis, &c.* Istis autem elephantibus ostendunt magistri eorum sanguinem uvæ, & mori, ut eos ad prælium acuant; quia pro certo ista est veritas, quod magistri nostrorum elephan-

Digitized by Google

elephantum, id est, adulatores Principum, sanguinem scilicet, quem prædecessores eorum fuderunt, & crudelitatem scilicet, quam contra Ecclesiam, & pauperes exercuerunt, eis ostendunt, & præ oculis eis ponunt, & sic eos ad prælium exactionum exemplo simili acuunt, & animant. Sanguinem etiam crudelitatis ipsis dicuntur ostendere, quando modos, & vias, quibus sub specie justitiæ sanguinem, & substantiam pauperum possint devorare, & rapere, eisdem consulunt, & exponunt. Undè Num. 33. *Non accubabit leo, donec rapuerit prædam.* Sic igitur fit, quod isti elephantes cum illis, qui in turribus eorum morantur, & qui eos sequuntur, & qui adulatoriè sanguinem eis propinare videntur. Judam & Israëlitas, id est, bonos Ecclesiasticos subditos persequuntur.

Vel illud, quod de illis elephantibus dicitur, applica ad Martyres, qui viso sanguine uvæ, & mori, id est, visâ, & consideratâ passione Christi, ad prælium contra Tyrannos animati fuerunt, & errores eorum reprobando, & contra eos prædicando mortem, & sanguinem contempserunt. Isti habuerunt turres dignitatum, & Ecclesiarum, in quibus multi spirituales milites continebantur, qui contra hostes fidei pugnaverunt; multi tam equites, quàm pedites ipsos ad fidem secuti sunt, & per eos crediderunt. Ezech. 10. Ad locum, ad quem ire declinabat, *quæ prima erat; cæteræ sequebantur.*

Eleazar videns unum de elephantibus, qui stabant in prælio, contra Judæos cæteris altiorem, & loricis regiis loricatum; regem esse in eo, id est, in turri lignea bestiæ super omnia æstimavit; quapropter ut populum suum liberaret, & nomen sibi acquireret, propulsis hinc, & indè hostibus usque ad bestiam penetravit, & elephanti se supposuit, & eum sic interfecit; regem tamen non vulneravit; sed occisâ bestiâ, & cadente, sub ipsa oppressus periit, & decessit, & sic nec nomen sibi acquisivit, nec populum suum liberavit, sed potiùs (ut ibidem dicitur) populus Judæorum regis impetum ferre non sustinens, ab ipso fugit, & divertit.

Eleazar, qui erat unus de Principibus Judæorum, potest optimè significare Pharisæos, & Principes Judæorum, quales fuerunt Annas, & Caiphas. Isti videntes contra se elephantes, id est, plures Apostolos dimicare, & prædicare, videntes unum cæteris eminentiorem, scilicet Christum, loricis regiis, id est, divinis miraculis, & operibus circumseptum, in tantum ut eis verisimile poterat esse regem, id est, Deum, & divinam naturam in eo latitare, ipsum omninò occidere decreverunt; quia sic populum suum à Romanis liberare, & à fide, & potentia istius, qui jam prædicatus in ea fuerat, eripere crediderunt, dicentes illud Jo. 11. *Ne fortè veniant Romani, &c. Expedit enim, ut moriatur.* Istum igitur per mortem humanitatis fecerunt cadere, regem tamen, id est, Deum, seu Deitatem non potuerunt lædere, semetipsos quoque sub eo occasionaliter peremerunt; in quantum propter peccatum mortis Christi tandem destructi fuerunt, nec propter hoc fidem, & ejus potentiam extinxerunt, sed potiùs ipso crescente post ipsius elephantis mortem, ipsi perire meruerunt, Isa. 63. *Afflixerunt spiritum S. sancti ejus, & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos:*

Vel dic de Diabolo, ut suprà lib. 10. cap. de dracone 3. & 4.

Vel allega contra præsumptuosos, qui inanis gloriæ cupidi, appetunt sibi facere nomen, & ideò contra eminentiores se, & fortiores quandoque insurgunt, & eos potenter impetunt, & invadunt, quibus tamen benè quandoque non cedit; quia dato, quod illi alium lædant, vires tamen attenuant, & finaliter pondere eminentiæ alterius opprimuntur, & dum alium gravant, seipsos subvertunt.

Vel dic ad literam de fatuis militibus, qui suprà vires suas volunt facere, qui tamen in ipso conatu suo, dum alios occidunt, solent & ipsi perire, Hier. 46. *Fortis impegit in fortem, & ambo in foveam ceciderunt.*

Vel, ut exponit quidam, tunc homo elephantem perimit, quando turres, id est, dignitates sæculi contemnit. Veruntamen tunc sub isto moritur, quando de victoria in superbiam elevatur, Oze. 13. *Ero mors tua ô mors.*

Vel allega de Martyribus, qui Tyrannos gladio verbi Dei occiderunt, ipsi tamen corporaliter per martyrium succubuerunt.

Hic habes, quod cum Antiochus, & exercitus ejus pugnarent contra Bethsuram, & tandem contra sanctificationem, finaliter quia in utroque loco cibi defecerunt, & quia Sabbathum erat terræ, illi, qui in istis munitionibus erant, cum hostibus pacem fecerunt, & eis portas aperuerunt. Antiochus verò intrans Sanctificationem, protinùs pacem fregit, & muros in circuitu dissipari mandavit.

Sic verè dico, tunc in Bethsura, & sanctificatione, id est, in sæculo, & in claustro cum Antiocho, id est, cum Diabolo, & vitiorum exercitu fideles impugnati, januas cordis aperiunt, & eum intùs per malas complacentias recipiunt, quando cibi spiritualis doctrinæ, divinæque scripturæ eis deficiunt, & quando Sabbatha quietis, & otii, nec non festivitates temporalis prosperitatis incumbunt. Illud enim in Ecclesia, & Religione specialiter videtur, ut propter defectum scientiæ, & propter abundantiam quietis, & opulentiæ Diabolum introductum, & sibi populum subjugatum, quasi penitùs intuemur. Undè 1. Machab. 2. *Constituerunt eis prælium in Sabbatho, & occiderunt de illis mille viros.* Et Ezech. 13. *Quod hæc fuit iniquitas Sodomæ.* Iste enim murum sanctificationis, id est, observantias Ecclesiasticas, & sanctiones canonicas, ac regulares observantias jam ibi dissipavit, & se ibidem imperare, & esse Dominum declaravit. Jam enim delectationibus, & vitiis ab omni parte patet ingressus, & jam non est, qui cohibeat hostium spiritualium impetus, & accessus. Undè Thren. 2. *Luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est, defixæ sunt in terris portæ ejus.*

Si vis, pone, quare Bethsura significat mundum, quia domus acerba interpretatur; & quia acerbitas tribulationum in mundi domicilio reperitur.

Et si vis, dic, quod Antiochus, captâ Bethsurâ, sanctificationem invadit, quia Diabolus subjugato sæcularium statu, etiam statum Ecclesiasticum subjugare intendit, & activis suppeditatis, & victis, etiam Clericos contemplativos capit.

Capitulum septimum. Textus. Anno Centesimo quinquagesimo primo, exiit Demetrius Seleuci filius.

Moralitatum Cap. VIII.

ALchimus quidam de semine Aaron, adjuncto sibi cœtu virorum iniquorum, dux, & gubernator erat; is Sacerdotium H ambiebat, & ad Regem Demetrium venit, accusans Judam, & fratres ejus apud eum. Rex igitur isti, qui Judæ, & fratribus ejus detrahebat, summum Sacerdotium contulit, & cum eo Bachidem quendam de suis Principibus, & amicis cum exercitu in terram Juda misit; ad quos eum venisset congregatio scribarum, requirere. Hos, quæ pacis sunt, dixerat, *Homo Sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.* Ipse verò Alchimus cum verba pacifica eis locutus fuisset, & ipsos nequaquam lædere jurasset, factum est, quod ei crediderunt, & statim septuaginta viros de eis occidit contra juramentum. Tandem in Hierusalem veniens, multos de populo interfecit, & convenerunt ad eum, qui conturbabant populum suum, & terram Juda obtinuerunt; & sic ipse Alchimus, & sui multò plùs quàm gentiles fecerunt, filiosque Israël gravaverunt.

Ista possunt allegari contra ambitiosos, quia quando aliquis Alchimus, vel ambitiosus aliquis Sacerdotium, id est, dignitatem aliquam ambit, ante omnia cœtum, & congregationem virorum iniquorum sibi congregat, & adjungit. Tandem verò ad Regem, id est, ad mundi Principes recurrit, vel ad Regem, id est, ad superiorem Prælatum accedit. Apud quem ante omnia alios accusat, & de ejus hostibus detrahit, & se propter eum exhæredatum fuisse, & pro Ecclesia multum sustinuisse, conqueritur, & dicit. Igitur sæpè accidit, quod quia adulatores, & detractores faciliter à majoribus audiuntur, & aliorum accusatores diliguntur, tales ad Sacerdotium, & dignitatem, quam ambierant, promoventur; ità quod Bachides, id est, aliquis de amicis ipsius superioris pro inducendo eum in possessionem sibi adjungitur, & datur. Verum quia quandoque fit, quod pro libito non admittitur ad possessionem; ideò in principio verbis pacificis utitur, multa jurat, & pacisci tur, ità quod sibi à scribis pacem petentibus, id est, à Canonicis & fratribus pacificis, & simplicibus creditur, & quia Sacerdos de semine Aaron est, id est, persona sacerdotalis, & Ecclesiastica, ad quam pertinet bonam conscientiam habere, ideò ab ipsis ad Sacerdoti & dignitatis officium acceptatur. Sed statim revera, quando videt se indutum, contra eos debacchatur, & subditos exactionibus, & injuriis afficit; ità quod non pacificus, sed impius, & crudelis declaratur, multosque spiritualiter occidit, multos deponit, & deprædatur 1. Machab. 1. *Locutus est ad eos verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, & irruit super civitatem, & percussit eam plagâ, & perdidit populum multum ex Israël, & accepit spolia civitatis.* A
Illi, qui soliti sunt turbare civitatem, & populum, ut sunt mali, & litigiosi accusatores, & detractores, ad eum aggregantur, quos præ aliis tanquam magis sibi similes diligens terram Juda in eorum manibus tradidit, in quantum potestates, & officia super alios eis tribuit. Infra eum elegit impios viros, & elegit eos Dominos regionis. Sic igitur fit, quod iste malus Sacerdos, & sibi familiares impii, id est, tales mali Prælati, & eorum ministri impii, filios Israël, id est, bonos fideles magis gravant, quàm gentes, id est, quàm ipsi Principes sæculares, quia plùs videmus multoties de rapina, & crudelitate in curiis Prælatorum, quàm Principum terrenorum, & plùs suos pauperes opprimunt Sacerdotes Clerici, quàm sæculares Ballivi, & Tyranni, & plùs etiam gravant, quandoque subditos, & compatriotæ, & domestici, quàm alii magis extranei, & remoti. Undè Matt. 10. *Tradet frater fratrem, & filius patrem, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Et inimici hominis domestici ejus, &c.* Igitur de talibus malis Ecclesiasticis dicitur Hier. 2. *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus, & tenentes legem nesciunt me.*

Impius Nicanor minatus fuit templo, levans manus in superbia contra ipsum, quod flammis incenderet, nisi Judas, & exercitus

ejus

Digitized by Google

ejus voluntati ejus traderetur ; Deus tamen aliter ordinavit, quia confecto prælio contra Judam, ipse priùs in bello cecidit, & Judas caput ejus, & brachium, quod contra templum levaverat, amputavit, & contra Hierusalem suspendit, exercitus verò ejus ipsum cecidisse conspiciens, & arma sua projiciens fugit, quem populus Israël persequens, totum interemit, ità quod nec unus quidem superfuit, nec remansit.

Illud allega exemplariter contra eos, qui contra templa, & Ecclesias sunt impii, ut qui minando contra Deum, & Ecclesiam ejus sunt superbi; quia sæpè fit, quod justo Dei judicio (antequam implere possent, quod inceperant,) pereunt, & per mortem vel infortunium impotentes fiunt, & exercitus, & auxiliatores eorum ab ipsis fugiunt. *Vigil enim de cœlo*, id est, Deus, qui contra tales vigilat , dicit illud Dan. 4. *Succidite arborem, & ramos ejus*, scilicet caput, & brachium præscindite, *& fugient bestiæ, quæ subtùs eam sunt , & de ramis ejus volucres cœli.*

Vel si vis, allega hic , quod ruina Principis est causa peccati, & ruinæ subditorum. Quando enim Nicanor Princeps , qui interpretatur stans lucerna, id est, Prælatus, vel Princeps, (qui velut stans lucerna debet, quantum ad seipsum pertinet , per perseverantiam stare, quoad alias verò ; eis instar Lucernæ per doctrinam & exempla lucere debet juxta illud: *Vos estis lux mundi*) in bello contra vitia cadit, & per diversa peccata, ante hostes spirituales succumbit, caputque rectæ intentionis, & brachium bonæ operationis perdit, statim exercitus subditorum suorum exemplo ejus arma virtutum projicit, & dimittit, & undique per vitia dispersus, ante hostes spirituales perit, ità quod vix unus persistit. Undè Mach. 9. *Judas cecidit, & cæteri fugerunt.* Nam, ut dicit Gregorius : *vita malorum trahitur ab aliis in exemplum ;* Zach. 13. *Percute pastorem ; & dispergentur oves.*

Capitulum octavum. Textus. Et audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus.

Moralitatum Cap. IX.

Hic fit fit mentio de potentia Romanorum , & inter cætera hic dicitur, quod *curiam fecerunt sibi Romani trecentos, & viginti Senatores , consilium agentes, & uni singulis annis magistratum suum committentes. Inter ipsos autem nullus diadema portabat , sed omnes obediebant uni ,' & zelus & invidia contra eos nusquam erat.* Dicitur ibi, *quod pacem, & amicitiam cum amicis , & sociis optimè servabant, & quod usque ad remotissimas terras reges , & tyrannos sibi subjecerant, metalla auri & argenti , quæ erant in Hispania, acquisierant.* Et, ut concludatur breviùs, *quibus volebant esse auxilio, ut regnarent, regnabant, quos verò vellent non regnare, à regno pellebantur.* Ad istos igitur misit Judas legatos suos amicitiam facere, ut sic posset à suis hostibus tutus esse.

Ista possunt applicari ad Dominos Romanos , id est, Papam, & Cardinales, quia isti sibi curiam Romanam fecerunt, & eam pro definiendis negotiis, & judiciis reddendis ordinaverunt, quam multis, & magnis conciliis fulcierunt. Unum etiam ex seipsis in Papam & magistrum suum solent eligere, cui sine invidia universaliter debent obedire. Undè Gen. 42. *Viri unius filii sumus.* Et breviter, tanta est hodiè potentia istius curiæ, & suorum, quod reges, & regna ad literam sibi sunt subjecta, & metalla auri, & argenti, id est, divitiarum copia est eis adjecta, & instituendi reges, id est, promovendi Ecclesiasticos sibi præ cæteris est auctoritas attributa. Isti enim, quos volunt, regnare, & promoveri faciunt; quos verò nolunt , à regno repellunt, ità quod jam potest eis dici illud , Num. 22. *Novi enim quod benedictus est, cui benedixeris, maledictus autem, in quem gesseris maledictionem.* Isti igitur inter se non debent zelum , nec invidiam habere, nec aliquis debet portare diadema , id est, nullus debet alteri per superbiam præfici, sed omnes uni, id est, Summo Pontifici debent obedire pacificè. Et si sic fecerint , omnes concupiscent eorum amicitias habere ; quia pro certo in quocunque collegio, quando subditi pacificè , & quietè vivunt, & inter se zelum, & invidiam non habent, nec aliis se præferunt; sed uni, scilicet, Prælato summo humiliter obediunt , ipsorum Dominationes crescunt, & omnes tam sæculares, quàm alii ipsorum amicitias quærunt, & exspectant. Undè Zach. 8. *Pacem, & veritatem diligite , dicit Dominus Deus.*

Forma pacis , & fœderis inter Judæos , & Romanos talis erat, quod unus populus alium in suis bellis , & necessitatibus, si tempus peteret, tenebatur juvare : & hoc ad propria stipendia, quia nullus debebat alteri aliquid ministrare.

Hic potest notari, quod veri amici socios, & amicos in necessitatibus adjuvant, & quod ipsos stipendiis , & expensis nunquam gravant, sed propriis stipendiis pro eisdem militant, & alii casu simili, quando ingruit necessitas , ipsos adjuvant. Undè

Prov. 18. *Frater, qui adjuvatur à fratre , &c.*

* *
*

Petr. Berchor. super primum Machab.

Capitulum nonum. Textus. Interea ut audivit Demetrius, quia cecidit Nicanor.

Moralitatum Cap. X.

Hic fit mentio de constantissima , & nobilissima morte Judæ, quam pro certo morti istius nobilissimi Leonidæ Principis Imperatoris, qui cum sexcentis contra sexcenta millia gloriosè moriturus se objecit, possem congruè comparare ; nisi quod non licet stylum meum contra historias dilatare. Sic igitur actum est, quod Demetrius audita morte Nicanoris, Bachidem cum dextro cornu suæ militiæ mitteret contra Judam, cujus exercitus fortitudinem Judæ socii formidantes, ab eo recesserunt, & ipsum cum octingentis viris solummodò reliquerunt. Quibus etiam volentibus hosti cedere , & asserentibus impossibile esse contra tantam multitudinem prævalere, Judas ad hæc verba respondit: *Absit*, inquit, *istam rem facere, ut fugiamus ab eis , & si appropinquaverit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus maculam gloriæ nostræ,* Sic igitur est, quod contra regis exercitum, qui in duo se diviserat, potenter irrupit; dextrum cornu, quod erat altero fortiùs, continuò superavit ; sinistrum verò cornu, id est, pars sinistra exercitùs regis contra ipsum prævaluit, & ipsum cæde aliorum fessum prostravit. *Judas*, ènim, *cecidit , & cæteri fugerunt*, & sic quem fortiores superare nequiverant, debiliores postea vicerunt.

Ista possunt allegari , qualis debet esse constantia boni Ducis , quia nunquam debet periculum metuere , sed potiùs fortunæ se committere, & morti se exponere, quam verecundè fugere, & obtentam gloriam deturbare, exemplo istius Leonidæ, qui milites suos hortabatur *de gloria plurimùm, de vita verò nihil sperandum. Magis* enim *se decebat dibere patriæ, quam vitæ*, quinimò milites suos hortabatur taliter in mane pransuros tanquam in inferno cœnaturos; *prandete*, inquit, *milites in inferno cœnaturi*, sicut ponit Orosius lib. 2. Exemplum etiam B. Ludovici regis Francorum, qui in Ægypto contra Saracenos existens , quanquam periculum sibi & exercitui suo propter aquarum inundationem , & hostium præventionem imminere videret , fugere tamen noluit, imò cuidam militi fugam capienti respondit , *Absit*, inquit, *ut reges Franciæ terga vertent fidei inimicis.* De isto etiam Juda legitur, quod ipse hortabatur suos subire periculum. Undè igitur Duci , seu Principi dicitur 2. Mach. 11. *Noli metuere judicium mortis.* Et Eccl. 41. *Usque ad mortem certa pro justitia.*

Vel si vis, allega, quod bono Principe , vel Prælato mortuo vel absente, subditi facilè superantur. Zach. 3. *Percute pastorem , & dispergentur oves.* Duce, vel Prælato à vitiis superato , facilè subditi superantur, in quantum exemplo ipsius mali fiunt, vel in quantum non habent, à quo erudiantur. Undè Proverb. 11. *Ubi non est gubernator, populus corruet.*

Vel dic, quod cum Bacchides, qui interpretatur luctus fortis, id est, Diabolus, in exercitu vitiorum , quem contra Judam & Jonathan, & ejus fratres, id est contra Christum , & sanctos præparat, habeat duo cornua, id est, duas partes, dextram, & sinistram , hoc est dictum, vitia majora, & minora; sæpè fit, quod Judas dextrum cornu superat, qui tamen à sinisto perimitur; scilicet, quod homo majora vitia superat, & ab ipsis enormibus se præservat , & tamen minora non præcavens, ab eis vincitur, & adjutoribus fugientibus, id est, vivtutibus, ab eis superatur, Isa. 3. *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Mortuo Juda emerserunt viri iniqui in omnibus finibus israël, & invalescente fame in terra tradit se omnis regio Bacchidi, qui elegit viros impios, & constituit eos Dominos regionis, & perscrutabatur amicos Judæ, & vindicabat se in illis, & facta est tribulatio magna in Israël.

Sic verè quandò Judas dux egregius, id est, bonus Prælatus, Judex, vel Officialis moritur, statim incipiunt pullulare viri impii in patria, qui propter defectionem correctionis mali fiunt, qui tempore boni Prælati, vel Judicis delicta sua facere non audebant. Fit etiam quandoque, quod Bacchides , id est, malus rector & superior sibi succedit, cui propter famem avaritiæ omnis regio aliquoties se tradit ; quia quandoque fit, quod mali subditi famelici, & avari malum Prælatum eligunt, & ejus Dominio se committunt, pro eo, quod per eum se ditari statim credunt. Undè Joan. 7. *Quæritis me , quia manducastis de panibus.*

Vel ad literam tota regio præ fame se sibi tradit , in quantum talis efficitur usurarius , & tota patria tempore caristiæ se sibi obligat , & submittit. Ideò dicitur 1. Reg. 2. *Repleti priùs pro panibus se locaverunt.* Iste igitur Bacchides , id est , malus superior sic introductus ad extirpandum emergentes impios non attendit , sed potiùs viros iniquos eligit , quos in dignitatibus collocans Dominos regionis constituit ; bonos verò , & justos viros Judæ mortui, id est , Christi , vel boni Prælati amicos perscrutatur , & confundit, ità quod tempore suo tribulatio , & angustia in Israël, id est, in Ecclesia oritur; & insurgit. Undè Proverbiorum 28. *Regnantibus impiis ruinæ hominum.* Istud enim est commune, quia cum mali odio habeant prædecessores suos bonos

Digitized by Google

ſolent poſt mortem eorum, amicos eorum inquirere, & ipſos multipliciter gravare.

Hic habes, quod filii Jambri, qui priùs Joannem fratrem Jonathæ occiderunt, faciebant nuptias magnas : Filiam enim unius de Principibus Chanaan duxerant, ità quod cum apparatu magno nuptias celebrabant. Jonathas verò, & Simon memores mortis fratris ſui, ipſis inſidiati, ſuper eos, procedentes ad nuptias, irruerunt, & eos occidentes ſpolia rapuerunt, & ſic nuptias eorum in luctum, & infortunium converterunt.

Sic verè ſæpè fit, quod dum filii hominum vacant nuptiis, aut lætitiis hujus mundi, & filiam Chananæorum, id eſt, proſperitatem mundanam in uxorem ducunt, nec facinora, quæ commiſerunt, meditantur, aut recolunt; hoſtes eorum, ſcilicet, Diabolus & mors, qui in inſidiis latitabant, repentè eos interficiunt, ſpolia divitiarum ſuarum eis auferunt, & gaudium ſuum in triſtitiam convertunt. Undè Prov. 14. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.*

Bacchides obtenta regione indè multas civitates munivit, ibique cuſtodes, ut exercerent inimicitias in Iſraël, collocavit.

Sic verè Diabolus in altis officiis cuſtodes ſuos, id eſt, malos Officiales collocat, per quos in Iſraël, id eſt, contra bonos inimicitias, & gravamina ſuſcitat, & augmentat. Undè Deut. 32. *Inimici veſtri ſunt judices.*

Alchimus ſummus Sacerdos iniquiſſimus cœpit muros ſanctæ domûs interioris, & opera Prophetarum deſtruere, propter quod percuſſus eſt, & diſſolutus paralyſi, & concluſum eſt os ejus ità, quod non potuit loqui ampliùs verbum, nec mandare de domo ſua, & impedita ſunt opera ejus, & eſt mortuus tormento magno.

Sic verè, ſicut videmus, mali Prælati, & ſuperiores, quando vident ſe in dignitatibus conſtitutos, ſtatim incipiunt opera ſanctorum ſuorum vilipendere, muros, id eſt, obſervantias regulares, & Prophetarum, id eſt, Sanctorum Patrum opera, & traditiones deſtruere, novitates introducere, & illa, quæ per Sanctos cum magna diligentia facta, & ordinata ſunt, immutare; quapropter ſæpè fit, quod ultio divina iſtos percutit, & ad literam paralyſi, vel alia infirmitate diſſolvit, ità quod os locutionis, & confeſſionis eis tollit, & eos tam citò perimit, quod de domo conſcientiæ ſuæ aliud ordinare non permittit, & mala opera, quæ inceperunt, diſſolvit. Aug. in ſermone innocentûm dicit, quod *hac animadverſione percutitur peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei.*

Vel dic, quod illi Sacerdotes, & Religioſi, qui muros regularis obſervantiæ, & opera Prophetarum, id eſt, ſtatuta Sanctorum Patrum deſtruunt, uſum linguæ ad benè loquendum, manus etiam ad benè operandum, perdunt, & finaliter cum magno tormento in inferno habitant.

Capitulum decimum. Textus. Et anno centeſimo quinquageſimo aſcendit Alexander Antiochi filius.

Moralitatum Cap. XI.

H HAbitavit Jonathas in Hieruſalem, & cœpit ædificare, & innovare civitatem, & extruere muros, & quadris lapidibus montem Sion circumire, & fugerunt alienigenæ, quos Bacchides in munitionibus poſuit, & liberati ſunt obſides, quos à filiis Iſraël ceperat, & raptos in munitionibus ſervabat, & detinebat.

Sic verè quando in Hieruſalem, id eſt, in Eccleſia eſt Jonathas, qui interpretatur columba veniens, id eſt, bonus, ſimplex, & columbinus Prælatus, & maximè quando ibi perſonaliter habitat, & moratur, pro certo tunc quamplurima opera facit: ædificat enim, & renovat locum ſuum temporaliter, & ſpiritualiter, montemque Sion, id eſt, dignitatem ſibi commiſſam circuit muris de quadris lapidibus, id eſt, bonis, & virtuoſis perſonis, quas ibi promovet, & introducit perſonaliter, & ſic civitatem Eccleſiæ ſibi commiſſæ extruit moraliter, & virtualiter. Judith. 1. *Ædificavit civitatem de lapidibus quadratis, & ſectis.* Tunc iſta boni Prælati præſentia non ſolum in iſtis proficit, imò multa alia bona facit, à facie enim ejus fugiunt alienigenæ, non audentes mala facere, vel timore juſtitiæ ſuæ in patria comparere. Undè Ægyptii dixerunt Exod. 14. *Fugiamus Iſraelem.* Boni, qui obſides ab alienigenis tenebantur, id eſt, qui à malis diverſimodè gravabantur, per ejus adjutorium liberantur; quia boni Prælati præſentia fugat malos, liberat oppreſſos, promovet dignos, reparat mores malos. Ideò ad literam poteſt dici de quolibet bono Principe Ezech. 34. *Quod perierat, requiram.* Prov. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum.*

Cum Jonathas occurriſſet Alexandro regi Aſiæ apud Ptolomaidam, ubi nuptias celebrabat, & Ptolomæi regis Ægypti filiam in uxorem ducebat, dedit Jonathas argentum, & aurum, & invenit gratiam in conſpectu ejus, & juſſit eum rex ſpoliari veſtibus ſuis, & indui purpurâ, & collocavit eum rex ſedere ſecum, & ſcripſit eum inter amicos ſuos, magnificavit eum, & poſuit eum ducem principatûs; atque præcepit, quod nullus pugnaret contra ipſum, & ſic viri quidam impii, qui ad accuſandum ipſum venerant, viſâ gloriâ ejus, fugerunt, & ipſius præſentiam timuerunt.

Alexander, qui interpretatur auferens anguſtias, ſeu allevians tenebras, ſignificat Chriſtum, qui infidelibus tenebras errorum per lumen fidei alleviavit, & æternæ mortis anguſtias abſtulit. Ptolomaida, quæ interpretatur ad menſuram deducta, Paradiſum ſignificat; ubi ſecundùm menſuram meritorum dabitur menſura præmiorum. Iſta eſt igitur veritas finaliter, quando Jonathas, id eſt, juſtus, & ſimplex homo veniet ad Ptolomaidam, id eſt, ad Paradiſum, ut in tempore tritici recipiat menſuram, & ut in conviviis cœleſtibus cohabitet perſonaliter regi Chriſto, ſic fiet, quod rex videns ipſum habere, & præſentare aurum divinæ gratiæ, A & charitatis, argentum munditiæ & puritatis, ipſum multipliciter honorabit, & eum indumentis ſuis, ſcilicet mortalitate exuet, & purpurâ æternæ gloriæ ipſum decorabit; quem ſecum in æterna quiete ſedere faciet; & amicum ſuum ipſum conſtituet, & Principem eum faciet, & accuſatores ejus, ſcilicet, Dæmones ab eo ſeparabit, & contra adverſa omnia ſecuritatem ſibi dabit perpetuam. Undè 3. Eſdræ 4. *Tunc ait rex; quia inventus es ſapientior, proximus mihi ſedebis, & cognatus meus vocaberis.*

Apollonius dux Demetrii regis Jonathan ad deſcendendum de montibus ad campum provocat, & ibi prælium ſibi parat. *Tu ſolus,* inquit, *reſiſtis nobis, qui poteſtatem exerces contra nos in montibus, ſed deſcende ad me in campum, &c.*

Sic verè Diabolus ſummè nititur hominem de montibus contemplationis ad campum exterioris actionis, vel de monte religionis ad campum mundanæ habitationis trahere, ſperans contra ipſum faciliùs prævalere.

Victo Apollonio multi de exercitu ſuo ad templum Dagon fugerunt, ſed Jonathas ipſos perſequens ignem templo adhibuit, & octo millia unà cum templo ſuccendit.

Sic Jonathas Chriſtus finaliter Apollonium, id eſt, Diabolum vincet, & exercitum reproborum, qui nunc in templo hujus mundi ſecuros ſe eſſe reputant, in inferno dejiciet, & ſuccendet, Pſalm. 96. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

Capitulum undecimum. Textus. Et rex Ægypti congregavit exercitum ſicut arenam, quæ eſt in littore maris. B

Moralitatum Cap. XII.

PTolomæus rex Ægypti dedit Alexandro regi Aſiæ filiam ſuam in uxorem, tandem concupivit regnum ipſius; quærebat in domo obtinere eum, & adjungi regno ſuo : & ideò congregavit exercitum ſuum ſicut arenam maris, & intravit regnum Alexandri, & aperiebantur ei civitates. Sic enim præceperat Alexander pro eo, quod ſocer ejus eſſet Ptolomæus, & confideret in eodem. Ipſe verò ſtatim civitates occupabat, & ibi pro cuſtodia ſuo nomine facienda milites aſſignabat, & intravit Ptolomæus Antiochiam, impoſuit ſibi duo diademata, ſcilicet Ægypti, & Aſiæ, & filiam ſuam, quam Alexandro dederat, abſtulit ab eodem, imponens ei licet falsè, quod ipſam voluerat occidiſſe, & dedit eam Demetrio inimico Alexandri, & venit Alexander contra eum in prælium, & victus fuit, & fugit in Arabiam, & ſic Ptolomæus obtinuit regnum ejus. Zabdiel autem Arabs abſtulit Alexandri caput, & miſit Ptolomæo. Veruntamen ſic actum eſt, quod dictus Ptolomæus poſt tantam gloriam tam proditiosè acquiſitam infrà tres dies mortuus eſt, & exercitus ejus, qui erat in caſtris, occidit eos, qui erant in cuſtodia civitatum.

Iſta poſſunt exemplariter allegari contra multos. Primò enim allegari poteſt contra proditores, qui in dolo, & ſub ſpecie amicitiæ occupant quandoque aliorum dignitatem, & regna, & tunc publicè rumpunt fœdus, & amicitiam, quam habuerant cum eis, imponentes falſa crimina, ut occaſionem habeant ab eis recedendi; quia ſicut dicitur Prov. 18. *Occaſiones quærit, qui vult ab amico recedere.* Iſta potiſſimè patent in ambitioſis, qui regno, & ſtatu ſuo non contenti ambiunt dominia aliorum. Ità fit, quod, fraude & malitia interveniente, ipſos aliquando regno, & dignitate privant, & diademata honoris alieni occupant Apoc. 19. *In caput ejus multa diademata.* Sed tales non conſueverunt in talibus proſperari, quinimò ubi habuerunt, quod cupierant, ſubitò ſolent morte, vel infortuniis prægravari, & de exercitibus, qui ſequebantur eum, id eſt, de ſuis fautoribus, & amicis alter in alterum debacchari. Ezech. 17. *Ergone vinea iſta proſperabitur? nonne aquila radices ejus evellet, & fructus ejus diſtinguet, & ſiccabit omnes palmites germinis ipſius & areſcet?* Illa enim, quæ fraude & violentiâ acquiruntur, non ſolent durare, ſed ſubitò deficere, ſicut ad literam videmus de Tyrannis. Undè dicitur: *Omnis potentatus brevis vita.* Et Seneca dicit, quod *violenta imperia non perſeverant.* C

Vel ſi vis, allega contra falſos mundi amicos, qui ſemper ſe vertunt ad illum, qui obtinet, & qui non diligunt nominem, niſi quam-

Digitized by Google

quamdiu proſperatur. Iſte enim Alexander quamdiu regnum tenuit ab iſto Zabdiel ſupponitur dilectus fuiſſe; & ideò victus dicitur ad Arabiam refugiſſe. Iſte tamen videns ejus infortunium ipſum ampliùs non dilexit, ſed potiùs pro amicitia illius, qui regnum acquiſierat, caput ipſius amputavit. Statim enim quando quis venit ad infortunium & quod perdit regnum, amici ſui priſtini ipſum abominantur, & in inimicos ei vertuntur, & amicitiam illorum, qui regnant, & qui de facto proſperantur, totis viribus amplexantur, Proverb. 14. *Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit, amici verò divitum multi.*

Vel allega hoc de mutatione rerum. Supra enim primò dictum eſt, quod rex Aſiæ, qui tunc erat pro tempore, occupavit Ægyptum, & regnavit ſuper duo regna, impoſuit ſibi duo diademata Ægypti, & Aſiæ. Econtra verò hic habemus, quod rex Ægypti occupavit Aſiam, & ſibi duo diademata impoſuit, & ſuper duo regna regnavit; quia quandoque unum regnum exaltatur, & aliud deprimitur; & econtra alterum alteri quandoque facit tantum, quod ab eo ſuſtinere cogitur. Iſa. 14. *Erunt capientes eos, qui ſe ceperunt, & ſubjicient exactores ſuos.*

Demetrius videns, quod ſiluit terra in conſpectu ejus, jam ſecurus in regno, remiſit exercitus ſuos, excepto peregrino exercitu inſularum; proprios enim milites compatriotas remiſit, extraneos retinuit, & indè factum eſt, quod exercitus ſui ſic remiſſi cœperunt eum odio habere, & contra eum murmurare, quapropter Triphon, occaſione accepta, contra eum rebellavit, & exercitus remiſſos ſecum habuit, & Antiochum Alexandri filium de Arabia
D aſcivit, & in regno ipſius collocavit. Cives ſui de Ptolomaida contra eum ſurrexerunt, & eum occidere voluerunt, & eum ad palatium fugere compulerunt, quem tria millia Judæorum ſibi in auxilium miſſa liberaverunt, & centum millia de civibus occiderunt.

Illud poteſt allegari exemplariter, quod non eſt tutum alicui confidere in pace, & in proſperitate ſua. Si enim iſte Demetrius ſemper timuiſſet, & infortunia, quæ accidere potuiſſent, præveniſſet, nunquam tribulationem incurriſſet, nec ſe contra eum aliquis erexiſſet. Undè Prov. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.*

Vel dic contra fatuos Principes, & Magnates, qui magis diligunt extraneos, quàm propinquos, ſibique in ſuis curiis retinent, & promovent in officiis peregrinos, ipſoſque prædilectos habent, & charos; ſuos autem repellunt. Quapropter quandoque fit, quod odium ſuorum ſolent incurrere, ità quod hoſtibus ſuis ſolent adhærere, & ipſum de regno, & dominio aliquoties fugare, & contra eum rebellare. Nam juſtum eſt, quod homo illos, quos in proſperitate, & pace exiſtens repulſat, tribulationis tempore non inveniat, imò perdat. Tutum eſt igitur Principi ſuorum amicitiam cuſtodire, & non nimis extraneis adhærere. Quia 1. Tim. 1. *Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, infidelis eſt.* Ideò benè dicitur Eccleſ. 9. *Ne derelinquas amicum antiquum, novus non erit ſimilis huic.*

Capitulum duodecimum. Textus. Et vidit Jonathas, quia tempus eum juvat.

Moralitatum Cap. XIII.

POſt pacta inita cum Spartanis, & Romanis hic fit mentio, quomodò Triphon regis Antiochi Princeps major ad regnum Aſiæ ambiebat, quapropter Antiochum dominum ſuum occidere cogitabat. Veruntamen, quia ſciebat Jonathan Judæorum ducem regis eſſe ſtrenuiſſimum defenſorem, ante omnia
E ipſum occidere tentavit, & multis machinationibus circumventum occidit. Poſtea ſolus cum rege ambulans, ipſum proditiosè interfecit, & impoſito diademate, loco ipſius regnavit, ſicut patet infra cap. ſeq.

Iſta poſſunt applicari, quod quando volunt iniqui nocere, & non audent propter eorum amicos, primò ſolent paulatim contra amicos inſurgere, ut, ipſis ſublatis de medio, vel de potentia attenuatis, poſſint contra Principes faciliùs prævalere.

Hic habes, quod cum Triphon vellet occidere Jonathan, & non poſſet pro eo, quod cum exercitu venerat, diſſimulavit amicitiam, & dona ſibi attribuit, & eum præ aliis Principibus honoravit; tandem remittere exercitum ſibi ſuggeſſit, & promittens ſe ſibi velle tradere regionem provinciæ, & negotiis regis præficere, uſque ad Ptolomaidam ſecum duxit, ubi ipſum ſtatim ligavit, & comites ejus, & mille viros, quos ſecum duxerat, occidi fecit, ipſum verò ſatis citò poſt cum duobus filiis interfecit.

Triphon, qui nitebatur dominum interficere, ſignificat Diabolum, qui procuravit occidere Chriſtum. Jonathas, qui columba interpretatur, ſignificat virum juſtum & ſimplicem. Sic igitur eſt, quod Triphon Diabolus ſummè tentat Jonathan, id eſt, virum juſtum per peccatum occidere, & ipſum per tentationes ſolet ad ſe, quaſi avis captam ad laqueum, convocare. Sub ſpecie enim boni ipſum ad ſe vocat, ut, occaſione repertâ, ipſum occidat, exemplo Jahelis, quæ Siſſaram ad ſe vocavit, quem ſecum dormientem occidit. *Intra* (inquit) *ad me Domine, ne timeas* Judic. 4. Sed revera quandoque invenit cum iſto Jonatha tantum exercitum virtutum & ſanctorum, in quibus per devotionem tantum habet patrocinium, quod in ipſum non poteſt manum mittere, nec ipſum per fortem tentationem invadere, vel necare. Ideò ante omnia iſta ipſum tentat, quod virtutum exercitum dimittat, ipſumque mundi divitiis magnificat. Quod ad hoc facit, ut faciliùs credat ei, & ad mortem ipſum trahat. Prov. 5. *Favus diſtillans labia meretricis: noviſſima verò ejus amara velut abſinthium.* Igitur officia, & negotia regis, id eſt alta officia, & dignitates ſæculi promittit ſibi tradere, dum tamen exercitum virtutum velit dimittere, & per conſenſum in peccatum deſcendere, & venire. Ad hæc igi- F
tur officia homo per affectum vel effectum quandoque à Diabolo trahitur, ad quem dum deſcenderit, ſtatim ab eo vinculis malorum, vel malarum concupiſcentiarum ligatur, & tandem diverſis vitiis ſtrangulatur, & ad æternum interitum deputatur. Dum enim homo virtutum exercitum dimittit, & ſæculi negotia concupiſcit, mortem pœnæ, & culpæ finaliter incurrit. Benè igitur conſulit Sapiens, *Non credas inimico tuo in æternum.* Eccl. 12. Quia, ſicut ibidem ſubjungitur: *Oculis ſuis lachrymabit inimicus, & cum venerit tempus, &c.*

Cap. 13. Dicitur, hic, quod Simon mortuo Jonatha fratre ſuo, ipſum in Modin ſepelivit, & ſuper ſepulchrum patris, & matris, & quatuor fratrum ſuorum ſeptem pyramides ſuper columnas fabricavit, ſuper quas arma, & juxta arma naves ad æternam memoriam ſculptas, ità quod à navigantibus mare videri poterant, ordinavit.

Dic moraliter, quod Modin, quod interpretatur dijudicatio, ſignificat mentem, quæ ſeipſam dijudicare tenetur. Quia ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth. 2. *Si nosipſos dijudicaremus, non utique dijudicaremur.* Dic ità que, quod homo juſtus in Modin, id eſt, in conſcientia, & memoria debet ſepulchra parentum ſuorum, & amicorum facere, in quantum mortem eorum debet in mente habere, ſeptem etiam pyramydes ibi debet conſtruere, in quantum ſeptem opera miſericordiæ debet pro animabus iſtorum gerere, vel habere ſculpturas eorum, id eſt, bonorum exemplorum, quas exteriùs aliis demonſtrabit, in quibus columnas, id eſt, boni propoſiti firmitatem, arma, id eſt, bonorum operum probitatem, naves, id eſt, contemptus ſæculi levem, id eſt, tranſitoriam agilitatem debet ſculpere, ut ſic nautis, id eſt, hominibus per mare hujus mundi navigantibus exemplum, & ſpeculum poſſit eſſe. Iſta enim tria, ſcilicet, columnæ, naves, & arma, id eſt perſeverantia, contemptus mundi, bona opera, memoria mortis comitantur juſtum, & dum aliorum mortem in mente gerimus, in nobis ſpiritualiter generantur, & ideò de iſto Simone, id eſt, viro juſto poteſt dici illud Job. 22. *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congeriem mortuorum vigilabit.*

Hic habes, quod Simon, abjectâ omni immunditiâ de Gaza, & G
fugatis indè alienigenis, poſuit ibi viros, qui legem ſcirent & munivit eam.

Gaza, quæ interpretatur fortitudo Domini, ſignificat Eccleſiam Simon, qui interpretatur obediens, ſignificat bonum Prælatum, qui Deo præ aliis obedire debet. Iſte igitur à Gaza, id eſt, à civitate Eccleſiæ, in qua relucet potentia Dei vivi, debet omnem immunditiam vitiorum ejicere, & alienigenas, id eſt, multos homines indè fugare, & viros, qui legem Dei cuſtodiunt, id eſt, bonas perſonas debet introducere; virtutibus eam debet munire, ut ſic ſe poſſit contra hoſtes ſpirituales viriliter defenſare, Undè capitulo ſequenti nempè 1. Mach. 14. dicitur: quod *in arce Hieruſalem collocavit Judæos viros, qui eſſent ad tutamentum civitatis & regionis.*

Capitulum decimum quartum. Textus. Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo congregavit rex Demetrius exercitum.

Moralitatum Cap. XIV.

HIc fit mentio, quomodò ſub Simone ſummo Sacerdote populus Judæorum fuit multipliciter proſperatus, & quomodò miſit Romam amicitiam renovare, & quomodò clypeum aureum pon- H
deris mille marcarum miſit, &c. Sed de omnibus iſtis nihil ad præſens tango.

Item hic Cap. 15. fit mentio, quomodò Triphon per Antiochum filium Demetrii fugatur, & quomodò ipſe Antiochus contra Simonem indignatur, & quomodò Cendebæus cum exercitu miſſus à Juda filio Simonis conteritur, ſed omnia prætermitto; quia nihil video moralitatis.

Cap. 16. Cùm Simon perambularet regionem Judæ, deſcendit in campum Hiericho, ubi Ptolomæus Abobi filius, qui gener erat ſummi Sacerdotis, dives in auro, & argento, qui erat in campo Hiericho, ipſum ad convivium ſuſcepit. Simon verò ad eum cum duobus filiis ſuis Juda; & Jonatha, ſicut ad amicum intravit. Verum quia iſte ambiebat ad regionis ducatum, inſtaurato convivio, viros occultari fecit, & tandem in Simonem cum filiis ſuis inebriatis, & lætis, iſte, ſumptis ſuis armis, irruit,

Digitized by Google

& ipsos nequiter interfecit. Et statim ad occupandum Hierusalem, & sanctificationem milites destinavit. Joannem verò filium Simonis, qui tunc erat in Gazara, occidi jussit, sed is, hoc præcognito, præcavit, & illos, qui ad occidendum eum venerant, jugulavit.

Iste proditor, seu traditor Ptolomæus Diabolum significat, quia iste est, qui summè conatur Simonem, & filios ejus, id est, bonum, & justum Prælatum, & bonos ipsius imitatores de medio tollere, ut sic possit in regione, id est, in populo ad libitum imperare. Quia igitur per fortitudinem prævalere contra istos non potest, jam aliam viam quærit, ipsisque convivium mundanæ prosperitatis præparat, & vino delitiarum ipsos inebriat. Quos pro certo cum venè viderit lætos, & ebrios, & vino, id est, mundi prosperis benè plenos; tunc se, & occultos suos socios, id est, tentationes contra eos armat, & sic diversis vitiis eos tentans, pro voto superat, atque necat, & sic totum convivium quod paraverat, & mundi totam gloriam in luctum, & tristitiam eis mutat. Undè 1. Reg. 13. *Cum temulentus fuerit Ammon vino, percutite & interficite eum.*

Vel si vis, dic, quod iste Diabolus, quando videt hominem benè lætum; & in convivio mundanæ prosperitatis immersum, tunc occultos suos socios, scilicet mortem, & infortunia contra eum vocat; & sic per mortem temporalem, & æternam ipsos interficit. Undè 1. Mach. 9. *Conversa sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum suorum in lamentum.*

Moralitatum primi libri Machabæorum Finis.

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS OCTAVUS In secundum Librum Machabæorum.

A

Capitulum primum. Textus. Fratribus, qui sunt per Ægyptum Judæi, salutem dicunt fratres, qui in Hierosolymis.

Moralitatum Cap. I.

ANtiochus rex cum esset in Persia, & immensus exercitus cum eo, avaritiâ ductus voluit templum Naneæ, ubi thesauros absconditos esse audierat, spoliare, sed consilio sacerdotis seductus, cum paucis templum, ut pecunias acciperet, est ingressus. Sacerdotes tamen templum statim clauserunt, & aperto templi aditu mittentes lapides ipsum cum suis occiderunt, & membratim dividentes, amputatis capitibus, exteriùs projecerunt.

Iste Antiochus, qui interpretatur pauper silens, significat pauperem ambitiosum, qui se fingit silentem, & benignum esse. Iste sciens, quod in templo Ecclesiæ sunt multi divitiarum thesauri, multa pinguia beneficia, summè nititur ibidem intrare, & ibidem dignitatem obtinere, & hoc non ut possit proficere, sed potiùs, ut possit thesauros possidere. Quod videns sacerdos, Rector hujus templi, scilicet Deus, ipsum quandoque intrare permittit, sed tandem, ubi non sperat, occultum aditum, scilicet, mortem, & infortunium sibi aperit, lapides tribulationum in eum dimittit, & sic ipsum occidit, & eum membratim dividit, in quantum corpus ab anima disB jungit. Et sic non solùm ipsum, imò illos, quos secum duxerat, id est, nepotulos, & alios, quos in Ecclesia promoverat, capitibus, id est, potentiâ, & virtute privat, & eos de templo suo, id est, de statu Ecclesiastico ejicit, atque fugat. Ejecto autem, & mortuo malo Prælato sui etiam cum ipso deficiunt, & à dignitatibus in hoc templo indignè obtentis, ut communiter ejiciuntur, Oze. 9. *Propter malitiam adinventionum eorum de domo mea ejiciam eos.*

Vel dic, quod illud templum idolorum significat mundum, vel mundi statum, quia, scilicet Nanea interpretatur pascua, vel germen pulchritudinis, pro eo, quod mundus pulcher, & germinans illis videtur, qui eo pascuntur, & delectantur. Istud ergò templum Antiochus, id est, homo aliquoties intrat indiscretè, & ejus negotiis se implicat, & hoc, quia divitias acquirere sperat, quas sacerdos, & rector hujus templi Diabolus sibi per suggestionem promittit, ita quod ipsum ad ingressum hujus per spem invitat. Veruntamen sic fit, quod (dum iste non advertit, & dum ad habendum thesaurum intendit) iste sacerdos suus Diabolus, qui ipsum introduxit, aditum occultum subitæ mortis sibi aperit, & occultos socios suos, scilicet tribulationes, & casus contra eum inducit, & temporaliter occidit, & capite, id est, animâ ipsum exuit, membra ejus, id est, divitias aliis distribuit, & sic eum de templo hujus mundi ejicit. Undè Matth. 25. *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores.*

Cum filii Israël captivi dudum in Persiam durerentur, sacerdotes, qui tunc erant Dei cultores, acceptum ignem de altari in valle, ubi erat puteus altus, & siccus, absconderunt, & puteum obstruxerunt, tandem, cum post septuaginta annos populus, duce Nehemia in Judæam reveniret, & Nehemias pro sacrificando, ignem habere vellet, misit nepotes sacerdotum ipsorum ad puteum antedictum. Ipsi verò non ignem, sed aquam crassam invenerunt in puteo isto, quâ jussu Nehemiæ sacrificium & tam ligna quàm carnes asperserunt. Sed verè, ubi sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, ignis magnus indè accenditur quo totum sacrificium devoratur, de residuo aquæ prædictæ jussu Nehemiæ lapides perfunduntur, ex quibus mox ignis erupit, & lumen de altari emicuit, & processit. Rex verò Persarum his auditis, & probatis, sacerdotes honoravit, & manu propria dona plura eis dedit.

Ista solent mysticè per aliquos exponi sic: Dicunt enim, quod vallis ista, quæ est locus infimus, statum significat subditorum: Puteus iste significat conscientias eorundem. Ista est igitur veritas, quod antiquitus Patres nostri scilicet fidei, & Ecclesiæ fundatores absconderunt ignem spiritus S. divinæ dilectionis, fervoris, & devotionis in puteo, qui erat in valle, id est in cordibus subditorum, & hoc; quia tunc puteus nullas aquas voluptatis habebat, sed in siccitate paupertatis, temperantiæ, & abstinentiæ persistebat; & ideò non mirum, si ignem istum poterat continere, quando qui ipsum posset extinguere, nusquam erat, Isa. 1. *Succendetur utrumque simul, & non erit, qui extinguat.* Sed revera nepotes istorum sacerdotum, id est, moderni prædicatores, & Prælati, satis possunt hodiè in valle hujus putei, id est conscientia subditorum, istum divinum ignem quærere, quia vix aut nunquam possunt ibi ipsum reperire. Aqua enim crassa, id est, carnalitas, & voluptas ibi in abundantia reperitur. Ignis verò divini amoris, & fervor devotionis totaliter ibi non habetur. Undè Sap. 17. *Ignis quidem nulla vis poterat eis lucere.* Quid igitur? Dico, quod ista aqua vitiorum voluptatis debet indè per confessionem, & pœnitentiam extrahi, & ligna nostrarum operationum debent indè per continentiam nostræ præcedentis carnalis vitæ, & memoriam aspergi; lapides, id est nostri cordis duritiem debet indè similiter circumfundi, & sic sol divinæ gratiæ, qui priùs à nobis fuerat obnubilatus, refulgebit, & ignis prædictus in nobis spiritualiter succendetur; quia appositio aquæ crassæ, id est recordatio nostrorum peccatorum, ignem divini amoris, & fervorem devotionis, & contritionis generat, & hoc potissimè, quando sol divinæ gratiæ mentem irradiat. Thren. 1. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Hier. 2. *Factus est enim in corde meo quasi ignis æstuans;* quæ pro certo si fecerimus, lumen bonorum exemplorum ab altari cordis erumpet; rex verò, id est Princeps sæcularis, his cognitis, dona temporalia nobis effundit. Constat enim, quod Principes sæculares nobis bona facerent multa, si ignem divini amoris in nobis abundare viderent. Hic super locum istum dicit Augustin. sicut incidentaliter ponitur in historia scholastica super primum librum Machabæorum; quod ignis, qui toto tempore captivitatis Babylonicæ sub aquis vixerat, extinctus est, quando ab Antio- D cho venditum est Jasoni sacerdotium. Quod ad hoc potest allegari, quod ignis spiritus Sancti, & divini amoris, quem nullæ aquæ tribulationis extinguere poterant, imò in primitivâ Ecclesiâ sub tribulationum aquis inextinguibilis permanebat, juxta illud Cant. 8. *Aquæ multæ non poterant extinguere charitatem*, nunc ex toto extinctus videtur in Ecclesia, pro eo, quod jam in multis locis sacerdotium per simoniam est venale; & jam regnante avaritiâ, ab Antiocho rege, id est, à malis venditur; à Jasone verò, id est, ambitiosis comparatur; propter quod ignis divinæ gratiæ, & amor spiritus Sancti in Ecclesia minoratur.

C

Capitulum secundum. Textus. Invenitur autem in descriptionibus Hieremiæ Prophetæ, quod jussit eos ignem accipere.

Moralitatum Cap. II.

SIcut hic dicitur, & Comestor recitat, ubi agit de virtutibus Hieremiæ; arca testamenti dudum facta per Moysen in deserto miro modo fuit abscondita; invenitur enim in descriptionibus Hieremiæ, quod ipse videns captivitatem Babylonicam imminere, arcam cum in ea contentis, & tabernaculum accepit, & in desertum in monte, ubi Moyses pro videnda terra promissionis ascendisse legitur, deportavit; ibique speluncam reperit, & ibi ultimo sibi lapis apertus est, qui, absorptis arca, altari incensi, & tabernaculo, iterum se recluſit. Hieremias verò in isto lapide solo tactu digiti nomen Dei tetragrammaton scripsit, & ostium signaculo Dei clausit. Nubes verò statim locum istum cooperuit, ità quod nullus postea locum indicare potuit; in fine tamen temporum (cum Deus congregaverit plebem suam) columna ignis, & nubis ibi demonstrabitur, & Majestas Domini, sicut tempore Moysi revelabitur, & sic locus iste ab omnibus cognoscetur. E

Hieremias, qui interpretatur excelsus Domino, significat bonum Prælatum, mente, & affectione usque ad cœlestia exaltatum. Iste imminente Babylonica captivitate, id est, tentationum Diaboli potestate, & mundi adversitate, montem contemplationis debet ascendere, & in montem pœnitentiæ secedere, & ad spelun-

Digitized by Google

ſpeluncam religionis, vel humilitatis ſe applicare Pſalm. 54. *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Secum debet arcam teſtamenti, id eſt, divinæ legis meditationem, altare incenſi, id eſt, devotionem, Tabernaculum portatile, id eſt, mundi contemptum portare, quæ petra, & ſpelunca, id eſt, boni fratres, & humiles debent ab eo accipere, & ſorbere, quique his receptis, ſeipſos per ſui cuſtodiam, & inanis gloriæ fugam claudere, virtutes, & merita, quæ poſſident, à viſibus hominum occultare, & nomine Dei per devotionem ſignati, nubeque puritatis cooperti, locum ſuum non debent aliis pandere; ſed potiùs ignoti à ſæcularibus permanere, ſicut ſancti religioſi antiquitùs faciebant, qui ignoti eſſe hominibus cupiebant. Undè Hier. 36. *Vade, abſcondere, & nemo ſciat, ubi ſis.* Hæc debent boni religioſi facere, quouſque in fine ſæculi Deus ipſos decreverit declarare, & virtutes eorum in mundo coram hominibus manifeſtare, Matth. 6. *Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum.*

Capitum tertium. Textus. Igitur cum ſancta civitas habitaretur in omni pace.

Moralitatum Cap. III.

TEmpore Oniæ ſummi ſacerdotis civitas ſancta Hieruſalem in omni pace habitabatur, & leges divinæ ſervabantur, quod utique propter iſtius ſacerdotis pietatem fiebat; quia mala habebat odio, & juſtitiam obſervabat; ipſi Reges, & Principes locum ſummo honore ducebant, & templum magnis muneribus illuſtrabant. Undè & Seleucias Rex Aſiæ de propriis redditibus ſumptus ſacrificiorum dabat, & ſolvebat de proprio, quicquid ad ſacrificia pertinebat.

Sic verè quando in Hieruſalem, & in templo, id eſt, in Eccleſia, vel Religione eſt ſummus ſacerdos Onias, id eſt, rector aliquis juſtus homo, tunc propter pietatem ipſius ipſa civitas Hieruſalem, id eſt, ipſa Eccleſia ſibi commiſſa in pace habitatur, & leges divinæ, id eſt, regulares obſervantiæ ibidem à ſubditis obſervantur. Reges etiam, & Principes ipſum templum, id eſt, ipſum Eccleſiaſticum ſtatum honorant, donis, & muneribus ipſum ditant, & honorant ſacrificio bonorum operum. Præſentia enim & providentia bonorum Prælatorum cauſa eſt pacis, & proſperitatis Eccleſiarum. Et credo, quod ſi Prælati, & alii Eccleſiaſtici eſſent boni; ſæculares erga eos benigniter ſe haberent, & Eccleſiæ eorum pace, & divitiis abundarent. Sed quia modernis temporibus multi Eccleſiaſtici inveniuntur peſſimi, ideò ſæculares contra eos ſunt iniqui. Undè Iſa. 24. *Sicut populus, ſic ſacerdos.*

Hic dicitur, quod Simon templi præpoſitus moliebatur, obſiſtente ſibi Principe ſacerdotum, iniquum aliquid in civitate ſancta. Sed quia Onias ſummus ſacerdos, & Pontifex ſuis malitiis reſiſtebat, ideò implere non poterat, quod volebat; quapropter iſte ad regem Seleuciam properans, & ærarium plenum pecuniis in templo Eccleſiæ aſſerens ipſum ad ſpoliandum dictum ærarium induxit, & dictas pecunias non pertinere ad rationem templi, vel ſacrificium, ſed potiùs ad uſus publicos aſſeruit: quapropter ipſos ad regem pertinere commonuit, & ideò rex pro templo ſpoliando Heliodorum Hieroſolymam deſtinavit.

Simon iſte ſignificat ſimoniacos, qui in civitate Eccleſiæ ſemper nituntur mala tractare, iniquitates, & ſimonias machinare, quæ pro certo quando perficere nequeunt, & vident quod Onias, ſcilicet, ſummus Pontifex, id eſt, boni Eccleſiæ Prælati eos impediunt, ſolent ad Regem, ad Principes ſæculares ſe convertere, utpotè quando fiunt uxorati, vel bigami, vel Principum officiales, & ſic quando apud Prælatum nihil poſſunt, ſolent apud mundanos Principes ſuas malitias procurare, & tunc non ceſſant ipſos ad theſauros Eccleſiæ deprædandos totis viribus animare. Ajunt enim, quod templum Eccleſiæ eſt plenum pecuniis, & theſauris. Ajunt etiam, quod illud ærarium templi, ad regem, & ad publica negotia debet pertinere, & quod Principes ipſum licitè poſſunt tollere. Sic igitur iſti bigami, & curiales Clerici maritati præ aliis Eccleſiæ nocent, & ad rapiendum bona Eccleſiarum, & moleſtandum Clericos, Principes excitant, & invitant, & ad hoc mitti Helidorum, id eſt, malos Officiales, & Ballivos procurant. Sicut ad literam patet de Clericis uxoratis, vel bigamis, qui in ipſis regum curiis, vel conſiliis commorantur; quia pro certo nocere Eccleſiis, & accuſare alios præ aliis dignoſcuntur. Undè in cap. ſequenti dicitur 2. Mach. 4. *Simon delator pecuniarum malè loquebatur de Onia.*

Dicitur hic, quod Heliodorus, qui ærarium templi ſpoliabat, à duobus Angelis ſibi apparentibus fuit acriter verberatus, & plagis impoſitis ſemi-vivus relictus. Sed tandem Oniæ ſummi ſacerdotis precibus eſt ſanatus. Iſti autem ſanato dixerunt Angeli prælibati, *Oniæ ſacerdoti gratias age, propter ipſum enim tibi reddita eſt vita, tu autem ſanatus annuncia mirabilia Dei, quæ fecit.* Et ſic ille, qui venerat ſpoliator, factus eſt templi virtutum, & mirabilium prædicator.

Si vis, allega ſic de converſione Pauli. Heliodorus, qui interpretatur Deo meo generatus, ſignificat beatum Paulum, qui meritò debet dici Deo ſuo generatus. Undè Act. 9. *Vas electionis eſt mihi iſte.* Iſte enim ad inſtinctum Simonis, Præpoſiti templi, id eſt, ad ſuggeſtionem Phariſæorum, & ſacerdotum Hieruſalem, ſcilicet Eccleſiam theſauris ſuis, ſcilicet bonis perſonis, & Chriſtianis fidelibus primò ſpoliare quæſivit; ſed pro certo à Deo flagellatus, & in flagellis converſus templum honoravit, per bona opera ſanctificavit, mirabilia Dei præ aliis nunciavit, & ſic de ſpoliatore ditator, & de perſecutore factus eſt prædicator. Vel allega generaliter, quod flagellatio tribulationum ad duo proficit peccatori; quia primò mala, quæ propoſuerat facere, non permittit. Secundò, quia ipſum ad Deum convertit, & Dei laudatorem facit. Undè 2. Mach. 9. *In agnitionem ſui deductus eſt percuſſus à Domino plaga.*

Vel dic, quod illi, qui bona Eccleſiæ rapiunt, percuſſiones, & tormenta finaliter incurrunt.

Duo juvenes virtute decori, & optimi gloriâ, pretioſi amictu, apparuerunt Heliodoro, ſpolianti templum, quem protinùs percutientes plagaverunt, & ſic eum, ne theſauros caperet, impedierunt.

Sic verò duo juvenes, id eſt, Prælati, & Principes ſæculares ſimul debent convenire in juſtitia, & contra malos raptores, ne bonis noceant cum ſuo gladio dimicare, & eos ſpiritualiter per excommunicationem, & temporaliter per pœnam temporalem affligere. Iſti tamen debent dici duo, propter concordiam, quam inter ſe debent habere, virtute decori propter juſtitiam, quâ contra malos debent vigere; optimi gloriâ per bonam famam, quâ præ cæteris debent pollere; ſpecioſi amictu, per honeſtam vitam, quâ præ omnibus debent ſplendere. Undè Act. 1. *Ecce duo viri aſtiterunt in veſtibus albis.*

Vel dic, iſta de duobus noſtris juvenibus Petro, & Paulo Angelicis, qui contra Heliodorum, id eſt, contra Neronem, vel Diabolum convenerunt, vel qui malos docendo, & prædicando convenerunt, & à malo traxerunt, &c. Ut ſupra.

Vel dic idem de Simone, & Juda, vel de quibuſcunque Sanctis duobus combinatis.

Capitulum quartum. Textus. Simon autem prædictus pecuniarum, & patriæ delator.

Moralitatum Cap. IV.

JAſon frater Oniæ ſanctiſſimi ſacerdotis contra proprium fratrem ſacerdotium ambiens, Regem Antiochiæ adiit, & promiſsâ multâ pecuniâ, expulſo fratre, ſacerdotium à rege obtinuit. Qui obtento principatu, ſtatim contribules ſuos ad gentilem ritum transferre cœpit, & legitima civitatum jura deſtituens gravia ſtatuta ſancivit, ità quod ſacerdotes circa altaris officia nequaquam dediti erant, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis palæſtris & ludis vacabant, & primos honores nihil habentes Græcas glorias optimas deputabant, & his ſimiles eſſe per omnia cupiebant, quos paulò ante hoſtes, & peremptores habuerant.

Iſte Jaſon, qui interpretatur deſiderans, ſignificat ambitioſum, qui honores, & eminentias deſiderare non ceſſat. Undè Prov. 21. *Tota die concupiſcit, & deſiderat.* Antiochus, qui interpretatur pauper ſilens, vel pauperis ſilentium; malum Superiorem ſignificat, qui pauperes ſubditos gravans ipſos ſilentes, & triſtes efficit; in quantum præ timore ipſius nullus eſt, qui loqui præſumat: undè 1. Mach. 1. *Accepit ſpolia multitudinis gentium, & ſiluit terra in conſpectu ejus.* Iſta eſt ergò veritas, quod Jaſon, id eſt, malus Prælatus non parcit Oniæ, nec ratione fraternitatis, nec ratione bonitatis, quia tales ambitioſi non parcunt aliis conſanguineis, vel juſtis, quin eorum ſacerdotium ambiant, & officia concupiſcant. Ideò ſæpè fit, quod ad regem Antiochum, id eſt, ad malum Prælatum ſe transferunt, & mediante pecuniâ ſacerdotium, id eſt, beneficium acquirunt, proprioſque fratres, & amicos à ſtatibus ſuis deponunt, Hier. 9. *Omnis frater ſupplantans, ſupplantabitur, & omnis amicus fraudulenter incedit, &c.* Talis igitur ambitioſus ſtatim quando ante principatum vehitur, vel ad prælationem ſublimatur, legitima civium jura, id eſt, bonas conſuetudines ſibi ſubjecti populi deſtruere molitur, & prava ſtatuta pro viribus inſtituit, & ſectatur; contribules, id eſt, ſuos amicos, & familiares ad ritum gentilem, id eſt, ad ſæcularem laſciviam inducere comprobatur. Illud enim videmus de malis, quod plus cupiunt nepotulos eorum, ritus & mores gentiles, id eſt, ſæculares, laſcivos habere, quàm quod Iſraelitæ, id eſt, viri juſti fiant. Undè de talibus poteſt dici illud Oſe. 9. *Ducet ad interfectionem filios ſuos.* Quid plura? Revera, regnante tali Prælato, ſacerdotes, id eſt, inferiores ſubditi non vocantur ad altaris officia peragenda, ſed potiùs contempto cultu, & ritu templi, Eccleſiæ, vel altaris, & neglectâ regulari obſervantiâ, diſciplinæ moribus religioſis depoſitis, paternis moribus, id eſt, ſanctorum patrum moribus, & conditionibus vilipenſis, ludis ſæcularibus ſe implicant, & Græcas glorias, id eſt, ſæcularium mores optimos eſſe putant; hiſque ad literam ſimiles eſſe cupiunt, ſc. ſæcularibus, quos hoſtes multo-

Digitized by Google

ties ſenſerunt. Conſtat enim, quod ſæculares Eccleſiaſticorum in multis caſibus ſunt inimici,& tamen fatui Eccleſiaſtici ipſis in moribus ſe conformant, ipſiſque cupiunt eſſe ſimiles, & amici. Quod potiſſimè videmus de multis nobilibus, qui licet ad Eccleſiam veniant,dedignantur tamen mores religioſos, & Eccleſiaſticos ſequi, & in cunctis ſuis actibus conantur ſæcularibus conformari, ità
B quod cuilibet tali poſſunt ſæculares dicere. *Et tu vulneratus es,ſicut & nos, & noſtri ſimilis factus es.*

Hic dicitur, quod Jaſon, qui proprium fratrem à ſacerdotio repulerat,& ſacerdotium muneribus obtinuerat, quadam die quendam iniquum,qui dicitur Menelaus,ad regem Antiochum cum pecunia deſtinavit. Qui eadem pecuniâ ſacerdotium in ſe retorquens, Jaſonem magiſtrum ſuum expulit, & ſic juſto Dei judicio is, qui proprium fratrem expulerat,ab alio fraudulenter à ſuo ſacerdotio fugatus fuit.

Illud allega, quod, in quo peccat aliquis,in hoc punitur. Et quod *eadem menſura,qua menſi fueritis,&c.* Juſtum eſt enim, quod qui alteri infidelis eſt,inveniat ſibi alterum infidelem. Seneca. *Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.*

Vel allega contra ambitioſos, qui communiter in ſuis ſtatibus, beneficiis, quæ malitioſè in præjudicium fratrum ſuorum obtinuerunt,finaliter non proſperantur, ſed ſuperveniente tribulatione, ab ipſis quandoque vel aliis expelluntur. Undè Ezech. 17. *Ergone proſperabitur?*

Capitulum ſextum. Textus. Sed non poſt multum temporis, miſit rex Senem quendam Antiochenum.

Moralitatum Cap. V.

POſtquam Antiochus rex nequiſſimus Hieruſalem cepiſſet, & templum theſauris, & vaſis aureis, & argenteis ſpoliaſſet, & omnes Iſraëlitas ad ritum gentium tranſire juſſiſſet, voluit, quod templum Hieruſalem non templum Hieruſalem diceretur, ſed quod templum Jovis Olympici publicè vocaretur, tunc enim templum luxuriâ, & commeſſationibus erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus: ſacriſque ædibus ſe ultrò mulieres ingerebant, introferentes,quæ non licebant; altare plenum erat illicitis;
C neque Sabbatha cuſtodiebantur; nec dies ſolemnes Patrum ſervabantur; nec ſimpliciter quiſquam Judæum ſe eſſe confitebatur; ducebantur ad idolorum ſacrificia, & coronati hædera, Baccho circumire compellebantur.

Sic verè ſtatim, quando Diabolus Hieruſalem, id eſt, ſtatum Chriſtianitatis ditioni ſuæ per peccatum ſubjugavit, ante omnia templum, id eſt, ſtatum Eccleſiaſticum omnibus bonis ſpiritualibus ſpoliavit, theſauros, id eſt, virtutes, vaſa aurea, & argentea, id eſt, perſonas ſapientes, & ſcientiâ nitentes,ſpoliavit, filios Iſraël, id eſt, Eccleſiaſticos ad ritum gentilem,id eſt, ad mores ſæculares traxit. Ità quod, ſicut videtur, jam templum Eccleſiæ non videtur eſſe Dei templum, ſed Jovis; qui interpretatur inimicus ſeparans, id eſt, Diaboli, pro eo, quod ibi Diabolo plus quam Deo ſervitur, & quia cultu Domini derelicto, Jupiter, id eſt, inimicus Diabolus per vitia ibi colitur, & ejus mandatis, & ſuggeſtionibus obeditur, & hoc patet ex his,quæ ſequuntur,quia jam (ut videtur) illud templum, id eſt, Eccleſiæ ſtatus, luxuriâ, & comeſſationibus eſt plenum, à ſcortis & meretricibus eſt frequentatum; ædes ſacræ domûs religioſorum mulieribus, & concubinis replentur; & multa illicita, & vitia ibi per omnia obſervantur. Jamque ſabbatha,id eſt,quies mentis, & contemplatio ſolennitatis, id eſt, divina laus, & à peccatis ceſſatio ibi non cuſtodiuntur; ſed potiùs Baccho, id eſt, vino, & ebrietati omnes ſerviunt, & coronati hæderâ, id eſt, nitore veſtimentorum induti, iſti Deo Baccho circumeunt, & in omnibus obſequuntur; ità ut concludamus breviter, quod nullus eſt, qui dicat ſe Judæum, id eſt, qui glorietur dici religioſus, vel presbyter, ſed potiùs in ſæcularibus actibus gloriantur, & potiùs videri ſæculares, quàm Clerici delectantur. Sic igitur templum illud eſt mirabiliter pollutum per Antiochum Diabolum, & everſum, Pſ. 78. *Deus venerunt gentes*, id eſt, gentium mores, *in hæreditatem tuam, &c.* Undè Num. 2. *Portæ fluviorum apertæ ſunt, & templum ad ſolum dirutum eſt.*

Sub perſecutione Antiochi duæ mulieres delatæ ſunt ſuos pueros circumciſiſſe; quæ ſtatim à gentilibus, pueris ad mammillas
D ſuſpenſis, fuerunt per muros præcipitatæ. Quidam etiam, qui ſabbathum colere voluerunt, & ad ſpeluncas fugerunt, nolentes ſe defendere, flammis à gentilibus perierunt. Nolebat enim Antiochus, quod aliquæ matres pueros ſuos circumciderent, vel quod diem Sabbathi cuſtodirent.

Sic verè Diabolus nunquam voluit, quod aliquæ mulieres, id eſt, Prælati pueros, id eſt, ſubditos laborent circumcidere, id eſt à vitiis reſecare, vel quod aliqui ſtudeant ſabbathum ſpirituale, & temporale cuſtodire, hoc eſt, à vitiis ceſſare, & quieti mentis vacare, ac feſta ſpiritualiter celebrare. Hinc eſt, quod illæ matres, id eſt, Prælati, qui hodiè parvulos, & ſubditos à vitiis circumcidunt, de muris, id eſt, de altis ſtatibus præcipitantur, pueri circumciſi, id eſt, boni ſubditi benè correcti, à Diabolo, & miniſtris ejus tyrannis, unà cum bonis ſuis matribus, tribulationibus ſubjiciuntur, & in eorum mammillis pendentes, id eſt, Prælatorum doctrinis adhærentes, à Diabolo propelluntur,ſabbatha, & feſta ſpiritualiter, ac temporaliter colentes, flammis diverſarum tribulationum uruntur. Regulare enim eſt, quod tam Prælati, quàm ſubditi, qui à malo ſe reſecant, & qui divinæ laudi magis vacant, ampliùs à dignitatibus, & officiis rejiciantur, & majoribus tribulationibus afficiantur, Pſalm. 33. *Multæ tribulationes juſtorum.*

Hic habetur de Eleazaro, quod cum omnes Judæi compellerentur ſacrificare idolis, & contra legem carnes idololatricas, & idolis immolatas comedere, ipſe noluit, ſed potiùs mortem ſuſtinere voluit. Quinimò cum amici ſui ſuaderent, quod carnes, quibus licitum eſt veſci, apportarent, & ipſe ſe carnes porcinas fingeret comedere; ut ſic ſub tali ſimulatione poſſit mortem evadere, recuſavit. Et elegit mori potiùs, quàm contra legem carnes porcinas comedere, vel ſic comediſſe fingere, & hoc ne ipſe,qui ſenex, & vir auctoritatis erat,malum exemplum juvenibus daret. *Non enim noſtræ ætati dignum eſt fingere,ne quis adoleſcentium Eleazarum putet nonagenarium ad vitam alienigarum tranſiſſe.*

Iſta poſſunt allegari exemplariter, quomodò homines maximæ reputationis, quando ſunt ſenes, præ aliis abſtinere debent à malo; & hoc, quia vita talium ab aliis trahitur in exemplum, E
& ne aliis occaſio ſit, à malis abſtinere tenentur; honorem ſuum debent tales graves ſollicitè conſiderare, & potiùs mortem eligere, quàm famam, quam longo tempore vitæ ſervaverunt, oblectamento vitæ modicæ, quæ ſupereſt, deturbare, dicentes illud 1. Mach. 9. *Moriamur in virtute, & non inferamus crimen gloriæ, &c.*

Vic dic, quod virum honeſtum non decet aliquid fingere, & maximè, ubi fictio ſua in aliorum ſcandalum poteſt redundare. Undè Sap. 1. *Spiritus S. ſapientiæ fugiet fictum.* Si igitur prohibitum eſt, ne mali fingant ſe bonos, ſic etiam, ne boni fingant ſe malos, &c.

Capitulum decimum. Textus. Machabæus autem,& qui cum eo erant, Domino ſe protegente.

Moralitatum Cap. VI.

CUm Judæi cum Juda Machabæo, Timotheo, qui contra eos cum innumerabili exercitu veniebat, obviam irent, & contra eum committerent bellum, apparuerunt adverſariis quinque viri ignei de cœlo miſſi in equis, frænis aureis decori, qui Judæis ducatum præſtabant, quorum duo Machabæum medium habentes, armis ſuis incolumem ſervabant, in hoſtes verò tela, & fulmina jaciebant, ex quo cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant.

Judæi, qui interpretantur glorificantes, Machabæus, qui interpretatur ingenioſus, ingenioſè Dominum glorificans, ſignificat bonos ſubditos fideles, qui contra Timotheum tyrannum Diabolum, & ejus exercitum, id eſt, contra tentationes, & vitia præliantur. Iſti quinque viri bonos Prælatos denotant, qui de cœlo miſſi, & à Deo promoti, & non à carnis affectione, vel ſimonia introducti debent eſſe. Undè Job. 3. *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt.* Qui debent eſſe quinque, per quinque ſenſuum F
cuſtodiam; ignei per charitatis amorem; cum equis aureis, id eſt, cum corporibus mundis, & caſtis per caſtam converſationem. Iſti illos Judæos, id eſt, ſubditos debent præcedere, bona exempla dando; debent protegere, ſe pro eis exponendo; & ad hoſtes tela, & fulmina projicere,ipſorum malitiâ repellendo; Prælati contra hoſtes ſpirituales, id eſt, contra Dæmones debent jacere tela orationum ſuarum,contra carnem tela jejuniorum; contra mundum tela reprehenſionum, contra tyrannos tela correctionum, & canonicarum ſanctionum. Sic enim faciendo ipſos cadere facient, & ſubditos,quos protegunt, tutos reddent. Ideò de quolibet tali benè poteſt dici illud Matth. 28. *Erat aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimenta ejus ſicut nix.* Undè etiam Abac. 3. *In luce ſagittarum tuarum ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. In fremitu conculcabis terram.* Vel etiam tela prædicationum debent emittere, & fulgura bonorum exemplorum oſtendere, ut ſic poſſint contra ſpirituales hoſtes ſe defendere,& munire.

Item hic ſuperadditur, cum Judas obtinuiſſet victoriam contra Timotheum, quidam ex parte Timothei fugerunt in Gazaram, præſidium valdè munitum, inacceſſibile, atque firmum, qui loci firmitate confiſi, verba nefanda contra Judam jactabant. Eo accenſi animo illi, qui cum Juda erant, præſidium expugnaverunt, quamvis eſſet inexpugnabile, & cœperunt, ac blaſphemos, & impios occiderunt. Simile dicitur 2. Mach. 12. Infra de Civitate Caſphin.

Ad hoc iſta allegari poſſunt, quod nullus debet in loci, vel ſtatûs ſublimitate confidere, nec propter hoc ad injurias, & moleſtias inferendas ſuis hoſtibus prorumpere; quia nihil tam firmum, quod non poſſit deſtrui; & ex hoc ſolent eos contra ſe fortiùs

Digitized by Google

fortiùs animate: Deus etiam ad talium, qui freti protectione murorum,id est, amicorum, adjutorum, & temporalium bonorum inexpugnabiles se esse credunt, superbiam reprimendam, solet eos in manus hostium suorum tradere, & potentiam eorum penitùs enervare. Quantumcunque homo sit in loco, & statu firmo, pacifico, & securo; utilè est sibi, pacificè se habere, & hostes suos nullatenùs irritare Psalm. 12. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*

Capitulum duodecimum. Textus. His factis pactionibus,Lysias pergebat ad regem.

Moralitatum Cap. VII.

G Hic fit mentio,quod Joppitæ Judæos, qui habitabant cum eis, cum uxoribus, & parvulis quasi sub ludi specie scaphas intrare fecerunt, & in altum mare ducentes, cum nihil mali suspicarentur, submerserunt. Judas verò statim proditionem audiens, & injuriam suæ gentis in se retorquens, subitò nocte super eos irruit, portum succendit, scaphas combussit, & eos, qui ignem fugerunt,gladio interfecit. Et quia audivit, quod Joppitæ ità volebant facere Judæis, qui secum habitabant, ideò simile eis fecit.

Ista allega, quomodò multa mala veniunt ex ludis, & quomodò extrema gaudii luctus occupat. Isti enim causâ ludi mare intraverunt, sed tamen ibi submersi perierunt. Et potissimè ista possunt dici mysticè, quod filii Israël, id est, Religiosi, & Ecclesiastici, nunquam debent cum Joppitis gentilibus, id est, sæcularibus ludos facere,nec eis se adjungere, nec in eis plus debitò confidere, vel ad marina, id est, ad fluctuosa mundi negotia se transferre; quia ex contractu talis societatis, propter eorum mala exempla, & dicta possent faciliter spirituale, & æternum naufragium reportare. Undè Joan. 4. *Non contuntur Judæi Samaritanis.*

Vel dic, quod Joppitæ gentiles significant Dæmones, cum quibus nos velut alii Judæi,id est, Christiani confitentes, mixti in hac valle miseriæ habitamus; Isa. 11. *Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo cubabit.* Isti igitur fraudulenter scaphas, id est, alta mundi beneficia quandoque ascendere faciunt, & sub specie ludi temporalis ad altum mare, id est, ad profunda mundi negotia nos deducunt. Ubi pro certo primò nos in vitiis, deindè in inferni suppliciis nos immergunt,& sic ludum temporalem, quem nobis
H promittere videbantur,in tribulationem convertunt,undè Prov. 14. *Risus dolore miscebitur.* Fatuum est igitur talium suggestionibus credere, & ad eorum proditionem maris, id est, fluxibilis mundi statibus, & negotiis se credere, quia exindè solent pericula animarum provenire. Ideò Eccles. 22. *Non credas inimico tuo in æternum.* Judas tamen,id est,Christus istam Dæmonum proditionem, & fidelium damnationem finaliter vindicabit, quando in die judicii ipsos perpetuis incendiis condemnabit. Undè Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum.*

Vel dic generaliter, quod illi, qui alios proditiosè decipiunt, sive sint sæculares, qui Religiosos ad peccandum trahunt; sive Dæmones, qui fideles tentando in infernum mergunt, sive mundani proditores, qui alios in se confidentes fraudulenter affligunt, finaliter punientur, & à Juda, id est, Christo igne perpetuo comburentur, & eorum scaphæ, id est, status, & prosperitates finaliter subvertentur, & sic illi, qui alios sub ludi specie illuserunt, finaliter illudentur. Undè Proverbior. 3. *Illusores Deus illudet.*

Hic dicitur, quomodò Judas dimicans contra hostes, quadam die multos de suis perdidit,sed tamen obtentâ victoriâ,cum corpora defunctorum sepelire vellet, inventa sunt sub tunicis eorum aliqua de donariis idolorum, propter quod manifestum factum fuit, quod pro eo perierant, quia dona idolorum contra legis prohibitionem habebant. Judas facta collatione,pro animabus mortuorum oblationem in Hierusalem offerri misit,& de resurrectione futura justè, & congruè cogitavit.

Ista possunt allegari contra proprietarios religiosos claustrales, quibus non licet donaria idolorum, id est, mundi divitias, quæ ab idolis, id est, à Dæmonibus dantur, habere, nec aliquid sine Prælati licentia possidere; sed pro certo, quia in exercitu Judæ id est, Christi militia, & Religione multi inveniuntur, qui talia donaria sub tunicis habent, id est, qui occultè sine Prælati licentia contra leges, & statuta regularia, pecunias, & divitias possident, ideò fit, quod isti in bello contra vitia pereunt, & finaliter morti æternæ subjacent. Undè Actor. 8. legitur: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Vel dic, quod Judas, id est, bonus Prælatus, quando percipit subditos suos mortuos, scilicet in peccato, summè debet dolere,
A & pro venia obtinenda debet oblationes apud Deum facere, & offerre, ut resurrectionis tempore ipsis dignetur Dominus indulgere.

* * *

Capitulum decimum quartum. Textus. Sed post triennii tempus cognovit Judas, & qui cum eo erant.

Moralitatum Cap. VIII.

De constantia ipsius Rasiæ,qui irruentibus super eum gentilibus, interfecit seipsum, & propria sua intestina super turbas projecit,& ne illuderetur à gentilibus, propria morte se diffudit, potest applicari ad virtutem fortitudinis, quia temporaliter loquendo, nihil est audaciùs, vel fortiùs, quàm manus mittere in seipsum, sicut de Catone legitur,qui seipsum occidit. Verùm, quia nostris modernis temporibus nulli est licitum seipsum interficere, Ideò dico, quod sicut antiquitùs fortiùs, & virtuosiùs reputabatur seipsum occidere,quàm alium; sic spiritualiter virtuosiùs est, quod quis semetipsum vincat,& corrigat,quàm alios: Undè Prov. *Melior est enim patiens viro forti,& qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Seneca de moribus. *Fortior est,qui seipsum vincit, quam qui hostes subjecit,difficilè est enim seipsum vincere.*

Cum Nicanor impius contra Judam præliatus, ipsum die Sabbathi vellet invadere,multi Judæi,qui timore ducti sequebantur eundem, suggerebant, quod die Sabbathi non confligeret, sed quod potiùs Sabbatho gloriam daret. Ipse in superbiam ductus, petiit, si esset potens in cœlo, qui diem Sabbathi celebrare jussisset. Quibus asserentibus *esse Dominum Deum cœli, qui Sabbathum coli jussisset,* respondit. *Et ego,* inquit, *potens supra terram, qui impero summi regis arma, & negotia impleri.* Ipse igitur superbus die Sabbathi conflixit,in quo tamen conflictu corpus, & vitam, & brachium dextrum amisit.

Revera talibus verbis videntur uti Tyranni, quia sicut Deum in cœlestibus regnare credunt,sic seipsos in terra dominari dicunt. Videtur enim eis,quod in terra,quicquid facere libet, liceat; & quod impedire ipsorum opera mala nullus possit. Undè ipsi videntur dicere illud Ezech. 11. *Longè recedite à Domino,vobis data est terra in possessionem.* Tales igitur nec dignantur festa colere, quinimò contra justos,& simplices solent in Sabbathis,id est,in festivis diebus pugnare, & eos rapinis,& exactionibus infestare, propter quod solent mortem æternam incurrere. Quia enim licitum est Sabbathis,& festivitatibus bona opera facere, multò fortiùs illicitum est malis operibus inhiare.

Cap. 15. Hic dicitur,quod Onias,qui fuit summus Sacerdos, vir bonus & justus,modestus moribus, eloquio decorus, & à puero in virtutibus exercitatus, visus est Judæ contra Nicanorem præliaturo manus suas extendere,& pro ipso exercitu suo Deum exorare. Visus est etiam sibi apparere vir alius gloriæ mirabilis, scilicet fratrum, & civitatis amator,Hieremias Propheta, sibi gladium aureum porrigens,& sibi talia verba dicens: *Accipe istum gladium à Deo missum,in hoc dejicies hostes populi mei in Israel.* Qua visione milites Judæ confortati,manu quidem pugnantes,sed cordibus Deum, ac Dominum deprecantes,se in hostes fortiter injecerunt,& confortati Dei præsentiâ triginta millia hominum de hostibus prostraverunt. Nicanorem verò ducem hostilis exercitus occiderunt. Advertendum tamen est,quod dicti Onias,& Hieremias tamdiu mortui erant,sed in visione Machabæo apparebant.

Ista possunt allegari pro illis,qui bellum Domini contra infideles pro fide,& contra impios pro justitia præliantur. Constat autem, quod pro talibus Onias,& Hieremias, & Sancti,qui sunt in Paradiso, Dominum deprecantur,quodque gladium, id est, potestatem vincendi,& trucidandi hostes ipsis assignare noscuntur. Quo signo pro certo ità fit communiter, quod præsentiâ divini adjutorii confortati, inimicos superant, & hoc potissimè, quando manibus pugnant,& Deum cordibus orant. Ista enim duo justo militi Christiano justum bellum exequenti necessaria sunt: manualiter pugnare,ut homo debitum suum faciat; & Deum cordialiter exorare, ut ipse residuum suppleat: Undè Nehem. 4. *Unà manu faciebant opus, & alterâ tenebant gladium.*

Vel si vis, dic de bello spirituali contra Diabolum, Carnem, & Mundum,ubi adjuvamur per ipsos Sanctos, & gladio divini adjutorii præmunimur,& in quo,ut communiter, hostes vincimus, dum tamen per bona opera manualiter pugnemus, & quod in nobis faciamus; & quod (ut Deus residuum suppleat,) ipsum cordialiter imploremus.

Vel de Onia dic, quod ad hoc, quod summus Sacerdos, id est, Prælatus dignus sit à Domino exaudiri, & subditis fidelibus opitulari; necesse est,quod sit Onias, qui interpretatur mœrens Domino, in spiritu contritus, & contribulatus; quod sit bonus, justus, modestus moribus, & eloquio decorus, & in virtutibus exercitatus. Undè Hebr. 7. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Tales à Domino exaudiuntur, ità quod eorum precibus adjuvantur, & spiritualibus hostibus dominantur. Undè Jac. 5. *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Econtrà si mali fuerint, preces eorum pro nihilo reputant. Undè Joan. 9. *Scimus, quoniam peccatores Deus non exaudit. Sed si quis Dei cultor est, hunc exaudit.*

Moralitatum libri 2. Machabæorum Finis.

MO-

Digitized by Google

MORALITATUM LIBER VIGESIMUS Nonus In novum Testamentum, & primò super Matthæum.

D Decurso vetere testamento, & moralitatis figuris, quas de diversis libris extraxi, restat nunc ad historiam Evangelicam manum mittere, & juxta morem solitum aliquas historias, & parabolas excerpere, illas scilicet, quas possum ad mores hominum applicare. Quamvis enim non sum dignus corrigiam calceamenti Salvatoris solvere, nec facta, aut dicta ejus, quæ in Evangeliis scribuntur, tangere; Spero tamen quod ipse, qui se ab Hæmorrhoissa tangi permisit, non indignabitur, si me peccatorem, & indignum simplici corde inter publicanos ad se appropinquantem viderit, ut saltem *vestimentorum ejus fimbriam tangam, ut, cum ipsam tetigero, salvus fiam*, Luc. 15. Evangelium igitur Matthæi primò, Deo opitulante, percurram, deindè ista, quæ in aliis Evangeliis continentur, quæque à Matthæo posita non fuerunt, suis capitulis superaddam.

Capitulum secundum. Textus. Cum natus esset Jesus in Bethlehem.

MORALITATUM CAP. I.

CUm natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, stella continuè apparuit, quæ Magos ab oriente in Judæam ad puerum adorandum adduxit. Ista enim stella regem Judæorum natum ostendit, & eos usque ad domicilium antecessit, quæ super locum, ubi erat puer, diu immobilis stetit. Quam videntes gavisi sunt, & hujus signo ducti domum intraverunt, & puerum cum Maria matre ejus invenerunt. Et apertis thesauris suis aurum, thus, & myrrham obtulerunt.

Isti Magi, qui erant gentiles, valdè remoti à Hierusalem, significant peccatores, qui longè à Hierusalem, id est, à visione Dei viventes esse noscuntur. Stella ista bonum Prælatum, vel Superiorem significat, qui exemplis, & doctrinis suis alios illustrat; Ista ergò stella, id est, prædicator debet in oriente, id est, in statu virtutum lucere, Magos, id est, peccatores, & simplices, ad Jesum per fidem, & pœnitentiam adducere, iter salutis prædicando eis ostendere, & eos per bona opera, & exempla ad Jesum cedendo præcedere; ad quem, cum per devotionem, & vitæ perfectionem attigerit, supra locum
E per perseverantiam debet stare, nec indè per inconstantiam se movere, dicens cum Helia, *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* 3. Reg. 18. Stare enim debet cum Domino, ut in se sit bonus, firmus, & stabilis; Antecedere verò debet alios, ut sit illis virtualiter exemplaris. Undè Jos. 4. *Sacerdotes pergebant ante populum.* Quæ si fecerit, videntes eum gaudio magno poterunt gaudere; quia revera gaudium magnum est sæcularibus, & subditis stellam stantem, id est, bonum Prælatum, vel Superiorem videre. Sic enim ipsi Magi, id est, simplices & peccatores, tali stellâ illuminati, doctrinaliter anteducti, in Bethlehem, quæ est domus panis, id est, in Ecclesiam per pœnitentiam venient, & domum conscientiæ per contritionem intrantes, illum, qui est panis vitæ, scilicet, puerum Jesum cum Maria matre ejus per gratiam invenient, & aurum dilectionis charitativæ atque myrrham mortificationis carnis, & thus devotionis, & orationis sibi offerent, & sic ductu stellæ boni fient. Aspectus enim bonæ stellæ antecedentis, id est, bonæ personæ viam virtutum exemplariter ascendentis solet intuentes recreare, & eos ad Salvatorem Jesum spiritualiter introducere, & salvare. Ideò benè dicitur: *Suspice cœlum, & numera stellas.*

Vel dic, quod puer Jesus significat puritatem innocentiæ, quam Maria, id est, amara generat pœnitentia. Igitur, qui istum puerum, id est, conscientiæ puritatem invenire desiderat, necesse est, quod ad stellam, id est, ad Deum, & ad Sanctos per devotionem, vel bonorum imitationem aspiciat, & quod post eam sequatur virtualiter. Sic enim cum Maria, id est, cum pœnitentia puerum Jesum, qui interpretatur Salvator, & puritatem innocentiæ, & salutem animæ reperiet, & tria spiritualia munera, quæ præmisi, offeret, & concedet. Jesus enim sine Maria non invenitur, quia salus sine pœnitentia non habetur. Undè Deut. 32. *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris.*

Audiens Herodes Christum in Bethlehem natum esse, ipsum statim perdere proponit, & ideò ipsum se velle adorare dissimulans, Magos illuc cautè misit, & ad ipsum redire præcepit. *Ite*, inquit, *interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renunciate mihi, ut veniens adorem eum.* Ipsos tamen Angelus admonuit, ne ad eundem redeant, & ad regionem suam per aliam viam vadant. Quapropter Herodes pueros occidit, & inter ipsos Christum occidere credidit.

Sic verè, si Herodes rex impius, id est, Diabolus, nos fraudulenter incitat, ut peccando ad eum veniamus, & ut puerum Jesum auferat, & ipsum ejusque devotionem in nostris cordibus interimat, & occidat; illud debemus summoperè præcavere, & ad
F invitationem illius nullatenùs assentire; sed potiùs per aliam viam, quam ipse nobis suggerit, scilicet per viam virtutum, non viciorum ad regionem nostram, scilicet, ad Paradisum venire. Qui enim ad regionem Paradisi cupit ire, nunquam debet ad Herodem Diabolum, revenire, nec ejus malis operibus obedire, nec per viam, quam ipse suggerit procedere, vel transire, dicens illud 4. Regum 6. *Non hæc via est, nec ista civitas, &c.* Quinimò aliam viam, scilicet, viam justitiæ, misericordiæ, & pœnitentiæ debet quærere, & eam sequi, & tenere, juxta illud, quod dicit Isa. 30. *Hæc est via, ambulate in ea, non declinetis ex ea neque ad dextram, neque ad sinistram.*

Vel dic, quod generaliter illi, qui per unam viam ad Bethlehem domum, id est, ad Ecclesiam veniunt, vel ad Christum, per aliam viam revertuntur; quia qui cum humilitate ingreditur, cum honore revertitur; & econtra, qui cum superbia, simonia, & violentia illuc ingreditur, in regionem suam, scilicet, in infernum, vel in mortem cum ignominia, & penuria revertitur. Undè dicitur, *Non reverteris per viam, quâ venisti.* 3. Reg. 13. Utilè est igitur ut ad Christum, id est, ad Ecclesiam, & ad mundi statum cum humilitate, pœnitentia, & justitia veniamus; ut ad regionem nostram, Paradisum, cum gloria redeamus; quia qui nunc divitias, & mundi gloriam amplectuntur pauperes, ad vires finaliter revertuntur.

Vel allega exemplariter, quomodò Herodes, id est, mali sub specie boni, honoris, adorationis exhibendæ, solent viam, & modum occidendi puerum, id est, innocentes quærere, quorum malitiam, qui perpendit, debet exemplo Magorum illudere, & suæ nequitiæ ministerium non præbere; sed dissimulando, & recedendo alibi facere declinare. Istud potissimè debent familiares malorum Principum facere; quia quando magistri eorum volunt puerum, id est, simplices inferiores deprehendendo occidere, si committant eis, quod inquirant contra eos; ut occasione accepta sub specie adorationis, id est, sub colore justitiæ ipsos lædant, dicentes eis illud: *Ite, & interrogate diligenter de puero*, id est, rustico, ut *ego veniens, adorem eum*, id est, occidam vel spoliem; Ipsi pro certo debent potiùs per G
aliam viam procedere, & servitium ejus dimittere, quàm suis iniquitatibus opem dare. Undè Num. 15. *Recedite de tabernaculis hominum impiorum, ne involvamini cum eis.*

Vel allega, quando iniqui non possunt aliquem particulariter tangere, vel lædere, solent non contra eos, sed in sibi similes sævire; ut possint in ipsum inter alios insurgere; sicut patet de Præsidentibus, qui statuta generalia faciunt, ut sub illis Ecclesiasticos, quos palàm non audent persequi, comprehendant.

Angelus sciens, quod Herodes esset quæsiturus puerum Jesum ad percutiendum eum, monuit Joseph, ut puerum, & matrem accipiens fugeret in Ægyptum, ut sic puerum illæsum de Herodis manibus custodiret.

Sic verè cum Herodes, Diabolus, qui interpretatur glorians in pellibus, id est, caro, quæ in pulchritudine pellis gloriatur, nobis continuò nititur subtrahere vitam gratiæ, & in nobis occidere puerum nostrum Jesum, id est, Christum, qui nobiscum per gratiam habitat, vel puerum nostrum, id est, conscientiæ, & innocentiæ puritatem, statim debemus ad monitionem Angeli, id est, boni, & Angelici prædicatoris, vel Prælati, in Ægyptum, quæ tenebræ, vel angustia interpretatur, id est, in tenebras humilitatis, & contritionis refugere, cum ipso puero matrem ejus, id est, pœnitentiam simul trahere, & sic eum, ne nobiscum pereat, conservare, Undè Exod. 2. *Accipe puerum, & nutri eum.* Si enim puer ille in Ægypto, id est, in tenebris, & angustiis contritionis, & humilitatis teneatur, & Maria mater ejus, id est, pœnitentia amara, scilicet, castitas & continentia eidem adjungantur, tunc à nobis tutissimè præservatur, nec per Herodem Diabolum, seu carnem nobis surripitur, aut necatur. Undè Isa. 19. *Erit altare Domini in Ægypto.*

Vel dic, quod Christus, & Christi gratia non potest diu servari, nisi quis matrem ejus, id est, Mariam per devotionem studeat amplexari.

Vel dic, quando puer Jesus in Judæa persequitur, & tamen in Ægypto servatur; potest hoc interpretari, quod Christus ab illis, qui sunt in terra Isr aël, id est, in Ecclesia, vel Religione, per diversa vitia persequitur, & fugatur; & tamen ab illis, qui sunt in Ægypto, id est, in mundo, per devotionem colitur; quia pro certo sunt plures hodiè, quos Christus habet persecutores in Ecclesia, quàm in mundo, cæteris paribus; & ideò jam videtur ab illa terra Israël, id est, ab Ecclesia, & ab Ecclesiasticis recedere, & in Ægypto, id est, in- H
ter laicos tales habitare. Undè Joan. 8. *Jesus abscondit se, & exivit de templo.*

Cum Joseph in Ægypto stetisset, dictum est sibi per Angelum, quod *puerum, & matrem ejus caperet, & in terram Israel reverteretur, quod utique statim fecit, & in Nazareth habitavit.*

Sic verè Joseph, i.e. homo, qui est in Ægypto, sc. in tenebris, & angustiis peccatorum, debet puerum Christum matrem ejus, id est, puritatem, & pœnitentiam assumere, & in terram Israël, id est, in statum gratiæ properare in Nazareth; quæ interpretatur flos Sanctitatis, consecratio, & unctio, vel virgultum, id est, in Sanctitate, & consecratione permanere; & ibi istum puerum, & matrem ejus

Digitized by Google

ejus cum diligentia custodire,& in flore munditiæ, & sanctitate justitiæ,in virgulto religionis,in consecratione devotionis,in unctione compassionis debet iste puer servari. Undè Joan. 1. *A Nazareth enim potest aliquid esse boni.* Undè Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Nazareth ad Virginem desponsatam, &c.*

Capitulum tertium. Textus. In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto.

Moralitatum Cap. II.

A Joannes antequam legatur baptizasse, vel prædicasse, introducitur tanquam *vox clamantis in deserto, habens vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, & quod cibus ejus erant locustæ, & mel sylvestre.* Quibus præmissis fit mentio, quomodò ipse baptizavit,& quomodò venientes ad se jure reprehendebat,& quomodò de timore mortis, & judicii mentionem faciebat. Undè & Luc. 3. *Genimina,* inquit, *viperarum, jam securis ad radicem arboris posita est.* Omnes invitabat ad pœnitentiam dicens, *Facite ergò dignos fructus pœnitentiæ.*

Ista possunt applicari, quod prædicator priùs debet facere, quàm docere,quia revera antequam Joannes, id est, aliquis homo præsumat esse prædicator, debet in desertum pœnitentiæ secedere, & ibi per contritionem clamare,& plangere,pilos camelorum, id est, exempla Sanctorum induere. Zonam pelliceam,quæ fit de corio, id est,mortis memoriam accipere, & renes,id est, omnes carnales voluptates restringere, & accingere; locustas,quæ saltant ad anteriora, id est, mundi contemptum,& affectum interiorum, & exteriorum comedere; & mel sylvestre, id est, devotionis dulcedinem gustare. Et tunc pro certo,si omnia ista fecerit,poterit prædicare, baptizare, & abluere,& de morte, & judicio peccatoribus minas dare. Ante enim debet habere vitam, quàm doctrinam, & priùs debet viam veritatis,& salutis exemplariter ostendere, quàm ipsam præsumat verbaliter prædicare. Quia secundùm Greg. *Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur.*

Inter cætera, quæ prædicat Joannes, ipse videtur reprehendere quosdam, qui de semine Abrahæ se esse gloriabantur,& in hoc nobiliores se esse opinabantur,sicut patet in Evang. ubi ipsi dicebant: *Semen Abrahæ sumus,& non servivimus unquam.* Undè ipsos redarguit, dicens: *Ne velitis dicere inter vos,Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis filios Abrahæ suscitare.*

Sic revera quidam sunt, qui ultrà modum in genere suo gloriantur,& quantò genere sunt nobiliores,tantò reputant se meliores, & tantò credunt se ad dignitates, & officia habenda digniores, & hi pro certo stulti sunt; quia sicut videmus, Dominus de lapidibus, id est, de rusticis parentibus, & de malis quandoque filios Abrahæ, id est, sufficientes, & dignas personas suscitat, & eos ad hæreditatem, dignitatem, & promotionem aliquoties exaltat. Ps. 112. *Suscitans* B *à terra inopem,& de stercore, &c.* Sicut ad literam videmus in Ecclesia,ubi Dominus quandoque illum ad altiora provehit,qui de viliori,& humiliori prosapia descendit, sicut videmus inter rusticos, inter quos communiter sunt meliores Clerici,quàm inter alios, quia breviter *spiritus,ubi vult, spirat,* & quemcunque vult, moribus, & scientiis dotat, dignitatibus, & divitiis ditat, & sic lapides in filios Abrahæ mutat. Sicut ad literam in Apostolis apparuit, quos Dominus non ex nobilibus,& sapientibus, sed magis ex rusticis & simplicibus elegit. 1. Cor. 1. *Videte fratres vocationem vestram, quia non multi potentes,non multi nobiles, sed quæ stulta mundi sunt, elegit Deus, & quæ infirma sunt.*

Vel ista allega de diversis hominum generibus, qui de rusticitate ad nobilitatem, & de statu humili ad magnam sæculi dignitatem transeunt,sicut patet de multis nobilibus regibus, quorum ortus ab humili plebe processit. Undè Eccles. 4. *De carcere egreditur interdum aliquis ad regnum,& alius natus in regno inopiâ consumitur,ac perit.*

Vel dic, quod ista fuerunt dicta contra Judæos, qui in semine Abrahæ gloriabantur,& gentiles abominabantur, & tamen ipsi lapides insensibiles,scilicet gentiles filii Abrahæ facti sunt, in quantum ad fidem Christianam sunt conversi, ipsi verò, qui filii Abrahæ fuerunt, scilicet Judæi, per obstinationem in lapides sunt conversi. Cor enim eorum induratum est quasi lapis, quia non omnes, qui sunt ex Abraham,sunt filii Abraham,& non omnes, qui sunt ex Israël, sunt filii Israël.

Joanne populum baptizante in Jordane, cum Christus ad eum baptizandus venisset, ipsum Joannes tangere timuit, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Super ipsum enim columbam descendentem vidit,& vocem patris ipsum vocantem filium audivit. Jesus quamvis esset sanctior Joanne, non tamen ab ipso baptizari recusavit,sed potiùs humiliter sibi dixit: *Sine,* inquit, *sic enim implere nos docet omnem justitiam.*

Illud allegari potest, quando Joannes, id est, Prælatus, qui vacat ad alios baptizandos,videt aliquem Jesum venientem ad se, id est,quando videt se habere aliquem subditum meliorem se, & sanctiorem, de quo est certus, quod ipse est Dei filius per imitationem, & quod columba, id est, Spiritus S. visitat ipsum per gratiæ infusionem, ipsum procul dubio debet reverenter tractare, & se reputare indignum, ipsum tangere, vel corrigere, baptizare, seu Sacramenta Ecclesiæ sibi ministrare; ipse tamen Jesus, id est, subditus quantumcunque sit dignus, & sanctus, in genere, & potentia clarus, Prælato quantumcunque modico se debet humiliter subjicere, & ab illo illa, quæ pertinent ad ablutionem vitiorum, sine arrogantiæ verecundia acceptare, ut sic possit aliis imperfectioribus exemplum virtutis, & humilitatis dare. Undè Eccles. 3. *Quantò altior es, humilia te in omnibus.* Et Salvator in Evangel. C Lucæ 18. *Omnis,qui se exaltaverit, humiliabitur,& qui se humiliaverit, exaltabitur.* Et alibi Jacob. 4. *Deus superbis resistit, humilibus, &c.* Quod tamen est contra multos Prælatos, qui non reverentur, nec supportant scientificos, & nobiles subditos, sed potiùs ipsos habent exosos; Illud quoque est contra,superbos scientificos, nobiles modernos subditos, qui dedignantur Prælatis ignobilibus, & sufficientibus obedire, & ipsis non solent subesse, sed litigiosè, & brigosè vivendo nituntur eos de suprà se excutere, & auferre. Dicunt enim illud Exod. 2. *Quis te constituit judicem, & Principem super nos?*

Capitulum quartum. Textus. Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu.

Moralitatum Cap. III.

CUm Jesus à Spiritu sancto ductus fuisset in desertum, & quadraginta diebus jejunasset, statim adfuit Diabolus, qui ipsum de tribus tentavit, & primò sibi peccatum gulæ objecit dicens: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Secundò peccatum avaritiæ dicens: *Hæc omnia dabo tibi,&c.* Tertiò peccatum superbiæ, vel inanis gloriæ dicens, *Mitte te deorsum,quia non offendes, eo quod Angeli in manibus portabunt te.* Quæ Christus refutavit, & tentationem triplicem superavit,

Sic dico, quando aliquis homo à Spiritu sancto ducitur in desertum,id est, in Religionis statum,aut pœnitentiæ, ibique jejuniis, & abstinentiæ se dedicat, statim adest Diabolus, qui ipsum violenter invadit, & tria principalia vitia videlicet avaritiam, gulam, & & inanem gloriam eidem ostendit. Suggerit enim talibus, quod panes, id est, cibos accipiant, & lapides, id est, duritiam, & difficultatem abstinentiæ in panis, & ciborum voluptatem convertant, dicens illud 3. Reg. 19. *Comede, & bibe: grandis enim tibi restat via.* Ac si diceret,Complexio tua est debilis, & tempus vitæ tuæ erit longum: & sic fatuum est abstinentiæ subjacere, & bonum est comedere, & fortem esse. Suggerit etiam avaritiam. Ostendit enim homini in cogitatione regna mundi, & gloriam eorum, divitias & prosperitatem,dicens ei, *Si cadens adoraveris me,* id est, si suggestioni meæ consenseris, & mundi gloriam cupieris, & à tuo proposito resilieris, vel ad sæculum redibis, *hæc omnia tibi dabo,* divitem te faciam, & temporaliter promovebo, dicens illud: *Dabo tibi thesauros absconditos, secretorum arcana.* Sed quid? Pro certo quando videt, quod nulla gula, vel avaritia ipsum potest vincere, statuit eum suprà pinnaculum templi, elevat eum in mensa sua, facitque, quod semetipsum sanctum, & magnum æstimet, & de viribus suis præsumat, sibi dicens: *Si filius Dei es, &c.* Et sibi suggerit, quod aggrediatur difficilia, & ultrà vires suas periculis, & tentationibus se exponat, & quod in manutenentia Dei, & Angelorum confidat. Ac si diceret, Sanctus es, filius Dei es: non enim succumbes in tentatione, quia Angeli Domini te sustinebunt, & Deus te cadere non permittet. Sic igitur fit, quod ad præsumendum de se, & ad inaniter gloriandum invitat ipsum, ut sic eum in peccatum dejiciat, & prosternat. Videtur enim sibi dicere illud 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis,sed faciet cum tentatione proventum.* Et breviter,illi,qui sunt in deserto, & Religione, à Diabolo diversimodè tentantur, & quando in uno peccato vinci nequeunt, in altero superantur. Ideò benè dicitur Eccles. 2. *Fili accedens ad servitutem Dei,sta in justitia,& timore, & præpara animam ad tentationem.* Quia isti tentantur de luxuria contra votum castitatis; de gula contra votum sobrietatis; contra votum paupertatis de avaritia; contra humilitatis votum, & obedientiæ de præsumptione,& superbia. Undè Proverb. 30. *Per tria movetur terra.* Sed revera iste debet sagaciter respondere contra gulam, quod *non in solo pane vivit homo, sed potiùs in omni verbo,quod procedit de ore Dei,&c.* & quod Religiosus plùs debet appetere cibum spiritualem, quàm corporalem. Contra adorationem, & consensum avaritiæ,quem suggerit,debet respondere, quod *Dominus adorandus,* non Diabolus; *& quod sibi est serviendum,* non Mammonæ. Contra consensum inanis gloriæ, & præsumptionis debet respondere, quod *Deus non est tentandus,* sed timendus; & quod non est de propriis viribus confidendum, sed potiùs humiliter incedendum. Sic enim istam triplicem tentationem poterit evadere, & tria hostis jacula non timere; & tunc de ipso verificatur, quod de Christo subjungitur, quod Diabolus ipsum re-

Digitized by Google

reliquit ; nec amplius tentare præsumet. Angeli verò sibi adhærent, qui sibi spiritualiter ministrabunt ; quia quando quis tentationem Diaboli superat, ab ipso in pace dimittitur, & ab Angelis custoditur. Ps. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Vel dic, quod Christus non invenitur tentatus, quamdiu fuit cum Apostolis, sed solùm dum erat solitarius in deserto, in quo notari potest, quod qui in societate, & communitate vivunt, minores tentationes sentiunt, & in minori periculo consistunt, quàm qui solitarii esse volunt, vel in singularitate vitæ, & morum consistunt, Undè Eccles. 4. *Væ soli, &c.* Quia sicut dicit Seneca : *Omnia mala docuit solitudo.* Quod potissimè est verum de solitudine spirituali, quando homo caret charitativa societate, & manet in solitudine peccati, segregatur à Dei, & Sanctorum, virtutum, & bonorum operum communitate.

Vel dic, quod Diabolus tentaverat primùm Adam de tribus, de gula, scilicet de esu pomi; de avaritia, supple scientiæ, *Scientes*, inquit, *bonum & malum* : de inani gloria, *Nequaquam*, inquit, *moriemini, sed eritis sicut Dii.* In qua quidem triplici tentatione cum ipse Adam fuit victus, congruum fuit, quod secundus Adam eisdem tentaretur, in quibus ipse Diabolus ipsum non vinceret, sed potiùs vinceretur ; ut sic scilicet, triplex casus primi hominis per triplicem resistentiam secundi hominis sanaretur.

Vel dic, quod tunc Diabolus hominem fortiùs impetit, quando ipsum ab ipso fugere, & ad desertum pœnitentiæ transire cernit, tentationes tunc fortiores insurgunt, quando homines ipsas ampliùs evadere sperant, & quærunt. F Etenim Gen. 31. Laban tunc Jacob persecutus est, quando ipsum ab ipso fugere perpendit. Exod. 5. Pharao tunc populum Israël acriùs persequitur, quando eum audit de suo Dominio, sacrificaturum in desertum recedere. Jos. 10. Quinque reges tunc Gabaonitas impugnant, quando audiunt ipsos cum filiis Israël confœderatos fuisse. Genes. 19. Sodomitæ tunc ad ostium Loth pulsant, quando Angelos hospitio receperat. 3. Reg. 3. Meretrices tunc ad Salomonem venerunt, quando sapientiam à Domino receperat. Marci 9. Dæmoniacus filius tunc à Dæmone graviùs alliditur, quando sanandus coram Domino appropinquat. Sic verè Pharao Diabolus, Laban mundus, quinque reges, quinque sensus ; Sodomitæ, & meretrices, id est, malæ cogitationes solent hominem graviùs invadere, quando intendit se à vitiis separare, desertum pœnitentiæ intrare, Angelum, id est, Christum secum habere, & *filiis Israël*, id est, Sanctis *se confœderare*. Undè Diabolus videtur dicere illud : 4. Reg. 3. *Moab recessit à me, veni mecum contra eum in prælium, &c.*

Subjungitur hic quod Petrum, & Andream, qui in navicula erant, & retia sua pro piscando in mare mittebant, ad se Jesus continuò vocavit, & piscatores hominum fecit. *Venite*, inquit, *post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, & *statim relictis retibus secuti sunt eum. Procedens verò vidit alios duos fratres, scilicet Jacobum, & Joannem, qui unà cum Patre retia reficiebant, qui vocati, statim secuti sunt eum, & relictis retibus, & Patre, post eum abierunt,*

Sic verè, qui in navicula mundi fluctuosi stantes retia cupiditatis & mundi facultates possident, quandoque à Christo spiritualiter per inspirationem & vocaliter per scripturam, & prædicationem, realiter per bonorum exempla, & correctionem, & tribulationem vocantur, & ad statum salutis, & religionis spiritualiter invitantur. Qui pro certo, quod se vocatos, ut præmissum est, sentiunt, navem, id est, fluctus mundani statûs, & retia cupiditatis, vel malarum complacentiarum, & divitiarum, Patrem etiam, id est, omnem affectionem carnalium amicitiarum debent dimittere, Christum per imitationem sequi, & per bona opera se præparare. Undè Matth. 8. *Magister sequar te, quocunque ieris, &c.*

Capitulum quintum. Textus. Videns autem Jesus turbas, G ascendit in montem.

Moralitatum Cap. IV.

Videns Jesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, docebat discipulos.

In quo notatur, quod ille, qui vult alium docere, debet turbas mundi negotiorum, & malarum cogitationum fugere, montem contemplationis, & vitæ perfectioris ascendere, & ibi in tranquillitate animi sedere, & quiescere, & sic prædicando alios poterit docere. Isa. 40. *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas.*

Hic præcepit Dominus, si quis cum adversario per viam vadit, ante omnia pacem cum eo facere studeat, ne fortè ipsum judici tradat, qui ministro eum committat, & qui eum in carcerem statim mittat.

Sic verè cum nos in via hujus vitæ habeamus unum fortem adversarium, videlicet propriæ conscientiæ remorsum, qui non cessat nos impugnare, arguere, & mordere, necesse est, dum sumus in ista via præsenti, ipsum pacificemus, & quod omnis peccati offendiculum amoventes, tranquillitatem illius servemus, Ps. 121. *Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, &c.* Alioquin si tempus hujus vitæ transeat, ille adversarius noster judici Christo in morte, nos tradet, & in judicio nos accusabit, qui Diabolo ministro nos committet, ipse verò in infernali claustro nos recludet.

Dominus præcepit, si oculus alicujus dexter, vel manus dextra scandalizat eum, statim debet oculum eruere, & manum abscindere. *Melius enim est*, ut etiam ait, Marc. 9. *quod unum membrum pereat, quàm totum corpus in infernum descendat.*

Oculus, manus, pes scandalizantes ejici jubentur, quia *melius est cæcum, claudum, & mancum*, id est, cum uno oculo, uno pede, vel manu *ingredi regnum cœlorum, quàm duos oculos, manus, & pedes* H *habentem, in gehennam ignis mitti.* Idem habetur infrà. Matth. 18. Tamen spiritualiter loquendo in scriptura per oculos intelligitur discretio, vel subtilis cognitio, per pedes affectio, per manus operatio. Constat, quod homo quandoque habet utrumque duplicatum, & in utroque genere dextrum possidet, & sinistrum ; homo enim quandoque habet duos oculos discretionis, vel cognitionis ; scilicet dextrum, qui videt spiritualia, & de fide, & scriptura cogitat ; & sinistrum, qui se occupat circa temporalia. Habet etiam duos pedes, scilicet duo genera affectionum, quendam scilicet dextrum, hæc est affectio, & amor, quem habemus ad bonos, maximè ad nobis conjunctos, alium verò sinistrum ad extraneos v. 9. Manus similiter habemus duas, scilicet dextram, id est, ad operandum bona perfectiora, & spiritualia, & sinistram, ad imperfectiora, & terrestria, & activa : veruntamen sic est, quod in istis omnibus illa, quæ meliora esse videntur, quandoque scandalizant nos : oculus enim dexter, id est, subtilitas, sensus, & cognitio, quam habemus erga fidem, & scripturam, scandalizat nos, quando in fide dubitamus, & quando per nimias subtilitates nos in magis arduis, quàm decet, immiscemus. Tunc enim possumus dicere illud Thren. 3. *Oculus meus depredatus est animam meam.* Pes noster dexter nos scandalizat, quando affectio, quam habemus ad bonos, & maximè ad carnales amicos, occasionem peccandi administrat. Manus verò dextra dicitur nos scandalizare, quando contigit de nostris arduis, & perfectis operibus nos superbire, & per inanem gloriam cor nostrum levare. Ista igitur est veritas, quod si talia nostra bona opera nobis scandala pariant jam antedicta, quod ipsa debemus abjicere, & potiùs à talibus cessare, quàm pro eisdem periculo subjacere. Tutiùs est enim cum sinistro oculo, manu, pede, id est, cum imperfectiori discretione, operatione, & affectione se salvare, quàm magis ardua aggredi, & ibi scandalum, & periculum reperire, meliùs est vitam activam tenere, & solam simplicem scientiam scire, quàm circa magis ardua deficere, & perire. Undè Eccles. 3. *Altiora te ne quæsieris.* Talis ergò oculus dexter, id est, talis scrupulosa subtilitas, & talis manus, id est, talis bona operatio, de qua nascitur gloriæ vanitas, debent amputari, & erui, & quod simpliciùs est, frequentari.

Vel dic, quod pes significat corporis vagationem, manus malam A operationem, oculus malam intentionem, quæ revera quia scandalizant, & offendiculum æternæ mortis propinant, ideò sunt abjicienda à nobis & cum diligentia amputanda. De Capitulo sexto, & septimo nihil pono, quia quamvis ibi fit mentio de pluribus materiis moralibus, expositio tamen, & moralitas de se patet. In sexto enim fit mentio de hypocritis prolixè orantibus & jejunantibus, de thesauro, de oculo simplici, de duobus Dominis, & de solicitudine abjicienda. In septimo verò de duplici arbore, duplici via, duplici domo, sed quia non est præsentis operis, omnia verba Salvatoris exponere, cum non possent ; sed solùm circa aliqualem figurarum, & parabolarum corticem insudare, ideò transeo supradicta.

Capitulum Octavum. Textus. Cum descendisset Jesus de monte.

Moralitatum Cap. V.

Cum Dominus descendens de monte, quendam leprosum sanasset, præcepit sibi, ne cuiquam diceret se sanatum, voluit tamen, quod Sacerdotibus se ostenderet, & munus in lege ordinatum offerret.

Sic revera, quando aliquis leprosus, id est, peccator à Domino per contritionem sanatur, & ad Deum occultè convertitur, & à lepra vitiorum purgatur, summè prohibetur sibi, ne gratiam sibi factam publicè per jactantiam dicat, sed potiùs Sacerdotibus, id est, viris prudentibus, qui ipsum ad meliùs promovere noverunt, per confessionem, vel consilii petitionem ostendat, & dicat, munusque satisfactionis offerat, & impendat. Breviter illud est verum, quod B Sacerdotibus, & non aliis, id est, prudentibus & viris bonis non fatuis se ostendat, & secreta sua, & occulta revelet. Undè Proverb. 25. *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo non reveles.*

Vel dic, quod qui sciunt virtutes, & mirabilia, non debent laudes hominum quærere, sed potiùs petere, ne ipsorum opera in publicum proveniant.

Vel

Digitized by Google

Vel dic, quod qui dat beneficium alteri, non debet procraſtinare, ſed voluntariè, & libenter, quod petitur, ſtatim dare. *Volo*, inquit, *mundare*, quia 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.*

Vel dic, quod leproſus ſignificat genus humanum, leprâ idolatriæ, & vitiorum infectum, quod Chriſtus, de monte paradiſi deſcendens, ipſum carnem ſumendo tangens, perſonaliter in campo hujus mundi curavit, & civitatis paradiſi ingreſſum qui ſibi erat interdictus, reſtitutâ munditiâ, reſtauravit.

Vel dic, quod tunc leproſus, id eſt, peccator ſanatur, quando à Chriſto, id eſt, Deo, vel Prælato per monitionem, & correctionem, ſeu per tribulationem tangitur, & palpatur. Unde Job. 19. *Manus Domini tetigit me.*

Vel dic, quod iſte tactus ſignificat divinam inſpirationem.

Hic fit mentio, quod Dominus humilitatem, & fidem centurionis, ſeu reguli reſpexit, cujus filius infirmabatur Capharnaum, qui Chriſto dixerat: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur, ſed non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbum, & ſanabitur puer meus.* Admirans ſequentibus ſe dixit: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael. Dico enim vobis, quod multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cælorum. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Puer igitur in illa hora fuit ſanatus, & à febre eadem horâ ſeptimâ liberatus, ſicut hic in præſenti, & Joan. 4. dicitur. Adverte tamen quod Matthæus vocat iſtum puerum, Joannes filium. Lucas autem 7. Cap. ſervum.

Iſta poſſunt allegari, quod qui fideliter credunt, & humiliter petunt, faciliter obtinent à Domino, quod requirunt. Unde Luc. 11. *Petite, & accipietis.* Iſta quoque poſſunt allegari, quod dum centurio qui erat in Capharnaum gentilis, reſpectu Iſraëlitarum facit talia, indicatur, quod iſta faciunt hodie laici ſæculares reſpectu Eccleſiaſticorum. Hodie enim vix invenitur tanta fides in Iſraël, ſicut Capharnaum; id eſt, in Eccleſia, vel Religione, ſicut in ſæculo, vel in mundo; quia meliores ſunt hodie in multis laici, quam Clerici, ſæculares quàm Rectores, ſubditi, quàm Prælati, Et ideò finaliter de partibus mundi remotis, id eſt, de ſtatu ſæculari multi ad paradiſum venient, & cum, Abraham, Iſaac, & Jacob, id eſt, cum Sanctis, & Patriarchis in paradiſo recumbent, & illi qui regni hujus ſpeciales filii debuerant eſſe, id eſt, Religioſi, & Clerici, in tenebras exteriores, ſcilicet infernales ejicientur, & ibi- C dem ſuccumbent. Et ita fit, quod Deus de lapidibus filios ſuſcitat Abrahæ, filios verò Iſraël in carceribus æternis ligat, atque damnat. Ideò Chriſtus de filiis ſuis, id eſt, viris Eccleſiaſticis videtur conqueri, dicens illud Iſa. 1. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me, &c.* Et ſequitur ibidem: *Va ſemini nequam, populo gravi, &c.*

Vel dic, quod gentiles ſunt remoti, ſeu extranei, qui cum Abraham Chriſto, id eſt, cum ſanctis ſuis ad fidem Eccleſiæ, & ad paradiſi gloriam ſunt admiſſi, filii verò regni fuerunt Judæi, qui à regno Chriſti, id eſt, à fide Eccleſiæ, & patria ſunt excluſi, quia ſicut dicitur Luc. 1. *Depoſuit potentes de ſede, &c.*

Vel dic, quod iſte puer peccatorem ſignificat, qui dicitur puer ratione ignorantiæ, ſedens in domo ratione pigritiæ, paralyticus propter bonorum operum imbecillitatem, malè tortus per invidiæ perverſitatem, qui tamen ſeptimâ horâ, id eſt, per ſeptem ſacramenta, vel ſeptem dona Spiritus S. curatur, & febribus peccati divinâ gratiâ liberatur, & ille bene dicitur puer propter recuperatam puritatem, ſervus propter humilitatem, filius propter charitatem. Unde Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus.*

Socrus Simonis, quæ magnis febribus tenebatur; tunc temporis eſt curata, quando Chriſtus ſibi dixit, quod ſurgeret, & quod ſibi aut aliis miniſtraret. eod. c. 8.

In hoc poteſt notari, quod febris malarum concupiſcentiarum, & affectionum hominem dimittit, quando ad miniſtrandum, & obſequendum, & diligenter laborandum intendit, & torporem negligentiæ excutit, & contemnit. Bene igitur dicitur 2. Tim. 4. *Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium imple, &c.*

Hic cit. Cap. 8. fit mentio de duobus ſequi volentibus Salvatorem, cum propter turbas trans fretum ſecedere voluit. Primus ſcriba quidam non vocatus Chriſtum ſequi voluit, dicens: *Magiſter ſequar te, quocunque ieris*, ſed Chriſtus quodam modo ipſum repulit, & paupertatem ſuam ſibi retulit dicens, *Vulpes foveas ſuas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet.* Ac ſi dicat, Cave ne ſequaris me, ſi divitias quæris; quia cum pauper ſum, ipſas habere mecum non poteris, aut dolebis. Alius autem cum inſtantia vocatus à Chriſto, ſequitur, quinimo cum peteret licentiam ſepeliendi patrem ſuum, nequaquam ſibi à Chriſto licentia extitit conceſſa, ſed ſibi potius dixit, *ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Ille enim qui ſe ingerebat, repellitur. Ille autem qui dilationem petiit, vocatur, & impellitur.

Nota igitur, quod ad ſequendum Chriſtum in his, ſcilicet ad ſta- D tum Eccleſiæ Prælationis, illi qui ſe ingerunt non vocati, ſicut ambitioſi faciunt, debent reſpui, & repelli, & illi, qui ſe reputant indignos, illamque non ambiunt; ſed circa patrem ſepeliendum, id eſt, circa onera pietatis in ſæculo, & in ſtatu ſubjectionis vivere quærunt, ad Chriſtum, & ad gradum Eccleſiaſticum, ſi ſit neceſſe, debent cum violentia protrahi, & impelli, & à ſepultura patris, id eſt, à curis ſæcularibus depelli. Quod etiam Chriſtus continuè ad litteram facit, quia ſcribas, & ſapientes ultro ſe ingerentes, offerentes, & ambientes quandoque repellit; ſimplices verò, de quibus mentio non fiebat, ad dignitates occultè protrahit, & impellit. Sicut in electionibus videmus quotidiè evenire, quia *nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatus eſt, à Deo tanquam Aaron.*

Vel dic iſta de prædeſtinatione divina, quæ quoſdam nolentes, & renuentes ſolet ad ſe trahere, quoſdam verò volentes, & appetentes videtur aliquoties refutare, quia ſicut dicit Apoſtolus Rom. 9. *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis. Dicit enim ſcriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra. Ergo, cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Dicis igitur mihi, Quid adhuc queritur; Voluntati ejus quis reſſiſtit.*

Vel dic, quod ex iſtis verbis Chriſti, ortus videtur ille modus, qui in profeſſione Religioſorum ſervatur, quia illis, qui Chriſtum ſequi cupiunt, & in Religione profiteri volunt, debent exponi Religionis difficultates, & inſtrui ad dimittendum parentum carnalium, & hominum ſæcularium ſocietates. Vulpes, dicat Prælatus, foveas habent, &c. Ac ſi diceret. Vulpes villoſi, & groſſi velleris, id eſt, divites avari, vulpini, & malitioſi, in iſto ſæculo foveas, id eſt, terrenas habitationes poſſident, volucres cœli, id eſt ſuperbi, & E ambitioſi nidos altaris dignitatum tenent. Filius verò hominis, id eſt, ille, qui vult eſſe Religioſus bonus, Dei imitator, & filius, non debet iſta quærere, vel proprium habere, ſed ab omni rerum proſperitate ſeipſum potiùs abdicare, nihilque in hoc mundo proprium quærere, vel habere, ubi ad literam caput valeat inclinare, dicens cum Apoſtolo illud Heb. 12. *Non habemus hic civitatem manentem, ſed futuram inquirimus.* Sibi debet dici, quod de ſuo patre, id eſt, de ſua parentela carnali curam non habeat, ſed potiùs mortuos peccatores ſepelire in vitiis, alios mortuos dimittat, & ad ſequendum Dominum diligenter intendat, ut de ipſo, & ſibi ſimilibus poſſit dici illud Matth. 4. *Relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt Dominum.*

Aſcendente Domino naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. cap. 8. *Et ecce ventus magnus factus eſt in mari, ita quod navicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat, & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum dicentes: Domine ſalva nos, perimus. Qui increpans eos dixit: Quare timidi eſtis modicæ fidei? Et ſurgens imperavit ventis, & mari; & ſtatim tranquillitas magna ſecuta eſt, ita ut mirarentur aſtantes, dicentes: Quis eſt hic, quia ventus, & mare obidiunt ei?*

Iſta poſſunt allegari, quia dato, quod Dominus ſit perſonaliter, & ſpiritualiter in navicula, id eſt, in Eccleſia, vel collegio, nihilominus ſæpe fit, quod venti tribulationum, & tentationum ibi taliter ſuſcitantur, quod fluctibus miſeriarum, & moleſtiarum per vitia, & infortunia ſæpe ſubmergitur, & caſſatur. Dominus enim quando videtur dormire, in quantum ſolet auxilium ſuum diſſimulare, ut ad ipſum invocandum poſſit illos, qui in tribulatione, & tentatione ſunt, animare. Gaudet enim Deus videns tribulatos ad ſe ferventer recurrere, & ipſos fortiter, & patienter ſuſtinere. Sicut legitur de B. Antonio, qui verberatus graviter à diabolo, cum prius diceret Chriſto ſibi apparenti: *Domine ubi eras, quando malè tractabar?* Reſpondit ſibi Dominus: *Tecum eram, ſed quia de patientia tua valde gaudebam, ideo juvare nolebam.* Dormiebat igitur Dominus Jeſus. Jonæ 2. *Jonas autem dormiebat ſopore gravi, cum navis periculum pateretur.* Veruntamen quando ad eum devotè accedunt; & à ſomno diſſimulationis ſuæ devotis precibus excitant; tunc ſtatim ſolet adeſſe, & ventis tentationum, fluctibuſque tribulationum, quod amplius non ſæviant, imperare, & ſic F naviculæ, id eſt, animæ tentatæ, vel perſonæ, ſeu Eccleſiæ tribulatæ tranquillitatem, & pacem excitatus reſtituit, quam non invocatus ante tribulari permiſit. Dominus enim (ut communiter) quando precibus non excitatur, dormit; qui ſi excitatus fuerit, ſtatim ſurgit. Pſal. 77. *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus. cap. 8.*

Cit. cap. 8. Duo dæmoniaci acceſſerunt ad Chriſtum de navicula exeuntem, & quamvis Lucas, cap. 8. & Marcus cap. 5. non ponant, niſi unum, duo tamen in veritate fuerunt, ſed quia unus erat nobilior, ideò alius ſubticetur. Iſti igitur dæmoniaci, ſicut hic dicitur, in monumentis manebant, ſævi etiam nimis erant, ita quod juxta illos nulli tutè tranſire audebant. Marc. 5. Luc. 8. additur, quod ille dæmoniacus, de quo mentionem facit, die, ac nocte in monumentis, & montibus erat, neque catenis, neque vinculis teneri poterat, imo vincula dirumpebat, & clamans ſe lapidibus concidebat. Et ſicut Lucæ 8. ſubjungitur, iſte veſtimento non induebatur, nec in domo manere volebat, ſed ruptis vinculis à dæmonibus in deſertum agebatur. Et non mirum, quia apud eum una legio dæmonum morabatur. Legio verò continet ſex millia ſexcenta, ſexaginta ſex. Iſte igitur dæmoniacus occurrens Chriſto per hæc verba clamabat: *Quid mihi, & tibi Jeſu fili Dei; quare veniſti ante tempus torquere nos? &c.*

Per tales dæmoniacos poſſunt intelligi peccatores, & obſtinati, qui ſemper ſolent Jeſu filio Dei, id eſt, Deo, vel bono Prælato

Digitized by Google

ſuperiori occurrere, & ſibi per inobedientiam, & rebellem diſcordiam obviare. Geneſ. 19. *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* Sicut patet de malis obſtinatis, & ſubditis, & religioſis. Iſti enim ſunt nimis ſævi per crudelitatem, ita quod vix aliqui audent appropinquare eis, vel ſecum contrahere ſocietatem. 1. Reg. 25. *Nam ipſe filius eſt Belial, ita ut nemo audeat ſibi loqui.* Quod etiam de Ballivis, & exactoribus poteſt dici, quia juxta eos non eſt tutum manere, ne fortè ſævitiam rapinarum ſuarum ſuſtinere oporteat, & ſentire. Illi nullis vinculis divinæ
G legis, vel regularium ſtatutorum teneri poſſunt; & quamvis à ſuperioribus ſuis per prohibitiones, & ſtatuta ſæpiſſimè vinciantur, omnia ſolent frangere, & per apoſtaſiam, vel appellationem, & diſcordiam recedere, & per deſertum mundi, vel per vitiorum ſtatum vagari. Hierem. 3. *A ſæculo fregiſti jugum, rupiſti vincula.* Iſti ſunt qui morantur in monumentis, id eſt, in inferioribus per luxuriam, in montibus, id eſt, in elatione per ſuperbiam. In deſerto, id eſt, in ardoribus per avaritiam, nudi vadunt per veſtimentorum, id eſt, virtutum carentiam, in domo clauſtri, vel Eccleſiæ in tranquillitate, & pace manere propter vagationem, & inſolentiam non valent; clamant per detractionem, & jactantiam, & lapidibus, id eſt, moleſtiis ſe concidunt per cordis amaritudinem, & duritiem; nec hoc mirum eſt; cum valde multis dæmonibus pleni ſunt per omnium vitiorum redundantiam. Igitur iſti Deo, vel Prælato volenti eos corrigere ſe opponunt, & ſibi cum indignatione dicunt, ad *quid veniſti ante tempus torquere nos?* Ac ſi dicerent. Noluimus in præſenti torqueri, vel corrigi, ſed conſolari potiùs, & lætari. Ideò dicitur Proverb. 15. *Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit.* Tales igitur domari nequeunt, ſed in obſtinatione, & protervia incorrecti vivunt. *Perverſi difficilè corriguntur.*

Vel dic, quod ille dæmoniacus, ſecundùm quendam, humanum genus deſignat, quod à principio legis naturalis, & divinæ vinculis ligatum fuerat, ſed omnia tranſgrediendo rumpebat: monumenta, id eſt, opera mortalia frequentabat, virtutibus nudum erat, & lapidibus ſe concidens, id eſt, in cultura Deorum lapideorum ſe turpiter lacerans, nihilominus clamabat, in quantum ſuas fatuitates per jactantiam propalabat.

Veruntamen Chriſtus hunc dæmoniacum ſanavit, & expellens dæmones, gregem porcorum, qui juxta montem paſcebat, ipſis habitandum conceſſit, qui grex ſtatim cum impetu in mare fugiens ſe ſubmerſit.

Sic verè Chriſtus de navicula exiens, id eſt, de virgine naſcens, illud genus humanum ſanavit, & expultis dæmonibus porcos, id eſt, peccatores voluptuoſos, maximè infideles ad habitandum conceſſit, qui nunc juxta montem ſuperbiæ paſcunt. In mare tamen, id eſt, in inferni amaritudinem omnes ibunt, & ibi condemnationis impetu peribunt, Apocal. 18. *Hoc impetu mittetur Babylon in infernum.*

H Dæmones expulſi ex hominibus ſunt, habitandi tamen licentiam in porcis acceperunt, porci verò cum dæmonibus in præceps mare ruerunt, & ibi in aquis ſunt mortui, & paſtores admirati fugerunt.

Homines enim, qui ad imaginem Dei facti ſunt, ſignificant prædeſtinatos, quadam ſecreta Dei imagine, & gratiâ apud ſuam æternam ſapientiam conſignatos; porci verò, qui immundi ſunt, & ſine ratione, ſignificant peccatores, & reprobos apud Deum per occultam juſtitiam morti perpetuæ deputatos. Iſta eſt igitur rei veritas, quod illi, qui ſunt homines, id eſt, prædeſtinati, dato, quod quandoque inveniantur dæmonibus pleni, id eſt, pleni vitiis omnibus, & ſubjecti immundis ſpiritibus, & habere cætera vitia, quæ ponuntur ſupra hoc eodem capitulo. Iſti tamen finaliter ad ſalutem, & ſpiritualem ſanitatem perveniunt, & dimiſſis omnibus vitiis divino miniſterio boni fiunt. E contra verò illi, qui porci ſunt, ſcilicet voluptuoſi, & reprobi, licet quandoque ſub paſtoribus, & Prælatis pacificè vivant, & ſpeciem ſanctitatis, & bonitatis quandoque habeant, finaliter tamen dæmonibus per peccata ſubjiciuntur, qui tunc cum impetu, & indiſcretè in mari, id eſt, in fluctuoſa negotia mundi ſe præcipitant, & in aquis voluptuoſi ſæculi ſubmerguntur, & ſic finaliter morti perpetuæ exponuntur. Exod. 15. *Submerſi ſunt in mari rubro, abyſſi operuerunt eos.*

Hic habes quod Geraſeni videntes, quod Jeſus dæmoniacum ſanaverat, & grex porcorum ſubmerſus fuerat, timuerunt valde, & inceperunt eum rogare, quod à finibus eorum recederet. Sicut de Petro ſimile legitur; quod ſtupefactus de captura piſcium dixit Chriſto Luc. 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.*

Iſta poſſunt allegari contra quoſdam peccatores, qui, quia indignos ſe reputant, ideò libenter non celebrant, nec Chriſtum ſibi aſſociant, ſed potiùs ejus præſentiam formidant. Timent enim ex indignitate ſua ad præſentiam tam ſanctæ rei fieri deteriores; quapropter meliùs judicant eſſe remotiores, dicentes illud, quod ſupra eodem Matth. 8. *Domine non ſum dignus, ut intres, &c.*

Sic ut ponitur Marc. 8. Chriſtus noluit, quod iſte dæmoniacus ſanatus poſt eum iret, ſed potiùs voluit, quòd ad ſuos rediret, & quod facta ſibi à Deo beneficia nunciaret.

A Sic verè illi, qui à dæmonibus liberati, & à peccatis converſi ſunt, non ſtatim ſunt digni Dominum per imitationem ſequi, nec ad ſtatum perfectionis, aut arduæ operationis ire. Melius enim eſt, quod cum ſuis, id eſt, mundanis in inferiori gradu maneant, quàm quod ſequendo Dominum per imperſeverantiam retrocedant.

Capitulum nonum. Textus. Et aſcendens Jeſus in naviculam transfretavit.

Moralitatum Cap. VI.

Hic fit mentio de Paralytico curato, ſed vide de hoc melius in Evangelio Lucæ 5. cap. ſequitur autem, quod Dominus vocaverit Matthæum de telonio, cum peccatoribus publicanis comederit, & hoc, ut eos converteret, aſſerens, quod *Medicus non ſanis, ſed male habentibus opus eſſet.*

In quo utique Prælatis, & ſanctis viris datur exemplum, quod peccatorum ſocietatem non debeant horrere, ſed potiùs ipſam frequentare, ut verbo, & exemplo poſſint eos à vitiis ſanare. Quod tamen eſt contra multos præſumptuoſos, qui de ſua ſanctitate gloriantes dedignantur ſocietatem malorum, & ſic perire ipſos permittunt in facibus vitiorum, quod eſt contra hypocritas, qui fingunt ſe abominari peccatores, cum tamen ipſi ſint cæteris pejores, Iſa. 65. *Jus prophanum in vaſis eorum, & dicunt: Recede à me non appropinquabis mihi, quia immundus es.*

Hic habetur, quod diſcipuli Joannis jejunabant, diſcipuli verò Chriſti non jejunabant, de quo cum diſcipuli Joannis conquererentur, excuſavit eos Dominus, quod in præſentia ſponſi non decebat filios ſponſi jejunare, ſed *veniet* (inquit) *tempus, quando auferetur ab eis ſponſus, & tunc utique jejunabunt.* Subjunxit etiam, quod *vetus teſtamentum non debet nova immiſſura reparari, & quod vinum novum non debet in utres veteres mitti. Non enim ſibi conveniunt novitas, & vetuſtas, quia veſtimentum vetus rumpitur, & fit pejor ſciſſura. Veteres vero utres propter novum vinum rumpuntur, & omnia effunduntur.*

Iſta poſſunt allegari, quod Deus plus diligit ſpirituale gaudium, quàm nimiam auſteritatem, aut jejunium; præſentia enim ſponſi Chriſti, quam ibi facit charitas, habenas laxat, & in libertate, & lætitia facit vivere, ipſius verò abſentia, quam efficit timor ſervilis, facit jejunium, & alias auſteritates frequentare.

Vel allega, quod illa, quæ ſunt contraria, vel diſparia, nunquam B
ſimul in eadem ſocietate, vel communitate poſſunt convenire, nec concorditer vivere. Novi enim non bene concordant cum veteribus, juvenes cum ſenioribus, ſæculares cum religioſis, pejor enim ſciſſura ſolet fieri, & diſcordia amplior generari. Similes igitur ſimilibus aſſocientur, ut ex conditione ſimilili major ibidem charitas generetur. Unde Deut. 22. *Non arabis cum bove, & aſino, &c.* Vel dic, quod veteres utres, & vetus veſtimentum, ſunt homines in vitiis antiquati. Novum igitur vinum, & novus pannus, ſignificant nova Chriſti, & Evangelii documenta, & perfectionis Evangelicæ ſacramenta. Dico igitur, quod iſta duo non conveniunt bene ſimul, quia malis hominibus, & inveteratis in malo, bona ſpiritualia non ſapiunt; quinimò ſi eis imponantur, & ſi mandata ſpiritualia eis dentur, & ſi ipſis aliqua perfecta, & difficilia opera injungantur, ſtatim per impatientiam dirumpuntur, & per tranſgreſſionem omnia diffunduntur. Bene igitur dicitur Matth. 7. *Nolite ponere margaritas ante porcos, & nolite ſanctum dare canibus.*

Princeps unus rogabat Dominum, dicens, *Domine filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, & impone ei manum, & vivet, &c.* Cum ergo Jeſus pro ſanando puellam, in domum principis adveniſſet, & ibi vidiſſet tubicines, & turbam magnam tumultuantem, dicebat eis. *Recedite; Non enim puella eſt mortua, ſed dormit.* De quo cum aſtantes deriderent ipſum, eò quod puellam eſſe mortuam cognoſcebant, ipſe tenens manum puellæ, erexit eam, & quæ mortua fuerat, ſtatim reſurrexit.

Sic verè quilibet homo videns puellam, id eſt, animam ſuam C
mortuam fuiſſe per peccatum, ſtatim debet ad Chriſtum per devotionem recurrere, & ut iſtam puellam ſuſcitet, orare. Qui ſtatim ſolet ad preces ipſius advenire, & opem ſuam nulli denegare. Unde Matth. 8. *Ego veniam, & curabo eum.* Veruntamen ad hoc, quod iſta poſſit curari, aliqua requiruntur. Primò, quod Dominus ibi domum cordis per gratiam intret. Secundò turbæ malarum cogitationum, tibicineſque inanis gloriationis, & laudis inde expellantur. Et tandem quod à ſomno peccati per tactum divinæ miſericordiæ, correctionis, & juſtitiæ elevetur. His præmiſſis à peccato ſuſcitatur, & ſic non fuiſſe eam per damnationem mortuam, ſed ſolùm per culpam dormiſſe comprobatur. Unde Matth. 15. *Sanata eſt filia ejus in illa hora.*

Hic dicitur, quod cum Dominus iret ſuſcitare filiam mortuam Archiſynagogi, quædam mulier, quæ patiebatur fluxum ſanguinis duodecim annis, quæ (ſicut dicitur,) omnia bona ſua in medicis expoſuerat, ſed deterius habebat, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & dicebat: *Si tetigero fimbriam veſtimenti ejus ſalva ero.* Quæ ſtatim ſanata eſt. Filiam verò, ad quam principaliter ibat, mortuam invenit, ipſam tamen finaliter ſuſcitavit.

Sic

Sic verè cum in mundo jacerent duæ mulieres, tam mortuæ, quam infirmæ, ſcilicet filia principis Dei, ſcilicet ſynagoga, quæ non mortua, ſed dormiens dici poterat, pro eo quod in ſpe futuræ redemptionis vivebat 1. Tim. 5. *Vivens mortua eſt.* Et mulier antiqua ſcilicet gentilitas, quæ fluxum omnium vitiorum patiebatur, nec à Medicis, ſcilicet à ſuis phyſicis ſanata fuit, ſed per ipſos deteriùs lædebatur. Factum eſt, quod cum cæleſtis Medicus Chriſtus pro iſta filia ſynagoga curanda, & ſalvanda principaliter veniret, dixit mulieri Chananææ: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domûs Iſrael*, ipſa autem infirma mulier, id eſt, gentilitas ardenter Chriſtum, & fimbriam veſtimenti ejus, id eſt, ipſius humanitatem tetigit, & ſic ſanitatem gratiæ, antequam ſynagoga, recepit. Finaliter tamen Chriſtus ad filiam, id eſt, ad Synagogam per fidem veniet, ipſamque finaliter ſuſcitabit, quia in fine temporis gens Judaica tota credet, quia ſicut dicitur. Rom. 11. *Cum ſubintraverit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſalvus erit.*

D Vel dic, quod filia principis hujus eſt perſona Eccleſiaſtica, filia Dei patris; mulier ſanguinea eſt ſæcularis perſona, quia dato, quod Eccleſiaſtica perſona ſperet principaliter ſalvari; fit tamen, quod ab hæmorrhoiſſa muliere, id eſt, à perſona ſæculari ad ſalutem prævenitur; & quod ſæculares prius fimbriam veſtimenti Chriſti, id eſt, gratiam ipſius & miſericordiam per devotionem tangunt, & ſic primi ſalutem perpetuam conſequuntur, Matth. 20. *Erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.*

Vel dic, quod Chriſtus eſt Prælatus, qui dicitur unctus, quia tales chriſmate uncti ſunt, & ſaltem unctionem, & oleum diligunt. Sic igitur fit hodie, quod qui primò fimbriam veſtimenti ejus tangunt, & qui primò adulando, & munera offerendo ad eum accedunt, primi ſanati, promoti, & exaltati recedunt. Unde ſæpe fit, quod dum iſte Chriſtus, id eſt, Prælatus, vel Princeps intendat aliquam filiam mortuam, id eſt, aliquam perſonam inutilem ſanare, & ſibi beneficium, vel officium precibus alicujus Principis, vel potentis concedere, quandoque mulier hæmorrhoiſſa, id eſt, iſta perſona immunda, & mala, accelerat ipſum adulando tangere, & ſic ſolet beneficium reportare. *Si tetigero* (inquit) *fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero.* Jam de talibus poteſt dici illud Gen. 27. *Venit germanus tuus fraudulenter, &c.* Ubi ſcriptura loquitur de Jacob, qui, quia primus cibos patri obtulit, primus benedictionem patris reportavit.

Mentio fit hic de duobus cœcis, quos Dominus illuminavit. Et poſtquam hoc feciſſet, præcepit, ne cuiquam hoc revelarent. Illi autem non tacuerunt, ſed per totam illam patriam divulgaverunt.

In hoc nota, quod qui dat alteri beneficium, vel remedium, vel qui habet à Deo virtutis præconium, non debet laudem humanam quærere, ſed potiùs debet, quod hoc taceatur, ab eis affectare. Unde Matth. 17. *Nemini dixeritis viſionem, &c.* Matth. 6. *Si facias eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Ac ſi diceret: non quæras inanem gloriam. Veruntamen qui huhuſmodi beneficium accipit, non debet propter hoc ceſſare, ſed magnificentiam zelatorum debet aliis demonſtrare. Unde Marc. 5. *Vade in civitatem tuam, & annuntia, quanta fecit tibi.* Quia ſicut dicit Seneca: *Hæc beneficii lex eſt; ut alter ſtatim oblivi ſcatur dati, alter verò nunquam oblivi ſcatur accepti.*

E De ſurdo & muto, de quo agitur hic, vide melius, ubi agitur nempe Marc. 7. de nominibus Apoſtolorum, & de multis Chriſti eruditionibus, de quibus fit mentio cap. 10. nihil pono. Scilicet de eo, quomodo Joannes duos de diſcipulis ſuis cap. 11. miſit ad Chriſtum, & quomodo Chriſtus commendavit Joannem, & de multis informatoriis, & reprehenſoriis verbis Chriſti nihil pono penitùs, præter unum.

Capitulum undecimum. Textus. Et factum eſt cum conſummaſſet Jeſus præcipiens.

Moralitatum Cap. VII.

Dicitur enim, quod Joannes venerat non manducans, neque bibens, & dixerunt Judæi, quod dæmonium haberet. Tandem venit Chriſtus manducans, & bibens, & communem vitam ſequens, & dixerunt, *Ecce homo vorax, & vini potator, peccatorum, & publicanorum amicus.*

Ad hoc poteſt allegari, quod detractores, & invidi nihil inveniunt in aliquo bene factum, vel quia omnia facta hominum ſolent damnare, & intentiones omnium detractionibus depravare. Nam quantumcunque bona intentione aliqui comedunt, vel jejunant, iſti tamen in partem ſiniſtram ſemper interpretantur, & judicant. Ec quicquid alii faciunt, breviter totum damnant, & quicquid in eis difficile, vel aliis impoſſibile eſſe exiſtimant, vel omne quod eis non placet, in aliis nefarium eſſe putant. Sicut hypocritæ, qui jejunare volunt, reputant affabiles, & communem vitam ſectantes, eſſe leves, & guloſos. Guloſi verò illos, qui jejunant; & auſteritatem ſervant, reputant hypocritas, & perverſos, & non ſine poteſtate Diaboli credunt eos poſſe reſpuere mundi cibos, & actus facere virtuoſos, ſic dicebatur de Chriſto Luc. 11. *Hic non ejicit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Contra tales igitur dicit Apoſtolus Rom. 14. *Qui manducat non manducantem non judicet. Tu quis es, qui alienum judicas?*

Capitulum duodecimum. Textus. Abiit Jeſus per ſata ſabbatho. F

Moralitatum Cap. VIII.

Cum Dominus tranſiret per ſata, & diſcipuli ejus ſabbatho vellentes ſpicas, ut eas comederent, quia fortiter eſuriebant, reprehendebantur à Phariſæis, ſed excuſavit eos Dominus ratione neceſſitatis: exemplo David, qui neceſſitate ductus, comedit de panibus conſecratis. Neceſſitas enim non habet legem.

Vel dic, quod ſabbatho, id eſt, in feſtivitatibus Chriſti diſcipuli, id eſt, prædicatores debent per ſata ſacræ ſcripturæ tranſire, ſpicas, id eſt, ſcientias vellere, & ipſas ſtudendo comedere. Non eſt enim fractio ſabbathorum vacare lectionibus ſtudiorum, imò iſta eſt magna neceſſitas, ex qua poteſt provenire utilitas.

Cum Chriſtus videret quendam hominem die ſabbathi in ſynagoga manum aridam habentem, eique diceret, *extende manum tuam*, ſtatim reſtituta eſt ſanitati. De quo cum Phariſæi murmurarent, dicebat, *licitum eſt ſabbathis benefacere*, cum & ipſi in ſabbatho oves ſuas, ſi in foveas caderent, ſublevarent; addens quod *multo fortius licebat hominem, cum eſſet melior ove, adjuvare.*

Iſta poſſunt dici contra Phariſæos, id eſt, contra malos Curatos, & Prælatos, quibus major eſt cura de ſuis ovibus, & divitiis temporalibus, quàm de ſubditis, & ovibus ſpiritualibus. Nam citiùs occurrunt, ut reducant ovem errantem, quàm cum vident fratrem ſuum cum manu arida, id eſt, peccatorem, & deſidem, & bonâ manuali operatione carentem; cum enim multò melior eſt homo; ideò citius fuerat ſibi ſuccurrendum; quia Matth. 16. *Anima plus eſt, quam eſca.*

Vel dic, quod dato quod Phariſæi, id eſt, mali Curati, indignentur contra Chriſtum, id eſt, contra bonos prædicatores, quando ipſos vident in ſuis ſynagogis, id eſt, in ſuis Eccleſiis prædicare, & ſabbathis, id eſt, feſtivitatibus aridos, id eſt, peccatores ſpiritualiter curare, ipſi nihilominùs non debent ceſſare, ſed ſabbathis benefacere, debentque ipſos ad extendendum manus ſuas ad pauperes invitare, ut ſic poſſint eos ab ariditate avaritiæ ſanare.

Vel dic, quod ſicut iſti Phariſæi, cum iſtum aridum ſanare non G
poſſent, & tamen ſanati Domino detrahebant; Sic multi ſunt, qui ad virtutes, & bona aliorum non attingere queunt, & per prædicationem alios peccatores aridos curare neſciunt, aut non poſſunt, utpote, quia nec prædicare, nec diſcretè confeſſiones audire ſciunt, qui tamen alios benefacientes detrahendo corrodunt, nec quod ſubditi ſui ab aliis ſanentur, & doceantur, deſiderant, imò quando alios vident in ſuis parochiis prædicare, vel confeſſiones audire, ſummè turbantur. Unde 2. Petr. 2. *Hi quæcunque ignorant, blaſphemant.* Et Matth. 23. *Vos ipſi non intratis, &c.*

De dæmoniaco cœco, & muto, vide infra ſimile. Marci. 7.

Chriſtus videtur velle prædicare, quod verba debeant proportionari cordibus. Ideò dicit: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut arborem malam, & fructum ejus malum. Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur.* Ac ſi diceret, Non decet bonum hominem malè loqui, aut econtra, nec malum benè. Melius eſt enim, quod homo ſit bonus, & bonos fructus, id eſt, bona verba habeat, vel ſi ſit arbor mala, quod malos fructus, id eſt, mala verba producat, ut ſic homo non decipiatur in hypocriſi malorum, & ne propter bona verba eorum, ipſos, cum mali ſint, tanquam bonos commendent. *Quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?* Quaſi diceret. Non decet. Quia dicitur: *Non decent ſtultum verba compoſita.* Et iterum: *Utinam calidus, aut frigidus eſſes, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Vel dic, quod illud poteſt applicari, ut communiter, quod verba, & exteriora opera ſequuntur corda, quia ſicut hic dicitur: *Ex abundantia cordis os loquitur, &c.* Et Matth. 7. *Quod non poteſt arbor mala fructum bonum facere, nec econverſo.* Et dicitur: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*

Omitto illa, quæ dicuntur hic de Beelzebub, & fofti armato, & peccato in Spiritum ſanctum, & de regina Saba, & aliis ſimilibus. Omnia enim iſta ſuam expoſitionem ſecum portant.

Immundus ſpiritus cum exierit ab homine, ambulat per loca arida, & inaquoſa, quærens requiem, & non invenit, & tunc rediens ad domum ſuam, undè exivit, invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & tunc aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi, & fiunt noviſſima illius pejora prioribus.

Iſta allegoricè dicta ſunt contra Judæos, quia tunc immundi H
ſpiritus ab eis exierunt, quando legem per Moyſen ſuſceperunt; ipſi verò immundi ſpiritus per loca arida circumierunt, quando corda gentilium per idololatriam inhabitaverunt; ibi tamen finalem non invenerunt requiem: exinde enim per fidem Chriſti ejecti ſunt, & ideò ipſi ad domum ſuam primam (ſcilicet ad Judæos, qui hactenus per correctionem fuerunt ſcopati, & per legem) re-

Digitized by Google

dierunt, quando post Christi incarnationem à fide ejus ipsos vacantes invenerunt, & ideò jam cum aliis septem spiritibus, id est, cum universitate vitiorum ibi habitant, & sic novissima eorum sunt pejora, quàm ante legem fuerant. Undè Matth. 27. *Erit novissimus error pejor priore.*

Vel ista exponuntur contra Apostatas; quia sæpè fit, quod immundus spiritus, id est, immundus Religiosus de corpore hominis, id est, Religionis, vel Ecclesiæ per Apostasiam egreditur, & per loca arida, id est, per mundum circumit, progreditur & vagatur; quærit requiem, id est, statûs tranquillitatem, quam non invenit; sed potiùs sentit semper exteriùs turbationem, & adversitates, interiùs verò conscientiæ tumultum, & contrarietatem. Hierem. 17. *Servientes ibi Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte.* Et tales qui serviunt dæmonibus, & vitiis, non sunt digni requiem invenire, nec in temporalibus, pro quibus spiritualia reliquerunt, digni sunt solatium obtinere; quapropter isti (ut videmus) sine requie vagantur, ita quod propter pauperatem ad domum suam, id est, ad claustrum, quod reliquerunt, remeare coguntur, dicentes illud Ozeæ 1. *vadam, & revertar ad virum meum priorem*, id est, ad statum meum anteriorem. *Quia bene erat mihi tum magis, quàm nunc.* Quid igitur? pro certò sæpè fit, quod tales ad domum religionis revertentes, dum quotidiè scopâ correctionis absterguntur, & virtutibus adornantur, solent quandoquè secum alios septem spiritus pejores se accipere, hoc est dictum, alios sibi associare, & adjungere, & sic per vitæ suæ invidiam, & discordiam solent corpus & collegium, in quo sunt, ampliùs molestare, & diversis suis vitiis, & infamiis lacerare; ita quod novissima eorum opera post reditum pejora prioribus solent esse. Unde 2. Pet. 2. *His rursum implicati vitiis superantur, & facta sunt eis posteriora prioribus deteriora.*

A Cum Christus prædicaret actualiter, & sibi diceretur, quod mater sua, & fratres sui foris stabant quærentes loqui ei, non legitur propter hoc prædicationem dimisisse, sed potiùs manus in discipulos extendens dixisse: *Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse frater meus, soror, & mater est.*

Hic potest notari, quod qui prædicatione, vel aliquo alio officio spirituali occupantur, sive exercitio; nunquam propter carnales parentes, vel propter temporalia negotia debent illa dimittere, quia illos, quibus spiritualiter proficit, debet matres, fratres, & sorores reputare, ipsosque carnalibus parentibus anteferre. Hieron. *Per calcatum perge patrem, & per calcatam perge matrem.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Exiens Jesus de domo sedebat secùs mare.

Moralitatum Cap. IX.

Hic fit mentio de parabola seminantis, quæ similiter tractatur Lucæ 8. Marc. 4. Sed quia ista per Christum fuit exposita, per beatum Gregorium verò in homilia fuit tractata, ideò ipsam non tetigi, sed ad aliam parabolam pertransivi.

Homo quidam seminavit bonum semen in agro suo, sed dum dormirent homines, venit ejus inimicus, & superseminavit zizania. Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt simul & zizania. Servi autem ejus accedentes dicebant: *Domine, nonne semen bonum seminasti in agro tuo, unde igitur habet zizania?* Qui respondit, *Inimicus homo hoc fecit. Vis* (inquiunt) *eamus, & colligamus ea. Non* (inquit) *ne fortè eradicetis simul & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & tunc messores zizania ad comburendum per fasciculos colligentes alligabunt, triticum autem in horreum meum congregabunt.*

Ista exponuntur per Christum, & doctores de Hæreticis. Constat enim, quod quidam homo, id est, homo singularis & excellens, scilicet Christus in principio seminavit, prædicando, & docendo, in agro suo, id est, in Ecclesia militante, optimum semen scilicet doctrinam Evangelicam, & fidem rectam; sed cum homines, id est, Apostoli dormivissent per mortem, & à sæculo recessissent, venit inimicus Diabolus, qui mediantibus hæreticis in agro isto cum
B bono semine malum injecit, & cum bona, & sana doctrina zizania verborum hæreticorum immiscuit, sicut patet, quod statim, quando Apostoli mortui fuerunt, hæresis Arriana, Eutychiana, & Manichæa pullularunt, patetque jam in diversis Christianorum segetibus atque sectis, qui hujusmodi zizaniis infecti sunt. Isa. 1. *Væ semini nequam, filiis sceleratis, &c.* Ista igitur zizania, id est, hæreticorum sectas, & collegia, non vult Deus per servos suos, id est, viros Catholicos extirpari, sed potiùs vult usque ad tempora judicii tolerari, & hoc, ne forte inter eos contingeret triticum, id est, aliquos bonos existentes vel futuros cum eis eradicari, id est, temporaliter molestari, & spiritualiter ante conversionem evelli: constat enim, quod apud eos sunt multi prædestinati, qui quotidie convertuntur; de aliis etiam ignoramus, si fortè ad Dominum revertantur. Ideò quamdiu est tempus veniæ, ipsos oportet expectare. In tempore verò messis, id est, in judicio, quando jam tempus metendi transiverit; tunc messores, id est, Angeli ipsos, id est, per fasciculos, id est, secundùm distinctionem vitiorum, in infernum comburendos ligabunt, bonos verò in horreum domini, id est, in paradisi repositorium congregabunt. Lucæ 3. *Triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.*

Vel dic, quod homo quidam, id est, Christus, vel Prælatus bonus, C
superseminat, id est, in principio seminat bonum semen, id est, bonas personas in agro suo, id est, in Ecclesia militante, sed quia jam homines, & Prælati dormiunt, id est, negligentes existunt, venit Diabolus, & superseminavit zizania, id est, copiam malorum, & inutilium personarum, quas in isto agro Ecclesiæ seminavit, & eas ibi mediante simonia, avaritia, & carnali affectu mirabiliter transplantavit. Unde Christo vel Religiosis, seu Ecclesiarum fundatoribus potest optimè dici, *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? &c.* Et ipse pro certo potest respondere, quia *inimicus homo hoc fecit;* quia seminatio, prælatio, & promotio talium ab inimico Diabolo efficitur, per cujus inspirationem isti in Ecclesia seminantur. Unde Sapient. 12. *Semen enim maledictum erat à principio*, sed patrisfamiliæ, scil. Christi patientia est tanta, quod tale semen impium non vult ab Ecclesia eradicare, sed potiùs permittit eos cum tritico, id est, cum bonis vivere, & manere, quousque tempus messis, id est, dies judicii veniat, ubi ipsos distinguet ab invicem, & istos in inferno comburet, bonos autem in horreo paradisi collocabit. Messores enim, id est, Angeli bonos à malis, ziyania à tritico, sceleratos à justis, qui modo discerni non possunt, finaliter divident, & malos æternaliter concremandos ligabunt. Illos verò perpetuò servandos in paradisi horreum acervabunt. Unde infra eodem cap. dicitur Matth. 13. *Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Vel dic, quod in ista figura reprehenduntur quidam justi, qui immoderato justitiæ zelo quærentes exterminare peccatores, & maximè infideles, statim vellent ruere contra ipsos, & eos dentibus devorare. *Vis*, inquiunt, *eamus, & colligamus zizania.* Simile dicitur Job. 31. *Quis det carnibus ejus ut saturemur?* Et alibi: *Vis*, inquiunt, *dicamus, quod descendat ignis de cælo, &c.* Isti non considerant occultam Divinæ Justitiæ providentiam, nec perpendunt, quantum malorum vita bonis proficit, & quare paterfamilias Deus malos vivere sinit. Reprimitur igitur talis zelus, atque ad Angelorum judicium, qui causas præmissas noverunt, negotium revocatur, ipsorumque punitio expectanda jubetur. Apoc. 6. *Expectate modicum, donec expleatur numerus fratrum vestrorum;* quia scilicet Angeli in judicio finali malos eradicabunt, bonos verò in Dei horreo collocabunt. Ideò infra dicitur Matth. 12. *Exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum.*

Vel dic, quod inimicus homo, id est, proditor, quandoque seminat zizania cum tritico, id est, mala consilia, & machinamenta cum bonis, ut primò non possint discerni ab invicem. Veruntamen cum herba creverit, & effectus secutus fuerit, tunc percipietur fuisse zizania cum tritico, & malum consilium cum bono mixtum.

Hic fit mentio de bono grano sinapis, quod est minus omnibus seminibus, quod cum crescit, fit majus omnibus oleribus, ità quod aves cœli possunt requiescere in ramis ejus.

Sic verè fides Christiana fuit à principio satis modica, nunc per D
gratiam Dei tantum crevit, quod cunctis oleribus, id est, cunctis mundi sectis, & credulitatibus major extitit. Ita quod sicut jam videmus, volucres, id est, multi Principes, & Potentes, id est, multi Philosophi, & sapientes vivunt, & habitant in eadem. Psal. 103. *Super ea volucres cœli habitabunt.*

Vel dic, quod sæpe fit, quod aliquis modicus, & humilis promovetur, & major aliis efficitur, & oleribus, id est, suis sociis antefertur, ita quod volucres, id est, mundi Principes, vel nobiles in suæ jurisdictionis ramis commorantur.

Mulier quædam accepit fermentum, & in tria sata farinæ posuit, & sic totam massam farinæ fermentari fecit.

Fermentum, quod pastam fervere facit, est charitas, quam quando mulier in tria sata farinæ, id est, homo in tres partes mentis in rationabilem, irascibilem, & concupiscibilem potentiam adhibet, totum se facit fermentari, id est, ad Deum sursùm elevari.

Vel ista mulier est Ecclesia, quæ tria sata, id est, tria genera hominum, scilicet pueros, juvenes, & senes fermento fidei, id est, charitatis imbibit, & sic per amorem divinum facit fermentari omnes, &c.

Hic additur de illo, qui invenit thesaurum in agro, & vendidit omnia, quæ habebat, & emit agrũ. Item de illo, qui quærebat bonas margaritas, inventâ unâ pretiosâ, dedit omnia, & comparavit eam.

Hoc exponitur à Doctoribus, quod thesaurus, & pretiosa margarita fidem Christi, vel gloriam paradisi in agro scripturæ latentem designat. Istum enim agrum scripturæ sacræ debet quilibet devotus studendo emere, & cæteras margaritas, id est, scientias philosophicas contemnere, & illam unicam pretiosam margaritam,

Digitized by Google

tam, id est, Christum, vel gloriam paradisi, vel doctrinam Evangelicam sollicitè quærere, & amare, & omnia pro Christo dare, hoc est dictum, quod nihil terrenum respectu illius debet reputare, sed quantum ad effectum vel affectum omnia cum eo permutare, dicens illud Sap. 7. *Divitias nihil esse duxi, &c.* Ille enim qui thesaurum gloriæ paradisi, & margaritam, id est, Christum per devotionem quærit, & per contemplationem invenit, statim amorem aliarum rerum deserit, & quicquid aliud in mundo est, vilipendit.

De sagena verò missa in mare exponit idem Salvator, de Ecclesia, quæ nunc pisces, id est, homines bonos, & malos simul continet; in littore tamen hujus vitæ, id est, in judicio ultimo piscatores sagenæ, id est, Rectores Deus, & Angeli inter istos pisces decernent; quia bonos in vasa sua, id est, in Paradisi repositoria eligent, & assument, malos verò foras in barathrum mittent. Unde 2. Mach. 1. *Capitibus amputatis foras miserunt.* De hoc quod Christum filium fabri vocabant, dimitto.

Capitulum decimum quartum. Textus. Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, & ait pueris suis.

Moralitatum Cap. X.

CUm Herodes tulisset Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, & de hoc Joann. Baptista ipsum argueret, dicens, quod *sibi uxorem fratris sui, dum viveret, habere non liceret*, alligavit eum Herodes in carcerem, & ipsum occidere cupiebat, sed populum timebat. Cum igitur in die natalis Herodis festa, & convivia pararentur, accidit, quod filia Herodiadis coram Rege saltavit, quod regi, & simul discumbentibus complacebat; propter quod Rex sub juramento sibi promisit, quod quicquid peteret ab eodem, sibi daret. Illa verò permota à meritrice matre sua caput Joannis, qui erat in carcere, petiit. Rex autem iratum se dissimulans, sed propter juramentum se abnegare non posse asserens, caput Joannis amputari, & puellæ saltanti dari mandavit, quæ statim caput in disco positum coram omnibus simul convivantibus matri dedit.

F Moraliter loquendo, per istum Regem potest animus vel intellectus accipi, à quo constat hominem totum regi. Meretrix ista significat carnem, quæ revera uxor Philippi, qui interpretatur os lampadis, id est, Diaboli, qui viget intellectûs splendore, potest dici; eò, quod sibi, & suggestionibus suis solet faciliter inclinari, qui frater istius Regis, id est, frater animi dicitur, pro eo quod uterque esse naturæ rationalis comprobatur. Per istam filiam saltatricem intelligitur concupiscentia, quæ à matre ista meretrice, id est, à carne tanquam filia generatur; quæ pro eo dicitur saltare, quia coram Rege, id est, coram animo solet nunc unius peccati, nunc alterius delectationes offerre, ut ipsum ad voluptatem suam, & ad matris hujus votum valeat inclinare. Per Joannem, in quo est gratia, synderesis, seu conscientia intelligitur, ubi divina gratia principaliter situatur, & quæ regem, id est, animum delinquentem continuè redarguit, & hortatur. Ista igitur est veritas, quod quandoque Rex mentis nostræ, id est, animus accipit sibi in concubinam uxorem Diaboli, scilicet Herodiadem, quæ interpretatur glorians in pellibus, id est, carnem, in cujus pulchritudine Rex sive animus gloriatur, in quantum ipsius malis delectationibus acquiescit, de quo tamen Joannes, id est, conscientia ipsum redarguit, & sibi non licere hanc meretricem habere, vel sibi acquiescere prædicat; quapropter sæpe fit, quod iste Rex, id est, animus Joannem, id est, bonam conscientiam incarcerat, ipsamque vinculis malarum concupiscentiarum, vel complacentiarum alligat, & sic vocem redarguitionis impedit, & retardat, quod utique fit, quando istum Joannem in carcere malæ consuetudinis diu servat. Animus enim carne oblectatus Joannem, id est, conscientiæ reprehensionem non diligit, & ideò ut ipsius carnis delectationibus possit liG berè uti, in carceribus malarum complacentiarum, & consuetudinum eam claudit, Ezech. 19. *Posuerunt leonem in carcerem, ne audiretur vox ipsius amplius super montes.* Finaliter sic accidit, quod cum Herodes, & Herodias continuè in conviviis, id est, dum animus, & caro, & malæ affectiones vacant delectamentis, & solatiis, statim solet filia Herodiadis, id est, carnis concupiscentia saltare, & coram ipsis nunc ad gulam, & ebrietatem, nunc ad pigritiam, & luxuriam saltus suos ordinare, Isa. 13. *Saltabunt ibi Sirenæ in ædibus voluptatis:* Tantum igitur facit ista filia meretricis, scilicet concupiscentia, quod Joannes totaliter decapitatur, & conscientia penitùs interit, & quod Rex iste, scilicet, animus cum meretrice sua, id est, cum carne sine timore Dei, id est, sine doloris scrupulo fornicatur, dicens suæ conscientiæ propriæ illud Isa. 14. *Ex quo dormivisti, non ascendet, qui succidet nos.*

Vel allega exemplariter, quomodo *non amat pestilens eum, qui se corrigit.* Et quomodo pravi *non diligunt viros justos, qui eorum scelera reprehendunt*, imo ipsis quandoque pœnas, & miserias procurant Proverb. 15. *Qui arguit derisorem, sibi injuriam facit.*

Vel allega, quod mali, qui audent publicè bonis nocere, solent sibi vias, & occasiones quærere, ut sub colore alicujus justitiæ possint iniquitatem implere, sicut fecit iste, qui sub specie juramenti decollavit Joannem. Seneca dicit. *Qui nocere vult, semper causam invenit.*

Cum Christus secessit in navicula ad locum desertum seorsum, secutæ sunt eum turbæ, & misertus est eis, & curavit languidos eorum. Cum igitur vespere factum esset, venerunt discipuli ejus, dicentes ei, quod turbas dimitteret, ut quilibet de deserto recedens cibos sibi congruos procuraret. *Desertus est*, inquiunt, *locus hic, dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.* Christus volens suis auditoribus escas dare, cum esset ibi puer unus, qui habebat quinque panes hordeaceos, & duos pisces, præcepit turbas discumbere, accipiens dictos panes, & pisces, benedixit, & fregit, & per discipulos turbis dari jussit. Discipuli igitur turbis distribuerunt, & sic quinque millia hominum præter mulieres, & parvulos, qui numerati non sunt, de istis quinque panibus, & duobus piscibus usque ad saturitatem comederunt, ita quod duodecim cophini fragmentorum superfuerunt. *Colligite*, inquit, Joannes 6. cap. *fragmenta, ne pereant.* Satis ista patent in Evangelio etiam Lucæ, 6. Marci 6. & Joannis 6. cap.

Ista exponuntur communiter, quod quinque panes hordeacei vetus testamentum designant, quod à quinque libris Moysi cœpit originem. Bene hordeacei dicuntur, pro eo, quod in illis sub palea historiæ medulla sensuum continetur. Duo pisces novum testamentum designant, pro eo, quod ibi duplex charitas præcipitur, *in qua tota lex, & Prophetæ pendere* noscuntur. Cum igitur in deser- H to hujus mundi sint quinque millia hominum, qui Dominum sunt secuti, scil. universitas fidelium, qui ad fidem Christi sunt vocati, & propter quinque sensuum appetitus bis sub numero quinario sunt contenti, vult Dominus, quod cibis spiritualibus refocillentur; ita quod quinque panibus, quos puer Moyses nobis obtulit, scil. quinque libris legis antiquæ, duobusque piscibus, hoc est doctrinâ Evangelicâ, continente duplicem charitatem, spiritualiter recreentur. Vult enim, quod omnes isti super fœnum, id est, super humorem gratiæ, & charitatis, vel super specie viroris æternæ gloriæ recumbant, & quod discipuli, id est, Prælati, Doctores, & prædicatores istos scripturarum cibos exponendo frangant, & quod ipsis discumbentibus, & auditoribus simplicibus, prædicando, distribuant; reliquias verò, quas isti rustici capere non possunt, id est, subtiliora sacræ scripturæ loca ab ipsis discipulis, id est, à scientificis vitis vult reservari, & à mensa talium sublevari. Simplices enim grossa ciborum frusta, & rudia sacramenta, & documenta scripturarum debent capere; fragmenta verò, id est, subtiles scripturæ sententias non possunt degustare; quapropter Doctores talia debent subtilioribus reservare, & in duodecim cophinis, id est, in libris, & codicibus doctrinam duodecim articulorum fidei continentibus sapienter reponere, dicentes cum Apostolo 1. Cor. 3. *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus in Christo, lac vobis in potum dedi, & non escam.*

Vel dic, quod quinque panes sunt quinque vulnera Christi, duo verò pisces sunt duplicis naturæ mysteria Christi. Nos igitur, qui in deserto hujus mundi vel religionis vivimus, istos cibos per fidem, & devotionem comedere debemus, atque etiam super fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, id est, super memoriam nostræ fragilitatis recumbere; & sic per spiritualem recreationem in Christi convivio poterimus satiari.

Vel dic, quod per istos panes, qui comedendo non fuerunt A consumpti, sed potiùs multiplicati, ita quod omnibus sufficerent, possumus intelligere Sacramentum Altaris, quod sumendo non minuitur, & quod ita quinque millibus, sicut uni, comprobatur sufficere. Unde 4. Regum quarto: *Comedent, & supererit.*

Vel dic, quod isti cibi scientiam significant, quæ distribuendo multiplicatur, & cum auditores saturati fuerint, plus remanet distribuendum, quàm ab aliis reportatur: Unde Luc. 19. *Habenti dabitur, & abundabit.*

Vel dic, de eleëmosynis, quia quando discipuli Christi, id est, devoti fideles bona sua distribuunt liberaliter euntibus in desertum, id est, pauperibus, & egenis; sæpe fit, quod plus habent in residuo, quàm in eleëmosynis expenderunt, Dominus enim multiplicat bona talium liberalium, quia sicut dicitur, Lucæ 6. *Date, & dabitur vobis.* Et Prov. 28. *Qui dat pauperibus, non indigebit:* Et adverte, quod Christus legitur panes multiplicasse, ad denotandum, quod tempore sterilitatis, & necessitatis debemus eleëmosynas dare. Aliàs enim non legitur panes fregisse, nisi euntibus in via, & quatuor millibus in eremo. In quo notatur, quod homini est licitum bona sua distribuere, & in deserto, id est, pauperibus: & in via, id est, viatoribus, & peregrinis: & in cœnæ convivio, id est, discipulis, familiaribus, & amicis. Et sic isti sunt tres panes, de quibus Luc. 11. *Amice accommoda mihi tres panes.*

Vel dic, quod illud, quod prædictum est, quod secutæ sunt eum turbæ multæ, &c. potest applicari ad hoc, quod nullus potest ita ad desertum religionis, & solitudinis fugere, quin turbæ malarum cogitationum, & affectionum ipsum protinùs studeant comitari.

Digitized by Google

Vel si vis, illud, quod ponitur hic, & quod etiam replicatur in multis passibus scripturæ sacræ: *præter mulieres, & parvulos* (ubi videtur innui, quod mulieres, & parvuli non solent cum provectis, & majoribus numerari) potest applicari ad hoc, quod numerus significat æternæ gloriæ adscriptionem, quia secundùm veritatem viri, id est, personæ viriles, & perfectæ, solùm merentur apud Deum computari, & in electorum numero numerari Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Sed revera mulieres, id est, personæ mobiles, & carnales, effœminatæ, pueri, id est, personæ pueriles, insciæ, & ingratæ, in tali numero non debent boni, nec apud Dei adscriptionem in electorum numero computari. Unde de quolibet damnato potest exponi illud Job. 3. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus* B *anni, nec numeretur in mensibus.*

Christus jussit discipulos suos præcedere trans fretum, donec dimitteret turbas, tandem verò, dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, navicula, in quam ascenderant, jactabatur in medio mari magnis fluctibus, erat enim ventus contrarius illis. Nocte venit Jesus ambulans super aquas, & cum navim intrasset, cessavit ventus, ita quod illi, qui in navi erant, mirati sunt, & adoraverunt eum discipuli, & dixerunt: *Verè Dei filius es.*

Dic, quod navicula Ecclesiæ, in qua discipuli Christi, id est, universi fideles transfretant, & navigant ad gloriam Paradisi, dum est in mari hujus mundi, multis tribulationum fluctibus agitatur. Ventus enim tentationis Diabolicæ contrariatur eidem, ipsamque semper nititur submergere in profundum. Illud autem potissimè fit, quando Christus absens ab ista navi videtur, & quando nostrorum peccatorum ratione ab ista sua navicula quantùm ad gratiarum excellentiam absentatur; quia Deus videtur Ecclesiam propter peccata sua dimittere, quapropter necesse est eam multis tribulationibus, & tentationibus fluctuare, & multis periculis subjacere. Ideo Dominus videtur dicere illud Hier. 12. *Reliqui domum meam.* Et subjungit causam, *quia facta est mihi hæreditas mea, &c.* Veruntamen loco, & tempore solet Christus super aquas, & fluctus tribulationum calcare, & ad discipulos suos in naviculam Ecclesiæ misericorditer per gratiam revenire, & sic benedicta sua præsentia facit ventum tentationum, & diabolicarum insufflationum cessare, & fluctus tribulationum quiescere, & totam naviculam Ecclesiæ tranquillare, Tob. 3. *Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & luctum exultationem inducis.*

Vel dic, quod navicula est anima quæ tempestatibus, tribulationibus, afflictionibusque & cogitationibus continuè fluctuat, & à C vento sibi contrario, id est, à mundi inani gloria continuè movetur & agitatur, nisi quando Christus ad eam per gratiam venit & eam suâ spirituali præsentiâ circummunit. Christi enim absentia reddit mentis naviculam fluctuosam; sua verò præsentia ipsam facit stabilem, & quietam. August. *Inquietum est cor meum, donec in te quiescat Domine.* Et dic, quod Christus in quarta vigilia noctis venisse legitur, scilicet, in quarto puncto pœnitentiæ Christus visitat mentem nostram. Prima vigilia est discussio seu meditatio. Secunda contritio. Tertia confessio. Quarta satisfactio seu perseverandi constans intentio. In ista Christus ad nos venit, & à damnationis periculo custodit nos. Psal. 79. *Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum, & ostende faciem tuam, &c.*

Vel dic, quod navis Ecclesiæ in mari hujus mundi fluctuabat, ita quod totus populus, qui ibi continebatur, mortis periculo subjacebat; quousque ipse Christus media nocte per beatam Incarnationem & Nativitatem venit, qui omnia tranquillavit. Vel dic, quod exemplo Christi nos debemus turbas negotiorum, & sæcularium hominum, imo turbas cogitationum, & afflictionum relinquere, & in montem contemplationis ascendere, & solum ibi dominum exorare.

Cum Christus nocte veniret ad discipulos, qui in navicula fluctuabant, ambulans super mare, turbati sunt discipuli dicentes, *quia phantasma est;* non enim advertebant, quod esset Christus, sed magis credebant, quod esset aliquis spiritus phantasticus; Christus verò videns eos clamantes & timentes dixit eis: *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Petrus verò inter cæteros audacior dixit: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Quem cum Jesus ad se vocaret, & Petrus de navi descendens super aquas siccis pedibus versùs Jesum applicaret, videns ventum validum timuit, & ideo mergi cœpit, sed statim cum ad Dominum clamasset, dicens: *Domine salvum me fac*, Christus, extensâ manu, ipsum recepit, & incredulitatem ejus increpavit, dicens: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Ac si diceret; Si non dubitares, nunquam mergi cœpisses.

Ista possunt applicari ad ostendendam veritatem fidei, quæ quando in homine fixa est, certa, & indubia, quidquid in virtute spei facere vult, facit: modica tamen hæsitatio vel dubitatio impedit opus istud. Requiritur enim, quod homo in nullo dubitet D complendum, sed potius illud, quod vult fieri, credat pro certo fiendum. Undè recta causa, quare istæ vetulæ & personæ simplices faciunt quandoque mirabilia experimenta, quæ tamen homo rationabilis & sensatus nunquam invenit esse vera, est propter firmam credulitatem, quam habent, quam tamen homo sensatus nunquam habet, qui semper inquirit causam rerum, ac per hoc semper dubitat in præmissis, cum non videat rationem. Et inde fit, quod illud idem, quod à simplicibus invenitur verum, à sapientibus illud experiri volentibus invenitur falsum. Ideo Matth. 17. Dominus dicit, quod *si quis credens dixerit huic monti, quod se transferat in mare, fiet.* Unde Matth. 9. *Si potes credere, omnia sunt possibilia credenti.* Nec mirum, cum talis potestas credendi, vel faciendi miracula possit consistere cum peccato. Ista enim est gratia gratis data, quæ quandoque est in peccatore, sicut Apostolus videtur benè supponere, ubi dicit 1. Cor. 13. *Si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum:* Ac si dicat: quod ista sine charitate fieri possunt. Sicut patet de isto Marci 9. qui ejiciebat dæmonia, & tamen non sequebatur Christum; fides enim indubia totum facit, sicut patet infrà, ubi dictum est Apostolis Matth. 17. quod propter incredulitatem suam non poterant dæmonium ejecisse. Et alibi Matth. 21. *si non hæsitaveritis, non solum ficulneam arescere, sed etiam montes transferre poteritis*, sicut patet hic de Petro, qui non fuit mersus, nisi quando incepit dubitare. *Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitasti?*

Vel dic, quod exemplo Petri, nos alii, quandoque descendimus ad naviculam in mare, id est, è claustro ad negotia mundi, & à contemplationis securitate ad activæ vitæ fluctuosos labores; at nihilominus ad Christum sæpe currimus, & in ipsis aquis, id est, in mundi negotiis nos posse salvari speramus. Verum quia ventus validus tribulationum nos agitat; hinc est, quod quandoque in malis complacentiis mergi incipimus; quapropter non immeritò damnationis periculum formidamus. Nos igitur, quando istam mersionem sentimus, ad Christum debemus per orationem clamare, & ipsius auxilium implorare dicentes: *Domine salvum me fac.* Et illud: Psal. 68. *Non me demergat tempestas aquæ, &c.* Ipse verò si nos devotè clamantes inveniat, statim manum suam adjutricem extendet, & nobis dulciter subveniet & succurret. E

Vel dic, quod exemplo Christi sunt multi boni Christiani, id est, boni & sancti viri, qui prima facie creduntur esse phantastici, id est, hypocritæ & vani, quando super aquas prosperitatis mundanæ vitæ, videntur transire per contemptum, & mundi gloriam conculcare; sed ex operibus sequentibus veri viri boni probantur, ita quod ipsis mediantibus alii ad conculcationem similem provocantur, dicentes: *Domine, si tu es*, inquit, *jube, &c.* Joan. 10. *Opera, quæ facio, testimonium perhibent de me.*

Capitulum decimum quintum. Textus. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi.

Moralitatum Cap. XI.

CUm Dominus descenderet in partes Tyri & Sidonis, ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, & secundùm Marc. 7. domum ingressa clamavit, *Domine miserere mei fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Undè quia ista non erat de genere Israël, sed de genere Syrophœnissa, Dominus quasi non audiens eam pertransibat. Dicebat enim *se non esse missum nisi ad oves, quæ perierunt, domûs Israël.* Et quia *non erat bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus;* quia tamen dicta mulier clamans & orans instabat, *& canes comedere de micis de mensis dominorum cadentibus*, allegabat. *Etiam*, inquit Domine, *nam & catelli edunt de mensa dominorum suorum.* Ideo Dominus misertus sibi dixit, *O mulier magna est fides tua, fiat tibi, sicut petisti*, & sanata est filia ejus in illa hora.

Ista mulier Chananæa, & gentilis, signicat Animæ peccatricis conscientiam, atque mentem, seu voluntatem, quandoque igitur fit, quod mulier ista, scilicet peccatrix anima, de finibus Tyri, quæ interpretatur angustia, & de finibus Sidonis, quæ interpretatur commotio iniquitatis, scilicet, de statu peccati, quod ponit animam in commotionem inconstantiæ, & in angustiam desperationis, & tristitiæ, per contritionem egreditur, & domum spei & securitatis, scilicet, statum pœnitentiæ ingreditur gemens, & flebilis pro filia sua, id est, pro mente & voluntate sua, diu à dæmone per peccatum obsessa, Deum humiliter deprecatur. Dæmonium enim tunc filiam nostram vexat, quando peccatum mentem nostram per F diversas concupiscentias, & miserias flagellat, atque turbat. Unde Matth. 9. *Filia mea modò defuncta est.* Sed sæpe fit, quod divina pietas statim non exaudiat, quinimo vexationem istius filiæ, id est, peccata nostra, & mentis nostræ miserias sub dissimulatione pertransiat: Videt enim, quod ex hoc fragilitates proprias cognoscat, & sic ad recurrendum ad Dominum fortiùs inardescat. Unde Sapient. 11. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Unde Dominus videtur animæ dicere illud, quod subditur: *Non est*, inquit, *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Ac si diceret: Non decet gratiam impendere peccatoribus, sed filiis, & personis sanctioribus. Sed ipsa debet subjungere, *Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Hoc est dictum: Etiam peccatores debent refici tuis beneficiis, quia tu veni-

Digitized by Google

venisti non justos, sed peccatores salvare, & ideo filiam meam, id est, mentem meam, debes liberare. Et verè, si dominus perseverantiam in nobis videat, & istum ardorem devotionis inveniat in nobis, ipse, qui est panis vitæ, qui potens est canes, & filios, id est, peccatores, & justos misericorditer satiare, Psal. 25. *Homines, & jumenta salvabis Domine.* Istam vexationem tentationum & vitiorum à nobis auferet, & mentem nostram tranquillam faciet, Unde dicitur Marci 7. *Invenit puellam super lectum, & dæmonium ab ea exivisse, &c.*

G Vel dic, quod gentilis ista mulier significat gentilitatem, cujus filia, id est, cujus gens dæmoniis per idololatriam subjacebat. Hanc igitur filiam, id est, gentem gentilium, Dominus non statim à principio curavit, sed aliquamdiu languere permisit, quia ipse, qui erat panis filiorum, principaliter ad oves & ad filios Israël fuit missus, quorum Patribus erat repromissus. Finaliter tamen istam filiam liberavit, quando per Apostolos suos fidem suam gentibus prædicavit, Thr. *Gaude filia Edom, ad te quoque veniet calix*, id est, fides.

Vel dic, quod panis filiorum, id est, sacra Theologia, non debet canibus dari, id est, negotiorum sæcularium ulibus deputari.

Vel dic, quod canes sunt obstinati, & infideles, vel etiam simplices, atque rudes. Panis igitur filiorum, id est, subtilitates & arduitates fidei & sacræ scripturæ, quæ solis spiritualibus filiis, id est, fidelibus, & scientificis viris debent dari, non debent istis canibus prædicari. Unde Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite ponere ante porcos, ne forte conculcent eam pedibus, & conversi diripiant vos.*

Hic dicitur, quod ante Dominum posuerunt cœcos, & claudos, quos ut sanavit, miratæ sunt turbæ videntes, mutos loquentes, & cœcos videntes, claudos ambulantes, & magnificaverunt eum.

Sic verè nos debemus gaudere, & admirari, & Dominum magnificare, quando videmus, quod per ejus misericordiam infirmi sanantur, id est, peccatores convertuntur, & quando muti, id est, obstinati per confessionem loquuntur, cœci, id est, ignorantes per discretionem vident, claudi, id est, ad bene operandum inhabiles per bona opera proficiunt, Luc. 15. *Gaudium enim angelis Dei est super uno peccatore pœnitentiam agente*, quia Sancti viri & Angeli summè debent de conversione peccatorum gaudere.

Ex capitulo decimo quinto. Textus. Jesus autem convocatis discipulis suis dixit.

Moralitatum Cap. XII.

VIdens Jesus multitudinem hominum, qui ipsum secuti fuerant in desertum, cœpit dicere de eisdem: *Misereor super turbam, quia jam triduo perseverant mecum, nec habent, quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via, quidam enim eorum de*
H *longè venerunt.* Igitur cum discipuli nihil præter septem panes, & pisciculos paucos haberent, jussit eos distribui, & fuerunt indè quatuor millia hominum satiati: quia scilicet de tam paucis cibis ad satietatem satis sumpserunt, septem verò sportæ de reliquiis remanserunt.

Sic cum Christus in deserto hujus mundi multos videat, qui jam triduo, id est, in fide Trinitatis cum eo perseverant, timens ne propter defectum spiritualium ciborum deficiant in via perfectionis, & morum, voluit quod discipuli sui, id est, Ecclesiarum ministri septem panes cum pisciculis paucis, id est, septem Ecclesiastica sacramenta cum cæteris sacramentalibus remediis ipsis distribuant, ut spiritualiter refecti in hac via fortiores existant. Septem verò sportæ, id est, septem virtutes morales supersunt, quæ ex septem sacramentis subveniunt, & succrescunt. Et illorum quidam de longè venerunt, qui de statu peccati ad pœnitentiam appropinquant. Unde Jos. 9. *De terra longinqua venimus servi tui.* De hoc autem, ubi Christus petiit à discipulis suis, quem ipsum esse dicerent homines; & ubi ponitur responsio, & commendatio Petri, nec non quoad multa alia dicta Christi nihil pono. Igitur adverte circa Christi transfigurationem.

Capitulum decimum septimum. Textus. Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem.

Moralitatum Cap. XIII.

ASsumpsit Jesus secum Petrum, Jacobum, & Joannem, & duxit eos in montem excelsum seorsùm, & transfiguratus est
A ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Facta est facies ejus altera, sicut dicitur Luc. 19. Et apparuerunt illis Moyses & Helias loquentes cum ipso. Ecce autem nubes lucida obumbravit illum. Et ecce vox de nube dicens: *Hic est filius, &c.* Petrus autem tunc dixit, *Domine bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum.*

Ista possunt applicari, quod quicunque vult spiritualiter transfigurari, & per conversionem, & pœnitentiam in virum spiritualem, & scientificum transformari, ista, quæ sequuntur hic, debet per ordinem operari. Debet enim primò seorsum, id est, à rumultu hominum recedere, in montem contemplationis & cœlestium affectionum ascendere: Petrum, Jacobum, & Joannem, id est, bonam societatem quærere, & non coram aliis conversari personaliter, & manere; quia ante omnia bona societas est quærenda, & turba malorum hominum fugienda. *In montem*, inquit, *seorsum.* Unde Sen. de moribus dicit: quod *solitudinem quærit, qui cum innocentibus vult vivere.* Unde Eccles. 27. *In medio cogitantium legem Dei assiduus esto*, tunc enim homo per conversationem facilius transfigurabitur, & facies suæ mentis per gratiam, & discretionem sicut sol splendebit, & illuminabitur, vestimentum suæ conversationis per candorem innocentiæ, continentiæ, & decentiæ sicut nix dealbabitur, & sic species conditionis suæ in aliam alterabitur, & vertetur. Unde 1. Reg. 10. *Facta est*, inquit, *species ejus altera. Mutaberis in virum alterum.* Et tunc Moyses id est, lex & scientia, Helias, id est, sanctitas, & innocentia ipsum concomitabuntur, & bona doctrina, quantum ad primum, bonaque sancta vita, quantum ad secundum, apud eum permanebunt, quia ista sunt, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ. Talis etiam sic figuratus, & mutatus à nube splendida, id est, à lumine cœlestis gratiæ & gloriæ obumbrabitur, & filius Dei dilectus meritò vocabitur, & ut audiatur ab aliis, in Dei spiritualem filium eligetur. *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, &c.* Quia revera tales merentur filii Dei nuncupari, & quando aliquid prædicant vel mandant, ab aliis debent audiri, & si Prælati fuerint, eis obediri. Unde Joan. 2. *Quæcunque vobis dixerit, facite, &c.* Exod. 32. *Observa eum, & audi vocem ejus, &c.* Si enim moderni prædicatores essent & a turbis, & sæcularibus negotiis segregati, & in montem contemplationis elevati per spiritualem conversationem, & à communibus moribus hominum exaltati, &c. profectò à sæcularibus audirentur, & verba eorum, & prædicationes libentiùs implerentur, ita quod sibi diceretur illud Abac. 3. *Domine* B
audivi auditum tuum, & timui. Tunc pro certo Petrus, Jacobus, & Joannes, id est, socii & vicini ipsorum sanctitatem & gloriam videntes poterunt dicere, *Domine bonum est nos hic esse*, quia in societate talium gloriabuntur adesse; & tria tabernacula se velle facere dicent, in quantum sanctæ Trinitatis fidem ipsorum prædicatione cognoscent, *Domine*, inquit Petrus, *bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.*

Vel dic, quod illi, qui sunt Petrus, id est, agnoscentes per discretionem, & sapientiam. Jacobus, id est, supplantantes Diabolum, mundum, & carnem per humilitatem, paupertatem, & continentiam; Joannes, id est, gratiosi per puritatem, & innocentiam, digni erunt cum Christo montem ascendere Paradisi, & ipsum contemplari spiritualiter, & videre, Isa 33. *Regem in decore suo videbunt.*

Vel dic, quod justi debent in semetipsis Christo, qui interpretatur unctus, id est, Pietati; Moysi legislatori, id est, Veritati: Heliæ, qui Achab reprehendit, & Prophetas Baal occidit, id est, Justitiæ, & veritati tria tabernacula præparare, scil. pietati in affectu seu in concupiscibili: Veritati, in intellectu seu in voluntate: Justitiæ verò in irascibili debent domicilium dedicare, & tunc poterit dici illud Ps. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c.*

Quidam puer oblatus est Christo, ut sanaretur, erat enim, sicut dicitur, lunaticus: sed vide Marci 9. cap. ubi fusè.

Matth. 17. Hic ponitur; quod illi, qui tributum sive didrachma recipiebant de singulis, pro humanis conquesti sunt Petrò de Christo, eo quod non solveret censum illum. Quo comperto Christus Petrum ire ad mare, & hamum mittere præcepit, & staterem in ore primi piscis ipsum reperturum prædixit, quem pro se & pro Petro, ne scandalizarentur, exactoribus jussit dari. *Nunc*, inquit, *ne scandalizemus eos, vade ad mare, & staterem, quem in ore primi piscis reperies, da eis pro me & pro te.*

Ista possunt allegari exemplariter, quod multa pro evitando scan- C
dalo sunt facienda, quæ alias fieri non deberent. Constat quod Christus tributo non erat obnoxius, & tamen, ne susciteret scandalum, fieri voluit tributarius. Homo enim quantumcunque sit liber, aut nobilis, debet quandoque contra libertatem, dignitatem aut nobilitatem propriam dissimulare & facere, ut sic scandalum, & aliorum offendiculum valeat evitare, & ne causas litium vel discordiarum possit, si secùs faceret, suscitare. Unde Matth. 18. *Væ enim homini isti, per quem scandalum venit.*

Vel dic, quod Christus, vel Petrus, qui pecuniam non habebant, designant pauperes, & maximè religiosos. Piscis verò, qui staterem in ore habebat, mundi divites significat, qui in mari hujus mundi vagantur, divitias, & pecunias accumulant: quandoque igitur Christus & Petrus, id est, religiosi & pauperes, indigent pecuniâ, & maximè quando habent solvere naula aut dona vel tributa, si tunc ipsi ad pisces, id est, ad divites cum hamo humilis piscationis, & supplicationis recurrunt, pro certò ipsi divites sæculares debent pro eis solvere, & pro transeundo periculo vel evitan-

Digitized by Google

do ſcandalo neceſſaria miniſtrare; atque in hoc ipſi piſces, id eſt, mundi divites & voluptuoſi, Chriſto & ſuis pauperibus proficiunt, quia loco & tempore ſuis pecuniis, & divitiis ipſis neceſſaria provident. Sicut de piſce legitur, Jon. 2. qui Jonam projectum in mare recepit,& eum ad littus ſanum & ſalvum detulit,& ejecit. Igitur bono diviti dicitur illud Pſal. 9. *Tibi derelictus eſt pauper, &c.*

Capitulum decimum octavum. Textus. In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes, Quis putas.

Moralitatum Cap. XIV.

HIc ponitur de illo puero propoſito majoribus in exemplo, qui dicitur fuiſſe Martialis, quem dominus advocans ſtatuit in medio eorum & dixit: *Quicunque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic magnus eſt in regno cœlorum, &c.*

Hoc poteſt adduci ad hoc, quod Chriſtus diligit innocentiam & humilitatem, & quomodo ipſe zelat pro pauperibus & ſimplicibus dicens. *Qui recipit parvulum unum talem, me recipit, & qui ſcandalizat, &c.*

D Dicitur hic,quod qui centum oves habebat, perdidit unam, qui relinquens nonaginta novem in deſerto, vadit illam quærere, quæ erravit. Et Luc. 15. Cum invenerit eam, imponit in humeris ſuis gaudens,& convocans amicos ſuos, facit gaudere quam plurimos ſuper illam. *Sic*, inquit, *gaudium eſt Angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ. Non enim eſt voluntas apud patrem veſtrum, ut pereat unus de puſillis veſtris.*

Iſta exponuntur de Angelis & hominibus: In principio enim habebat Deus centum oves,id eſt, Angelos & homines, quia, ſcilicet,nonaginta novem, qui numerus conſtat ex novenario in ſeipſo multiplicato, Angelos ſignificant, qui in novem ordinibus ſunt diſtincti. Unus verò reſtans numerus humanam naturam deſignat, quia ab uno homine tota proceſſit. Videns igitur Chriſtus ovem unam de grege ſuo perditam, & errantem, ſcilicet, humanum genus, dimiſſis nonaginta novem ordinibus Angelorum, in deſerto paradiſi, venit in hunc mundum perſonaliter quærere ovem iſtam, ſcilicet, humanam naturam, quam ſuis humeris per beatam incarnationem impoſuit, & ad deſertum paradiſi cum Angelis reportavit,& ampliùs ſuper inventione, & ſalvatione ejus ad literam gaviſus eſt, quàm ſuper nonaginta novem, id eſt, ſuper novem Angelorum ordines, quos, ſcilicet non aſſumpſit. Multò enim plus videtur homines, quàm Angelos dilexiſſe, & de ſalute eorum ampliùs lætatus fuiſſe, in quantum humanam naturam non Angelicam legitur aſſumpſiſſe, dicens illud Prov. 8. *Delitiæ meæ ſunt cum filiis hominum, &c.*

Vel ſi vis, dic iſta ad oſtendendum, quantum gaudium eſt Deo & Angelis ejus ſuper converſione hominis peccatoris.

De uno ſervo nequam hic agitur, qui debebat regi decem millia talenta,qui cum non haberet,unde ſolveret, quæ debebat, juſſus eſt cum uxore & filiis venundari, & omnia, quæ habebat diſtrahi, ut pecunia ſolveretur. Verùm quia ſervus iſte ad pedes Domini ſup-
E plex procidit,& dilationem popoſcit. *Patientiam*, inquit, *habe in me, & omnia reddam tibi*, Dominus miſertus ejus non ſolum ei dilationem dedit, imo totum debitum relaxavit. Iſte autem ſervus dimiſſus cuidam ſervo,qui debebat ſibi centum denarios, ſimile facere noluit,quinimo cum dilationem peteret, ipſum tamen in carcerem,donec redderet debitum,alligavit. Rex verò audiens hoc revocat ſervum,& ſuam impietatem increpans ſic perorat:*Serve nequam omne debitum dimiſi tibi, quia rogaſti me,ideo oportuit te miſereri conſervi.* Iratus igitur rex ipſum tortoribus tradidit, donec univerſum debitum redderet,& ipſum verberibus condemnavit.

Iſta parabola Salvatoris exponitur per ipſum, & ad hoc principaliter videtur tendere, quod illud, quod aliquis vult ſibi fieri, alteri debet facere, & qui à Deo vel Prælato relaxari deſiderat, debet iſtos qui ſibi ſunt obnoxii, relaxare, & ſuis injuriatoribus miſericordiam petentibus indulgere. Unde Eccl. 28. *Dimitte pròximo tuo nocenti tibi*,& alibi: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Luc. 6. Cujus tamen fit contrarium,quia multi ſunt, ſicut ſervus iſte, qui bene voluit,quod ſecum agatur miſericorditer, ipſi verò non cum aliis agere volunt niſi crudeliter. Volunt enim, quod ipſis miſericorditer indulgeatur,& tamen ſi quis eis aliquid debeat, vel aliquam injuriam faciat,nolunt quieſcere,quin lædatur. Conſtat enim,quod rex omnium Deus cuilibet condonat,cuilibet parcit & remittit,& crudeles, & mali aliis ſuis debitoribus vel injuriatoribus non remittunt, ſed potiùs crudeliter punire vel exigere cuncta volunt, ſicut ad literam patet de multis, qui in infirmitate poſiti ſibi ſpiritualiter poſtulant, & ſupplicant à Deo miſericordiam fieri, & tamen quando ſanantur,ſolent contra alios impiè debacchari. Unde Eccl. 28. *Homo homini reſervat iram,& à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam,& de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe dum caro ſit,reſervat iram,& propitiationem quærit à Deo.* Sed pro certo rex Chriſtus contra tales ingratos ſimiliter ſurget, & eos tortoribus infernalibus tradet,dicens: *Serve nequam, nonne oportuit te miſereri conſervi tui ſicut & ego? &c.* Et iterum: *Judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam.*

In 19. capit. ponuntur multa, quæ quia expoſita per Salvatorem videntur, ideo tranſeo ad alia.

Capitulum vigeſimum. Textus. Simile eſt regnum cœlorum. F

Moralitatum Cap. XV.

QUidam paterfamilias habens vineam exivit primo mane conducere operarios in eadem vinea: conventione autem factâ de denario pro labore diurno, horâ primâ quoſdam in vineam miſit; tandem horâ tertiâ atque meridianâ alios, & alios in foro reperit, & omnibus idem promittens pretium ad vineam deſtinavit. Finaliter horâ nonâ alios reperiens otioſos, & ipſos pro eodem pretio in vinea cum aliis collocavit, dicens: *Quid ſtatis hic tota die otioſi? Dicunt; quia nemo nos conduxit. Ite & vos in vineam meam,& quod juſtum fuerit, &c.* Veſpere autem facto procuratorem ſuum milit operarios vocare & mercedem reddere, præcipiens à noviſſimis incipere, & tantum ultimo, quantum primo dare. Cum igitur ſinguli ſingulos denarios acceperant, qui primo venerant arbitrati ſunt, quod plus accepturi eſſent. Quod cum non fieret, murmurabant contra patremfamilias dicentes: *Hi noviſſimi tantum unâ horâ fecerunt, & pares nobis illos feciſti, qui portavimus onus diei & æſtus.* Quibus Dominus vineæ in hæc verba reſpondit: *Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario diurno conveniſti mecum? Tolle,quod tuum eſt, & vade, quia volo & huic dare ſimiliter.* Et ſubjungitur hic, quod *ſic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.*

Iſta parabola poteſt applicari ad multos motus, & modos fortunæ, ſive occultæ Dei providentiæ. Iſta enim habent unum judicium; quorum non eſt aliam rationem invenire, niſi hanc.

Sic volo,ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Iſta enim quandoque tantum dat parum merito, quantum bene merito,& quandoque citiùs ſolvit ultimo venientem, tardiùs vero aliquem ampliùs laborantem; etiam, ut in mundi curſu videmus, noviſſimi efficiuntur primi, & primi noviſſimi; quia qui ampliùs G in vinea Eccleſiæ laboraverunt,& primò ſolvi,beneficiari, præmiari meruerunt; aliquoties poſtponuntur. Illi verò, qui parum vel nihil fecerunt, ſcilicet, adulatores, conſanguinei, qui ultimi eſſe debuerant,præponuntur,ſicut videmus in curiis Dominorum, ubi ſemper ſolent prædiligi magis novi. Unde Lev. 16. *Novis ſupervenientibus vetera projicietis.* Unde quando iſti bene meriti conqueruntur de ſuis ingratis Dominis, vel etiam de fortuna, dicentes ſe diutius laboraſſe, & nihil ultra alios recepiſſe, dicentes illud. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Luc. 5. videtur,quod iſta eſt reſponſio eorum,quia, ſcilicet, mali Prælati vel Domini dicunt: *Nonne ex denario diurno conveniſti mecum?* id eſt,nonne ſufficit tibi, quod veſtes & cibos habueris? & remittunt eos, quandoque vacuos, & ſine honore, dicentes: *Tolle, quod tuum eſt,& vade, volo enim huic noviſſimo dare ſicut & tibi.* Fortuna enim illud idem reſpondet de ipsâ conquerentibus. *An*, inquit, *non licet mihi facere,quod volo?* ſcilicet de bonis meis. *Volo huic*,qui nihil fecit, *tantum dare,ſicut tibi*,qui ſatis meruiſti. *Tolle,quod tuum eſt, & vade.* Quaſi diceret,Nihil habes tuum, niſi quod volo dare: ſicut dicit Apoſtolus Roman. 11. *Si ex operibus, jam non eſſet gratia.* Et alibi 1. Tim. 6. *nihil tulimus in hunc mundum, &c.*

Vel allega contra quoſdam pompoſos Dominos,qui horâ primâ, tertiâ & nonâ, quot invenerunt familiares, tot in domibus ſuis re- H cipiunt, & de familia ſua faciunt; *Ite*, inquiunt, *& vos in vineam meam;* ſed in ſero,id eſt, in fine omnes æqualiter præmiant, quia parum aut nihil ab eis reportant, *tolle*, inquiunt, *quod tuum eſt, & vade:* Sicut iſti ſervitores faciliter recipiunt, ita faciliter rejiciunt, & parum ipſis de lucro tribuunt.

Vel dic,quod paterfamilias eſt Deus, qui æternâ prædeſtinatione ad vineam,id eſt,ad Eccleſiam,vel fidem,vel ad alios ſtatus homines aliis & aliis vocavit temporibus; quia ſcilicet quoſdam horâ primâ, id eſt,in pueritia; alios horâ tertiâ,id eſt,in juventute; alios horâ nonâ,id eſt,in ſenectute,ad fidem vel ad pœnitentiam vocare non ceſſat,quibus denarium diurnum, id eſt, vitæ æternæ præmium promittit generaliter, & diſpenſat: iſta tamen eſt veritas & occulta iſtius patrisfamilias ſententia, vel juſtitia & providentia, quod non ſemper plùs & priùs laborantes aliis præferuntur: imo quandoque fit,quod ultimò converſi,& qui minùs in prima facie parent meriti, ad cœli præmium præponuntur, ſicque fit, quod primi noviſſimi etiam aliquoties habeantur. Patet enim, quod illi, qui ultimò convertuntur ad Dominum, frequentiori ſtudio quandoque antiquiores in meritis, & per conſequens in præmiis antecedunt. Patet etiam, quod gentiles ultimò ad Dominum converſi, qui diutiſſimè otioſi extiterant,cum nullus eos ante Apoſtolos conduxiſſet, Judæos, qui à principio fideles extiterant, fide & moribus ad gloriam prævenerunt, Paret inſuper, quod ſubditi ſuperioribus, ſæculares Eccleſiaſticis, & laici ſcientificis & religioſis quandoque meliores exiſtunt, & ſic noviſſimi primi ſunt. Quandoque etiam occulto Dei judicio boni cadunt,impii convertuntur, & in aliorum gloria ſuccedunt. Uode Job. 34. *Perdidit multos, & innumerabiles, & regnare faciet*

Digitized by Google

faciet alios pro eis. De quibus non possunt conqueri priores, quia cum fides, gratia, & gloria non sit ex meritis nostris, sed ex Dei misericordia, juxta illud ad Tit. 3. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos; sed secundùm magnam misericordiam suam salvos nos fecit;* nulli facit Deus injuriam, si alteri alterum anteponit, propter quod dicit *non facio tibi injuriam, volo huic dare sicut & tibi. Accipe quod tuum est.* Et hoc sicut dicit Apostolus Rom. 9. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.*

Vel expone, sicut exponit Gregorius, de illis, qui in mundi principio, & in fine convertuntur ad fidem, quod tamen primis & ultimis semper paterfamilias Deus paratus est dare mercedem. Unde Petrus in aurora dicit:

Qui venit extremus dispensatore vocante,
Tantundem recipit, sicut qui venerat ante.
Sic Deus ostendit, quod quandocunque venimus,
Aggrediamur opus, certi de munere simus.

Vel dic, quòd moraliter vinea sit anima; operarii sunt sensus & affectus, qui ad operandum debent mitti, & si otiosi fuerint, debent increpari. Et si omnes simul laborare nequeant, saltem unus post alium debet paulatim ad virtualem operationem inclinari; præmium etiam æternæ retributionis cunctis dabitur, quando in sero, in fine sæculi nostri sensibus æterna gloria conceditur.

A Hic habes, quod discipulos inter se quærentes, quis eorum videretur major in regno cœlorum, Dominus ad humilitatem reducit, sed de hoc nihil ad præsens.

Hic dicitur, quod duo cœci, qui penes viam mendicantes sedebant, audito, quod Jesus Nazarænus transiret, inceperunt fortiter clamare, *Fili David miserere nostri.* Cumque turba eos increparet, ne facerent, illi multò magis clamabant, *miserere.* Quod ut Jesus agnovit, oculos ipsorum tetigit, & visum eis restituit, qui statim ipsum cum aliis secuti sunt. Adverte tamen, quod Marcus & Lucas non ponunt nisi unum, ut videre est Marci 10. & Luc. 18. Et fortè unus erat altero famolior, ideo ibi de alio subticetur.

Allegoricè duo cœci sunt duo populi, Judæi & gentiles, qui cœci sunt per ignorantiam, & sedentes per pigritiam, mendicantes per avaritiam, secùs viam per inanis gloriæ apparentiam, & per mundi negotiorum complacentiam, meritò esse dicebantur. Christus autem non obstante turbâ Sacerdotum & Pharisæorum, illos per fidem illuminavit, & illos duos populos, seu multos de ipsis, per gratiam suam tetigit, & ad sequendum se per fidem & bonam operationem induxit. Unde de duobus fratribus, quos vocavit Jesus de navi, dicitur Math. 7. Quod *relictis retibus & patre secuti sunt eum.*

Vel dic, quod homo, dum est in vita, potest dici cœcus secùs viam mendicans. Expone ut supra. Et ideo iste, quando audit Jesum transeuntem, & sibi appropinquantem, id est, quando videt, quod nunc est tempus merendi, & quod nunc est nobis data potestas Christum & ejus misericordiam inveniendi, statim cum clamore orationis, & confessionis debet ad eum recurrere, & illuminationis spiritualis, scil. gratiæ, & influentiæ beneficium implorare. *Quid vultis* (inquit) *ut faciam vobis? Domine* (inquiunt) *ut aperiantur oculi nostri.* vel Psal. 12. *Illumina oculos meos &c.* Quinimo etiam, si talis videt, quod turba præteriens, id est, tentationum, phantasmatum, cogitationum, & temporalium solicitudinum tumultus, & mundi negotiorum anfractus ipsum increpet, & à clamore confessionis vel orationis ipsum impediat & retardet, ipse tamen multò magis debet insistere, illius turbæ impetum non curare, & à Christo misericordiam implorare, dicens: *Miserere mei fili David.* Et pro certo si Dominus viderit ipsum clamantem, & in illo clamore perseverantem, ipsum illuminabit, & tanget per gratiam, & veram cognitionem; cæcitatemque peccati & ignorantiæ sibi tollet, ita quod per bonam operationem, & discretionem post Christum imitando sequetur & curret, dicens illud Matt. 8. *Magister sequar te &c.* Hic ponitur petitio matris filiorum Zebedæi, sed vide infra in Ev. Marc. 10.

B *Capitulum vigesimum primum. Textus.* Et cum appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage.

Moralitatum Cap. XVI.

IN hoc capite agitur quidem de ingressu Domini in Jerusalem super asinam sed vide Lucæ 19. Agitur etiam hic de eversione mensarum & ejectione columbas vendentium; sed vide in Evang. Joann. 2. hic autem pono, sicut Mathæus ait, quod cum semel Christus esuriret, & ficum prope locum conspiceret, ivit ad eam, si quid forte fructuum in ea reperiret, qui tamen non fructus sed folia reperit, non enim erat tempus ficuum, Marc. 11. Ideo ficum continuò maledixit, dicens: *Nunquam ex te fructus nascatur,* & statim aruit ficus, ita quod nunquam amplius fecit fructum.

Ista ficus potest verbosos homines significare, qui foliis verborum abundant, fructum tamen operis & efficaciæ non habent. Regulare enim est, quod ubi est verbositas, & jactantia, & elatio major, ibi operis & efficaciæ, nec non divitiarum & amicitiæ solet copia fieri minor. Unde Prov. 14. *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas &c.* Quia quando Christus esuriens, id est, quando aliquis indigens ad tales currit, & fructus alicujus solatii vel auxilii in eis invenire se credit, satis folia, id est, promissiones & jactantias reperit, fructum verò nullum invenit. Quia de hypocritis est verum, in quibus sola verborum & foliorum vanitas, & solus conversationis viror: nullus autem bonæ operationis fructus invenitur. Quapropter tales infructuosi à Deo maledicuntur, & virore suæ exterioris conversationis fictæ siccantur, & ariditate paupertatis damnantur. Verbosi enim & vani amici merentur arescere, & virorem suæ conversationis perdere spiritualiter. Unde Marc. 11. *Rabbi, arbor cui maledixisti, aruit,* Bona enim conversatio sine bona vita non potest durare, sed citò deficere. Juxta illud Luc. 8. *Natum aruit, quia non habebat humorem.* Unde Sen. de moribus ait, *Nunquam bonæ honestatis longa est simulatio.*

C Homo quidam habuit duos filios, & primo dixit, *vade operari in vineam meam.* Qui respondit patri, *nolo:* tandem verò pœnitentiâ ductus ivit. Postea pater ivit ad alterum, & similiter dixit, qui respondit: *eo domine*, & tamen non ivit. Quis igitur horum (quærit Dominus) fecit voluntatem patris? Responsum est, quod primus. Et Christus ex hoc contra Principes sacerdotum dixit, quod publicani & meretrices præcedent eos in regno Dei. *Venit enim* (inquit) *Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei, peccatores verò & meretrices crediderunt ei.*

Istam igitur salvator noster parabolam exponit. Videtur enim supponere, quod paterfamilias est Deus, qui duos filios habuit in mundo, id est, duo genera subditorum, primos & secundos, scilicet Ecclesiasticos & laicos, quos ambos ad laborandum & ad benè operandum in vinea sua, id est, in Ecclesia vel in anima convocat, & ad hoc utrumque secundùm majus & minus ordinat. Primo tamen populo Ecclesiastico ista præcepit. Secundo scilicet sæculari & laico dixit, Matth. 20. *Ite in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis.* Sed verè magna est differentia in istis, quia primi dicunt & non faciunt, secundi verò non dicunt, & quandoque tamen faciunt. Constat enim, quod multi sunt Ecclesiastici, qui promittunt & dicunt se velle in vinea Dei laborare, & hoc potissimè in susceptione ordinis vel beneficii, ubi tam publicè quàm occultè se obligant ad laborem, & ad bonorum operum exercitium & culturam, quia istis videtur dictum illud 2. Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Christi* Et tamen isti sunt, qui omnino nihil de promissis faciunt, sed quod Deo voverunt, prætermittunt. Unde Matt. 23. *Dicunt enim & non faciunt.* Econtra alii sunt sæculares, & alii magis leves, qui prima facie mandato Domini contradicunt, & quando eis aliquid injungitur, lingua & moribus totum spernunt, Hier. 2. *A sæculo confregisti jugum, dixisti, non serviam.* Et tamen isti ad cor reversi, multa bona opera faciunt, & contra illud, quod promiserant, bona agunt; quia sæpe fit, quod sæculares, qui levi & sæculari conversatione videntur Dei patris mandata contemnere, tamen postea faciunt plura bona, quàm illi, qui ex promissione tenentur facere facta magna. Ecclesiastici enim habent verba & non opera, sæculares verò habent opera & non verba; & ideo isti, & non primi dicuntur facere divina præcepta, cum plus placent Domino bona opera quàm promissa. Ideo bene dicitur istis, quod peccatores & meretrices ipsos præcedent in regno Dei, quia sæculares, qui peccatores videntur prima facie, eligentur. Isti verò, qui justi crediti fuerant, respuentur. Unde Matt. 8. *Multi venient ab oriente &c.* Et sequitur: *Filii autem regni ejicientur foras.*

Vel si vis, allega istud generaliter, quod plus sunt attendenda opera quàm verba &c. Ideo dicitur Joan. 10. *Operibus credite,* vide supra lib. 14. c. 22. ubi ista figura ad literam exponitur.

D Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, ædificavit turrim, & collocavit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum adveniente tempore fructuum servos suos misisset ad vineam, agricolæ ipsos diversis suppliciis affecerunt, & cum iterum misisset alios, similiter peregerunt. Qui cum ultimò filium mitteret, dicens: *Forsitan verebuntur filium meum,* ipsum etiam occiderunt, & eum extra vineam projecerunt, dicentes: *Hic est hæres, venite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Iste paterfamilias finaliter ad vineam suam veniens, istos operarios perdidit, & vineam aliis locavit. Unde dicitur: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.*

Istud exponunt Doctores allegoricè, dicentes, quod paterfamilias, id est, Deus à principio plantavit quandam vineam, scilicet, synagogam, Isa. 5. *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est.* In ista enim fodit torcular, scilicet, civitatem Hierusalem, in qua botrus cypri id est Christus fuit compressus, turrem, templum, & sepem ei circumdedit, id est, divinæ legis munitionem & ambitum, Isa. 5. *Plantavit vineam electam, lapides elegit ex ea, fecit torcular & ædificavit turrim, ipsamque agricolis,* id est filiis Israel & Judæis *locavit,* qui Abraham & Moysi legem, id est cæremonias ordinavit, & Judæos in Hierusalem, id est, in terra promissionis locavit. *Ab eis etiam profectus est,* quando, data lege, suis arbitriis ipsos dereliquit. Unde tradidit servis suis bona sua, & profectus est statim. Sed isti agricolæ à principio pessimi & rebelles fuerunt, quia servos Dei, quos pro fructu bonorum operum reportando mittebat ad vineam, multipliciter offenderunt, sicut patet, quia Moysen exacerbaverunt, & de regno suo David expulerunt. Isaiam serrâ ligneâ secaverunt, Hieremiam in Ægypto lapida-

Digitized by Google

lapidaverunt, Ezechiel in Babylone exercebraverunt, Amos vecte perforaverunt &c. Unde Matt. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas Sapientes & Scribas &c.* Finaliter misit Filium suum Jesum Christum, quem nihilominùs projectum extra vineam, id est, extra Hierusalem occiderunt, ipsumque & fidem ejus respuentes, hæreditatem ejus se habituros perpetuò crediderunt, in quantum
E scilicet fidem Christi, ipso mortuo, extinguere putaverunt, & sectam suam in æternum duraturam, & ipsos in Hierusalem mansuros semper arbitrati fuerunt Matt. 21. *Venite* (inquiunt) *occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Et Joan. 11. *Ne forte veniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem, expedit, ut moriatur homo.* Sed eorum opinio facta est irrita, qui eo quod hæreditatem Dei, scilicet, terram Juda se habituros crediderunt per Christi mortem, potiùs perdiderunt eandem; quia scilicet paterfamilias Deus perdidit istos Judæos, & eos per Romanos vendidit & dispersit, vineam suam scilicet Ecclesiam & fidem aliis agricolis, id est, gentibus ad fidem conversis tradidit, istos verò repudiavit & in infidelitate dimisit. Igitur bene concluditur ibi: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.*

Vel dic mystice, quod vinea Domini est Ecclesia, in qua Deus à principio posuit torculat, id est, memoriam Dominicæ passionis, turrem, id est, altitudinem contemplationis, sepem, id est, rationem pastoralis protectionis; Hier. 2. *Ego plantavi te vineam meam electam, omne semen verum*, qui agricolis id est, Christianis viris & Ecclesiasticis ipsam colendam tradidit, & indè fructum bonorum operum expectavit, pro quibus habendis servos suos, scripturam Legis, Psalmistæ & Prophetarum, ultimò verò filium suum misit, scilicet, doctrinam Filii sui Evangelicam. Isti enim sunt Christi servi spirituales, qui ad vineam Ecclesiæ mittuntur, ut per eos fructum bonorum operum reportent. Sed revera isti agricolæ jam omnes istos expulerunt & occiderunt, quia Ecclesiastici legem, Prophetias & Evangelia, divinam scientiam, & gratiam hodiè quasi penitùs rejecerunt. *Nostra* (inquiunt) *erit hæreditas*, quia hæreditatem Ecclesiæ, ac si esset suum proprium patrimonium, sibi appropriant, & se non esse agricolas, sed dominos putant, Ezec. 36, *Dederunt terram meam sibi in hæreditatem.* Et ideo pro certo (sicut jam videmus) dominos istos agricolas, id est, viros Ecclesiasticos diversimodè disperdit, & propter peccata eorum vineam eorum Ecclesiæ aliis agricolis, id est, sæcularibus tyrannis diripiendam tradidit Isa 5. *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem.*

Vel dic, quod ista vinea est anima, cujus cultores sunt sensus & affectus; hi quia debitum suum non faciunt, nec fructum bonorum operum Deo reddunt, sed servos ejus, id est, bonas
F inspirationes strangulant & repellunt, filium ejus, id est, Christum, & ejus gratiam in seipsis interficiunt; ideo finaliter isti perduntur, & vinea, id est, anima, ab aliis agricolis, id est, à vitiis, & dæmonibus occupatur Ps. 79. *Destruxisti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes prætergredientes, & exterminavit eam aper de sylva, &c.* De lapide reprobato vide supra 2. Reg. 5. in fine.

Capitulum vigesimum secundum. Textus. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit.

Moralitatum Cap. XVII.

REx quidam fecit filio suo nuptias, & misit servos suos horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent: Quibus nolentibus misit alios servos dicere, *Ecce prandium meum paravi, tauri & altilia mea occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Invitati verò noluerunt venire: sed alius in villam suam, alius ad negotiationem suam abiit. Quidam autem ex eis servos suos tenuerunt, & affectos contumeliis occiderunt. Quod audiens rex, missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & mittens servos suos alios convocat, dicens: *Nuptiæ paratæ sunt, sed qui invitati erant, non erant digni. Ite igitur ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Servi autem abeuntes congregaverunt bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intravit autem rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non indutum veste nuptiali, & ait illi: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* At ille obmutuit. Tunc rex ministros vocavit, & eum in tenebras exteriores ligatis manibus & pedibus mitti jussit: *Ibi*, inquit, *erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, &c.*

G Ista exponuntur allegoricè de gentibus & Judæis. Constat enim quod Rex Deus filio suo uxorem, id est, humanam naturam dedit, & ex hoc nuptias & solemnitatem fidei Catholicæ, & congregationem Ecclesiæ Catholicæ celebravit. Ad quod convivium primò Judæos vocavit, quia scilicet hujus fidei fieri participes ipsos præ aliis ordinavit. Unde Rom, 2. *Judæo primùm & Græco.* Omnia parata sunt, dixerunt servi, id est, prædicatores & Apostoli; tauri & altilia occisa sunt, id est, Christus, & prophetæ, & martyres pro fide sunt mortui. Ac si dicerent: Omnia fidei testimonia & mysteria parata sunt, venite ad nuptias, id est, ad incarnationis fidem Is. 35. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Sed revera isti ad nuptias venire noluerunt, sed potiùs ad villam suam, id est, ad synagogam per incredulitatem abierunt, & multos de servis Christi & prædicatoribus occiderunt, scilicet Jacobum, Stephanum, & multos alios, ideo rex noster Deus Pater missis exercitibus scilicet Romanorum, illos perdidit & destruxit, & eos indignos nuptiis, id est, salute & fide Christiana judicans, servos suos prædicatores, ad alios convocandos ad istas nuptias, id est, ad Incarnationis fidem misit. Ideo dicitur Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Domini, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos judicastis æternâ vitâ, ecce convertimur ad gentes, &c.* Isti igitur prædicatores ad exitus viarum, id est, ad gentiles, qui non erant in via salutis, sed in exitu, mittuntur, qui fidem recipientes ad Ecclesiæ nuptias inducuntur, inter quos boni & mali pariter concluduntur, ità quod discumbentibus tam bonis quàm malis nuptiæ jam implentur. Unde Job. 3. *Parvulus & magni ibi sunt, &c.* Sed revera in fine sæculi rex iste Deus, ad suos fideles judicandum, & ad discumbentes videndum, etiam ad examinandum intrabit, & istos, quos non indutos veste nuptiali videbit, id est, charitate & gratia, æternis vinculis, carceribus, & tenebris condemnabit, dicens: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* & quomodo in Ecclesiam venisti, & fidem Christianam suscepisti, cum vestem nuptialem, id est, charitatem & gratiam non acquisivisti, sed potiùs peccatis & vitiis sordidisti? At ille statim obmutescet, quia prô dolor, peccator nullam excusationem habebit, imo sine reclamatione in tenebras ibit, ubi erit fletus & stridor dentium. Unde Apoc. 16. *Beatus qui custodit pallium suum, ne nudus ambulet.* Et sequitur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* quia omnes generaliter ad fidem vocati sunt, & tamen multi propter defectum vestis nuptialis ad infernum descendunt, propter quod consulitur Isa 52. *Consurge Hierusalem, induere vestimentis gloriæ civitas sancta.*

Vel dic, quod nuptiæ istæ statum significant Ecclesiasticum in quo tauri & altilia, id est, activi & contemplativi suis doctrinis & exemplis bonos antiquitùs refecerunt, qui in fide Christi & in isto convivio, id est, in Ecclesiæ statu mortui sunt, ita quod in sanguine suo vel bonâ vitâ statum Ecclesiasticum fundaverunt. Quidam autem sunt, qui ad illud convivium venire renuunt, sicut sunt mobiles & avari, qui magis negotia sæculi & statum sæcularem quàm statum Ecclesiasticum eligunt & exquirunt. Unde Job, 30. *Esse sub sentibus delitias computabant.* Alii verò ad istas nuptias, id est, ad Ecclesiæ divitias ardenter venerunt, ita quod jam discumbentibus, id est, Clericis, Religiosis & Sacerdotibus plenæ sunt, in quibus boni & mali sine dubio simul vivunt. Veruntamen quia nullus ad aliud convivium, id est, ad Ecclesiastica beneficia vel officia venire sive intrare debuerat nisi sanctus; Hinc Deus in fine sæculi illos, qui sine veste nuptiali, id est, sine gratia & conversatione spirituali vixerunt, redarguet, & eos in tenebras exteriores mittet, id est, in inferno recludet, dicens: *Quomodo huc intrasti* indignus, ubi nullus debet intrare nisi dignus, *& tu es non habens vestem nuptialem?* Thr. 1. *Vidit gentes ingressas sanctuarium suum: de quibus præceperas, ne intrarent Ecclesiam tuam. Et sic multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quia multi intrant Ecclesiæ statum, pauci percipiunt paradisi fructum, sed potiùs infernales tenebras & luctum.

Judæi cum postulassent à Christo, si liceret censum dare Cæsari, facit sibi Christus afferri numisma censûs. De quo cum ab eis postulasset, cujus imago esset, & numismatis subscriptio. Et ipsi dixissent Cæsaris: Christus respondit dicens, *Reddite igitur, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Ac si diceret, quod illi debet reddi numisma, cujus imago est impressa.

Dic, quod cum duplex imago possit imprimi in numismate animæ humanæ Christianæ, scilicet imago Dei, quæ fit per gratiam, & A
imago Cæsaris, quæ dicitur à cædendo, & interpretatur possidens princeps, id est, figura Diaboli, qui malos principes mundi possidet, & peccatorem cædit & damnat, quæ imago in anima imprimitur per peccatum. Sic est, quod illud numisma, id est, anima ista illi Domino finaliter reddetur, cujus imago, id est, figura per morum conformitatem in ipsa invenitur; quia anima justa, quæ in se imaginem Dei repræsentabit, Deo reddetur. Anima verò peccatrix Cæsari, id est, Dabolo propter conformitatem similitudinis offeretur, Apoc. 19. *Qui acceperunt characterem, &c.*

Cap. 23. multæ redargutiones & maledictiones ponuntur, & multa etiam dicta moralia, quæ omnia per se patent. In c. 24. verò multa de ultima tribulatione ponuntur, sed vide infra in Evang. Luc. 17. ubi ponam.

Cap. 25. Ponitur parabola de decem virginibus, scilicet, quinque prudentibus & quinque fatuis, quæ sponso & sponsæ venientibus ad nuptias obviam exierunt, & omnes istæ lampades tenuerunt in manibus. Ista tamen fuit differentia, quod prudentes cum lampadibus oleum habuerunt, fatuæ verò habuerunt lampades, sed oleo caruerunt. Tandem igitur moram faciente sponso, cum omnes virgines dormivissent, media nocte clamor efficitur, *Ecce*, inquit, *sponsus venit, exite obviam illi.* Quæ cum surrexissent. & lampades suas parassent, fatuæ carentes oleo dixerunt: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Quibus prudentes responderunt: *Ne forte non sufficiat nobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* Dum irent emere, venit spon-

Digitized by Google

ſponſus, & quæ paratæ erant, cum eo ad nuptias intraverunt, & clauſa eſt janua. Fatuæ autem virgines venientes, ſuppliciter aperiri petierunt, dicentes: *Domine, Domine aperi nobis?* Sed eis dixit Dominus: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Concludit igitur Dominus, quod quilibet debet eſſe paratus, quia neſcit, quando veniet ſponſus.

B Iſtam parabolam nunquam poſſum ita benè exponere, ſicut exponitur per Doctores; & ita dicamus ſecundùm Aug. quod ſecundùm alios magis novos: Decem virgines ſignificant univerſitatem animarum fidelium, quæ pro eo decem dicuntur, quia obſervantiæ decem mandatorum ſubjugantur. Iſtæ tamen memorantur eſſe bonæ & malæ, prudentes & fatuæ, quia de fidelibus animabus conſtat aliquas eſſe bonas, & aliquas malas, quæ tamen omnes quinque videntur, quia omnes tam boni quàm mali quinque ſenſuum paſſionibus ſubmittuntur, vel quia bonæ quinque ſenſibus imperare; malæ verò eis ſervire noſcuntur. Iſtæ tamen inter ſe multùm differunt, quia quamvis omnes lampades, id eſt, quamvis animæ bonæ & malæ ſplendorem aliqualem bonorum operum habeant; bonæ tamen oleum piæ intentionis, & gratiæ, & devotionis cum lampidibus habent; Malæ verò licet exteriorem ſplendentem apparentiam habeant, oleo tamen piæ intentionis carent; & ſic acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum, ſicut maximè faciunt hypocritæ, qui non curant habere veritatis nitorem, dum tamen habeant exterioris apparentiæ ſplendorem. Contra quos Tullius dicit: *Quid prodeſt foris ſtrenue agere?* Omnes igitur virgines, id eſt, omnes animæ Chriſtianæ, tam bonæ quàm malæ ſperant ad nuptias agni, id eſt, ad convivium paradiſi finaliter ingredi, omneſque expectant ſponſum, id eſt, Chriſtum in reſurrectione ultima venturum, & nuptiarum introitum conceſſurum. Veruntamen quia nunc tardat, neceſſe eſt, quod iſti interim per mortem corporalem dormiant, & quod tam boni, quàm mali debitum mortis ſolvant. Unde Matth. 26. *Dormite jam & requieſcite.* Finaliter tamen media nocte, id eſt, ſubitò ex inſperato clamor tubæ Angelicæ fiet, qui omnes dormientes & & mortuos per reſurrectionem advocabit, & ipſis adventum judicis patefaciet, dicens: *Ecce ſponſus venit, exite* de ſepulchris *obviam ei.* Hier. 6. *Semper ſonat vox* (inquit) *illa terribilis in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium Domini.* Tunc omnes tam boni, quàm mali ſurgent, & lampades ſuas, id eſt, bona opera præparabunt, & numerabunt, & dicent, *Domine in nomine tuo prophetavi, &c.* Veruntamen quia mali & hypocritæ oleum rectæ intentionis non habuerunt, ideo lampades ſuorum operum extinguentur, in quantum fructu & utilitate omnimoda privabuntur. Unde Prov. 24. *Lucerna impiorum extinguetur.* Malis igitur non proficiet; ſed juſtis & ſapientibus dicent: *date nobis de oleo veſtro,* id eſt, juvetis nos virtute meritorum veſtrorum, ſed tunc boni poterunt reſpondere: C *Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis, &c.* Ac ſi dicerent, oleum meritorum noſtrorum non eſt tantum, quod ad ſalvandum nos & vos ſufficiat, ſive ſufficere poſſit, ſed ite potiùs ad vendentes, & videte quid vobis proficient illi, pro quorum captando favore lampades & non oleum, id eſt, opera vana ſine conſcientia bona, dum vixiſtis, in ſæculo habuiſtis, ac ſi dicerent, videte quid vobis proficit nunc vana gloria, vana laus & commendatio mundanorum. Et dicent: *Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam: Surgant & opitulentur vobis.* Deuteronom. cap. 32. Sed pro certo, dum iſti volunt oleum bonæ conſcientiæ emere, id eſt, dum incipiunt bonam conſcientiam habere & de vanitate operum pœnitere, & tardè bonam conſcientiam quærere, ſapientes & bonæ, quæ habent oleum cum lampadibus, cum Sponſo Chriſto intrabunt nuptias paradiſi, & clausâ januâ paradiſi, id eſt, excluſo tempore merendi, iſti hypocritæ, & fatuæ perpetuò foras ſtabunt, & in inferno dolentes, nunquam apertionem veniæ, ſeu cœli januæ de cætero impetrabunt. Unde Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Ideo oleo bonæ conſcientiæ muniamur, & ſemper parati, & in bono vigiles inveniamur, ut quacunque horâ ſponſus Chriſtus veniat, cum ipſo ad nuptias inducamur, Eccleſiaſt. 9. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat: Omnibus dico, vigilate.*

Vel ſi vis, dic, quod illud, quod hic ponitur, quod fatuæ virgines pro eo, quod oleum non habebant, lampades ſuas extingui dicebant, poteſt contra hypocritas allegari, quorum lampades, id eſt, quorum converſationis ſplendor non poteſt diu durare, imo cum oleum bonæ conſcientiæ, intentionis & divinæ gratiæ interioris iſtis deficiat, neceſſe habet citò extingui & deficere. Senec. *Nihil quod ſimulatum eſt & fictum, poteſt eſſe diuturnum.* Unde Job. 18. *Nonne lux impii extinguetur?*

Vel dic, quod quilibet debet plus ſe diligere quàm alios, quia *charitas incipit à ſeipſa*, undè ubi homo non poteſt ſine ſui præjudicio alteri ſubvenire, debet illum dimittere, & de ſua ſolummodo ſalute tractare; exemplo prudentium virginum, quæ dixerunt D Matth. 25. *Ne forte non ſufficiat, &c.*

Vel iſta allega, quod ſemper debet quilibet eſſe paratus, pro eo, quod Chriſti adventus eſt incognitus & incertus, ut quacunque horâ clamor divinæ vocationis inſonuerit, & ipſe Chriſtus per mortem decreverit nos vocare, taliter paratos nos inveniat, ut cum eo poſſimus ad cœli nuptias introire, Matth. 24. *Eſtote parati, &c.*

Homo quidam peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis omnia bona ſua, dicitur hic cap. 25. Et uni quidem dedit quinque talenta, alii verò duo, alii unum; unicuique ſecundùm propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim. Igitur qui quinque talenta acceperat, lucratus eſt alia quinque, qui autem duo acceperat, lucratus eſt alia duo, qui autem unum: abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui. Cum igitur lapſo tempore rediret dominus, & poneret rationem cum ſervis ſuis, audiens quod unus quinque, & alius duo talenta lucrati fuerant, & quod pecuniam ſuam multiplicaverant; ipſos ſupra majora conſtituit, & eorum diligentiam commendavit, dicens cuilibet: *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca, &c. Intra in gaudium domini tui.* Acceſſit autem qui unum acceperat talentum, dicens ei: *Domine ſcio quia homo durus es, metens, ubi non ſeminaſti, & congregans, ubi non ſparſiſti, & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terram, ecce habes quod tuum eſt.* Dominus verò negligentiam ſervi arguens, ipſum ex propriis verbis condemnavit, dicens: *Si,* inquit, *homo durus ſum, & meto, ubi non ſemino, oportebat te pecuniam meam dare nummulariis, ut ſic & ego veniens recepiſſem, quod meum eſt cum uſura.* Iſtum fecit igitur talento commiſſo privari, & illi qui quinque lucratus fuerat dari. Servum verò illum tanquam pigrum & inutilem fecit in exteriores tenebras alligari, dicens: *Habenti dabitur, & abundabit. Illi autem qui non habet, etiam quod habere videtur, auferetur ab eo.*

Iſta exponuntur ſeriosè per Gregorium in Homil. quod ille homo, qui peregrè proficiſcitur, eſt Salvator noſter, qui in ea carne, quam aſſumpſerat, abiit in cœlum. Carnis enim locus proprie terra eſt, quæ quaſi ad peregrinandum ducitur, dum per redemptorem noſtrum in cœlo collocatur. Unde dicitur Luc. 19. *Homo quidam abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum.* Iſte igitur ſervis ſuis, id eſt, Chriſti fidelibus & Chriſtianis tradidit bona ſua, id eſt, gratias gratis datas, & uni dat quinque, alii duo; alii unum. Hoc eſt, quod unicuique dat, & diſpenſat gratias ſuas ſecundùm majus & minus, & diverſis diverſimodè præbet eas, quia 1. Corinth. 12. *Diviſiones gratiarum multæ ſunt, idem autem ſpiritus dividens ſingulis prout vult.* Vult autem, quod de iſtis talentis ſuis quilibet negotietur, & quod quilibet gratiis iſtis ſic utatur, quod lucrum & fructum virtutum & meritorum multiplex reportetur. Unde Luc. 19. *Negotiamini, dum venio.* Et ideo quidam ſunt, qui pecuniam ſibi commiſſam, id eſt, gratias ſibi conceſſas multiplicant, & alii quinque talenta, & alii duo lucrantur, in quantum ſecundùm majus & minus in bonis operibus ſe exercent, ſecundùm quod plures gratias naturales acceperunt, de lucro meritorum plus reportant. Unde Luc. 12. *Cui multum datum eſt, multum exigetur ab eo.* Igitur in die judicii, vel in morte, quando Deus, qui ab ipſis profectus fuerat, & qui quemlibet eorum in manu ſui liberi arbitrii dimiſerat, iſtos ſervos ad rationem vocabit; tunc tales bene operantes ſupra multa conſtituet, & in gaudio Domini ſui, ſcilicet, in paradiſo multipliciter præmiabit. Veruntamen, quia aliqui ſunt pigri ſervi, qui pecuniam ſibi commiſſam, id eſt, ſcientiam, gratiam vel induſtriam ſibi à Deo conceſſam in bono non multiplicant, imo in terram ipſam fodiunt, & ad terrena lucra & negotia applicant, ibique totum cenſum cumulant atque parant, ideo tales finaliter condemnantur, & in exteriores tenebras ablegantur Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Et dicet Dominus: *Sciebas quia homo ſum durus, rigidus, juſtus & ſeverus, qui volo colligere, ubi non ſeminavi,* hoc eſt, volo, quod quilibet vir virtutes & merita reportet ultra gratiam, quam ſibi pro ſemine dedi, & quod ipſe augeat & multiplicet gratiam & ſcientiam, quam ſibi commiſi; *quare* igitur *illam in terram fodiſti,* quare ipſam in terrenis negotiis poſuiſti, *& non potiùs tradidiſti nummulariis,* id eſt, pauperibus, ſi fuerit pecunia temporalis, vel auditoribus, ſi fuerit ſpiritualis ſcientia, *ut,* ſcilicet, *lucrum debitum reportarent?* Ac ſi diceret: Juſtè in tenebras ejici meruiſti, quia non magis ſpiritualia, quàm terrena dilexiſti. Iſta potiſſimè allegantur per Gregorium de prædicatoribus, quia ſecundùm, quod homo habet plura talenta, id eſt, plures gratias & ſcientias à Deo recepit, ſecundum hoc prædicando & dicendo magis debet proficere, ut lucrum cum uſura de animabus converſis poſſit Domino reportare. Unde Luc. 12. *Cui commendaverunt multum, plus petent ab eo,* ita quod de laborando, & prædicando ſecundùm magis & minus nullus ſe valeat excuſare. Undè ſecundùm ipſum, illi qui dicunt: *Scio Domine, quia durus es,* id eſt, ſcio, quia prædicationis & religionis ſtatus difficilis eſt & durus, & ideo nolo mihi traditum talentum, id eſt, ſcientiam mihi traditam in tali negotio exponere, nolo tam ardua quærere; ſufficit mihi in ſcientia & adminiſtratione vivere, & talentum mihi traditum in terra, id eſt, in terrenis occupationibus ſepelire; nolo ſalutem multorum quærere; ſufficit mihi circa temporalia juſtè vivere, & de utilitate propria non aliena curare; Iſti inquam, à Domino ſicut ſervi inutiles redarguuntur, & in æternis tenebris concludun- E F tur.

Vel

Digitized by Google

Vel si vis, illud, quod hic dicitur: *Habenti dabitur & abundabit; ei autem qui non habet, etiam quod habere videtur, auferetur ab eo.* Quod etiam ipse paterfamilias exemplo demonstravit, qui unum talentum ab illo abstulit, & ipsum alteri qui plus abundavit, dari mandavit, allega de mundi fortuna, etiam de mundi Principibus, & Tyrannis, cum enim isti habeant multos servos & subditos, quorum quidam abundant, & alii indigent, quidam sunt divites, & alii pauperes, quidam magna lucra faciunt, sicut ad literam sunt eorum Officiales; quidam qui solum unum talentum habent, id est, modicam habent substantiam, & hoc in terra absconditam, id est, in terrenis agriculturis, & laboribus acquisitam; sicut sunt inferiores subditi, agricolæ & similes; istud est verum, quod illi Domini & Tyranni ab illis, qui parum aut nihil habent, scilicet, ab agricolis & fossoribus continuè rapiunt, & illud modicum, quod habent, ab eis auferunt & tollunt, illudque aliis, scilicet, suis causidicis & officialibus dividunt. Constat enim, quod superiores spo-
G liant, & de spoliis suis divites Officiales suos munificant & ditant, bona enim sua continuè à pauperibus auferunt, à divitibus verò aliena quotidie cumulantur, Isa. 3. *Rapina pauperis in domo vestra.*

Vel dic, quod hic dicitur, quod ille qui talentum non multiplicavit, illo fuit privatus, & census ille alteri datus, & ipse in tenebris ligatus. Ille verò, qui lucrum Domino apportaverat, fuit magnificatus, & in gaudium Domini receptus, & muneribus ampliatus.

Potest autem hoc applicari contra modernos Dominos, qui revera nullũ servum aut familiarem diligunt, nisi lucrum apportet, & nisi utilitatem eorum faciat, & pecunias multiplicet & augmentet, tales enim solent magnificari, donis & beneficiis ampliari, *Euge*, inquit, &c. Unde Isaac amabat Esau, &c. Gen. 25. Illos verò, qui lucrum non procurant, solent rejicere vel vilipendere, & talentum eorum, id est, beneficium vel officium ab ipsis quandoque tollere, & ipsos repellere & fugare, dicentes. *Servum inutilem rejicite*, quia quicunque munera & lucra non procurat, à divitibus rejicitur, & alius in officio ejus subrogatur, quod potissimè videtur de Officialibus Dominorum, quia nisi per rapinas & exactiones lucrum acquirant Dominis suis, continuè submoventur, & ipsorum talentum, id est, officium statim alteri datur. Unde Matth. 21. *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.*

Vel dic, quod habenti gratiam dabitur gloria, & abundabit, ei autem, qui non habet, supple gratiam, etiam, quod habet, auferetur ab eo, quemadmodum ad literam contingit in hypocritis.

Vel dic, quod qui non fuit usus talento sibi commisso, illud perdidit, quia quando homo non exercitat ingenium suum, quanquam sit utile & bonum, vel quando ipsum in terram abscondit, vel quando ipsum in terrestribus ponit, ipsum pro certo perdit, in quantum rudis & hebes efficitur, & ad ignorantiam se deflectit; quia servi negotium sine exercitio & ingenio in artubus, & brachia in corporibus irrigescunt.

Vel dic, quod per talentum intelligitur sensus, quem homo dum vivit, ad voluntatem Domini debet expendere, ut ex eo lucrum virtutum acquirere possit, quod mundi sapientes non faciunt, imo illud in terrenis negotiis sepeliunt, in cautelis & mollitiis sensum su-
H um contra Dei voluntatem expendunt. Quia Hierem. 4. *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ideo in fine, quando paterfamilias Deus vult cum eis ponere rationem, scilicet, in morte, illud talentum, scilicet, sensus & ratio, de ipsis auferetur, in quantum de his, quæ ad salutem pertinent, obliviscuntur; quapropter in exteriores tenebras perpetuè reponuntur, teste Aug. Hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. Unde 1. Cor. 1. *Perdam sapientiam sapientium, &c.*

Hic cap. 25. fit mentio, quomodo in die judicii boni à malis separabuntur, & illi ad dexteram, isti ad sinistram ponentur. Fit etiam mentio, quomodo de operibus pietatis Dominus disceptabit, & vocabit illos, qui contrarium fecerunt; etiam qui erga tribulatos & pauperes sunt crudeles, in ignem Diabolo paratum condemnabit. Fit etiam mentio, quomodo opera pauperibus impensa Christus in extremo judicio sibi facta fuisse reputabit, & quomodo in persona pauperum seipsum in homine esse clamabit.

Ista omnia allega, quod boni & mali, qui nunc vix possunt distingui in mundo, in judicio optimè distinguentur, quia tunc in præsentia omnium boni à dextris, id est, in æterna prosperitate, mali à sinistris, in æterna adversitate ponentur, sicut dicitur Prov. 4. *Vias, quæ à dexteris sunt, novit Dominus, perversæ autem viæ, quæ à sinistris sunt, &c.* Item ista possunt allegari, quomodo opera pietatis inter cætera bona videntur Deo placere, de quibus solùm legitur in judicio mentionem facere. Sicut satis dicit Apostolus 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia valet.*

Item ista possunt allegari, quomodo Deus bona vel mala facta pauperibus suis reputat sibi facta, & quomodo persona pauperum personam Domini repræsentat. Unde Matth. 10. *Qui recipit vos, me recipit,* Item Matth. 18. *Qui suscipit talem parvulum in nomine meo, me recipit.*

* * * *
* * * *
*

Capitulum vigesimum sextum. Textus. Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos. A

Moralitatum Cap. XVIII.

COnsilium capiendi Christum fuit sumptum in atrio principis sacerdotum, qui dicitur Caiphas. Unde hic dicitur, quod congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, ut Jesum dolo tenerent & occiderent. *Dicebant enim non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.*

Ista possunt allegari contra mala, quæ fiunt in curiis Dominorum, quia hodiè in atrio Principis sive Summi Sacerdotis, hoc est in curiis Episcoporum & Principum mundanorum, congregantur sacerdotes & seniores, id est, mali Consiliarii tam laici quàm clerici, tam regulares quàm sæculares, & hoc non ut Jesus, id est justitia & innocentia defendatur, sed potiùs ut dolo, fraude & injustitiâ perimatur; quia omnia colloquia & consilia, quæ fiunt hodie, & etiam consilia in Principum parlamentis, ad hoc solum fiunt, ut detur locus fraudibus & fictionibus, & ut Christum, id est, pauperes & innocentes, qui Christi personam in hoc mundo repræsentant, per dolos & fraudulentas machinationes suis exactionibus subjiciant & tormentis, Ps. 47. *Congregati sunt & convenerunt, &c.* Veruntamen tales mali Consiliarii multum bene cavent, ne talia fiant in die festo, id est, loco publico & aperto, & hoc ne tumultus fieret in populo, quia tales mala & fraudulenta sua consilia, quæ machinantur contra Christum, id est, contra Ecclesias & pauperes, non solent publicè facere, sed privatè, non notoriè, sed occultè. Sciunt enim, quod tumultus in populo fieret. Et si populus suas videret malitias, ipsos forsan dentibus laniaret. Quærunt igitur isti sua consilia facere secretò, & notitias hominum declinare, quia Joan. 3. *Omnis, qui male agit, odit lucem.*

Cum esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Et sicut dicitur, Joan. 12. unxit pedes, quos capillis suis tersit, & impleta est domus ex odore unguenti. Quidam igitur discipulorum hoc indignè ferebant, dicentes: B *Ad quid perditio hæc? Poterat enim venundari multo, & dari pauperibus.* Jesus autem ipsam excusavit, & devotionem ipsius comprobavit, & curam ejus erga se magis quàm erga pauperes commendavit, dicens: *Pauperes semper habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis eis benefacere; me autem semper non habebitis. Mittens autem hoc unguentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit.*

Tunc Christus in domo Simonis, qui interpretatur obediens, in Bethania, quæ dicitur domus obedientiæ vel afflictionis, spiritualiter discumbit, quando in boni obedientis conscientia conquiescit. Talis enim domus, & talis homo hospitari bene Christum dicuntur, quia revera nunquam requiescit Dominus gratiùs, quàm ubi obedientia, humilitas, & afflictio pœnitentiæ, & pœnalitatis conservantur. In ista domo mulier, id est, bona voluntas ipsum unguento inungit, & vas alabastri, id est, cor firmum & solidum, scilicet per devotionem aperit, & caput ejus, id est, divinitatem, pedes, id est, ejus humanitatem unctionis unguento recreat, ita quod tota domus conscientiæ odore spiritualis suavitatis impletur, & opus illud eleëmosynis pauperum antefertur. Majus enim bonum est devotio erga Deum, quàm compassio erga proximum, & plus Deo obedientia quàm eleëmosyna & sacrificium placet, ut patet 1. Reg. 15. *Nunquid vult Deus holocausta, & non potiùs, ut obediatur voluntati ejus? Melior enim est obedientia quam victima.*

Vel allega contra infamiam, quæ de jure non tollitur. Simon iste ante leprosus fuerat, sed modo non erat; quia jam diu ipsum ante sanaverat, & tamen adhuc vocabatur leprosus, dato quod esset sanus realiter. In quo notatur, quod, quando quis lepram alicujus criminis quandoque vel defectûs incurrit, vix ampliùs potest nomen infamiæ recedere, quinimo dato, quod sanetur & emendetur de crimine, in tantum, quod dignus possit dici Dominum spiritua-C liter hospitari, solet tamen nomen illud infamiæ, quam incurrit, apud eum perpetuò remanere Ezech. 24. *Multò labore sudatum est, & non exivit de eo nimia rubigo ejus.*

Vel allega, quod nunquam potest aliquis opus pium vel meritorium facere, quin satis inveniat, qui opus illud delectentur mordere, sicut in ista apparuit, quæ Dominum unguendo opus sanctissimum faciebat, & tamen non carebat detractoribus dicentibus. *Ad quid perditio hæc?*

Vel allega hoc, quod detractor non parcit Domino, vel amico, sicut patet hic de istis; quod detractor sub specie boni, & colore & occasione virtutis, semper nititur aliorum bonis derogare, sicut patet hic; ubi isti sub specie eleëmosynæ faciendæ devotioni alterius detrahebant.

Vel allega ista, quod semper est ad rem magis necessariam primò & principaliter recurrendum, & negotium magis cogens faciendum primò, & minùs cogentibus præferendum, sicut hic dicitur, quod pauperes semper erant cum discipulis remansuri; Christus autem citò erat recessurus ab eis, & ideo concludebat sibi primò obse-

Digitized by Google

obsequium unctionis præberi debere, aum Eleemosynæ pauperum possent aliàs fieri, & sine periculo differri.

Hic habemus, quod cum Christus discipulos fugitivos, & eum dimissuros prædiceret, Petrus audaciùs præ cæteris se jactavit, se cum eo in mortem & in carcerem iturum, seq; nunquam negaturũ promisit,& tamen ipse priùs Dominum negavit, & turpiùs deliquit cæteris.

Allega ad hoc,quod, ut communiter illi, qui magis se jactant, minus reddunt, & illi, qui fortiores, & constantiores amicos tempore pacis se asserunt, tandem quando venit tentatio, & tribulatio, primi cedunt. Sen. *Infirmior canis magis indulget latratibus.*

Vel dic,quod Petrus,qui erat futurus Ecclesiæ pastor, & qui fortior credebatur esse aliis,prout ex verbis ejus apparet, permissus est à Deo cadere, ad ostendendum, quod nullus debet de viribus suis præsumere, & ad ostendendum, quod Prælatus debet cadentibus, & delinquentibus compati, & ex propria fragilitate aliorum fragilitatem cognoscere, & sic non nimis asperè corrigere, sed potiùs condolere. Undè Eccl. 31. *Disce ex teipso, quæ sunt proximi tui, &c.*

Petrus in atrio principis sacerdotum, positus ad ignem se calefaciens cum ministris, ibidem ad vocem ancillæ Christum negavit; audito tamen gallo, Petrus respectus à Christo peccatum suum recordatus est,& sic egressus atrium, amarè flendo pœnituit.

Istud allega, quomodo isti, qui sunt in curia & in atriis Dominorum,& cum ministris & Officialibus eorundem, solent ad ignem avaritiæ in aliquibus officiis constitui, faciliter mendacia & perjuria solent incurrere, & ibi plus quàm alibi ad vocem ancillæ, id est, ad carnis suggestionem, vel ad pecuniæ delectationem solent graviora crimina perpetrare.

Vel dic, quod dato, quod homo gravissimè delinqueret, fit tamen quandoquè, quod ipsum Dominus oculo misericordiæ respicit; isque gallum cantantem, id est, aliquem prædicatorem audit,& ductus pœnitentiâ foras, id est extra statum peccati exit, & amarè plorans conqueritur atque gemit, & sic veniam obtinet atque acquirit.

Vel dic,quod nullus est ita Petrus, quin vocem ancillæ, id est carnis suggestionem debet formidare, & quin per ipsam possit à statu salutis cadere, & consentiendo peccato Dominum negare.

Judas osculatus est Jesum, & tamen ipse est, qui priùs tradidit ad mortem & tormentum.

Sic verè mali Sacerdotes, qui Deum in Sacramento quotidiè osculantur,sunt illi, qui sibi amplius inimicantur, & qui ipsum osculando,id est, indignè recipiendo, in manus inimicorum suorum, id est, vitiorum, quæ habent in corde, tradere dignoscuntur. Undè Luc. 22. *Juda osculo filium hominis tradis?*

bræ per universam terram factæ sunt, monumenta plurima aperta sunt, & sanctorum corpora surrexerunt, & in sanctam civitatem Hierusalem intraverunt,& multis apparuerunt.

Sic verè in tempore mortis & passionis Christi, potissimè in Septimana Sancta,terra, id est, peccator terrenus debet per timorem moveri Ps. 103. *Respicit terram, & facit eam tremere, &c.* Petræ, id est corda quantumcunque dura debent per timorem scindi. Unde Joël 2. *Scindite corda vestra,& non vestimenta vestra.* Sol,id est, splendor & lætitia cordis,debet per compassionem obscurari. Unde Joël,*Sol convertetur in tenebras.* Monumenta, id est, corda immunda & cadaveribus vitiorum plena, per confessionem debent aperiri,& sic corpora sanctorum, id est, ipsi pœnitentes sancti spiritualiter resurgent; ita quod sanctam civitatem paradisi porerunt ingredi,& ibi feliciter introduci, Heb. 4. *Festinemus ingredi in illam requiem.*

Homo quidam dives ab Arimathia nomine Joseph, qui discipulus erat Jesu, à Pilato petiit corpus ejus; & accepto corpore in sindone munda involvit, & in novo monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat, sepelivit, & grande saxum ad ostium monumenti advolvit.

Iste homo significat virum justum, qui dicitur homo per rationem & discretionem; dicitur dives per virtutum & meritorum possessionem; discipulus Jesu per obedientiam & imitationem, ab Arimathia, quod interpretatur vigilia, per diligentiam & discussionem; nobilis per generosam animi conditionem, decurio per decalogi impletionem, dictus Joseph, id est, augmentum, per continuam virtutum accumulationem. Undè Gen. 4. *Filius accrescens Joseph.* Quia revera talis corpus Christi in Sacramento altaris dignè recipit,& eum in sindone munda, id est,in puritate conscientiæ ponit,& in monumento,id est,in corde humili, & devoto ipsum sepelit & recondit,grandemque lapidem,id est, pondus divini amoris adhibet, virtute cujus ipsum defendit meliùs & custodit. Cuilibet enim illud corpus recipienti dicitur 3. Reg. 20. *Custodi virum istum, quoniam si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.*

Vel dic, quod in hoc quod Joseph, qui erat justus, recepit à Pilato, qui erat judex pessimus,terretur & docetur Sacerdos indignus, ita quod rursus crucifigat Dominum in seipso per vitia, sicut fecit Pilatus. Nihilominus ipse potest Joseph,qui erat justus,id est, cuilibet bono Christiano verum corpus Christi tradere, Sacramenta Ecclesiastica ministrare,& ipse Joseph,id est Christianus, licitè potest ab ipso percipere; quia virtus Sacramentorum non est à ministro, sed à Deo, & ideo ministri mali non possunt sacramenti efficaciam in illo,qui dignè recipit,vitiare. Undè Matth. 7. *Vos autem cum sitis mali,nostis bona data dare filiis vestris.*

Capitulum vigesimum septimum. Textus. Mane autem facto.

Moralitatum Cap. XIX.

De pretio sanguinis Christi venditi sacerdotibus restituto, fuit emptus ager figuli in sepulturam peregrinorum, qui Acheldemac vocabatur, id est, ager sanguinis.

Sic verè pretio mortis Christi fuit emptus ac acquisitus ager opulentissimus paradisi,in quo, scilicet, peregrini, id est, viri justi, qui se reputant peregrinos, & advenas super terram, in morte, quantum ad animam, sepeliuntur, & ibidem feliciter reponuntur, qui etiam locus ager sanguinis propriè dicitur, pro eo quod sanguinis Christi pretio comparatus est. Ager etiam figuli,pro eo quod ipsum dedit, & vendidit factor mundi. Undè Gen. 27. *Odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Judas pœnitentiâ ductus de Christo injustè vendito acquisita legitur restituisse, & de crimine suo displicentiam habuisse.

Quod est contra obstinatos usurarios, qui sine displicentia, & pœnitentia de mundo recedunt, & nihil de alieno omnino restituere volunt.

E Barrabas nocens in curia Pilati fuit liberatus, Christus vero innocens crucifixus. Quod,quia Pilatus ad vocem populi fecit, ideo excusatum se esse credidit, in cujus signum manus suas lavit, dicens: *Innocens sum à sanguine justi hujus.*

Illud allega moraliter, & generaliter, quod in curia malorum judicum boni & innocentes,maximè quando sunt egeni & pauperes, condemnantur; mali verò & nocentes, dum tamen dicuntur Barrabas, qui interpretatur filius magistri, qui erat vir nobilis & insignis,hoc est dictum,dum tamen sint homines nobiles & divites, & qui magistros habeant Dominos vel parentes, contra justitiam absolvuntur, quia isti sunt, de quibus dicitur Isa. 5. *Væ qui justificatis impium, &c.*

Vel dic contra multos fatuos, qui quando faciunt aliquid malum,ad clamorem aliorum,reputant se immunes,dicentes: *Innocens ego sum,vos videritis*, & tamen isti deberent advertere illud Exod. 23. *Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in judicio acquiesces plurimorum sententiæ, ut animo devies.*

Moriente verò Domino, velum templi in duas partes scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt, sol obscuratus est, tene-

Petr. Berchorii super Matthæum.

Capitulum vigesimum octavum. Textus. Vespere autem sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi.

Moralitatum Cap. XX.

Custodes, quibus fuerat commissum custodire corpus Domini in sepulchro, à facie Angeli descendentis de cœlo, cujus aspectus erat sicut fulgur, & à facie terræ motus, qui tunc factus est,ità G fuerunt territi,quod quasi mortui corruerunt;quapropter Dominũ perdiderunt,quia ipsis sic prostratis,Christus sepulchrum dimisit,& ipsis ignorantibus abiit & resurrexit. Undè ipli testificati sunt, quod ipsis dormientibus Christus erat eis surreptus, & de eorum custodia prolongatus.

Illud potest exponi,quod illi,qui paschale corpus Domini in corde sive in sepulchro custodiendum recipiunt,quandoque valde malè custodiunt;quinimo ipsum per vitia perdunt, Angelus enim, qui descendit de cœlo, id est, Diabolus, cujus aspectus per violentiam tentationis ardet, & penetrat sicut fulgur, juxta illud Luc. 10. *Videbam Satanam de cœlo cadentem sicut fulgur*, una cum terræ motu tentationis ipsos per peccatum prosternit, ita quod in vitiis statim dormiunt atque cadunt, & sic thesauro, quem custodire debuerant, spoliantur, & sepulchrum suæ conscientiæ à Christo, quem receperant, evacuatur. Unde Marc. 16. *Surrexit, non est hic. Ecce locus,ubi posuerunt eum.*

Et si vis,dilata vitam tuam, quomodo multa genera vitiorum videntur circa sepulchrum dormire, & malè Dominum custodire. Undè 1. Reg. 26. *Vivit Dominus, quia filii mortis estis vos, qui non custodistis Christum Domini.*

Hic dicitur, quod cum custodes Christum resurrexisse, Angelum descendisse testificarentur, principes sacerdotum ipsos pecuniâ corruperunt, &,quod ipsum à discipulis suis furatum, dum dormiebant,dicerent,pactâ pecuniâ,induxerunt. Qui acceptâ pecuniâ, sicut fuerant edocti, fecerunt, & resurrexisse Dominum negaverunt.

Illud si vis allega exemplariter, quomodo pecunia & avaritia facit veritatem dimittere, mendacium dicere, & articulos fidei aliquoties negare, & ab illis, quæ quandoque homo testificatus fuerat, deviare. Benè igitur dicitur Eccl. 10. *Pecuniæ obedunt omnia.*

Moralitatum super Matthæum finis.

Digitized by Google

MORALITATUM LIBER TRIGESIMUS SUPER MARCUM.

H *Capitulum tertium. Textus.* Et introivit iterum in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam.

MORALITATUM CAP. I.

QUia quicquid est in Marco, totum, ut communiter, prædicatur in Matthæo, ideò pauca quæ remanent, superaddam. In 3. cap. dicitur, quod cum Christus quadam die ferventissimè prædicaret, visum est discipulis suis, quod humanam discretionem excederet, & ideo accesserunt, ut eum tenerent. Dicebant enim, quia in furorem versus erat. Scribæ etiam dixerunt, quia Beelzebub habebat, & quia in principe dæmoniorum dæmones expellebat.

Istud allega, quod viri justi, qui ferventer prædicant, & opera virtuosa præ cæteris agunt, in tantum quod Dæmonia, id est, vitia, scilicet, dæmonum potentiam de obsessis peccatoribus suis doctrinis expellunt: isti hodiè furiosi, & sine sensu à viris carnalibus creduntur, nihilque prorsùs valere à mundanis hominibus reputantur; quia quicunque hodiè mundana contemnit, & de salute sui & aliorum meditatur; fatuus & lunaticus æstimatur, sicut de Propheta, qui ad inungendum Jehu venit, dixerunt alii: *Quid ad te venit subreptitius iste?* 4. Reg. 9. Sic etiam, si quis mirabilia opera & virtuosa facit, statim mali hoc per hypocrisim & malam intentionem factum asserunt, & hoc magis Beelzebub quàm veritati divinæ attribuunt. Undè Matth. 11. *Venit Joannes neque manducans neque bibens, & dicunt: ecce dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.*

A *Capitulum septimum. Textus.* Et convenerunt ad eum Principes & Pharisæi.

MORALITATUM CAP. II.

AD Jesum cum fuisset adductus homo surdus & mutus, ut imponeret sibi manum, apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas ejus, & spuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cœlum dixit, *Epheta*, quod est *adaperire*. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

Sic revera cum ad Dominum quotidiè veniant peccatores, qui surdi & muti esse dicuntur, pro eo, quod illa, quæ pertinent ad salutem suam, non possunt loqui aut dicere, seu aliqua honesta & utilia prædicare, qui & utilia, scilicet, correctionem, & bonam monitionem non possunt audire, nec ad aliquam bonam doctrinam cor suum applicare, Hier. 6. *Incircumcisæ aures eorum, & non possunt audire.* Sed quandoque Christus vel Prælatus istos seorsum à tumultu negotiorum & hominum per contemptum separat, salivà bonæ doctrinæ linguam talium tangit, & sic ad recte loquendum, confitendum, laudandum, & gratias agendum ipsos acuit & disponit. Ipse etiam digitis suis, id est, donis Spiritûs sancti, vel digitis suæ liberalis gratiæ vel distributionis, vel digito suæ manuductionis, ostensionis & intentionis, vel digitis suæ percussionis & correctionis illorum aures, id est, auditum & attentionem aperit, vinculum eorum linguæ scilicet, verecundiam, ignorantiam, & obstinationem, insolentiam ac imprudentiam resolvit, ita quod diligenter loqui & rectè audire, & attendere eos faciat. Undè de tali spirituali Medico potest dici quod sequitur Marc. 7. *Bene omnia fecit, quia surdos fecit audire, & mutos loqui.* Et Matth. 11. *Surdi audiunt & cœci vident.*

Capitulum nonum. Textus. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus.

MORALITATUM CAP. III.

DE quodam dæmoniaco ducto ad Jesum, ut ab eo sanaretur, dicitur hic, quod pater ejus dixit Christo: *Attuli ad te filium meum habentem Spiritum mutum ab infantia sua, qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, sæpe etiam eum in ignem & aquam misit, ut eum perderet.*
B *Et attuli eum ad discipulos tuos, & eum sanare non potuerunt.* Christus igitur istum sanavit, & spiritum surdum & mutum, id est, qui mutitatem & surditatem in eo causaverat, effugavit.

Iste dæmoniacus significat peccatorem, qui à discipulis sanari non potuit, ad significandum, quod solus Deus & non homo
C peccata dimittit. Undè Luc. 7. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Iste igitur quandoque ab infantia à dæmone obsidetur, id est, dæmonum servitio per vitia subjugatur, à quo & per quem multis spiritualibus infirmitatibus occupatur. Et primò quidem istum facit surdum, in quantum non dignatur bonum audire: mutum; in quantum non vult dicere: allidit in terram, in quantum se solet per avaritiam ad bona mundi effundere, & ea concupiscere & amare. Et breviter istum facit spumare per luxuriam, stridere per detractionem vel iracundiam, arescere per invidiam. In aquam etiam ipsum projicit per gulæ ingluviem, & eum in ignem mittit per malam concupiscentiam, & sic diversimodè nititur ipsum perdere per damnationis molestiam. Et breviter, quando immundus spiritus mentem occupat, per peccatum ipsum solet diversimodè invadere, & nunc per unum vitium, nunc per aliud infestare, ita quod quandoque est ita obstinatus & malus, quod discipuli Christi, scilicet, prædicatores, & Prælati ipsum nequeunt corrigere, convertere vel sanare. Quinimo necesse est, quod ipse Christus per seipsum, scilicet, per spiritualem inspirationem, & vocationem ipsum dignetur misericorditer liberare. Tales igitur dæmoniaci, & obstinati Deo dimittuntur, quia per alios nullatenus convertuntur. Undè Eccl. 1. *Perversi difficilè corriguntur.* Ab ipso autem Deo quandoque miraculosè curantur, & ad salutis semitam reducuntur. Ps. 9. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

Vel dic secundùm sanctos, quod iste significat genus humanum, dæmonibus per idololatriam in diversos errores subditum, quod per Moysen & per Prophetas, & alios discipulos sanari, & salvari non poterat, quinimo ipsum Diabolus gravabat: necesse fuit igitur, quod ipse Dominus personaliter interveniret, & quod per seipsum, & non per discipulos illud salvaret. Undè Matth. 8. *Ego veniam & curabo eum.* Vide similem expositionem de baculo Helisæi 4. Reg. 4.

Discipulis petentibus à Christo, quare quoddam dæmonium non poterant expulisse; Dixit Jesus, quod hoc genus dæmoniorum non expellitur nisi in oratione & jejunio. De isto dicitur Matth. 17. quod *propter incredulitatem suam non poterant ipsum discipuli ejecisse*, & sic patet, quod fides, jejunium, & oratio valent summopere contra dæmonia & peccata.

Cum Dominus vellet istum dæmoniacum, quem pater suus sic ad Christum adduxerat, sanare, Diabolus cœpit eum crudeliùs impugnare, ita quod, expulso dæmonio, homo quasi mortuus erat, & cecidit, sed seipsum sublevavit.

Sic verè cum Diabolus videt, quod homo debet de sua potestate per pœnitentiam recedere, & quod Christus ipsum vult de suis manibus liberare, utpote quando videt, quod pater suus scilicet, prædicator eum ad Dominum nititur adducere & apportare, tunc fortiùs per tentationes eum invadit, & ne ipsum perdat, contra eum plùs insurgit. Quod tamen parum sibi valet, quando ipsum Deus salvare decrevit, quia dato quod mortuus, id est, obstinatus & peccator appareat, quandoque tamen manum sibi suæ misericordiæ porrigit, & ipsum ad statum, & vitam gratiæ reducit, Psal. 112. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.*

Vel dic, quod quando quis à Diabolo per tentationes fortius invaditur, tunc magis est propè, quod à Diabolo liberetur, & salus perpetuò sibi detur.

Hic dicitur de quodam homine, qui in Christi nomine dæmonium ejiciebat, & tamen Christum non sequebatur. Quem cum discipuli prohiberent, Deus noluit, imo ipsum sic dimitti mandavit. *Nolite*, inquit, *prohibere eum, quia nemo est qui facit virtutem in nomine meo, & possit male loqui de me, qui enim non est adversus nos, pro nobis est.*

Ista possunt allegari, quod non debet aliquis ita esse malus volens malo loqui de illo, in cujus nomine virtutes facit, id est, de illo, à quo virtutem, & dignitatem recepit; sub quo honorem, & potestatem acquirit. *Nemo*, inquit Dominus, *qui fecit virtutes in nomine meo, potest cito mala loqui de me.* Quod tamen est contra multos, qui lacerant & mordent benefactores suos, & illos, in quorum nomine, id est, sub quorum potestate exercent in hoc sæculo actus magnos.

Vel dic, quod mali, qui non sequuntur Christum in moribus D
& vita, quandoque in nomine ejus virtutes faciunt in exemplis, in operibus, & doctrinis, sicut ad literam patet de hypocritis, qui quamvis sint mali, dæmonia tamen in Christi nomine ejiciunt, in quantum bene docendo peccatores convertunt. Undè nec isti hæc debent prohiberi facere, cum à bonis, & malis, & Christus, & Christi virtus debet prædicari.

Capitulum decimum. Textus. Et inde exurgens venit in fines Judææ.

MORALITATUM CAP. IV.

CUm quidam genu flexo à Christo petiisset, quid faciendo vitam æternam haberet, & Christus sibi dixisset: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & ipse se ea servasse à juventute jactaret, incepit Jesus persuadere per hæc verba, *unum tibi deest, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni & sequere me.* Ipse autem his auditis abiit tristis mœrensque. Erat enim habens multas possessiones. Christus autem

Digitized by Google

autem occasione ejus locutus est dicens, quod *facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum introire.*

Ista allega, quod vix est ita bonus dives, nec tantus mandatorum observator, cui si diceretur, quod divitias dimittat, post Christum per paupertatis imitationem vadat, terrena cum æternis commutet, & thesaurum sibi præstari quærat cœlestem, quin tristis, & desolatus efficiatur, & quin à Christo potiùs recedere eligat, quàm per viam perfectionis Dominum sequatur. Difficile enim est divitem intrare cœlum, cum divitias nolit saltem quantumcunque ad affectum vitare. De quo Matth. 19. *Dives difficile intrabit regnum cœlorum.*

E Mater filiorum Zebedæi accessit ad Dominum & petens ab eo, quod dum in regno suo veniret, unus filiorum ad ipsius Christi dexteram, alius ad sinistram sederet. Ipsam autem Dominus de imprudentia reprehendit, dicens: *Nescitis, quid petatis.* Calicem igitur, id est, passionem, & tribulationem, & non sessionem illis obtulit, & hoc non esse suum illis dare, sed quibus à Patre paratum est, indicat, dicens: *Calicem meum bibetis, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini, sedere autem ad dexteram vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*

Ista possunt allegari, quomodo carnalis affectus facit quandoque matrem, id est, affectuosum hominem pro suis injusta petere, & eum velle plus, quam exigant sua merita, promovere. Veruntamen Christus, id est, unctus, scilicet, Prælatus, cui fit talis petitio, debet tales indignè petentes redarguere, & eos ad virtutum exercitium inclinare. Si enim à Prælato petatur, quod det alicui sessionem, id est, officium vel promotionem, primò ante omnia debet eis proponere calicem & baptismum, calicem dico tribulationis, & baptismum purificationis. Ac si diceret, antè debetis tribulationem sustinere, & puritate mentis habere, antequam debeatis ad dignitates ascendere. Meum, inquit, non est dare vobis, supple calicem aut baptismum, hujusmodi sessione, sed solùm illis, quibus à patre meo paratum est, qui habent sanctitatem & perfectionem. Ac si diceret: Mecum in dignitatibus non debent sedere, nisi qui calicem Domini biberunt, & amici facti sunt. Undè. Psal. 115. *Calicem salutaris accipiam, &c,*

Cœcus quidam sedebat secùs viam mendicans, & non obstante impedimento turbarum multò magis clamabat, dicendo: *Miserere mei fili David*, cum à Christo fuisset vocatus, statim vestimentum projecit, & exiliens ad Christum venit, & ab ipso illuminationem recepit.

F Sic verè peccator, quamvis sit obstinatus & cœcus, si tamen sentiat se à Deo vocari, & ad salutis semitam per inspirationem invitari, statim debet per consensum post eum surgere, & per bona opera post eum salire. Vestimentum malæ conversationis vel operimentum cujuscunque malæ excusationis deponere debet, & sic poterit lumen divinæ gratiæ à Domino recipere. Undè Ephes. 5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Illum enim Christus illuminat, qui deposito malæ conversationis habitu, ipsum sequitur & honorat. Vide cætera Matth. 20. de duobus cœcis in fine. De vidua & de duobus minutis, de quibus fit mentio hic. cap. 12. vide infra Lucæ 21.

Capitulum decimum quartum. Τέχσυς. Erat autem Pascha & azyma post biduum.

Moralitatum Cap. V.

Judas desiderans pecuniam, cum non haberet, quid venderet, quàm ipsum Christum, adiit principes Judæorum, & de Christo pro pecunia vendendo incepit tractare, dicens: *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam?* Acceptis autem ab eis triginta argenteis, ipsum vendidit, & eum osculo tradidit, qui finaliter pœnitens, se malè fecisse clamavit, & desperans se laqueo suspendit, & viscera ejus effusa sunt, & medius crepuit Actor. 1.

Sic verè videntur facere Simoniaci Prælati. Isti enim Christum, id est, gratiam Spiritus sancti vel accessionem ad Christum, id est, beneficium vel officium Ecclesiasticum non tradunt alicui, nisi conveniant de mercede, dicentes: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* At illi constituerunt ei triginta Argenteos. Finaliter tamen post mortem Christi pœnitebunt in inferno, ubi ad inferni patibulum suspendentur, & præ dolore crepabunt, & fœda viscera, id est, interiora cogitamina & crimina effundentur, & apparebunt, vel ubi viscera impia contra Christum & Deum, & desperationem eructabunt.

Vel dic, quod Prælati Simoniaci, qui vendunt Christum pecuniâ, suspenduntur, per mentis elationem crepant, & per jactantiam, & præsumptionem viscera suæ misericordiæ perdunt, & ipsa in terram effundunt per terrenorum avaritiam, & affectionem.

Vel etiam viscera istorum significant eorum nepotulos, quos in Ecclesia promovent, dum sunt ibi, qui revera post ipsorum mortem consueverunt de corpore Ecclesiæ ejici, & effundi, id est, de beneficiis suis expelli, & in terram, id est, ad statum infimum deduci, Thren. 2. *Effusum est in terram jecur meum.*

Petr. Berchorii super Marcum.

G Judas autem volens Christum in mortem tradere, ministris dedit signum dicens: *Quem osculatus fuero, ipse est, &c.* Cum igitur Christus esset in horto, Judas ad eum ascendens osculum sibi dedit, & sic osculando ipsum ipsis monstravit, qui gladiis, & fustibus eum apprehenderunt, & ipsum ad supplicia deduxerunt.

Judas proditor est mundus, qui ipsum, quem osculatur prosperis, cui arridet, & quem favorabilibus temporibus amplexatur, satellitibus, id est, dæmonibus in inferno, & tribulationibus, tradere comprobatur, dicens illud Marci. *Quemcunque osculatus fuero, &c.* Quia revera hortus delitiarum, in quo homo spatiatur, arrisus favorum & divitiarum, quibus homo in mundo ditatur; osculum, & amplexus fortunæ, & prosperitatis, quibus homo in hoc mundo jucundatur, signum sunt, quod talis finaliter debet capi, & à turba dæmonum ad tormenta deduci, quia quantò plùs homo talibus osculis alluditur, tantò captio ejus paratior, & celerior invenitur, teste Ambrosio: *Continuus successus temporalium æternæ damnationis est indicium.* Undè de tali Juda, id est, de tali mundano vel fortunato successù dicitur Eccl. 12. *In labiis indulcat inimicus.*

De Joanne dicitur, quod adolescens quidam amictus sindone super nudum, videns quod ministri per vestem tenebant eum, ut punirent, relicta sindone, nudus profugit.

Sic verè, si satellites Diaboli per vestes bonorum temporalium nos capiant, & si istis mediantibus in malis complacentiis nos detineant & involvant, ipsas terrenorum bonorum vestes debemus per contemptum rejicere, & nudi, id est, pauperes, & conscientiâ mundi, debemus de eorum manibus recedere: Unde Amos 2. *Robustus corde inter fortes nudus fugiet.*

Cap. 15. Milites crucifixerunt Dominum, & inter se vestes suas diviserunt.

Sic verè milites regum & principum Officiales Christum in persona ministrorum Clericorum, & pauperum crucifigunt, in quantum isti Christi servitores molestant multipliciter & affligunt. Unde Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, &c.* Et vestes etiam temporalium bonorum suorum ipsis per rapinam subtrahunt, & inter se dividunt & dispergunt, Psal. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea.* Tunica Salvatoris, quæ inconsutilis dicta est, quam milites non diviserunt, sed super eam sortiti fuerunt, dicitur fuisse quædam tunica inconsuta, scil. acu sine sutura contexta, quam B. Virgo sibi existenti parvulo dicitur fecisse, quæ tandem secundùm incrementum corporis dicitur concrevisse, & sic semper suo corpori aptata fuisse, quæ sine detrimento, quamdiu vixit, durabat, ita quod ipsam nulla antiquitas consumebat. Illam etiam, si- H cut postea ponunt alii, Pilatus habuit; quandocunque vocabatur ad Cæsarem, ipsum volentem occidere, mox ut eum videret, ira ipsius contra eum quiescebat: mox verò cum ab ipso exierat, statim contra eum sæviebat, sed eo iterum ad Imperatoris præsentiam revocato, statim virtute tunicæ princeps ad mansuetudinem redibat, & eum tanquam justum absolvere proponebat. Advertens igitur ad hoc princeps justum expoliari fecit, & tunc contra eum insaniens ipsum ad exilium condemnavit, sicut hæc omnia in historiis quibusdam continentur.

Tunica Salvatoris, id est, salutis tunica, est divina gratia, quam Maria virgo, id est, amaritudo pœnitentiæ cum actu contritionis, cum virginitate, & cum purificatione, & munditia confessionis componit, ita quod nullam scissuram vel rupturam alicujus discontinuationis vel imperseverantiæ ibi ponit, unde ad hoc, quod Maria, id est, amara pœnitentia tunicam gratiæ faciat, potest dici illud Jo. 21. *Tunicâ succinxit se, & misit se in mare.* Ista enim tunica in Christo, id est, in personis bonis semper augetur, & quantò plus per bona opera creverint, tantò ad ætatem majorem perveniunt, & tantò in ipsis tunica inconsutilis, id est, gratia & perseverantia plus augetur. Ista autem tantæ virtutis est quod, si Pilatus, id est, peccator quantumcunque fuerit malus, ipsam induat, nunquam erit sibi Imperator cœlestis Deus iratus, quin, quando cum ista tunica corã eo in die judicii comparebit, sibi in mansuetudinem convertatur, & quin ab ipso misericordiam consequatur. Si verò contingat, quod sine tunica divinæ gratiæ homo tunc adeat imperatorem, ira Domini statim contra eum movebitur, & dabit sibi infernale exilium & tormentum Apoc. 16. Bene igitur dicitur: *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.*

Vel dic, quod ista tunica Christi significat Ecclesiam, quæ revera simplex & inconsutilis, & sine divisione scismatis vel erroris A debet esse, & sic poterit semper crescere & augeri. Eph. 5. *Fecit sibi Ecclesiam non habentem maculam.*

Digitized by Google

Capitulum decimum sextum. Textus. Et cum transisset sabbathum, Maria Magdalenæ.

Moralitatum Cap. VI.

VAlde manè prima sabbathorum mulieres de nocte venerunt ad monumentum, ut ungerent cum aromatibus, quæ emerant, corpus Christi. Cum igitur conquererentur de lapide ab ostio revolvendo, *Ecce*, secundùm quod dicitur Matth. 28. *Terræ motus factus est magnus, Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus, sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.* Satellites verò, qui corpus Christi in sepulchro servabant, quasi mortui ceciderunt. Mulieres etiam prædictæ ad aspectum ejus fortiter obstupuerunt, &, sicut Marcus dicit hic, mulieres intrantes in monumentum, viderunt eum statim in forma unius juvenis stolâ candidâ cooperti. Iste autem Angelus mulieres fuit consolatus, & resurrexisse Dominum protestatus. Satellites verò terruit, & ipsos quasi mortuos dereliquit.

Per sepulchrum Domini potest intelligi Ecclesia materialis, in qua Corpus Christi in Sacramento Altaris servatur.

Vel etiam Ecclesia universalis, in qua Corpus Christi in persona pauperum mortuum & depressum jacet & substernitur. Vel sacræ scripturæ mysterium, in quo corpus Christi mortuum jacet, in quo etiam de morte Corporis Christi mysterium continetur. Mulieres istæ devotæ animas, seu mentes, vel personas simplices designant, quæ aromata virtutum vel unguenta devotionis, lenituramque compassionis portant, & Jesum sive in persona propria, sive pauperum per compassionem ungere & lenire affectant. Unde Matth. 26. *Venit mulier habens Alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput Jesu.* Lapis grandis, qui Jesum claudit, pondus difficultatis significat, quod est in via veniendi ad Jesum, & mulieres
B istas, id est, simplices retrahit atque gravat. Veniendo enim ad pauperes obviat lapis propriæ paupertatis; veniendo ad scripturam obviat lapis difficultatis; veniendo ad eum in sepulchro mentis per devotionem, obviat lapis nostræ malæ consuetudinis, & fragilitatis. Et ideo istæ mulieres ante omnia debent auxilia bonorum quærere, ut lapidem hujusmodi valeant submovere, dicentes: *Quis revolvet nobis lapidem?* Per istum Angelum possunt intelligi boni Ecclesiastici vel Prælati, qui revera debent dici juvenes per virtutem fortitudinis & constantiæ. Angeli per virtutem limpitudinis, & prudentiæ, aspectu fulgurei per virtutem severitatis & justitiæ, cum vestimentis candidis, per virtutem castitatis & munditiæ, sicut de Angelo Tob. 5. dicitur, quod ipsi invenerunt juvenem splendidum, stantem, præcinctum, & paratum ad ambulandum. Isti enim debent aspectu suæ severitatis & justitiæ satellites Diaboli, id est, peccatores terrere. Isti per æquitatem, & mentis tranquillitatem debent sedere. Isti in monumento Christi per suæ passionis meditationem, vel scripturæ expositionem, vel per pauperum nutritionem debent manere, ita quod etiam mulieres, id est, simplices debent consolari & fovere, & lapidem, id est, omne impedimentum, quo minus Jesum invenire, & ad eum per spem, & devotionem venire valeant, removere, & de resurrectione, & aliis articulis ipsos instruere, Apocalyp. 14. *Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium cœli.* Ibidem. *Cujus facies erat sicut sol,* Apocalyp. 10. Ista igitur est veritas, quod quoties mulieres & devoti ad Jesum volunt per spem, & pœnitentiam accedere, & eum per compassionem, & devotionem in se vel in suis pauperibus ungere, semper debent Angelos, id est, viros Ecclesiasticos, & Prælatos obviam habere, qui omnia impedimenta debent tollere, & omnem offendiculi lapidem removere, eos consolari benigniter, & juvare, ut sic de talibus Angelis, id est, viris Ecclesiasticis dicatur illud, quod de Angelis dicitur: *Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis.*

Moralitatum super Marcum finis.

MORALITATUM LIBER TRIGESIMUS Primus Super Lucam.

C *Capitulum primum. Textus.* Fuit in diebus Herodis, regis Judæ, Sacerdos quidam nomine.

Moralitatum Cap. I.

DE Evangelio Lucæ nihil intendo ponere, nisi solùm illa, quæ prætermittunt Matthæus & Marcus. Ideo hic dicitur, quod missus est Angelus Gabriel ad virginem Mariam in Nazareth salutandam, qui ingressus ad eam, ipsam suo lumine stupefecit, sed consolatus eam verbo nunciavit eidem. Quod credens ipsa, Dei filium mox concipiet.

Ista possunt applicari exemplariter ad virgines, & maximè ad Sanctimoniales, quia revera exemplo B. Virginis istæ debent manere in civitate Nazareth, quæ interpretatur unctio, vel munditia custodiens, aut separatio, quia istæ debent habere unctionem devotionis, munditiam puræ, & castæ conversationis, custodiam sui ipsius per diligentem discretionem, & separationem à mundi negotiis, vel sæcularium nugis, vel à quibuscunque malis consortiis per solitariam habitationem. Istæ etiam debent dici Maria per amaram pœnitentiam, & contritionem; debent manere, & stare infra domum, & claustrum per omnis vagationis abductionem. Quod ostenditur cum dicitur, *ingressus ad eam.* Qui non invenit eam in platea, sed in domo, Psal. 54. *Ecce elongavi fugiens, &c.* Ad tales virgines non sunt qualescunque viri mittendi, sed solùm, qui sunt Angelus Gabriel, qui interpretatur fortitudo, id est, viri Angelici fortes in bonis moribus, & robusti. Tales enim, de quibus nulla potest esse suspicio, debent virgines visitare, lumine bonorum exemplorum, & documentorum ipsas illuminare, & verbum Dei ipsis annuntiare & prædicare, & sic ipsæ poterunt, mediantibus istis, verbum Dei per gratiam suscipere vel concipere, & ipsum in utero conscientiæ retinere, Isa. 7. *Ecce virgo concipiet, &c.* Audi tamen, quod dicitur, quod virgo expavit de lumine, & de Angeli præsentia inconsueta, in quo notari potest, quod non est aliquis ità Angelicus, quin virgines ejus consortium & præsentiam debeant expavescere, & quin, quæ adversus ipsos probaverint, debeant de ipsis dubitare. Virile enim colloquium debent metuere, quousque ipsos cognoverint verbum salutis veraciter prædicare. Unde Abac. 3. *Domine audivi auditum tuum, & timui.*

Cum B. Virgo filium Dei concepisset, & quadam die ad salu- D tandam Elisabeth, quæ jam per sex menses ante Joannem Baptistam conceperat, & in montana celeriter ascendisset, sic factum est, quod Joannes existens in matris utero, Christi & matris præsentiam sensit, & ob eorum reverentiam exultavit. Undè dixit Elisabeth: *Undè mihi hoc, ut mater Domini veniat ad me, ut enim facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.*

Ista possunt allegari ad confirmationem fidei incarnationis, quam Joannes sensit in utero, & prædicavit in gaudio.

Vel potest allegari de sanctitate Joannis, qui in utero existens Christum honoravit, & divinitatem ejus mox agnovit.

Vel allega de humilitate Virginis, quæ ad salutandam cognatam dignata est ascendere, & ad eam celeriter festinare. In quo datur nobis exemplum, quod nullus debet esse ità magnus & dignus, quin minores consanguineos debeat diligere, & eos quandoque benigniter visitare.

Vel dic, quod Christi & B. Virginis auxiliatrix præsentia faciet pueros, id est, puros & innocentes spiritualiter exultare, & ob ipsorum reverentiam gaudere.

Zacharias pater Joannis Baptistæ ante nativitatem ipsius Joannis mutus extitit, quo nato statim loquelam recuperavit, & in laudem Dei prorupit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Joannes, qui interpretatur, in quo est gratia, significat divinam gratiam; qui igitur tali Joanne, id est, tali gratiâ caret, mutus, id est, elinguis efficitur, quia sibi nihil dicere vel loqui comprobatur. Verum quando iste puer, scil. Joannes, divina scilicet gratia nascitur, & à Deo conceditur, tunc bene congruè verba salutis loquitur. Unde Grego. *In vanum laborat lingua prædicatoris, nisi affuerit gratia Salvatoris.*

Capitulum secundum. Textus. Factum est autem in diebus illis, E Exiit edictum à Cæsare Augusto.

Moralitatum Cap. II.

PAstores erant in regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Ecce Angelus Domini stetit circa illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Iste autem Angelus statim fuit consolatus eos, & gaudium magnum illis retulit, & natum in Bethlehem mundi Salvatorem nunciavit. Illi continuò laudes cœlestis exercitûs audierunt, usque in Bethlehem venerunt, & Mariam, Joseph, & infantem involutum pannis, & positum in præsepio repererunt.

Isti pastores possunt significare bonos Prælatos & prædicatores providos, qui pabulo sacræ scripturæ, id est, subventione temporalis substantiæ, cibo devotionis, & Eucharistiæ se & alios nutriunt, greges subditorum à lupis infernalibus custodiunt, & super ipsos diligenter attendunt. Unde Luc. 12. *Si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.* Tales igitur ab Angelis visitantur, lumine charitatis & gratiæ circumfunduntur, in timore Domini constituuntur, & ab ipso spiritualiter consolantur. Finaliter autem post mortem usque in Bethlehem, quæ interpretatur domus panis, id est, usque in paradisum transeunt, ub Mariam cum Joseph, id est, cum sanctis, & infantem Christum involutum pannis humanitatis nostræ naturæ, reclinatum in præsepio refectionis æternæ personaliter inveniunt, & à Deo gaudium, & consolationem gloriæ sempiternæ recipiunt & acquirunt. *Glorificantes* (inquit Lucas hic) *& laudantes Deum in omnibus, quæ viderant & audierant* & Matth. 2. *Videntes stellam gavisi sunt, & intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Debent ergo pastores nostri F

solli-

Digitized by Google

ſollicitè vigilare, ut tale poſſint præmium reportare, Apoc. 16. *Beatus qui vigilat.*

De oblatione data pro Chriſto in templo & quæ ibi ponuntur de Simeone & Anna, nihil dico, nec etiam de ipſo in medio Doctorum invento, nec etiam de aliis, quæ in 3. vel 4. capitulis continentur, quia ſupra in Matthæo pro majori parte ponuntur.

Capitulum quartum. Textus. Jeſus autem plenus Spiritu ſancto egreſſus eſt à Jordane.

Moralitatum Cap. III.

CHriſtus, poſtquam contra Diabolum tentantem ſe prævaluit, tandem in Nazareth veniens, ſynagogam Judæorum intrabat. Exhortabantur igitur ipſum Judæi, ut ibi in patria ſua, in qua nutritus fuerat, & conceptus, aliqua mirabilia faceret, dicentes: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Chriſtus verò in ipſa patria nulla facere voluit mirabilia, quia *nullum Prophetam in ſua patria fore acceptum* dixit, etiam per exemplum Heliæ & Heliſæi probavit, quorum temporibus multæ fuerant viduæ, & multi leproſi in Iſraël, Helias tamen ad unam eſt miſſus, viduam Sereptanam, & Heliſæus unicum ſanavit leproſum, Naaman, ſcil. Syrum, qui aliundè, non de Iſraël natus fuerat. Ac ſi rectè vellet dicere Dominus, quod iſti Prophetæ non illis de patria ſua, ſed alienigenis fecerunt miracula, & quia nullus homo ſanctus in ſua patria condignè honoratur, & ideo ad extraneos receſſerunt.

Iſta etiam hic verificata ſunt de Chriſto, quia cum in ſynagogâ Iſaiam exponeret, iſti compatriotæ ſui indignabantur de ipſo, & eum *filium fabri* appellabant. Unde Matth. 13. iſti de ipſo ſic dicebant. *Nonne iſte eſt filius fabri? &c. Unde igitur habuit omnia iſta?* Sicut autem hic dicitur, iſti de indignatione ad injurias proruperunt, & eum ad ſupercilium civitatis duxerunt, & eum præcipitare voluerunt, ipſe tamen per medium ipſorum tranſivit, & de ipſorum manibus evaſit.

G Iſta omnia allega, quod nimia familiaritas parit contemptum, quia revera ſæpe eſt, quod ſapiens homo minùs reputatur in patria ſua, quam in aliena, & minus à notis, quam ab extraneis, & minus à ſuis familiaribus, quam ab extraneis populis remotis. Facile enim eſt, ut pares paribus invideant, & ut vicinorum ſuorum ſapientiam, & virtutes alii mordeant, & contemnant. Undè cum ab illo Philoſopho quæreretur, *à quo eſſet potiſſimè cavendum in hac vita?* Reſpondit, quod *ab invidia inimici & injuria amici*, unde fit, quandoque, quod mali, & invidi compatriotæ contra bonos vicinos inſurgunt, & quamvis eos in virtute, & ſcientia videant præcellere, ipſis tamen tunc detrahendo, genus ipſorum ad memoriam reducunt, & quando contra perſonas aliquid nequeunt dicere, ipſum tamen occaſione generis vilipendunt dicentes: *Nonne iſte eſt filius fabri? Nonne parentes ejus apud nos ſunt? Unde huic omnia iſta?* Ac ſi dicerent, iſte non eſt dignus à nobis honorari, nec eſt credibile ipſum virtualiter poſſe operari, quem de tam infimis parentibus apud nos contigit generari. Dicunt enim illud. *Quis eſt David, ut ſerviamus illi?* 3. Reg. 12. Et tamen quandoque iſtud non ſufficit, quinimo contra eum perſonaliter inſurgunt, & eum de ſtatu, & gradu præcipitant, & proſternunt, & à ſua civitate, & patria fugere, & recedere eum aliquoties cogunt Matth. 10. *Inimici hominis domeſtici ejus.* Sicut de illo Scipione, qui dato, quod reipublicæ Romanæ infinita bona feciſſet, cives tamen Romani ejus proſperitatem, & virtutum magnitudinem ferre præ invidia non valentes, ipſum in exilium propulerunt, ſicut ponit Macrobius. Sicut enim dicit Dominus Matth. 13. *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.* Et ideò ſæpe fit, quod viri prudentes propriam patriam negligunt, & manſionem in alia patria quærunt, ibique ampliùs honorantur, & proſperitate majori alibi quàm apud ſuos promoventur. Quapropter dictum eſt Abrahæ Geneſ. 12. *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtravero tibi, & faciam te in gentem magnam.*

H *Capitulum quintum. Textus.* Factum eſt autem cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.

Moralitatum Cap. IV.

CUm Petrus & ſui ſocii piſcarentur, & per totam noctem laborraſſent, & nihil cepiſſent, contigit quod Dominus navem illam aſcenderet, & de navicula turbas doceret, & quod navem in altum duci, & retia in capturam laxari juberet. Cum igitur Petrus, cujus erat navis, de vano labore totius noctis conquereretur, & diceret. *Præceptor*, inquiens, *per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Sic factum eſt, quod tantam piſcium multitudinem concluſerunt, quod rete eorum rumpebatur, ità quod aliam naviculam in auxilium vocabant, & ambæ piſcibus replerentur.

Petr. Berchorii ſuper Lucam.

Iſta navis moraliter animam ſignificat, quam quilibet in mari, & fluctibus hujus vitæ habet regere, & in ipſo rete bonæ voluntatis laxare, & piſces meritorum in hac navicula congregare. Undè tamen quamdiù non eſt Chriſtus in iſta per gratiam, ſcil. quamdiù durat nox & tenebroſitas vitiorum, tamdiù deficit captura piſcium, id eſt, meritorum. Nocte enim culpæ ſatis poteſt homo laborare, & bona opera perpetrare, vel circa temporalia lucra, & negotia inſudare, ſed nunquam ſibi continget ex tali labore piſces, id eſt, merita acquirere, vel habere. Unde Luc. 5. *Per totam noctem* (inquit) *laborantes nihil cepimus.* Iſa. 49. *In vanum laboravi, ſine cauſa mane conſumpſi fortitudinem meam.* Sed revera quandoque Chriſtus ibi per gratiam intrat, ut turbas malarum cogitationum doceat, & compeſcat, & tunc ad ejus monitionem & inſpirationem rete bonæ voluntatis in altum ducitur, in quantum affectus ejus, & opera ad æternæ vitæ altitudinem ordinantur, & ſic pro certo piſces, id eſt, merita cumulantur, ita quod duæ naviculæ, id eſt, non ſolum anima, imo etiam corpus iſtis piſcibus, id eſt, meritorum operibus mox repleantur. In Chriſti enim præſentia non abſentia, fit talis captio; in die gratiæ, non in nocte culpæ, fit meritorum acquiſitio. Unde dicit Dominus Jo. 9. *Me oportet laborare, donec dies eſt.*

Vel dic, quod navicula ſignificat ſacram ſcripturam, in qua Petrus, id eſt, quicunque prædicator poteſt ſatis ſine fructu laborare, quia rete prædicationis à mari hujus mundi, pro piſcibus capiendis, id eſt, pro peccatoribus convertendis poteſt in vanum mittere, & laxare, niſi Chriſti præſentia per gratiam Dei aſſiſtat, qui rete prædicationis in altum ducere, id eſt, ad ſpem æternæ retributionis ordinare doceat. Sine enim Chriſti gratia, nec prædicatio proficit, & ſine ejus gratia in officio prædicationis pro nihilo laboratur, Pſ. 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, &c.* Quod etiam benè ſupponitur hic, ubi Chriſtus poſt piſcaturam piſcium dixit Petro. *Noli timere, jam enim eris capiens homines.* A

Cum circa Chriſtum infirmi multi undique confluxiſſent, ecce viri portantes hominem in lecto, qui erat paralyticus, cum ipſum præ turba ante ipſum non poſſent ponere, ſupra tectum aſcenderunt, & per tegulas dimiſerunt in lecto in medium ante eum. Chriſtus igitur ut fidem illorum vidit, paralytico peccata dimiſit, & ut lectum ſuum tolleret, & ſanus corporaliter recederet, imperavit, dicens: *Surge; tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*

Iſte paralyticus eſt animus peccatorum, qui eſt debilis, infirmus, & per carnis mollitiem reſolutus, & more paralytici, ad executionem bonorum operum inhabilis, & ineptus, de quo dicitur Matth. 8. *Domine, puer meus, &c.* Quatuor viri, qui iſtum portabant, & coram Jeſu ponere cupiebant, ſunt quatuor Cardinales virtutes, vel quatuor affectiones, quæ iſtum paralyticum ante Jeſum, qui interpretatur Salvator, id eſt, ad ſalutis ſtatum cupiunt adducere, & ſibi gratiæ ſanitatem pro viribus procurare. Verum quia turba malarum cogitationum, & tentationum, nec non ſollicitudinum mundanarum illam ſanitatem impediunt, ideò iſti portatores debent iſtum infirmum ſupra tectum domûs, id eſt, ſupra apicem rationis elevare, & erigere, & ab iſtis turbis malis ſemovere, deindè ipſum per ſui ipſius humiliationem ante Jeſum deponere, & eum per miſericordiæ implorationem eidem offerre; & ab ipſo remedium, & veniam implorare, quod ſi fecerit, Chriſtus ſibi peccata dimittet, & lectum carnalis delectationis ipſum tollere, carnis deſideria pelli præcipiet, ipſumque de vitio negligentiæ ſurgere jubebit, & in domum ſuam, id eſt, Eccleſiam, vel bonam conſcientiam pergere imperabit, ut de lecto carnalis delectationis exeat, dicens Luc. 5. *Surge, tolle lectum tuum, & vade,* Eph. 5. *Surge qui dormis, &c.* Undè Luc. 7. *Reſedit, qui erat mortuus.*

Vel per iſtos portatores, qui ſupponuntur eſſe quatuor, intelligo quatuor Evangeliorum doctores, vel prædicatores, vel quatuor virtutum Cardinalium poſſeſſores, qui paralyticos, id eſt, peccatores Domino offerunt, ità quod eorum induſtriâ, & Chriſti clementiâ ſani, & mundati recedunt. B

Capitulum ſeptimum. Textus. Cum autem impleviſſet omnia verba ſua in aures.

Moralitatum Cap. V.

IBat Jeſus in civitatem, quæ vocatur Naim, & cum appropinquaret ad portas civitatis, & ecce mortuus efferebatur unicus filius matris ſuæ, & hæc cum eſſet vidua, & turba multa civitatis cum illa; Jeſus miſericordiâ motus, portatores loculi ſtare juſſit, & ipſis ſtantibus, loculum retigit, & vocans adoleſcentem, ipſum à mortuis ſuſcitavit, & ipſum matri ſuæ ſanum dedit. *Adoleſcens*, inquit, *tibi dico ſurge*, & reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit eum matri ſuæ.

Iſte filius ſignificat quemlibet fidelem, qui matris ſuæ, id eſt, Eccleſiæ filius unicus dicitur, pro eo quod ab ipſa unicè diligitur, & fovetur. Militans enim Eccleſia, quæ nunc à Chriſti perſonali præſentia vidua eſt, quemlibet fidelem unicè diligit, ſumme-

Digitized by Google

mèque dolere dicitur, quando per vitia ipsum perdit. Unde 1. Regum 1. *Sicut mater unicum amat filium, &c.* Quandoque etiam fit, quod talis filius per peccatum moritur, quod jam à quatuor portatoribus, scilicet, à mala dilectione, à pœnitentiæ timore, à spe longæ vitæ, & à spe finalis pœnitentiæ in sepulturam infernalem effertur. Jamque in porta civitatis, id est, in extremis in publica executione malorum operum cum turba vitiorum invenitur; C etiam in loculo, seu feretio propriæ carnis, seu malæ consuetudinis involvitur, &c. Sed Christus quandoque sibi misertus, de peccato ipsum suscitat, loculum carnis ejus per correctionem tangens, ipsum per inspirationem, & prædicationem ad fidem & salutem vocat, dicens, *Adolescens tibi dico, surge.* Qui per contritionem surgit, & per confessionem alloqui incipit, & sic per satisfactionem ipsum matri suæ, id est, Ecclesiæ reddit, dicens illud Joannis 19. *Mulier, ecce, filius tuus.*

Vel dic, quod Christus tres mortuos in tribus diversis locis dicitur suscitasse Matth. 9. Puellam in domo; adolescentem in porta, sicut hic Lucæ 7. Lazarum in sepulchro Joan. 11. Per illos igitur tres mortuos intelliguntur tres species hominum peccatorum, quos quandoque Dominus suscitat à peccato. Puella enim mortua in domo, significat animam in domo conscientiæ mortuam per malum desiderium, seu consensum. Juvenis in porta, significat peccatorem, qui inde exivit ad malum opus, & ad actum. Lazarus in sepulchro, significat peccatorem, qui tandem fœtidus, & corruptus est per malæ consuetudinis vitium. Isti ergo à Domino suscitati leguntur, quia nullus peccator sive sit solùm mortuus in consensu, sive sit ulterius in actu, sive, in malæ consuetudinis æstu, non potest suscitari, vel justificari per alterum, quàm per Christum, Christus autem istos tres suscitat, quia de omni genere peccatorum Christus aliquos ad vitam vocat.

Cum Dominus in domo Simonis leprosi recumberet, ecce mulier, quæ etat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, & stans retro cœpit lachrymis abluere, capillis suis tergere, ore osculari, & unguento ungere pedes ejus. Videns autem Dominus Simonem indignatum, ex hoc quod à peccatrice se tangi permitteret, ipsum increpavit, de duobus debitoribus parabolam recitavit, pœnitentiam mulieris convivio hospitis præposuit, & ipsi mulieri peccata omnia relaxavit.

Ista possunt allegari, quod Deus plus peccatorem diligit perfectè diligentem, quam justum arrogantem, & de suis virtutibus præsumentem, aliosque contemnentem. Illud etiam de Pharisæo & Publicano dicitur Luc. 18. Quod Pharisæus, qui Publicanum contemnebat, & suas justitias recitabat, seque alteri præferebat, reprehenditur. Publicanus verò qui sua peccata memorans, vix audebat cœlum aspicere, & pectus suum percutiens, misericordiam clamabat, justificatus recessisse probatur. Ideò bene dicitur Luc. 15. *Quod gaudium est Angelis, &c. Quàm super nonaginta novem justis.*

Vel allega, quod plus placet Domino sacrificium spiritus contribulati, quàm opus exteriùs propalatum, plus enim commendatur pœnitentia lachrymosa Magdalenæ, quàm Simonis cibaria copiosa, & magis fuit refectus Dominus peccatricis fletibus, quàm D hospitis cibis, & potibus, Psal. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, &c.*

Vel allega, quomodo multi sunt ità præsumptuosi, quod qui semel peccator fuerit, non credunt eum ad Dominum posse converti, nec debere à Christo recipi, nec in ejus obsequiis delectari, quinimò si ipsos pœnitentes juxta se vident, debeant intendere, & vacare, 1. Cor. 6. *Contemptibiles in Ecclesia debent ad talia judicia requiri.*

Illud autem, quod hic sequitur cap. 12. de illo divite, cujus ager fructus uberes attulit, qui multa congregare, & horrea augere disposuit, & animæ suæ dicebat: *Anima mea, multa bona habes reposita in annos plurimos.* Cui vox de cœlo facta est. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem congregasti, cujus erunt?*

Hoc allega contra avaros, qui per superabundantiam divitiarum non student pauperibus erogare, sed potiùs congregare, & in annos plurimos conservare, qui de propinqua morte non cogitant, sed in bonis suis diù luxuriari student. In quibus quandoque repentini interitus veniunt, & eorum animas subitò capiunt, Job. 5. *Ipsum rapiet armatus, &c.*

Eodem cap. 12. fit mentio de duobus generibus servorum, quos constituit Dominus super familiam, quibus præceptum est à Domino vigilare, quorum quidam vigilant, & Dominum suum exspectant, ut quacunque horâ venerit, vigiliâ primâ, secundâ, tertiâ, ipsos inveniat vigilantes, & isti procul dubio beati dicuntur, & eisdem finaliter à Domino ministratur: *Amen* (inquit) *dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Aliqui tamen eorum contrarium faciunt, qui de adventu E Domini solliciti non sunt, sed ipsum morari videntes ad mala plurima, scil. ad bibendum, edendum, & inebriandum, & conservos sibi commissos percutiendum convertuntur, ut ait textus, *quod si dixerit servus ille, moram facit Dominus meus, & cœperit percutere, inebriari,* & de talibus dicitur; quod horâ, quâ nesciunt, Dominus eorum veniet, ipsosque ab aliis dividet, & partem eorum cum infidelibus ponet. Fit etiam hic mentio de duobus aliis generibus servorum, de quibus qui sciunt voluntatem domini, & non faciunt eam, plagis vapulare merentur, & de aliis, qui nec sciunt, nec faciunt, & isti non tantum vapulant, sicut primi. Et sequitur ibi verbum Christi: *Quia omnis, cui multum datum est, multa quærentur ab eo.*

Sic verè, cum Dominus tradiderit familiam populi sui servis suis, scil. Prælatis, & Principibus gubernandam, & omnibus præcipit, quod sint vigiles, & attenti; Constat, quod de istis servis inveniuntur duæ species, boni, & mali; boni semper timent Dominum Christum subitò ad eos in judicio venturum, & eos per mortem vocaturum, & ab eis rationem villicationis petiturum, & ideò continuè in bono vigilant, mortem & judicium semper expectant, &, ut quacunque horâ vocati fuerint. ipsos in bono statu Christus inveniat, summè studeni; quapropter Domino commendantur, & in cœlesti gloria discumbentes divinum ministerium promerentur. Undè Matth. 24. *Beatus servus ille, quem cum venerit Dominus, invenerit eum vigilantem.* Mali autem è converso faciunt, quia isti videntur habere oculum ad moram, quam facit Dominus suus, id est, ad dilationem judicii, & mortis, & ad longam vitam, quam sperant sibi concessam. Et ideò isti per negligentiam dormiunt, per gulam comedunt, & bibunt, per crudelitatem servos sibi commissos, id est, populum sibi subditum rapinis percutiunt; quapropter sæpè fit, quod isti morte præveniuntur & à bonis fidelibus dividuntur, & cum damnatis in inferno damnantur, Matth. 24. *Veniet Dominus servi illius, quando non sperat, & horâ, quam ignorat, & partem ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium.*

Illud quod sequitur de servo sciente voluntatem Domini sui, & non faciente, potest allegari contra viros scientificos, qui sciunt bonum, & non faciunt, quia isti præ cæteris damnabuntur, quia sicut dicitur Jac. 4. *Scientes bonum facere, & non facientes, peccatum est illis.* Illi autem qui nec sciunt, nec faciunt, ut simplices & illiterati fideles, & pagani, & sic per ignorantiam non excusantur à toto, *quia ignorans ignorabitur* 1. Cor. 14. per ipsum tamen excusantur à tanto, quod non tantum punientur, sicut Domini voluntatem scientes, & ipsam facere non dignantes, sic plus damnationis accipient clerici, &c. Et ideò bene sequitur: *Cui multum datum est, multum exigitur ab eo.* Quantò plura receperunt talenta, tantò plura reportaverunt lucra. Ad plura igitur tenetur scientificus, qui recepit plura, quàm ignarus, qui recepit pauciora.

Illud autem quod sequitur, quia Dominus dicit se venisse ad F ignem in terram mittendum, & pacem tollendam, & parentes à filiis dividendos.

Hoc autem potest allegari, quomodo prudens Princeps, vel Prælatus summè debet studere, ut confœderationes malorum rumpat, sicut ad literam de Pharisæis, & Sadducæis fecit Paulus Act. 23. ut eos igne severitatis, & justitiæ succendat, & pacem cum vitiis, & cum hominibus impiis tollat, dicens illud Matth. 10. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.*

Vel ad literam illud fecit Christus in Ecclesia primitiva, ubi de una domo aliqui convertebantur, alii non, & sic ignis, zelus, discordia nascebantur, Apoc. 6. *Habebat gladium magnum, & datum est ei, ut tolleret pacem de terra.*

Capitulum decimum tertium. Textus. Aderant autem quidam eo in tempore nuntiantes illi de Galilæis.

Moralitatum Cap. VI.

CUm Pilatus quorundam Galilæorum sanguinem cum eorum sacrificiis miscuisset, & eos crudeliter (ut supponitur) occidisset. Cumque in Siloe quædam turris super decem, & octo homines cecidisset, & eos oppressisset; non illos tamen, qui talia passi fuerant, cæteris magis peccatores credidit, imo talem Pilati crudelitatem Christus reprehendit, & eos non plus peccatores aliis asseruit, sed nisi pœnitentiam agerent, omnes simul perituros prædixit. *Putatis* (inquit) *quod isti debitores fuerant præter omnes? Non, dico vobis, sed si non pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* G

Ista possunt allegari, quod in mundo culpæ non semper correspondent pœnis, sicut nec præmia meritis, nec è converso. Constat enim quod quandoque secundùm dispositionem occultæ Dei justitiæ, multi, qui non sunt cæteris pejores, casus in hoc mundo sustinent graviores; quinimò sæpè fit, quod illi, qui pejores sunt, in hoc mundo, ampliori prosperitate lætantur, & qui boni sunt, quandoque majori adversitate gravantur, & sic non debemus homines illos deteriores credere, quos videmus gravioribus fortunæ casibus succumbere. Bene ergo dicitur Matth. 9. *Nolite judicare, & non judicabimini.* Vide de hoc infra, Actorum 28.

Hic

Digitized by Google

Hic fit mentio, quod cum quidam, qui haberet ficum in vinea ſua, & annis ſingulis fructum quæreret, & non in ea reperiret, voluit eam ſuccidere dicens: *Ecce anni tres ſunt, ex quo veniens fructum in ficulnea hac quæſivi, & non invenio, Succidite ergo illam, ad quid enim terram occupat?* Agricola Domino reſpondit: *Domine dimitte eam, & hoc anno, ut fodiam circa eam, & mittam ſtercora; ſi autem non fecerit fructum, in futurum ſuccide eam.*

In vinea Eccleſiæ tális ſterilis ficulnea eſt peccator, qui nullum bonorum operum producit fructum, quia procul dubio Dominus non invenit in eo fructum per tres annos, quia nec fructum fidei, ſpei, nec charitatis, nec cordis, operis, nec oris in eo reperit; quapropter quantum eſt de ſe, ſtatim vult eam ſuecidere per mortem, & damnationem evellere, cum ſine fructu terram Eccleſiæ non debet occupare. Unde Dan. 4. *ſuccide arborem.* Sed pro certo ſub ſpe, quod agricola, id eſt, Prælatus, vel prædicator illam arborem per correctionem fodiat, & quod ſtercora, id eſt, propriæ vilitatis conſiderationem apponat, ſic quod fructus bonos producat, quandoque dimittit ipſum vivere. Si verò nec ſic ſe con-
H vertit, ſed longanimitatem divinæ patientiæ vilipendens, in ſterilitatem vitiorum ceciderit, & fructus bonorum operum non protulerit, in futurum Dominus veniet, & eam per mortem temporalem, & æternam ſuccidet, & deſtruet, Lucæ 3. *Jam ſecuris ad radicem arboris, &c.*

Intrans Jeſus in ſynagogam, vidit ibi mulierem, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem, & octo. Erat enim ad terram taliter incurvata, ut omninò non poſſet reſpicere, Cui Dominus cum manum impoſuiſſet, ſtatim erecta eſt, & Dominum glorificavit.

Sic verè fit, quod in ſynagoga fidelium invenitur aliquando aliqua mulier, id eſt, aliqua anima, vel perſona diverſis vitiis aggravata, & ad terram, id eſt, ad terrena per avaritiam inclinata, quod nec cœlum poteſt indè taliter reſpicere, nec de cœleſtibus cogitare. Sicut ad literam videmus de ſæcularibus & terrenis hominibus, qui videntur poſſe dicere cum Manaſſe, *Incurvatus vinculo ferri, & non eſt reſpiratio mihi, &c.* Pſal. 98. *Dorſum eorum ſemper incurva, &c.* Iſti enim octodecim annis, qui conſtant ex decem & ſex, & duobus, infirmi dicuntur, in quantum decem præcepta legis, ſex opera miſericordiæ, & duo charitatis mandata tranſgreſſi fuiſſe probantur, & tamen talibus Chriſtus quandoque manum ſuæ miſericordiæ porrigit, & eos à curvitate terrenorum erigit, dicens illud: *In ſublime erigere, & eſto glorioſus*, Job. 40. Ita quod iſti à terrenorum deſideriis ad cœleſtium amorem ſani ſurgunt, & Deum glorificant, & extollunt.

Capitulum decimum quartum. Textus. Et factum eſt, cum introiſſet Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum.

Moralitatum Cap. VII.

Hic dicitur, quomodo Chriſtus hydropicum ſanavit in Sabbatho.

In hoc notari poteſt, quod nullus eſt ita hydropicus, id eſt, per ſuperbiam inflatus, nec ità per avaritiam ſitibundus, quin ſal-
A tem in Sabbathis, id eſt, in feſtivitatibus debeat ſanari, & quin, quando Chriſto in religione, vel Eccleſia offertur, animis ejus debeat quietare.

Chriſtus invitatus ad convivium, intendens quomodo primos accubitus eligerent, incepit eos inſtruere, dicens: *Recumbe in noviſſimo loco, ut veniens, qui te invitavit dicat, amice aſcende ſuperiùs, & non diſcumbas in primo loco, ne fortè honorabilior te invitatus fuerit, propter quem oporteat te deſcendere, & cum rubore noviſſimum locum tenere.*

Iſta poſſunt allegari contra ambitioſos, conſtat enim, quod Deus ad noviſſimum ſtatum Eccleſiæ, vel ad nuptias mundanæ proſperitatis ſecundùm diverſos gradus univerſos invitat. Verùm tamen ipſe vult, quod unuſquiſque gradum ſuum cuſtodiat, & nullus ad altiorem gradum quàm deceat, per ambitionem aſcendat. Sed quia multi ſunt hi, qui primos accubitus, id eſt, altiores ſtatus, & primatus ambiunt, & eligunt, ibidemque jure, vel injuria ſe reponunt, ideò tales finaliter in morte ad locum infimum, ſcilicet ad infernum cum rubore perpetuo deſcendunt, & à celſitudine, quam impudenter aſcenderunt, deponuntur. Econverſo illi, qui modò in noviſſimo loco, id eſt, in ſtatu humilitatis, & paupertatis ſedent, & qui in hoc mundo gradu, & ſtatu ſuo ſunt contenti, finaliter in morte ſuperiùs ad locum honorabilem paradiſi invitabuntur, & ibi fœliciter extollentur. *Amice*, inquit, *aſcende ſuperiùs. Unde omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, &c.*

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos & miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia parata ſunt omnia. Omnes tamen cœperunt ſe excuſare, Primus dixit: *quod villam emerat, volens exire videre illam.* Alius dixit: *Se quinque juga boum emiſſe, & ad probandum illos velle exire.* Alius ait: *Uxorem ſe duxiſſe; & eam accipere debere.* Quibus auditis paterfamilias iterum ſervos miſit, debiles, & claudos civitatis ad convivium introduci mandavit, & ipſis domum ſuam replevit. Ipſos verò, qui ſe excuſarunt, de cœna ſua nunquam guſtaturos perpetuò ordinavit.

Sic verè, cum Deus à principio ordinavit quandam cœnam, ſcilicet refectionem gloriæ paradiſi, & ad ipſam vocaverit, & invitaverit univerſos, conſtat quod horâ cœnæ, ſcil. nunc in tempore gratiæ ipſe non ceſſat ſervos ſuos, id eſt, prædicatores mittere, & ad illud convivium homines convocare, Sed procul dubio communiter omnes divites ſe excuſant, & primò avari qui emere, vendere, acquirere, poſſidere villam hujuſmodi, id eſt, ipſius divitias, honores prædiligunt, & ideò circa iſta plus debitò intenti, ad hoc cœleſte convivium per bona opera non accedunt, *Villam*, inquiunt, *emi, habe me excuſatum.* Unde Prov. 27. *Anima ſaturata calcavit favum.* Alii excuſantur propter uxorem, id eſt, propter carnales delitias. Qui enim uxorem, id eſt, carnem, vel carnalem affectionem vult ducere, neceſſe habet ab affectu, & deſiderio cœleſtis gloriæ retrorre, & cœleſte convivium faſtidire. Alii excuſantur propter quinque juga boum, id eſt, propter quinque ſenſuum illecebras, quia ita ſunt aliqui vagi, & ita dederunt ſenſus ſuos ad exteriores illecebras hujus vitæ, quod de æternis, & ſpiritualibus nihil curant, & ideò breviter nullus talium cœnam paradiſi guſtabit, quia non eſt dignum, quod aliquis admittatur ad illam, qui mundi delectabilia ſibi præponit. Pauperes igitur tribulati, & debiles illuc per tribulationes intrare coguntur; & de talibus aula paradiſi impletur, quia cum divites circa terrena vacantes, cœleſtia repudiant, ſoli reſtant pauperes, qui ad convivium illud vadunt. Pſalm. 12. *Pauperes ſaturabuntur, &c.* B

Illud quod hic ponitur, ſcilicet de eo, qui vult turrim ædificare qui priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum, ne poſtquam ædificare inceperit, & conſummare nequierit, dicatur ſibi illudendo, illud, *Iſte homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Et illud de rege, qui cogitat, ſi cum ſuo exercitu poterit occurrere illi, qui venit contra eum cum majori, vel qui aliàs, miſſis legatis, rogat ea, quæ ſunt pacis.

Iſta poſſunt allegari contra illos, qui in ſuis viribus nimis confidunt, & qui merita ſua, vires, & virtutes non benè ponderant. Conſtat enim quod quilibet habet facere cum uno potentiſſimo rege, cum Deo. Habet enim ædificare neceſſariò unam altiſſimam turrim, ſcilicet celſitudinem contemplationis, apicem perfectionis; & ideò quilibet debet ſeipſum colligere, virtutes ſuas menſurare, computare, ut in ſeipſo cognoſcat, ſi ſua merita C
ſufficiant, ad hoc, quod poſſit regi in die judicii occurrere, & turrim moralis celſitudinis conſummare, alioquin ſi diminutum ſe & inſufficientem inveniat, debet legationem orationis devotè ad Deum mittere, & ipſius pacem, & veram miſericordiam implorare. Unde Matth. 5. *Eſto conſentiens, &c.*

Vel dic contra præſumptuoſos, qui quandoque de ſuis viribus præſumunt ſe turrim perfectionis, & contemplationis poſſe in ſe, & ex ſeipſis perficere, & regi Chriſto dignè occurrere credunt, unde ſæpe fit, quod iſti ad perficiendum non habent, & quod ultra vires ſuas aggrediuntur ardua, ità, ut quod aſſumunt, nequeant conſummare; quapropter neceſſe eſt eos in via deficere, & imperfectum ædificium dimittere, & ſic neceſſe habent hominum derifionem ſuſtinere, dicentium, *Ille homo incepit ædificare, &c.* Sicut iſta quotidie experimur in religione. Viri novitii quandoque ſunt ità ferventes in principio, quod ardua opera incipiunt, & ultra vires facere contendunt; qui tamen poſt citò deficiunt, & à viâ, quam cœperant, ad vitæ communis latitudinem non rarò ſe deflectunt. Nullus igitur debet ex abrupto ardua opera incipere, ſed deliberando ſuper hoc cogitare, virtutes ſuas metiri, & eas computare, ne fortè ſi inceperit, non valeat conſummare. Unde Senec. *Diù deliberandum eſt, quod ſemel ſtatuendum eſt*, Ideò benè conſulitur Eccleſ. 3. *Altiora te ne quæſieris.*

Capitulum decimum quintum. Textus. Erant autem appropinquantes ei Publicani, & peccatores.

Moralitatum Cap. VIII.

Mulier, quæ decem habens drachmas, ſi unam perdiderit, ſolet lucernam accendere, domum everrere, donec inveniat drachmam perditam. Quam cum invenerit, ſolet convocare vicinas, & de inventione drachmæ, quæ perdita fuerat, congaudere.

Dic, ſi vis de decima drachma, ſicut de ove centeſima reſtituta, ſcilicet de natura humana, quæ perdita fuerat, & novem ordinibus Angelorum adjuncta, ut habes ſupra Math. 18. Et dic, quod mulier eſt divina ſapientia, quæ de reparatione ruinæ Angelicæ gaudet

Vel dic moraliter, quod ſi mulier, id eſt, anima de decem drachmis, id eſt, de decem mandatis, vel de complemento, & perfectione virtutis aliquid perdiderit per aliquod peccatum, ſtatim debet lucernam rationis accendere, domum conſcientiæ per

Digitized by Google

contritionem evertere, & totum se per confessionem revolvere,
D & ita per satisfactoriam diligentiam quærere, quod eam possit recuperare, & spiritualiter invenire. Quam si invenerit, debet summè gaudere, & exultare.

Vel dic, quod mulier debet gaudere de recuperatione, perditæ drachmæ, id est, animæ peccatricis, & ad hoc totis viribus laborare. Supra eodem. *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis*, Lucæ 15.

Quidam homo habuit duos filios, quorum junior paternæ substantiæ portionem se contingentem petens, & capiens à patre recessit, & profectus in regionem longinquam, substantiam suam luxuriosè vivendo consumpsit. Tandem verò cum ortà fame esuriit; uni civium regionis adhæsit, & ipsius porcos pavit, & plerumque ventrem suum de porcorum siliquis implere cupiebat, & tamen nemo sibi dabat. Ille igitur fame afflictus opulentiam paternæ domûs memoratur, & ad patrem suum redire, & misericordiam cogitabat petere, dicens: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam, & dicam transeundo ad patrem meum, Pater peccavi in cœlum, &c.* Iste igitur ad patrem hoc modo venit. Quem videns pater, misericordiâ motus in oscula ejus ruit, & stolâ primâ ipsum induit, calceamenta in pedibus ejus, & annulum in manibus ejus imposuit, & occiso saginato vitulo convivium fecit ei, dicens: *Epulemur, & manducemus, quia hic filius meus mortuus fuerat; & revixit, perierat & inventus est.* Filius autem senior, qui tunc in agro erat, dum ad domum rediret, & sonum instrumentorum musicorum audiret, & causam convivii cognosceret, quam-
E plurimum indignatur, & jam intrare renuens, contra patrem dicebat: *Ecce tot annis servivi tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & tamen nunquam dedisti mihi hœdum, ut comederem cum amicis. Pro isto autem vitulum saginatum occidisti, qui substantiam suam cum meretricibus dissipavit.* Pater verò de inventione fratris perditi se oportere gaudere, dixit: Et sic primogeniti indignationem temperavit, & finaliter ad convivium introivit.

Ista possunt allegoricè exponi, & mysticè. Allegoricè homo iste significat Deum patrem, qui à principio duos filios, 1. duos populos subditos habuit, scilicet Judaicum, qui erat primogenitus atque major, Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel*; & populum gentilem qui erat adolescentior, & indoctior *Homo quidam habuit duos filios, &c.* Iste igitur insipiens adolescens, id est, populus gentilis, in principio à patre suo Deo, substantiæ portionem, scilicet, dona naturalia, & scientias philosophicas accepit, & à patre Deo per Idololatriam recedens, & abiens in regionem longinquam, id est, in statum damnationis, & peccati, bona sua, & virtutes naturales cum meretricibus, id est, carnis delitiis devastavit, in quantum variis vitiis carnalibus se fœdavit, & in quantum substantiam suam, id est, naturam per ea corrupit & gravavit. Unde uni civium regionis, scilicet, Diabolo adhæsit, qui ipsum porcorum, id est, poetarum, & carnalium philosophorum consortio copulavit, quorum siliquas, id est, quorum errores, & vanas doctrinas comedere, & acquirere quamplurimum affectavit, & tamen de ipsis habere ad plenum nequibat, quia nemo ad sufficientiam sibi dabat, Thren. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Iste igitur filius prodigus, scil. gentilis populus, fame, & desiderio cognoscendi verum Deum æstuans, ad patrem Deum suum finaliter revertitur, & errores suos confitens, misericordiam deprecatur, dicens: *Peccavi in cœlum, & coram te.* Quem videns pius pater in domum suam suscipiens, scil. in Ecclesiam introduxit, annulum sibi fidei tradidit, stolâ primâ, id est, gratiâ, ipsum vestit, calceamenta, id est, sanctorum exempla in pedibus suarum affectionum ponit, & vitulum saginatum pro eo interfecit, scil. Christi occisi fidem, & suæ passionis memoriam tradidit, & sic de ejus inventione, & conversione gaudium magnum fecit. Unde Luc. 15. *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Sed primogenitus filius, id est, Judaicus populus in agro sacræ scripturæ circa expositionem literalem vacans, audito choro, & symphoniâ convivii, id est, auditâ prædicatorum turbâ, & visâ solennitate convivii, & viso gaudio fidelium, indignatur in domum Patris, id est, Ecclesiam intrare, & fidem Christianam recipere non dignatur, quinimo contra Deum patrem nunc conqueritur, quod isti filio prodigo, id est, gentili populo, plura quàm
F sibi beneficia distribuit, dicens: *Ecce tot annis, &c.* Verba enim hæc possunt esse Judaici populi, prosperitati Christiani populi invidentis, & de conversione gentilium ad fidem eidem conquerentis, quia Judæi mandata legis ad literam optime custodiunt, & in cæremoniis legalibus Deo serviunt, & tamen nullam gratiam à Deo recipiunt, quinimo ipsi optimè possunt dicere illud Isaiæ 49. *In vanum laboravi sine causa, & vanè consumpsi fortitudinem meam.* Finaliter tamen Deus istos pacificabit & convertet, & in domum Ecclesiæ cum juniore fratre ad convivium Ecclesiæ introducet, & ad vituli saginati epulas, id est, ad Christi passionis fidem ipsos recipiet. Quia sicut dicit Apostolus Roman. 11. *Cum subintraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit.*

Vel ista possunt ad Religionum apostatas applicari Constat enim quandoque, quod adolescentes de domo religionis, & à patre suo Prælato recedunt, portionem bonorum patris, id est, illa, quæ possunt furari, deferunt, & in regionem longinquàm, id est, in mundum fugiunt, ubi uni civium, scilicet, Diabolo in diversis serviunt vitiis, & ibi substantiam suam, id est, naturalem, & temporalem, in luxuria, & carnaliter vivendo consumunt; tunc autem illis, quæ secum furtim portaverant, & de Religione furati fuerant, consumptis, esurire incipiunt, & siliquas, quas porci manducant, id est, bona terrena, quæ peccatores possident, acquirere, & comedere cupiunt. Sed cum ipsa acquirere nesciunt; nec aliquem, qui ea sibi det, inveniant; ideo sæpe fit, quod ipse esu- G riunt, & vilem vitam, egenam, & pauperem foris ducunt; Justo enim Dei judicio fit, quod tales, qui pro divitiis, & delitiis sectandis, Deum & religionam apostatando dimittunt, ad illas nequaquam attingant, sed in paupertate, & miseria in mundo vivant. Unde Proverb. 3. *Paupertas à Domino in domo impii.* Sæpe ergo fit, quod isti fame, & miseriâ urgente, de recessu, & apostatæ pœnitentes, ad patrem, id est, ad Prælatum, & Religionem redire proponunt, & ut saltem temporalem evadant miseriam, ad pristinum statum se convertunt, dicentes: *Quanti mercenarii abundant panibus in domo patris mei. Surgam igitur, & ibo.* Unde istorum vox videtur esse Lucæ 11. *Revertar ad domum meam unde exivi.* Contriti igitur, & humiliati, quandoque revertuntur ad Religionem, & misericordiam postulantes, suam fatentur culpam & confusionem. Pater prælatus debet tales benigniter recipere, stolo, id est, habitu ipsos induere, annulum, arrham salutis, id est, pœnitentiam eis concedere, & calceamenta bonorum temporalium pro sustentamento eis tribuere, vitulum saginatum, id est, Christum in Eucharistia, scilicet passionis Christi memoriam ipsis offerre, & de eorum conversione gaudere. Et quia communiter frater primogenitus, qui non fuit prodigus, id est, alii fratres, & religiosi, qui nunquam deliquerunt, sed patri, & Prælato servientes in religione manserunt, contra tales indignantur, & ipsos post conversionem, & reditum detestantur, aliosque deprimere, à dignitatibus, & officiis repellere, & culpas præcedentes exprobrare comprobantur, quinimò si talibus fiat convivium, id est, si talibus detur beneficium, vel à patre Prælato eis fiat præ cæteris aliquod temporale solatium, tales primogeniti conquerun-tur, dicentes: *Ecce tot annis servio tibi, & non dedisti mihi hœdum*, id est, beneficium; huic autem devoratori, & apostatæ confers favorem, & obsequium. Tunc pater, iste Prælatus debet tales reprehendere, & à suis detractionibus cohibere, & pro suis conversis peccatoribus, ne iteratò incidant, aliorum murmuribus obviare, dicens ei: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Hic autem frater mortuus fuerat, &c.* Ac si diceret: Vos non debetis contra tales indignari, nec eos exacerbare, sed de eorum salute benigniter exultare, Luc. 15. *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, &c.*

Vel dic generaliter, quod quicumque peccator à Deo peccando recedit, & partem suæ substantiæ, id est, bona naturalia in diversis vitiis expendit, & uni civium regionis, id est, mundo adhærens, porcorum, id est, immunditiarum obsequiis se submittit; si fame tribulationis cogente, ad Patrem Deum per pœnitentiam revertitur, ipsum statim solet misericorditer recipere, vestibus virtutum induere, vitulum saginatum, id est, suæ carnalitatis lasciviam occidere, & de eo cum gaudio festivare, sicut supra.

Vel dic, quod multi sunt hodie Domini huic patrifamilas similes, qui noviter venientes ad suam curiam, dato quod sint prodigi & mali, dum tamen sciant verba adulatoria dicere, *Pater peccavi, &c.* solent lætiùs recipere, & latiùs primiantur, quàm illos; qui semper cum eo fuerunt, & qui diù in familia sua manserunt, & in agro suo, id est, in administratione sua diutiùs laboraverunt, Nova enim placent. Quia sicut dicitur Levit. 26. *Novis supervenientibus vetera projicietis.*

Vel dic, quod apud patrem Deum acquirunt dona ampliora tam gratiæ, vel gloriæ illi, qui quandoque peccatores fuerunt & pœnituerunt, quàm illi, qui nunquam deliquerunt. Tantus enim potest esse fervor post lapsum, quod pœnitens plus meretur, quàm qui lentè in justitia conversatur. Unde Apostolus Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, &c.*

Capitulum decimum sextum. Textus. Dicebat autem ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.

Moralitatum Cap. IX.

Hic ponitur parabola de villico, qui cum diffamatus esset apud hominum suum, propter quod villicationem suam perdere oportebat, dum adhuc haberet officium, & administrationem

Digitized by Google

tionem bonorum domini sui, cogitans, quod fodere non vale-
A bat, & mendicare erubescebat, vocavit debitores domini sui, & debita pro parte remisit, & sic eorum gratiam acquisivit, quod utique fecit, ut cum amotus esset ab officio, ipsum in tabernacula sua reciperent, & factam gratiam recompensarent, dicens primo: *Quantum debes domino meo? Centum cados olei, Accipe igitur cautionem, & scribe quinquaginta, &c.* Dominus igitur suus hoc audito, ipsum de prudentia sua commendavit. Christus etiam à simili docet nos de alieno largos esse, & de mammona iniquitatis, pauperes nobis amicos facere debere, ut cum defecerimus, nos possint in æterna tabernacula acceptare.

Verba Salvatoris illam parabolam exponunt, & eam esse datam propter misericordiam dicunt. Unde ista est veritas, nam quilibet habet à Deo aliquem villicatum, habet enim ministrare bona naturæ, & fortunæ, 1. Cor. 4. *Quid enim habes homo, quod à Deo non accepisti?* Homo enim in administratione sensuum corporalium, vel bonorum temporalium, non est nisi villicus Dei. Cum igitur necesse sit, quemlibet in morte talem villicationem perdere, ideò ante finem debemus de remedio providere. Igitur debemus de bonis commissis, & temporalibus pauperibus benefacere, & si quæ nobis debent, remittere, ut post mortem, quando villicationem, & temporalium administrationem amiserimus (ubi non erit fodiendum, id est, bene operandum, & ubi erit verecundum in inferno degere) possint isti pauperes, quibus in hoc mundo benefecerimus, in cœlestibus tabernaculis nos recipere, & fovere. Quod si fecerimus, Dominus nos commendabit. Et quamvis ista bona non sint nostra, sed potiùs sua, si inde eleëmosynam fecerimus, ipse Dominus approbabit. Igitur de mammona iniquitatis, id est, de terrena substantia, quæ revera multas iniquitates inducit, debet unusquisque pauperes, & sanctos sibi amicos facere, ut in eorum tabernaculis, id est, in regno cœlorum, quod est pauperum, mereatur cum eis exultare. Unde Luc. 6. *Date, & dabitur vobis.*

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ, & byssо, & epulabatur quotidiè splendidè. Et ad januam ejus jacebat quidam infirmus, & ulcerosus, nomine Lazarus, qui cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa ejus, & nemo ei dabat, sed veniebant canes, & lingebant ulcera ejus: cum igitur dives, & Lazarus morerentur, Lazarus in sinu Abrahæ fuit positus, & dives in inferno sepultus. Cum igitur dives, qui erat in tormentis, oculos levasset, & Lazarum in sinu Abrahæ vidisset, guttam a-
B quæ pro linguæ refrigerio per Lazarum, quem vivens contempserat, sibi dari petiit, quam tamen Abraham sibi non concessit. *Mitte* (inquit) *Lazarum, qui intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Fili*, inquit Abraham, *recordare, quia recepisti bona in vita tua, hic autem similiter mala, ideò hic consolatur, tu verò cruciaris.* Dives autem se non exauditum videns, pro fratribus suis, qui in mundo manserant, ut ad eos mitteretur Lazarus, intercessit. *Mitte*, inquit, *Lazarum quinque fratribus meis, ne & ipsi veniant ad hunc locum tormentorum.* Quem nec Abraham exaudivit, sed sibi dixit: *Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos, &c.*

Ista parabola potest ad multa moraliter applicari. Allegatur enim, quod judicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam, quia cum ipse potens facere misericordiam Lazaro, non fecit; ideò cum indigeret, nullam misericordiam impetrabit. Prov. 21. *Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, clamabit ipse, & non exaudietur.*

Ista etiam possunt allegari, *quod extrema gaudii luctus occupat.* Prov. 14. Et quia *Deus post tempestatem tranquillum facit.* Tob. 3. Dives, qui fuerat in epulis, & in vestibus pretiosis, positus est in flammis & suppliciis. Lazarus verò, qui fuerat in dolore positus, est cum Abraham in quietes locatus Luc. 1. *Esurientes implevit bonis, &c.*

Vel applica ad occultam Dei ordinationem, vel prædestinationem, quæ diversimodè variat motus rerum, & illis, quos novit in æternum damnandos, dat hic prosperitatem. Illis verò, quos scit perpetuò salvandos, dat adversitatem. Nullam causam allegat Abraham de damnatione divitis, nisi quia receperat bona in vita sua, Lazarus autem mala, & ideò vicem debere oportere mutari asseruit. De isto enim divite non legitur, quod fuit raptor, nec fornicator, vel superbus, sed solùm quia dives, & epulabatur. De Lazaro autem, non quod aliquod bonum fecerit, sed solùm quia miser erat. *Timeant* igitur *divites*, & adhuc dico timeant,
C *quia portant secum signum damnationis. Lætentur pauperes, quia secum trahunt signum salvationis*, teste Ambrosio. Successus temporalium, damnationis est indicium, Matth. 5. *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et *impossibile est divitem intrare in regnum cœlorum*, Matt. 19.

Vel dic, quod quandoque contingit ab illo in adversis auxilium petere, quem homo in prosperis non dignabatur respicere. Dives enim iste per Lazarum sibi auxilium dare petiit, quem languentem ad januam non respexit.

Vel dic, homo semper debet de amicis suis curare, & de eorum damnatione dolore, sicut ille, qui in tormentis positus, petebat Lazarum ad fratres suos mitti, magis volens solus perire, quàm fratrum damnationem videre.

Capitulum decimum septimum. Textus. Et dixit ad discipulos suos, Impossibile est, ut non veniant scandala.

Moralitatum Cap. X.

Occurrerunt Christo 10. leprosi, supplicantes quod sanarentur ab ipso Jesu: *Præceptor*, inquiunt, *miserere nostri.* Quibus misertus Dominus, præcepit, quod irent, & se sacerdotibus ostenderent. Ipsi autem cum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis, qui Samaritanus erat, quia mundatus, est regressus ad Dominum pro gratiis offerendis. Alii verò novem, qui Hebræi erant, nullatenus sunt reversi. Quod videns Dominus, inquit: *Ecce decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non fuit, qui rediret, & gloriam Deo daret, nisi hic alienigena.*

Dic, quod ire ad sacerdotes, nihil aliud est, quàm de peccatis confiteri, & proponere confiteri, quia scil. quando decem leprosi, id est, peccatores, qui utpotè decem præceptorum transgressores ex his transgressionibus sunt corrupti, volunt à lepra viciorum suorum curari, atque purificari, necesse habent ad Christum per orationem, & per veniæ implorationem, nec non per contritionem clamare, atque ad sacerdotes per confitendi propositum D
ambulare, & tunc, dum solùm ad sacerdotes ire incipiunt, & dum solùm confiteri proponunt, à culpâ horum liberantur. Veruntamen necesse est, quod confessio sequatur, alioquin in culpam pristinam relabuntur, sola enim contritio cum proposito confitendi peccata tollit, & gratiam restituit, Psal. 31. *Dixi: confitebor.*

Vel allega ista, quod alienigenæ, id est, sæculares, & laici, communiter meliùs regratiantur Deo de collatis beneficiis, quàm regulares, & clerici, quia isti devotè ad Dominum revertuntur. Illi verò, obtentis beneficiis temporalibus, & spiritualibus, peccatorum indulgentiis, in sua ingratitudine torpescere comprobantur.

Volens Dominus conditionem diei judicii declarare, & quod ignotè, & subitò veniet, demonstrare, dixit: *Sicut fulgur insperatò apparet, sic erit adventus filii hominis. Sicut in diebus Noë edebant, bibebant, vendebant, & emebant, & de diluvio non cavebant;* quando scilicet, diluvium subitò venit, quod omnem hominem submersit, & involvit, *sic*, inquit, *erit de die judicii.* Et subjungit, quod *tunc erunt duo in lecto uno, duo in agro uno, duæ molentes in mola una, & de omnibus istis unus assumetur, alius relinquetur.*

Illud allega, quomodo judicium & extrema tribulatio sunt hominibus ignota; & ideò cautiùs prævidenda.

Allega, quomodo de omni statu aliqui erunt salvati, aliqui damnati; quia de illis, qui sunt in lecto, id est, in statu quietis, & contemplationis, & de illis, qui sunt in agro, id est, in labore mundanæ negotiationis, & de illis, qui molant in mola una, id est, in una combinatione conjugalis cohabitationis, unus assumetur, & alter relinquetur, aliqui salvabuntur, aliqui damnabuntur, aliqui à Deo eligentur, & aliqui tanquam reprobi condemnabuntur, & breviter de omni statu & gradu aliqui sunt boni, & mali. Unde Jac. 3. *De eodem fonte egreditur aqua dulcis & amara.*

Capitulum decimum octavum. Textus. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare. E

Moralitatum Cap. XI.

Hic ponitur de vidua, quæ apud judicem iniquitatis se vindicari ab adversario petebat. Quod judex iniquitatis non propter justitiam, sed propter importunitatem sibi concessit.

Hoc potest applicari ad instantiam orationis, quia si iniquus propter importunitatem petentium voluit justitiam facere, multò fortiùs Deus propter orationis instantiam volet, quod justè petitur, concedere Luc. 11. Vide supra de amico qui petebat tres panes 2. Tim. 4. *Insta oportunè, & importune.*

De Pharisæo, qui se justificabat, & publicanum contemnebat, & bona sua coram Deo recitabat, dicens: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, sicut hic Publicanus, jejuno bis in Sabbatho.* Et de Publicano, qui peccatiens pectus suum misericordiam implorabat, sed nec oculos erigere ad cœlum præsumebat, dicitur hic; verùm publicanus justificatus recessit, quod tamen non legitur de Pharisæo præsumptore.

Ista exemplariter possunt allegari, quod plus placet Deo humilitas peccatoris, quàm severitas præsumptoris. Magis est Deo acceptabilis peccatorum confessio pœnitentis, & propriæ fragili-

Digitized by Google

fragilitatis, & vilitatis recordatio, & ex consideratione culpæ nata humiliatio, quàm illius, qui nunquam taliter deliquit, arrogans justitiæ propriæ præsumptio aliorum contemptus, & suiipsius bona opinio, Ideò sequitur hic Lucæ, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Illud præcipuè accidit in Religione, ubi sunt quidam Pharisæi, id est, qui reputant se cæteris magis justos, si vident aliquem publicanum, id est, aliquem, qui antè deliquerit, dato quod ipsum vident pœnitentem, & implorantem misericordiam, tamen ipsum solent contemnere, & abominari, & se ei præferre, & eum detestari; & tamen apud Deum magis diligitur iste non præsumens de propria fragilitate, atque non erigens præ confusione oculos apud Deum magis, quàm alios contemnens reputatur. Unde Luc. 15. *Gaudium est Angelis, &c.*

F *Capitulum decimum nonum. Textus.* Et ingressus perambulabat Hiericho.

Moralitatum Cap. XII.

CUm esset Jesus in Hiericho, princeps quidam publicanorum, Zachæus nomine, quærebat videre Jesum, quis esset, & non poterat propter turbam, quia staturâ pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia erat indè transiturus. Jesus autem videns devotionem ipsius, ipsum vocavit, dicens: *Zachæe festinans descende, quia hodiè in domo tua oportet me manere.* Qui festinans descendit, & eum gaudens in domum suam recepit. Qui ex tunc ad Dominum conversus est, & dimidium bonorum suorum dedit pauperibus; & si quem defraudaverat, in quadruplum sibi restituere promisit, dicens: *Ecce ego dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudavi, reddo quadruplum.*

Per istum Zachæum intelliguntur simplices boni sæculares, qui in scientia, & moribus sunt pusilli, & qui dato quod Jesum per contemplationem videre cupiant, turbâ tamen sæcularium negotiorum sunt aliquo modo impediti, Matth. 20. *Turba increpabat eos, ut tacerent, &c.* Veruntamen quandoque fit, quod tales supra vires conantur, & ad videndum Jesum, id est, contemplationem spiritualium sublevantur; ascenduntque in arborem crucis per passionis contemplationem, & sic vident Christum per simplicem devotionem. Unde Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem, &c.* Christus verò bonam istorum, & simplicem affectionem intuens, in domum eorum per gratiam descendit, & eos totaliter ad bonum adoptat, & convertit.

Quod verò Dominus Zachæum aliena restituere, & propria pauperibus dare fecit. Per hoc ostendit Christus, quod iste Zachæus rectè teneat typum boni eleëmosynarii. Qui non procrastinat: ideò dicit Domino: *Ecce do.* Qui modicum non dat: ideò dicitur: G *Dimidium* bonorum meorum do pauperib. Qui etiam discretè, indigentibus, non divitibus, sua dispensat: ideò dicitur *pauperibus;* Qui alienis sua interesse, & damna restituit: ideò dicitur: *Si quem defraudavi, reddo quadruplum.* Ista dilata, si vis.

Volens Dominus intrare Hierusalem, præcepit pullum asinæ alligatum, supra quem nullus hominum sedit, solvi, & sibi adduci, supra quem civitatem intraret. In quo introitu Ipsum puerorum collegium honoravit, &, *Osanna in excelsis*, clamavit. Alii tollentes ramos olivarum de arboribus, sibi obviam præcesserunt. Et alii vestimenta sua prostraverunt, & ipsum honorificè receperunt, ipsum tamen Judæi satis citò pòst occiderunt.

Illud allega, quod quicunque voluerit civitatem Hierusalem intrare, id est, paradisum, & ibi à pueris Hebræorum, id est, ab Angelis honorem æternum recipere, debet non superbè procedere, sed potiùs super pullum asinæ, quod est animal humile, laboris patiens, ist' est, debet virtutem humilitatis, & patientiæ quærere, & sic cum ea poterit intrare, & ibidem gaudenter recipi, & venire. Nullus enim in cœlestem Hierusalem cum honore suscipitur, nisi qui super asinum, id est, cum humilitate, & patientia illic feretur. Undè Luc. 18. *Qui se exaltat, humiliabitur.*

Vel dic, quod Christus solùm illos spiritualiter requirat, & sibi applicet, quos pullos asinæ, id est, humiles, & patientes esse cognoscit, & quos in hoc mundo alligatos vinculis mandatorum videt, super quos nullus sedet, id est, quos nullus dæmonum & vitiorum subjecit; talesque finaliter à pœnis, & laboribus suis solvet, & eos in cælestem Hierusalem ducet.

Vel dic, quando Christus vult in Hierusalem, id est, in mentem nostram venire, ipsum debemus honorificè recipere, vestimenta terrenorum bonorum exuere quantum ad affectum, & ea in terra, id est, inferiùs ad pauperes per eleëmosynas deponere, & cum ramis olivarum, id est, cum pietatis operibus eidem obviare, & gratias agendo debemus pro spirituali visitatione sua, *Benedictus qui venit*, mentaliter clamare, & hoc ipse monet Psal. 58. *Exurge in occursum meum, & vide.*

Vel dic, in eo, quod Christus fuit in Hierusalem ita honorificè receptus, & tamen citò post extra civitatem ejectus, & crudeliter crucifixus, potest notari illud quod *extrema gaudii luctus occupat* Prov. 14. & quod civitas hujus mundi illos, quos prospere solet in lætitia recipere, donis & honoribus extollere, solet quandoque citò post mortem infortunio expellere, & crucifixioni, id est, pœnis, & cruciatibus subjugare, Unde 2. Re. 15. *Heri venisti, & hodie compelleris egredi.*

Judæi, cum dicerent Christo, quod pueros, clamantes *Osanna* sibi, increparet; respondit Jesus, *Si illi tacuerint, lapides clamabunt.*

Hoc potest allegari, quod lapides quandoque, id est, in defectu clericorum sæculares Deum laudant, & quandoque de ipsis lapidibus, id est, de ipsis duris, & obstinatis peccatoribus inveniuntur a- H liqui, qui Deum magnificant, & exultant. Unde Luc. 3. *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Illa enim, quæ sequuntur hic de decem, mnis vide Matt. 25. ubi agitur de talentis. Illa quæ sequuntur cap. 20. vide Matt. 21. & 22.

Capitulum vigesimum primum. Textus. Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua.

Moralitatum Cap. XIII.

QUum quadam die in templo multi multa ponerent, & offerrent, inter eos fuit quædam paupercula vidua, quæ duo minuta in gazophylacium mittebat. Hoc igitur videns Dominus, ipsam omnibus aliis prætulit, & donum suum cæteris majus indicavit, dicens: *Hæc vidua paupercula plus quàm omnes misit, quia cæteri ex abundantia sibi miserunt, hæc autem omnem victum, quem habebat, misit.*

Hoc potest allegari, quod Deus in eleëmosynis, & operibus erogationis magis attendit affectum, quàm effectum, & magis cogitat voluntatem, quam operis quantitatem; quia magis reputatur illud, quod habens homo, dat Deo indigens, quàm quod dat opulentus, & plenus. Quod etiam apud homines debet esse, quia magis debet homo diligere, & plus ponderare munus amici pauperis, quàm munus amici divitis. Unde Cato: *Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus, &c.*

Capitulum vigesimum secundum. Textus. Appropinquabat autem dies festus Azymorum.

Moralitatum Cap. XIV.

CHristus factus in agonia prolixiùs orabat, &, ut transferretur ab eo calix, Patris auxilium invocabat. Veruntamen voluntatem suam voluntati Patris subdeclinat, dicens: *Pater, si possibile est, transeat, &c.* A

Hoc potest allegari, quantò major instat tribulatio, vel periculosior agonia, id est, mentis anxietas, tantò debet ad Deum ferventior fieri oratio. Veruntamen quamvis homo se videat multipliciter tribulatum, nunquam tamen debet simpliciter petere talem tribulationem amoveri, sed semper sub conditione debet divinam voluntatem anteponere, & sui corporis saluti, suoque naturali appetitui debet Dei placitum anteferre, dicens: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Debet enim supponere, quod Deus scit melius, quid sit homini utile quàm ipsemet homo. Unde Greg. dicit: *Novit cœlestis Medicus, quid necessarium sit egeno, & quod creditur esse pœna, medicina est.*

Hic dicit Lucas, quod sudor Christi factus est, ut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Allega quod sanguis nostræ substantiæ temporalis, qui per sudorem, id est, per liberalitatem emittitur, non debet sursùm ad divites ascendere, sed deorsùm per eleëmosynas ad pauperes declinare.

Illud, quod hic dicit Christus Judæis, ad se capiendum venientibus: *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, & similiter illud Johan. 7. *Nemo misit in eum manum, &c.*

Ista videntur supponere, quod certa negotia certis horis attribuuntur, & secundùm proprietates horarum eventus negotiorum variantur, sic ista verba Christi ad opinionem astrologorum prima facie accedere dignoscentur, de hoc tamen nihil ad præsens.

Capitulum Vigesimum quartum. Textus. Una autem sabbathi, valdè diluculo venerunt ad monumentum. B

Moralitatum Cap. XV.

DUobus discipulis euntibus in Emaus adjunxit se Dominus in specie peregrini, oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, dato quod eis interpretaretur scripturas; finaliter, quando venerunt ad hospitium, cum Christus incepit eis panem frangere, ipsum cognoverunt, & eum in fractione panis plenariè perceperunt.

Sic verè in via hujus vitæ, boni simplices secum habent Christum per gratiam, ipsum tamen per scientiam non cognoscunt; quia isti sunt, qui simpliciter confitentur, & veraciter credunt; finaliter tamen in hospitio paradisi, in vespere mortis, quando

Digitized by Google

quando panem æternæ satietatis ipsis distribuet, ipsum perfectè cognoscent, & facie ad faciem divinitatis ejus essentiam intelligent: unde Marc. 16. *Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.*

Vel dic, quod duo discipuli sunt duo populi, gentiles, & Judæi, qui cum in forma peregrini, in carne, scilicet, humana, in itinere hujus mundi personaliter Christum viderunt, ipsum per fidem cognoscere nequierunt; tandem postquam scripturas ipsis per prædicatores exposuit, & postquam panem sacræ scripturæ ipsis distribuit, ipsum cognoverunt, in quantum in eum crediderunt, & fidem receperût. *Cognoverunt de verbo, quod dictu erat eis de puero.* Luc. 12.

Hic dicitur, quod Jesus in medio discipulorum suorum post resurrectionem apparuit, sed cum præ stupore, & gaudio mirarentur, & se videre spiritum opinarentur, resurrectionem suam per duo testimonia probavit, in quantum pedes, & manus palpandos, & videndos obtulit, & partem piscis assi, & favum mellis sibi ab ipsis traditum manducavit.

C Sic dic spiritualiter loquendo, quod ille à mortuis, id est, à peccatis resurrexisse per pœnitentiam veraciter cognoscitur, qui se per confessionem videndum, & per correctionem tangendum voluntariè exhibet; qui piscem assum, id est, Christi passionem per compassionem manducat, & favum æternæ dulcedinis per devotionem degustat, Psal. 33. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.*

Moralitatum super Lucam finis.

MORALITATUM LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS SUPER JOHANNEM.

Capitulum secundum. Textus. Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilæa.

MORALITATUM CAP. I.

D IOannes Evangelista, qui post alios Evangelistas subscripsit Evangelium, aliquid superaddit de factis, & operibus Salvatoris, quæ alii omiserunt. De istis breviter aliqua ponam, & huic operi meo secundùm capitula, in quibus sunt, interseram, & adjungam. Igitur hic fit mentio, quod Christus cum ad nuptias, quæ factæ sunt in Cana Galilææ Joan. 2. cum matre ejus Maria esset vocatus, & vinum defeciset, hoc curavit mater ejus sibi dicere, & hoc ad finem, ut facto miraculo posset sponsi verecundiam operire, dicens: *Vinum non habent.* Christus verò primo satis durè respondisse videtur: *Quid mihi, & tibi mulier?* Veruntamen responsionem duram per facti sequentis dulcedinem temperavit. Sex hydrias lapideas in loco positas, & secundùm purificationem Judæorum ordinatas, aquâ impleri jussit, aquam mox in vinum convertens, architriclino, & qui erant in nuptiis, propinari mandavit, qui ut gustasset aquam vinum factam, sponsum vocans, & arguens, melius vinum usque in finem servasse indicarit: dicens: *Omnis homo bonum vinum primò ponit, &c. Et cum inebriati fuerint, id quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.*

Nuptiæ istæ significant prosperitatem mundanam. Quæ nuptiæ benè in Galilæa, quæ interpretatur transmigratio, factæ dicuntur, pro eo quod omne mundanum gaudium transmigrans, & transitorium reperitur. Ad istas tamen nuptias vocantur, quandoque tam Christus, quàm Maria, in quantum illi, qui mundi gaudia celebrant, hoc sine peccato, & cum bona intentione, atque, cum aliqualis contritionis & amaritudinis consideratione facere student, & sic Jesum, & Mariam procul dubio secum habent, Jesus enim bonam intentionem significat, Maria aliquam disciplinæ amaritudinem designat. Matth. 2. *Invenerunt puerum cum Maria, &c.* Quid igitur? Profectò vinum rectæ consolationis sibi deficit, quia, scilicet nullum potest esse ita magnum gaudium temporale, ubi perfecta consolatio sit. *Vinum,* inquit, *non habent,* quia omnibus consideratis semper est plus invenire de amaro quàm de dulci, & de aqua, quàm de vino, & de tribulatione quàm de gaudio in nuptiis, & prosperitatibus hujus mundi. Isa. 24. *Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus ipsum.* Sed pro certo Dominus præcipit ministris hujus convivii, id est, mundanæ prosperitatis sectatoribus, quod hydrias lapideas, id est, corda sua dura, & indevota primò aqua compunctionis impleant, & quod primò fletibus, & lachrymis culpas lavent, & tunc finaliter Dominus de aqua ista vinum faciet, in quantum suam amaram compunctionem in dulcedinem æternæ consolationis convertet; aqua enim vinum efficitur, quando præsens lacrymosa compunctio in vinum, quod lætificat cor hominis, id est, æternæ consolationis gaudium commutatur. Matt. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Nullus enim conviva præsentium nuptiarum, id est, mundi lætitiarum, vinum futuræ consolationis poterit obtinere, nisi primò aquam lacrymarum studeat in hoc sæculo possidere. Quilibet igitur conviva præsentium gaudiorum aquam compunctionis in hydria cordis habeat, & quamvis exteriùs gaudeat, intùs tamen fleat, alioquin vinum æternæ consolationis in posterum vanè sperat, quia sibi aliquando dicetur finaliter illud: *Ululate, qui bibitis vinum, &c.* Jool. 1.

Vel dic, quod convivium, & nuptiæ, ad quas vocantur Christus, & discipuli, significant statum pauperum, ubi quia vinum, id est, terrena consolatio sæpè deficit, hydriæ lapideæ sex, id est, sex opera misericordiæ, in quibus Judæi, id est, Deum confitentes, scilicet, fideles convertuntur, & purificantur, debent istum defectum supplere, & aquam bonorum temporalium in vinum consolationis, & recreationis, & refectionis pauperum, & convivarum commutare; ut sic architriclinus, id est, Deus Pater inde possit per complacentiam refici, & gustari. E

Vel dic, quod istæ hydriæ significant divites, qui ut communiter sunt lapidei atque duri, qui dicuntur continere metretas binas, vel trinas, in quantum duo præcepta charitatis, & fidem sanctæ Trinitatis debent servare, sex etiam sunt in quantum sex opera misericordiæ debent perficere, & implere. Isti ergo, quoties vident pauperibus vinum temporalis consolationis deficere, debent aquis alienæ miseriæ repleri per compassionem, & in vinum consolationis ipsas vertere per eleëmosynarum subventionem, & sic hoc vinum ab architriclino, id est, à Deo commendabitur per acceptionem, & approbationem. Proverb. 31. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro animo sunt, &c.*

Vel dic, quod architriclinus significat mundum, & mundi Principes, vel divites, quibus videtur, quod bonum vinum debet præponi; deindè, quod deterius est, apponi, quia apud eos meliora judicantur præsentia quàm futura, bona temporalia quàm æterna: quod verum est inter peccatores, quia modò bibunt in hoc sæculo bonum vinum, id est, prosperitatem, & gaudium, sed postquam hic fuerint inebriati, ditati, & impinguati, & repleti; tunc apponetur eis illud vinum, quod est deterius, id est, æternum supplicium, & tormentum, quoniam *erit fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum.* Deut. 23.

Cum Christus quadam die invenisset in templo vendentes oves, boves, columbas, nummularios sedentes, legitur flagellum de funiculis fecisse, & nummulariorum æs effudisse, dicens: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, quia, ut dicitur,* Matt. 21. *Scriptum est, domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem, &c.* quæ sumpta sunt ab Isai. 56. & Hier. 7.

Templum significat Ecclesiam, boves significant laborem bonæ operationis, & prædicationis. Oves significant simplicitatem honestæ, & humilis conversationis. Columbæ spiritus sancti gratiam seu sacramentales functiones. Nummularii significant sectatores avaritiæ, & aggregatores temporalis substantiæ & possessionis. Cum igitur in templo Ecclesiæ sint aliqui, qui vendunt boves, id est, laborem bonorum operum, & agriculturas prædicationum, pro spe temporalis retributionis faciunt. Aliqui, qui vendunt oves, id est, qui sectantur hypocrisim, & sub spe gloriæ mundanæ simpliciter, & humiliter vivunt. Aliqui, qui vendunt columbas, id est, qui gratiam sancti Spiritus, & Ecclesiæ sacramenta, officia, & beneficia pro temporali mercede conferunt. Aliqui nummularii, id est, aliqui avari, qui solum lucris, & pecuniis intendunt. Ideò Christus flagello suæ severæ justitiæ per mortem temporalem, & æternam illos, & eorum sequaces de templo Ecclesiæ ejiciet, æs & pecuniam avarorum ipsorum disperdet, & cathedras vendentium columbas, id est, status, & dignitates Simoniacorum subvertet. Non vult enim, quod domus Patris sui, quæ est Ecclesia, efficiatur domus negotiationis, nec quod illa, quæ domus orationis esse debuerat, spelunca latronum seu habitaculum malorum hominum nominetur. Omne enim turpe lucrum exindè præcepit auferri, & ante omnia sæcularia negotia, nec non omnia vana opera Simoniaca, & hypocritica scelera submoveri, dicens: *Auferte ista hinc.* Et breviter ista est veritas, quod cathedræ, id est, officia, & dignitates illorum, qui in templo Ecclesiæ vendunt columbas, id est, Simoniacorum, qui vendunt spiritualia, à Deo subvertuntur, & in prosperitate manere nullatenus permittuntur, sed aut deponuntur, aut infortuniis affliguntur Ozea 9. *Propter malitiam adinventionum ipsorum, de domo mea ejiciam eos.* Nummulariorum etiam, qui sunt ibi, id est, avarorum Ecclesiasticorum æs à domino effunditur, in quantum post mortem talium divitiæ ipsorum à quibusdam rapiuntur, & partim à parentibus, & partim à familiaribus, partim à latronibus dispergunturs, ita quod pro anima sua de qua, dum viverent, cogitare noluerunt, nec missæ, nec eleëmosynæ celebrantur, *Qui potest capere capiat.* F G

Capitulum quartum. Textus. Ut ergo cognovit Jesus.

MORALITATUM CAP. II.

POnitur hic de fatigatione Domini super fontem Sichar, & quomodo Christus mulieri Samaritanæ, quæ veniebat ad hauriendam aquam, prædicavit, & quod quinque viros habuerat, sibi dixit, & multos alios per eam ad se convertit, quia ista concives suos ad Jesum vocavit, & adduxit; & quomodo mirantes Apostolos, quod cum muliere loqueretur in messem alienam misit, sicut diffusè ponit hic Joannes.

Exponitur

Digitized by Google

Exponitur autem per Doctores de gentilitate, quæ à principio quinque viros, id est, quinque sensus naturales habuit, sed ipsis mortuis, & corruptis, alteri viro, qui non fuit vir, sed fornicarius, scilicet, Diabolo per idololatriam adhæsit. *Quinque* (inquit) *viros habuisti, &c.* quæ tandem ad Christum (qui ad civitatem Sichar, id est, in mundum venerat, & in infirmitate carnis assumptæ quasi fatigatus sedebat) in fonte suæ misericordiæ aquam veniæ recepturа) per fidem venit, quæ salutem, & conversionem retulit non solùm sui, sed multorum, quos ad Christi fidem convocavit, & quotidie spiritualiter convocare non cessat multipliciter. Transeo de ista expositione allegorica, quia nimis esset prolixa; si quis autem vellet ad punctum tractare, legat illud Matth. 15. *Ecce mulier de finibus illis egressa, clamabat post Jesum, miserere.*

Hic ponitur de filio reguli qui infirmabatur Capharnaum, sed vide simile aliquid de centurionis puero Math. 8. Cap.

H *Capitulum quiatum. Textus.* Post hæc erat dies festus Judæorum.

Moralitatum Cap. III.

ERat in Hierusalem probatica piscina, quinque porticus habens, circa quam jacebat multitudo magna languentium, claudorum, cœcorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus enim domini secundùm tempus descendebat in piscinam, & aquam ipsius movebat, & tunc qui priùs intrabat aquam, quacunque infirmitate teneretur, sanus continuò fiebat. Cum igitur inter alios esset ibi unus, qui triginta octo annis infirmitatè gravi detentus jacebat, nec sanari potuerat, pro eo quod quando aqua movebatur, nullum habebat hominem, qui ipsum poneret in piscinam, sed quando venire volebat, ipsum alius præcedebat, & sic propter portitorum defectum retro alios infirmus, & languidus manebat, & alius præcurrens sanitatis beneficium reportabat. Dominus sibi misertus, ipsum sanavit, & grabatum sibi tollere jussit. *Surge*, inquit, *tolle grabatum tuum, & ambula, & statim factus est homo sanus.* Et subjungit Dominus, dicens, *ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi contingat.* De ista autem probatica piscina, in qua Nathinnæi hostias lavabant, ponit Petrus Comestor, quod aliqui dixerunt reginam Saba ostendisse lignum Salomoni, in quo debebat homo suspendi, propter cujus mortem Judæi perderent regnum suum. Quo audito, illud lignum sepelivit in profundum, sed tandem probatica piscina facta est in eodem loco. Appropinquante igitur passione, lignum illud incipiebat surgere, & à motu suo aquam piscinæ agitare.

Ista piscina potest significare sacram scripturam, quæ quinque porticus habere dicitur, pro eo quod in ipsam per quinque libros Moysi subintratur. Vocatur etiam Bethsaida, quæ interpretatur domus frugum, domus pecudum, domus venatorum, quia sacra scriptura est domus, & repositorium frugum, id est, divinorum sacramentorum, & documentorum. Pecudum, id est, simplicium, & imperfectorum. Venatorum, id est, doctorum, prædicatorum, sapientum. Job. 30. *Ibi constituta est domus*
A *omni viventi.* Circa istam piscinam multi sunt languentes, id est, multi veritatem scientiæ desiderantes, & sanari ab ignorantia cupientes. Sed revera ad hoc quod infirmi, & simplices possint ibi sanari, vel in scripturarum codicibus informari, necesse est, quod Angelus, id est, divina inspiratio, vel Doctor bonus descendat de cœlo, qui aquam sacræ scripturæ moveat, & exponat. Sine Angelo enim, id est, sine Doctore, infirmitas ignorantiæ in hac piscina non sanatur, nisi fortè Christus per seipsum hominem sanet, & per revelationem sibi secreta sua manifestare dignetur. Matth. 28. *Angelus descendit de cœlo, & accedens, &c.*

Vel dic, quod piscina significat pœnitentiam, circa quam multitudo languentium peccatorum jacens sperat intrare, quia illi, qui sunt cœci per ignorantiam, claudi per injustitiam, aridi per invidiam, sperant tamen finaliter per pœnitentiam se salvare. Ista est, quæ dicitur Bethsaida, hoc est ibi domus frugum, quia fruges virtutum ibi recolliguntur. Domus pecudum, quia simplices hostiæ Domini fiunt per Nathinnæos, id est, sacerdotes, confitendo scilicet. Domus venatorum, quia ibi confessarii animas venari allaborant. Et breviter etiam ista est domus communis, quæ quinque habet porticus, in quantum omnes homines, qui in quinque peccant sensibus, in istam sperant intrare, & ad istam confluere comprobantur. Unde Job. 30. *Ibi constituta est domus omni viventi.* Eccl. 1. *Et omnia flumina intrant mare, & ipsum non redundat.* Sed pro certo nisi hic Angelus interveniat, id est, nisi Dei misericordia intercedat, qui in piscina pœnitentiæ aquam compunctionis moveat, talis infirmus, aut pœnitens pro nihilo laborat; solus enim motus aquæ, id est, solus compunctionis actus peccatorem spiritualiter sanat. Veruntamen non excluditur, quin quandoque Deus sine pœnitentia aliquos liberet, sicut apparuit in Paulo. Solo enim verbo, sola inspiratione potest hominem liberare, & absque pœnitentia criminibus expiare. Undè Rom. 3. *Arbitramur justificari hominem sine operibus* quia aliqui sunt qui per pœnitentiam sicut per viam juris salvantur. Aliqui verò per solam Dei gratiam specialem, & quasi per privilegium sanantur, ita quod cum ipsis quasi ex privilegio dispensetur. Rom. 9. *Miserebor, cui voluero. Surge* (inquit hic Dominus) *tolle grabatum tuum, & ambula.* Est enim grabatum lectus pauperum, qui significat peccatum, quia homo quando per contritionem surgit, & per confessionem grabatum peccati tollit, & per bona opera incedit, tunc sanus à peccato recedit. Veruntamen non debet amplius peccare, ne propter ingratitudinem ipsum contingat deterius sustinere. Unde Joan. 8. *Vade, & noli amplius peccare.*

Vel dic, quod multi simul currebant ad piscinam, unus solum- B
modo sanabatur, quia dato, quod omnes fideles ad pœnitentiam generaliter currant, pauci tamen salutem reportant. Unde 1. Corinth. *Omnes currunt, sed unus tollit bravium.* Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Vel dic, quomodo diligentia valde est proficua, quia qui est magis diligens ad piscinam intrandum, aut ad aliud bonum opus peragendum, debet esse prior ad præmium, & qui alios prævenit currendo, ipsos quoad sanitatem, vel lucrum præcedit.

Vel dic, quod isti languentes significant illos, qui sunt in purgatorio, qui piscinam paradisi ingredi cupiunt; secundum hoc autem aqua divinæ misericordiæ ad indulgendum movetur, secundum quod ab Angelo, id est, à Deo ordinatur. Sed revera quidam ibidem per longa tempora sunt in miseria, & languore, quia non habent hominem, qui eos ibi mittat, id est, qui pro eis intercedat, vel opera satisfactoria faciat, & sic oportet, quod languor, & dolor diutius in purgatorio perseveret, quousque dominus ipsos liberet, & solvat. *Domine* (inquit) *non habeo hominem, qui eum aqua movetur, &c.* Unde qui in purgatorio languent, possunt de suis amicis conqueri, dicentes illud Psalm. 27. *Amici mei, & proximi de longe steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.*

Vel dic moraliter, quod piscina est mens, cujus quinque porticus sunt quinque sensus, circa quos multi sunt languentes, id est, multi affectus, & appetitus vitiorum languore torpentes. Isti spiritualiter non sanantur, nec ad virtutum temperantiam reducuntur, nisi ante omnia aqua compunctionis ab Angelo, id est, à ratione in mentis piscina moveatur.

Vel dic, quod piscina quinque porticus habens, est lex Moysi C
quæ quinque librorum codices habet, ipsa tamen nullum potuit spiritualiter sanare, quousque Angelus testamenti, Christus, de cœlo descendit, qui aquam hujus piscinæ, & scientiam hujus legis movit, exposuit & implevit. Unde Aggæi 2. *Movebo cœlum, & terram, & tunc veniet desideratus, &c.*

Vel dic, quod piscina ista est curia Romana, vel cujuslibet Prælati, vel sæcularis, quæ dicitur Bethsaida hoc est domus frugum, id est, divitiarum; dicitur etiam domus pecudum, quia ibi sunt multi homines bestiales. Job. 40. *Omnes bestiæ agri ludunt ibi.* Domus venatorum, quia ibi sunt multi raptores, per avaritiam terrenorum venationi & acquisitioni vacantes. Ezech. 32. *Ibi principes aquilonis, & universi venatores.* In ista sunt multæ porticus, id est, multa officia, dignitates, gradus, ubi quilibet cupit intrare, & statum obtinere, & multi languentes, id est, ambitiosi beneficia affectantes; multi cœci & ignorantes; multi claudi, & in moribus vacillantes; multi aridi & indevoti, & incompatientes circumquaque jacent ad subintrandum aliquam porticum, id est, aliquod beneficium, nec non ad præveniendum alterum omnes studeant. Unde Joann. 20. *præcucurrit citiùs Petro & venit prior ad monumentum.* Attamen quandoque fit, quod per Angelum, id est, pro occultam Dei justitiam, aqua humanæ fragilitatis & mortalitatis movetur, ut puta, quando aliquis Episcopus, vel beneficiatus moritur, quare statim currit istorum ambitiosorum multitudo, qui intrare, & se immergere conantur; & tamen dato quod omnes currant, omnes ambiant, omnes cupiant, unus tantummodo promovetur, scilicet, qui priùs venit ad intrandum, id est, munera offerendum, & se præ aliis altiùs gerendo prius, rejectis aliis, recipitur, & sanatur. Unde 1. Corint. 9. *Omnes currunt, sed unus accipit bravium.* Sed quid? Pro certo, quandoque ibi sunt aliqui, qui nesciunt bene currere, nec se bene ingerere, nec habent aliquem promotorem, qui ipsos possit portare, & præponere, sicut ad literam boni, & sufficientes viri pauperes; qui revera satis motum aquæ expectare solent, quia diutissime oportet eos attendere, & languere, sed quia non habent portitorem, vel promotorem, necesse est ipsos pauperes, & languidos manere; illi verò qui ante alios veniunt, & qui ambitiosè se ingerunt, solent omnia reportare, & maximè quando portitorum, id est, fautorum, & adjutorum seu Prælatorum, vel assidentium magistrorum possunt auxilium procurare. *Domine*, inquit, *hominem, &c.* Unde quilibet pauper potest dicere illud Psalm. 14. *Non fuit qui adjuvaret, & considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Unde nisi tales à Christo miraculosè sanentur, & promoveantur, nunquam per cursum communem in piscina Ecclesiæ balneantur. Unde de Christo dicitur Psalm. 9. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

Vel

Digitized by Google

Vel dic,quod Angelus est Prælatus piscinæ Ecclesiæ præpositus, ad quem cum omnes currant, & ambiant, ut sanentur, & promoveantur,per ipsum ille solus ab ipso portat remedium, qui priùs venit ad obsequium, vel qui habet mediatorem, procuratorem, vel magistrum.

Capitulum octavum. Textus. Jesus autem perrexit in montem Oliveti.

Moralitatum Cap. IV.

Adducitur ad Dominum per Judæos quædam mulier in adulterio deprehensa. Illis igitur scisitantibus,quid de ipsa judicaret (cum Moyses hujusmodi lapidari mandaret,) & ex hoc ipsum capere volentibus,ut si diceret eam lapidandam, contra misericordiam,quam prædicabat, facere videretur. Si verò eam dimittendam diceret,legis transgressor haberetur; Deus, mediando utrumque, eorum tentativam nequitiam increpando, inclinans se, digito incepit in terram scribere, dicens : *Qui sine peccato est vestrûm,in illam priùs lapidem mittat.* Quo expleto, quilibet recedere cupiebat, ipse verò ut locum daret exeundi, iterum in terram scribebat. Cum igitur secundò scriberet, omnes unus post alium, incipientes à senioribus, recesserunt, & Jesum solum cum muliere stantem in medio reliquerunt. Jesus autem mulierem absolvit; & eam ab ipsis liberavit, dicens : *Nemo te condemnavit ? Nec ego te condemnabo. Vade, amplius noli peccare.*

Ista possunt allegari exemplariter ad multa. Primò ad cautelas malignorum, qui proponunt hominibus problemata bifurcata, ut quocunque se vertant, vel respondeant, in aliquo capiantur. Prudentes tamen viri sciunt evadere, & mediam viam tenentes sciunt hujusmodi malitias in caput facientium retorquere.

E Vel allega,quomdò non decet,quod criminosus criminosum accuset, & quomodò quilibet,antequam condemnet alium, debet scripturam,quam scripsit Deus in terra suæ conscientiæ, id est, propriam synderesim,& remorsum legere,& ibi peccata sua cognoscere, & sic, cum se videt majora,vel similia aliquoties commisisse, debet ab hujusmodi vindicativa accusatione cessare. Dicitur enim, quod in illa scriptura, quam in terra Christus scripsit, quilibet peccata sua videbat, quibus visis continuò recedebant. Cum igitur Dominus scripserit in mente,& in conscientia cujuscunque scripturam indelebilem, scilicet, synderesim,& remorsum, constat quod si intrà benè legerimus,& peccata nostra benè ponderaverimus,statim videbimus nos indignos ad alios judicandum, & de aliis malè opinandum, & sic à talibus accusationibus, & judiciis quiescemus, & ad nostram considerationem potiùs recedemus. *Qui sine peccato est vestrûm,primus in eam lapidem mittat, &c.* Ac si vellet dicere,Non decet peccatorem alios accusare,sed potiùs se castigare, Matth. 7. *Quomodò vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras?*

Vel illud, quod Christus fecit secundò scribens, ut locum daret recedendi, potest allegari, quomodò prudens judex debet multa dissimulare,& sub colore unius aliud intendere, ut intentum suum possit meliùs habere.

Vel allega de misericordia Salvatoris, quod non vult mulierem peccatricem, id est, animam perire, sed ipsam ab accusatoribus, id est, Dæmonibus,& tentatoribus liberare, & tunc crimina relaxare. Ezech. 18. *Non vult Dominus mortem peccatoris,sed ut convertatur, & vivat.*

Vel illud,quod dicitur, quod à senioribus recedere inceperunt: allega quod seniores quandoque sunt pejores cæteris,& qui alios judicant, si benè examinarentur, reperirentur cæteris nequiores.

Vel vide suprà lib. 14. cap. 43. §. 21. ubi mulier est anima peccatrix,accusatores sunt vitia,&c.

Capitulum nonum. Textus. Et præteriens Jesus vidit hominem cœcum à nativitate.

Moralitatum Cap. V.

Christus præteriens vidit hominem cœcum à nativitate, quem volens illuminare, lutum fecit ex sputo, & linivit oculos ejus, & dixit, *vade, lavare in natatoria Siloe, quod interpretatur missus :* abiit, & lavit, & recuperato visu rediit, quem tandem F Dei mirabilia recitantem, Judæi extra synagogam ejecerunt, Christus verò ipsum recepit. De ista natatoria, quæ missus interpretatur, dicit tam Epiphanius,quàm Comestor, quod cum Manasses rex Juda Isaiam Prophetam secari serrâ ligneâ faceret, & ultrà modum idem Isaias sitiret, aquam à ministris postulavit. Quam negatam statim in os ejus cœlitùs Deus misit, & ex tunc ibidem fons apparuit,qui tandem,quando reædificabatur civitas, infrà muros fuit positus, & sic Siloe, id est,missus, propter aquam missam desuper,fuit dictus.

Cœcus à nativitate,significat genus humanum, quod à mundi exordio fuit cœcum,in Adam excœcatum, & lumine divinæ gratiæ spoliatum. Finaliter tamen Deus oculis suæ misericordiæ istud videns,salivam suâ ab ipso emissam,id est, proprium filium pulveri nostræ humanitatis adjunxit,& quoddam lutum, id est, quandam mixturam Christum Deum, & hominem indè composuit, quo & G cujus fide oculos mentales humani generis priùs luto linivit,& ipsum lavari in natatoria Siloe, id est,in aqua baptismatis jussit,& sic visum veræ discretionis recepit,& lumen divinæ gratiæ, & claritatis vidit viriliter. Undè infrà eodem. Joan. 9.*Lutum posuit super oculos meos: lavi, & video.*

Vel dic,quod Christus significat prædicatorem, vel Prælatum, qui quando vidit aliquem cœcum, id est, aliquem peccatorem excœcatum vitiis, ante omnia debet sputo,id est, verbali doctrina sua lutum,id est, memoriam suæ naturæ luteæ sibi facere, & luto,id est, memoriâ mortalitatis suæ mentis ejus oculos lenire, tandem debet facere, quod in aqua Siloe,id est,in fonte lachrymarum,qui cœlitùs mittitur,se abluat,& sic lumen divinæ gratiæ acquirat, tunc ille potest dicere,quod sequitur : *Ille homo,qui dicitur Jesus,lutum fecit,& unxit oculos meos.*

Dum peterent discipuli de cœco nato, dicentes Joan. 9. *Quis peccavit,hic,aut parentes ejus,ut cœcus nasceretur ?* Jesus respondit eis, dicens: *Neque hic,neque parentes ejus, sed ut manifestarentur opera Dei in illo.*

Hic potest allegari,quomodò Deus utitur creaturâ suâ, quandoque ad miseriam, vel ad pœnam, ut exindè eliciat suam gloriam, & honorem. Nec ipsa creatura de hoc potest conqueri, quia scilicet factori licet facturâ suâ,quocunque modo voluerit, uti, sicut concludit Apostolus Rom. 9. Quia *figulus facit vas quoddam in honorem,& aliud in contumeliam de eadem massa ;* ut in uno sua misericordia,in alio sua justitia valeat declarari. Hier. 18. *sicut lutum in manu figuli, &c.*

Judæi dixerunt cœco illuminato, quando commendabat Christum. *In peccatis natus es totus,&c.*

Potest hoc allegari, quomodò arrogantes ab aliis, & maximè à pauperibus informari nolunt, sed seipsos meliores existimant, & quicquid ratione dixerint, vilipendunt. Undè ipsi videntur dicere illud, quod amici Job sibi dicebant Job. 15. *Quid nosti,quod ignoramus, quid intelligis, quod nesciebamus ?* Eccles. 13. *pauper petitus est, &c.*

Capitulum undecimum. Textus. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania.

Moralitatum Cap. VI.

Cum Christus in Bethaniam venisset,& Lazarum mortuum, & jam per quatuor dies in sepulchro jacentem, & fœtere incipientem, & in spelunca lapide supposito latitantem invenisset, exoratus à Martha ad sepulchrum venit, & flens, & orans Lazarum de sepulchro vocavit, dicens, *Lazare veni foras*, & statim, qui erat mortuus, surrexit, & ligatus pedes, & manus institis, velatâ facie sudario, prodiit. Quem Jesus solvi præcipiens. liberum abire permisit, dicens, *Solvite eum, & sinite abire.*

Per Lazarum potest peccator intelligi, & non solùm quicunque peccator, sed maximè ille, qui per consensum est mortuus, & per malam consuetudinem sepultus, & in speluncam profundæ iniquitatis lapide duræ obstinationis oppressus ; & ideò per quatuor dies, quorum primus est mala dilectio, secundus malus consensus, tertius mala operatio, quartus mala consuetudo, jam per malam famam fœtidus,& infectus, vinculis malarum complacentiarum ligatus, & sudario malæ executionis velatus. Psalm. 18. *Sicut mortui dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.* Sed revera quandoque fit ex speciali gratia, quod Deus tales à peccato suscitat, & eos miraculosè liberat, dicens: *Lazare veni foras.* Benè quidem hic Lazarus, qui interpretatur à Deo adjutus, nuncupatur, pro eo, quod sine speciali gratiæ Dei adjutorio, nulli tales à peccato resurgere dignoscuntur. Ephes. 5. *Surge,qui dormis, & exurge à mortuis.* Quando enim Deo placet hominem vocare, & à peccato convertere, H nullum est adeò profundum vitiorum sepulchrum, quod resurrectionem,id est,conversionem ipsius valeat impedire. Ps. 29. *Salvasti me à descendentibus in lacum.* Veruntamen circa istius suscitationem Christus legitur fremuisse,& flevisse, quod tamen in suscitatione adolescentis, & puellæ non legitur fecisse. In quo notatur, quod difficilior est conversio profundi peccatoris, & illius, qui jam per malam consuetudinem est sepultus, & per infamiam fœtidus, quàm illius, qui recenter est mortuus, id est, qui de novo in peccatum est lapsus. Lazarus enim dato quod suscitatus fuisset, ligatus tamen, & velatus exiit, quousque eum vinctum Dominus solvit. In quo notatur, quod dato, quod peccator per contritionem motus suscitetur, & vivus in statu gratiæ constituatur, adhuc tamen est ligatus, id est, ad confessionem esse

T obliga-

Digitized by Google

obligatus dignoſcitur,ut neceſſe ſit,quod per confeſſionem, & abſolutionem ſolvatur, ad hoc quod penitùs liberetur. Undè Luc.19. *Solvite eam,& adducite mihi.* Sola enim contritio hominem vivificat. Veruntamen neceſſe eſt, quod confeſſio,& abſolutio vinculum obligationis tollat, ne fortè,ſi contempſerit,in idipſum cadat,& relabatur.

Capitulum vigeſimum. Textus. Unâ autem Sabbathi,Maria Magdalena venit manè.

Moralitatum Cap. VII.

PEtrus,& Joannes venerunt ad monumentum Chriſti, ſed cum currerent duo ſimul,Joannes,qui erat Junior Petro, præcurrit citiùs Petro, & venit prior ad monumentum,veruntamen non intravit,Petrus autem, qui erat antiquior, venit ad monumentum ultimus,tamen protinùs intravit.

Hic poteſt notari,quod qui ardentiùs,& celeriùs volunt ad Chriſtum per bona currere,ut ſunt indiſcreti juvenes in Religione,vel in ſtudio,qui omnia credunt facere primo anno, & qui non metiuntur vires ſuas; ſed Petro,id eſt, antiquioribus ſe præferre conantur; iſti tamen tardiùs ad Chriſtum intrant, & tardiùs accipiunt, quod affectant, quia curſum ſuum continuare nequeunt, & neceſſe eſt, quod ante tempus deficiant. Galat. 5. *Currebatis bene, quis vos impedivit?* Illi, qui more Petri magis prudenter, & deliberatè procedunt,& quando non impetuosè, ſed maturè per bona opera currunt, ut qui viam communem ſequuntur, qui virtutes ſuas metientes, ſe primo impetu elevare non quærunt. Iſti, dico, intrando ad Deum, & conſequendo propoſitum ſuum alios præveniunt, & hoc, quia aliis deficientibus, viriliter perſiſtunt. In quocunque ergò negotio tam morali, quàm agibili, illi, qui tardè, & deliberatè operantur, currunt meliùs, & citiùs, & conſequuntur finem intentum,& acquirunt; & econtrà illi, qui in principio impetuoſiùs volunt ſua facta facere, tardiùs conſequuntur, & ſuccumbunt, benè igitur nobis conſulit Apoſtolus 1. Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Proverb. 13. *Subſtantia enim feſtinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicatur:*

Vel dic,quod Joannes ſignificat populum Judaicum, qui primò venit ad monumentum Chriſti,id eſt, ejus fidem in genere primò credidit,& tamen non intravit, quia Eccleſiam, vel fidem Incarnationis recipere noluit, ſed potiùs per incredulitatis vitium extra manſit. Petrus verò ſignificat populum gentium, qui tardiùs ad monumentum Chriſti,id eſt, ad fidem venit,tamen ipſe priùs credendo Eccleſiam intravit,in quantum, Judaico populo in infidelitate manente,ille credidit. Finaliter tamen Joannes poſt Petrum intraſſe dicitur,quia *Judaicus populus, poſtquam plenitudo gentium intraverit,ſalvus fiet,*& in fine temporum Chriſto credet. Et verificabitur illud Matth. 20. *Quod erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.*

Mariæ flenti ad monumentum legitur Dominus in hortulani ſpecie primitùs apparuiſſe. Deindè diſcipulis in unum congregatis, & propter metum Judæorum januis clauſis,Chriſtus apparuit, & pacem ante omnia eis obtulit. Deindè Spiritum ſanctum ipſis contulit,& poteſtatem relaxandi crimina dedit. Veniens (inquit) *Jeſus januis clauſis,dixit* Joan. 20. *Pax vobis, accipite Spiritum ſanctum,&c.*

Iſtud allega,ſi vis,quod Chriſtus ſpiritualiter ſolet apparere, & gratiam dare illis,qui flent ad monumentum ſuum,id eſt, illis, qui paſſioni, & morti ipſius compatiuntur, qui in unum per charitatem etiam congregantur,& qui januis clauſis, ſcilicet ſenſuum exteriorum oſtiis clauſis,in ſecreto mentis verſantur, & à mundanis negotiis ſegregantur,talibus pax interioris tranquillitatis offertur, & Spiritus ſanctus, id eſt,dona Spiritus ſancti conceduntur. Tales ſunt, ad quos Chriſtus per gratiam venire dignoſcitur, & ad eos intrare ſpiritualiter invenitur. Tales digni ſunt, ut per ipſos aliena peccata remittantur,id eſt, quod ad gradum Eccleſiaſticum ſublimentur. Nullus enim pacem animi poteſt accipere, niſi qui januis ſenſuum,& affectionum clauſis, ſeu à mundi negotiis ſe voluerit abſentare. Undè ſequitur, *quod iterum venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit* Jo. 20. *Pax vobis.*

Vel dic, quod quando Chriſtus januis uteri virginalis clauſis in mundum,id eſt, ad diſcipulos per nativitatem venit, tunc pacem hominibus dedit,& pacem inter Deum, & hominem reformavit. Undè Luc. 2. *In terra pax hominibus, &c.*

Illud,quod ponitur de Thoma, quod noluit credere dictis aliorum diſcipulorum,& Apoſtolorum,niſi Chriſtum reſuſcitatum,oculis videret,& manibus palparet.

Hoc exponitur à Gregorio, quod Deus aliquando ſanctos ſuos ſcrupulo dubitationis ergà divina myſteria percutit, ut ſancta indagine veritas eluceſcat, & per probationem elicitam illud, de quo dubitatum fuerat,notum fiat,quaſi diceret,quod Thomas, dubitando,cicatrices vulnerum tetigit,& dubietatis vulnus à fidelium mentibus amputavit.

Vel dic contrà quoſdam,qui non curant de auditu,ſed de viſu, & tactu. Non curant de verbali promiſſione, ſed potiùs de manuali oblatione,& de munerum manuali tactu,& præſentatione. *Niſi tetigero,*inquit, *non credam,*id eſt,niſi accepero, non faciam. Undè Gen. 27. *Accede ad me,ut tangam te.*

Capitulum vigeſimum primum. Textus. Poſteà manifeſtavit ſe iterum ad mare Tiberiadis.

Moralitatum Cap. VIII.

CUm diſcipuli piſcarentur,& nocte illa nihil prendidiſſent,manè facto adfuit Dominus in littore ſub ſpecie aliena, & præcepit illis,quod rete in dexteram navigii mitterent. Quod cum feciſſent, jam non valebant rete trahere, præ multitudine piſcium, qui tunc temporis capti erant. Cognito igitur,quod Deus eſſet, Petrus tunicâ ſuccinctus,miſit ſe in mare,itaque aliis navigio venientibus, ipſe per mare ad dominum venit,& tādem,tracto reti pleno magnis piſcibus,ſcilicet,centum & quinquaginta tribus,diſcipulis panem & piſces Chriſtus ad comedendum dimiſit.

Iſta allega,quod Apoſtoli,id eſt,prædicatores,quamdiù ſine Chriſto,id eſt,Chriſti gratia ſunt, tamdiù nihil prendunt, & rete prædicationis pro nihilo in ſæculi mare ponunt, quia nullos piſces, id eſt, nullos fluxibiles peccatores capiunt,& convertunt, & potiſſimè de nocte,id eſt, quando ſine lumine divinæ gratiæ prædicant, & piſcantur, & quando ad ſiniſtram navigii,id eſt, ſub ſpe bonorum terrenorum, vel gloriæ temporalis,quæ per ſiniſtram intelligitur, rete prædicationis ſuæ mittere noſcuntur. Sed quando Chriſtus per gratiam vult eis adeſſe,& ipſi ad ejus inſtinctum in dexteram navigii,id eſt, in ſpe æternæ retributionis rete prædicationis noverunt ponere, & ad nobilitatem ſupernam omnia ordinare, tunc abundanter piſces capiuntur,& peccatores convertuntur. Igitur ad dexteram eſt ponendum rete,præſente Domino, & non abſente. Cujus contrarium multi prædicatores faciunt, quia ſolùm ad laudem humanam prædicant,& ſic ad ſiniſtram, non ad dexteram rete ponunt. Undè Eccleſ. 10. *Cor ſapientis in dextra ejus, ſtulti autem in ſiniſtra.*

Vel dic,quod Petrus eſt quilibet juſtus, qui debet tunicam honeſtæ converſationis ſibi ſuccingere, & ſe in mare pœnitentiæ ponere, & ad Jeſum, qui eſt in littore Paradiſi,per bona opera venire, & ab ipſo prandium æternæ refectionis recipere. Matth. 22. *Ecce prandium meum paravi, venite, &c.*

Vel dic iſta ad commendationem fidei Petri, qui per navem venire noluit,ſed in mari ſe poſuit,& ſic ſuppoſito,ſuper aquas,vel ſaltem per aquas ivit.

Hic ſequitur de Petro,cui ter dixit Dominus,*Petre amas me, paſce oves meas.*

In quo dicunt Doctores aliqui triplicem negationem purgatam.

Fit etiam hic mentio de primatu Eccleſiæ dato Petro,& etiam de morte ejus, de Joanne Evangeliſta, de modo ſui deceſſûs, in quantum de eo dicit Chriſtus. *Sic volo eum manere, donec veniam. Ità quod exiit ſermo,& opinio inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur,* id eſt, quod mori non debeat,&c. Igitur iſta ad commendationem Petri & Joannis poſſunt adduci, ſed de omnibus omittamus.

Moralitatum ſuper Joannem Finis.

MORALITATUM LIBER TRIGESIMUS TERTIUS ſuper Acta Apoſtolorum.

Capitulum primum. Textus. Primum quidem ſermonem feci de omnibus ô Theophile.

Moralitatum Cap. I.

DE Actibus Apoſtolorum pauca ſub brevitate tranſcurro, & pauca de multis accipiens, ad finem operis jam fatigatus accelero. Igitur de Juda proditore,& ſuſpenſione ejus vide ſuprà Matth. 27.

Illud autem quod hic dicitur, quod Chriſtus dixit diſcipulis de futuro tempore quærentibus, *Non eſt,*inquit, *veſtrum noſſe tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.*

Hic poteſt allegari,quod ad viros religioſos,Chriſti diſcipulos,& amicos non pertinet vacare ad inveſtigandum futurorum temporum rationem, ſicut faciunt Aſtronomi, qui ſcrutantur curioſas ſcientias; quia quamvis iſta poſſint habere in pluribus veritatem, habent tamen annexam magnam vanitatem, paucam utilitatem, & magnam diſtractionis à ſalute animæ laxitatem. Iſta igitur Sapientiæ Divinæ relinquantur, nec circa hoc mens noſtra plùs debito diſtrahatur, Daniel. 2. quia *Deus eſt,qui mutat tempora.* Undè Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris.*

Mat-

Digitized by Google

Matthias loco Judæ mortui fuit electus,& per sortes, facto jejunio, à Deo manifestatus.

Hoc potest allegari, quod quærere voluntatem Dei per sortes non fuit illicitum in principio, dum tamen veritas, quæ quæritur,à Deo solo manifestari petatur, jejuniis, & orationibus exquiratur. Constat enim,quod Deus,quocunque modo voluerit, potest cujuscunque negotii veritatem ostendere,& ideò, quantum est de sortibus,non videbantur esse malæ, cum omnes antiqui tam fideles quàm infideles dignoscuntur sortibus usi esse,Sapiente teste: *sortes mittuntur in sinum: & à Domino diriguntur.* Proverb. 16. Quamvis igitur Ecclesia usum sortium prohibuerit, propter simplices, & pro eo quod pagani vim divinitatis in sortibus esse credebant (undè,sicut ponit Plinius,certas sortes Deæ fortunæ consecrabant, virtute quarum veritatem invenire se certiùs existimabant) Possumus F tamen dicere,quod sortes, quæ ad Deum solummodò mediatè, vel immediatè referuntur, non sint prohibitæ, quia malæ: sed potiùs malæ, & illicitæ, quia per Ecclesiam sunt prohibitæ. De his tamen nolo aliquid determinare, nec stylum meum circà talia dilatare.

Capitulum secundum. Textus. Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter.

Moralitatum Cap. II.

Discipulis congregatis die Pentecostes in unum, factus est repentè sonus advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ sicut ignis, & cœperunt loqui variis linguis, prout dabat Spiritus sanctus eloqui illis. Cum igitur plures nationum populi convenissent,sic actum est, quod, prædicantibus Apostolis, unusquisque linguam suam intelligebat, & ipsos loquentes Dei magnalia linguâ suâ, audiebat. Audientes igitur,quod isti,qui Galilæi erant, talia facerent,mirabantur. Alii autem deridentes ipsos ebrios testabantur. *Nonne,* inquiunt, *omnes isti,qui loquuntur, Galilæi sunt? Quomodò ergò audivimus unusquisque linguam nostram illos loquentes? &c.*

Rectè videtur,quod isti beati Apostoli figuram beatorum prædicatorum gesserunt. Fit enim quandoque quod discipuli Christi, id est, boni Religiosi, vel Clerici, in unum primò, scilicet, in Collegio, vel studio congregantur, ubi in unitate charitatis, & concordiæ quotidiè conversantur studendo, & contemplando, ibidemque sedentes, & à tumultibus quiescentes, in scientiis, & moribus informantur. Quod videns Spiritus sanctus, ipsos quandoque visitat, & domos conscientiæ suæ donis, & gratiis replet, & ditat, linguas ipsorum dispertitas facit apparere, in quantum G facit eos nunc de uno, nunc de alio prædicare, & suam eloquentiam, & doctrinam, nunc ad illum, nunc ad alium applicare, & sic secundùm conditionem locorum, temporum, & personarum verba mutare. *Apparuerunt in eis dispertitæ linguæ, & loquebantur variis linguis, &c.* quia lingua prædicatorum, & ipsorum eloquentia, & doctrina non debet esse uniformis, sed dispertita, non eadem sed distincta: quia aliter debet loqui divitibus, aliter pauperibus, aliter desolatis, aliter lætis, aliter justis: Nunc debet loqui de Paradiso, nunc de inferno,nunc de gratia,nunc de culpa, & sic de aliis. Ut scilicet Parthi, Medi, Elamitæ,& Judæi, Proselyti, Cretes, & Arabes, id est, omnis conditio personarum audiat apud eos linguam, id est, doctrinam suæ conditioni conformem. Undè prædicator *debet esse omnibus omnia,* 1. Cor. 9. sicut Apostolus de seipso dicit Rom. 1. *Omnibus omnia factus sum.* Quia sicut idem dicit: *Græcis atque barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum.* Fecit igitur Spiritus sanctus, quando cor, & lingua prædicatorum, vel Doctorum affluxerunt, ut potuerint variis varia prædicare, & scripturam diversimodè intelligere, de thesauro suo nova, & vetera propinare;tamen ipse Spiritus etiam super singulos sedere debet;in quantum singulariter, & sigillatim singulas gratias diversis diversimodè partitur;quia sicut dicit Apostolus 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt,idem autem spiritus dividens singulis prout vult.* Adverte tamen,quod mali faciliter solent de justis, & prædicatoribus,& viris scientificis Spiritu sancto repletis judicare, & maximè H quando vident eos de humili plebe natos, solent eorum veritatem, & doctrinam vilipendere, & eos ebrios, & phantasticos reputare. *Nunquid,* inquiunt,*omnes isti,qui loquuntur, Galilæi sunt? &c.* Et mali similiter dicunt: Nonne omnes isti rustici sunt,de plebe humili nati? Undè præsumunt coram nobis, & aliis ità loqui. Illud potissimè videntur dicere nobiles, quibus non videtur, quod ullus inferioris generis est dignus coram eis apparere, officium dignitatis habere, & eos reprehendere, vel docere. Sicut dicebant de Christo Marci 6. & Luc. 4. *Nonne hic est filius fabri?* Undè omnia ista vide, si vis, in Evang. Et tamen isti debent advertere, quod *spiritus ubi vult spirat* Joan. 3. *& quod non est apud eum acceptio personarum.* Alii mali, quandoque viros justos phantasticos, & ebrios reputant, quando Dei magnalia, id est, alta Dei opera, & judicia tractant, sicut ad literam patet de sæcularibus, qui omnes solent phantasticos dicere, quos vident in scientiis philosophicis; in consideratione operum naturalium studere, sicut de Christo apparet, cui, quando ferventiùs prædicabat, dicebant, quod dæmonium habebat. Omnes isti, qui non intelligebant Apostolos, cum linguis variis loquerentur, ipsos dicebant ebrios, sicut mundani, qui non intelligunt scientias antedictas. Ideò eorum sectatores reputant fatuos, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia est illi,qui non potest intelligere.*

Capitulum tertium. Textus. Petrus autem & Joannes ascendebant in templum.

Moralitatum Cap. III.

Quidam, qui erat claudus ab utero matris suæ, quem bajulabant quotidiè ad portam templi, quæ dicitur speciosa, ut ab intrantibus in templum eleemosynam mendicaret, cum eleemosynam postulasset à Petro, & Joanne, qui ascendebant in templum ad horam orationis nonam, intendens in eum Petrus dixit: *Aurum,& argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Nazareni surge, & ambula in pace.* Apprehensâ igitur dexterâ ejus elevavit eum Petrus, & statim consolidatæ sunt bases ejus,& plantæ, & exiliens ambulavit, & intravit cum illis in templum, & magnificavit Deum. A

Iste claudus significat hominem peccatorem,qui ab utero matris dicitur claudus,eo quod ab ipso matris utero naturale est homini in moribus claudicare. Undè Joan. 9. *Præteriens Jesus, vidit hominem cæcum à nativitate.* Per templum intelligitur Paradisus seu Ecclesia triumphans. Per portam intelligitur Ecclesia militans, quæ virtutibus dicitur speciosa: Per Petrum & Joannem,boni Prælati,& Prædicatores intelliguntur,qui in templum Paradisi ad orandum debent per contemplationem ascendere, in hora nona, ità ut cùm novem ordinibus Angelorum mentaliter conversentur. Ista est veritas, quod in porta templi,quæ dicitur speciosa, id est, in Ecclesia militante inveniuntur multi claudi ab utero matris suæ,id est, multi peccatores, qui nunquam in moribus rectè successerunt, sed per injustitiam claudicaverunt,qui cum non curant nisi eleemosynas, id est, terrena bona accipere, & de spiritualibus non curantes, ista solent per avaritiam ab hominibus mendicare, & ea diligentissimè procurare; tunc Petrus & Joannes boni Prælati debent talibus spiritualiter compati, & eorum miseriæ misereri, & istis, non temporalia, quæ appetunt,sed spiritualia, quæ negligunt, largiri. Debent igitur ipsis dicere, quod in nomine Domini de terrenis affectionibus surgant,& per bona opera procedant, dicentes Joan. 5. *Surge, tolle grabatum tuum, &c.* Tunc enim talis claudus per manum Dei potest surgere, & à statu peccati converti, & basium moralis fortitudinis soliditatem recipere, & cum eis, qui ipsum convertunt, in templum Paradisi per bona opera, ambulans, & exiliens, & Deum laudans finaliter introire. Undè Matth. 27. *Post resurrectionem*, id est, post conversionem *venerunt in sanctam civitatem;* & breviter illi, qui sunt Petrus, id est, boni activi: Joannes,id est,boni contemplativi, qui templum Paradisi,id est,per contemplationem, & orationem volunt ascendere, & ad claudos salvandos,id est, peccatores convertendos se vertere, & eos prædicando à surgendo de peccato inducere, & manu tangendo,id est, exemplariter manuducendo ipsos erigere, taliter quandoque faciunt, quod ipsos in templo Paradisi procurant intrare. Undè Act. 9. *Ad manus illum trahentes introduxerunt Damascum.*

Vel dic, ut suprà, uterus matris nostræ est carnis concupiscentia, quæ facit filios omnes claudicare, &c. Sicut suprà.

Vel dic,quod istud est originale peccatum,&c.

Capitulum quintum. Textus. Vir autem quidam nomine Ananias. B

Moralitatum Cap. IV.

Cum in primitiva Ecclesia omnes fideles in Hierusalem in communi viverent, ità quod multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia, ità quod vendentes domos, & agros offerebant pretium ante pedes Apostolorum, & dividebatur singulis, prout unicuique opus erat, ità quod magna gratia erat in illis, nec quisquam erat egens inter eos uti habetur Act. 4. Contigit, quod Ananias quidam vendebat agrum, & conscia uxore sua, fraudavit de pretio, partem ad pedes Apostolorum posuit,aliam retinuit. Cum Petrus ipsum increparet, super hoc statim mortuus cecidit. Uxor ejus,quæ tunc absens erat post tres horas veniens,& hoc audiens protinùs expiravit. *Cur* (inquit Petrus) *tentavit Satanas cor tuum? nonne manens tibi manebat,*

Digitized by Google

nebat,& venundatum in tua erat potestate? Non es mentitus hominibus,sed Deo. Videtur igitur supponere Petrus,quod ipse non peccaverat retinendo totum,vel partem,cum totum possit retinere, sed potiùs dicendo, quod totum pretium appositerat, super hoc mentiendo.

Ista possunt allegari contra Religiosos. Ista enim Ecclesia primitiva videtur Religionis typum gerere , & ipsius formam & rationem designare. Constat ergo quod ipsi debent communiter vivere per concordiam , & charitatem, unum cor, unam animam
C possidere, & omnia, quæ habent , debent vendere , & nihil sibi proprium remanere, nihil debent suum dicere , sed omnia communia reputare , omnia, quæ habent , debent ad pedes Apostolorum , id est , dispositionem Prælatorum ponere , qui debent unicuique de necessariis providere. Undè Prov. 1. *Marsupium sit unum omnium nostrum*, & sic, si ità facient , magnam gratiam Dei , & populi poterunt acquirere , ità quod nullus egens erit inter eos , in quantum eos faciet Dominus in necessariis abundare. Ista est veritas , quod si nos , & alii Religiosi istam regulam modò teneremus , nunquam indigeremus , sed bonorum abundantiam haberemus. Undè Prov. 10. *Non affliget Dominus animam justi.* Sed multi sunt sicut Ananias , qui occultè terrenas divitias retinent , & ante pedes Apostolorum , id est , in dispositione Prælatorum bona sua non totaliter exhibent , sicut ad literam sæpè faciunt proprietarii regulares ; qui vix volunt veritatem suarum rerum , requisiti à superioribus , revelare. Et tales pro certo,quia hominibus non mentiuntur , sed Deo , finaliter pereunt , & sic de suo mendacio triste solatium ferunt secum. Igitur benè dicitur Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Licitum fuerat eis à principio res suas, & divitias retinere , sed ex quo religionem intraverunt , non sine Prælati licentia aliquid reservare possunt , & nullo modo se debent mendaciter excusare , cum apud Spiritum sanctum , cujus negotium geritur , nullus possit negotium occultare, ut patet in Actis Apostolorum.

Illa verba Gamalielis , quæ de de prædicatione sunt dicta : *Si ex hominibus consilium hoc: dissolvetur*, sicut ibi exemplificat de duobus. *Si autem ex Deo sit,ipsum non poteritis dissolvere, ne forte Deo repugnare videamini.*

Hoc potest allegari, quod ut communiter illa operà, quæ à Deo non sunt , & quæ vera intentione non fiunt , durare non possunt, sicut patet de hypocritarum fictionibus , & de malitiosorum inventionibus , sicut dicitur Matth. 15. *Omnis plantatio, &c.* Illa verò, quæ sunt à Deo data , quandoque videntur deficere , non tamen deficiunt, sed excrescunt , & in multum convalescunt , & meliùs. Undè 1. Joan. secundò. *Omne,quod à Deo est, manet in æternum.*

Capitulum sextum. Textus. In diebus autem illis crescente numero discipulorum.

Moralitatum Cap. V.

APostoli dixerunt , quod *non erat æquum eis dimittere verbum Dei, & servire mensis,* & ideò certos viros ad hoc elegerunt , quibus in conspectu Apostolorum statutis,& manibus ipsis impositis, hoc ministerium tradiderunt.
D

Hoc potest allegari,quod viri scientifici,& speculativi,qui possunt prædicare , & docere , & qui noverunt studio , orationi, & contemplationi vacare, non debent illud sanctum officium dimittere, ut mensis, id est,pauperum corporalibus nutritionibus & activæ vitæ occupationibus,temporaliumPrælaturarum promotionibus possint vacare; talia officia debent inferioribus & indoctioribus committi , & eisdem per Apostolicarum manuum impositionem , id est , per Prælatorum ordinationem immergi. Alii verò scientifici ministerio verbi , id est, prædicationi , non terrenæ administrationi debent specialiter deputari. Sic enim Deus ad literam videtur facere , cum Prælaturas terrenas rarò vult viris scientificis & Theologicis dare , quos ad utiliora & magis ardua creare voluit & servare. Istas autem Juristis & terrenæ scientiæ pariter concedit , quos forsitan magis utiles ad hoc novit. *Non est* (inquiunt) *æquum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis. Considerate igitur viros,quos constituamus super hoc opus, nos autem orationi & ministerio verbi Dei instantes erimus.* Ista tamen non videntur facere moderni Religiosi & Theologici , quia isti præ aliis se ingerunt , & relicto vero Dei ministerio ministrare & præfici mensis quærunt , quia sicut dicit Apost. Philip. 2. *Omnes , quæ suà sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi.* Sequitur in c. 7. de disputatione & lapidatione B. Stephani , sed de hoc nihil ad præsens.

Capitulum octavum. Textus. Saulus erat consentiens neci ejus. E

Moralitatum Cap. VI.

IN hoc c. 8. dicitur,quod cum Simon Magus vidisset in Samaria, quod Apostoli faciebant multa miracula , & quod per suarum manuum impositionem, Spiritus sanctus dabatur gentibus credentibus, venit ad Apostolos & obtulit pecuniam , dicens : *Date mihi hanc potestatem , ut cuicunque imposuero manum , accipiat Spiritum sanctum.* Petrus autem ipsum reprehendens per hæc verba repressit, *Pecunia* (inquit) *tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniâ possidere. Non est tibi pars neque sors in sermone isto , cor enim tuum non est rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis te esse video.*

Iste Simon significat Simoniacos , qui ab ipso dæmoniaci dicti fuerunt, qui benè Magi dicuntur,quia per dona sua oculos veri judicii Prælatorum illudere probantur. Simones, id est, obedientes possunt dici , eo quod tales præ cæteris solent obedire & adulari, & sic possunt tam Simoniaci quàm dæmoniaci appellari. Tales enim Spiritûs sancti gratiam , scilicet ordines , Sacramenta, beneficia, quibus annexa est potestas dandi Spiritum sanctum , & Sacramenta ministrandi , mediante pecuniâ nituntur emere , & illud, quod sufficientiis & virtutibus obtinere nequeunt, muneribus volunt impetrare , dicentes : *Date mihi hanc potestatem.* Veruntamen Petrus, id est, bonus Superior , debet tales acriter redarguere , & eorum munera refutare,dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et simile habetur Dan. 5. *Munera tua tibi sint , & dona domus tuæ alteri da.* Tamen hodiè apud multos Prælatos est contrarium , qui non repudiant,quod offertur , sed magis offerunt,ut pecunia tribuatur, dicentes Matth. 26. *Quid vultis mihi dare , & ego eum vobis tradam ?* Videntur allegare illud 1. Cor. 9. *Si spiritualia seminamus vobis,non magnum est,si carnalia metamus.*

Æthiops quidam eunuchus & magister gazarum Candacis reginæ Æthiopum,recedens de Hierusalem , ubi causâ orationis venerat, sedens in curru legebat librum Isai. 53. scilicet, ubi dicitur: *Generationem ejus,quis enarrabit ?* Philippus ex Spiritus sancti mandato currui se adjungens,& occasione accepta,per scripturam,quam legebat,sibi viam veritatis prædicans , ipsum ad Christum convertit , & descendentem de curru continuò baptizavit. Tandem verò, sicut in gestis B. Matthæi legitur , idem Æthiops B. Matthæo in Æthiopia prædicanti quamplurima bona fecit , ipsumque in his , quæ ad fidem pertinent , quamplurimum adjuvit. F

Ista possunt allegari,quomodò oratio,devotio , lectio sunt ad fidem manuductiva,& salutis nostræ causativa. Ille paganus causâ orationis de Æthiopia in Hierusalem venit, qui legendo scripturam sedens in curru se occupabat,& ideò per illum ad fidem vocari meruit,cujus scripturam legebat, quia, qui in scripturæ lectionibus occupatur , ad omne bonum faciliter inclinatur 1. Tim. 3. *Scriptura divinitus inspirata utilis est.*

Vel allegatur , quomodò bona societas eunuchis reginarum, id est , Divitibus & Principibus hujus mundi proficit ; & quomodò Philippi Apostoli , qui interpretatur os lampadis (id est, virorum Sanctorum religiosorum , qui os lampadis dicuntur : quia loqui & docere verbis , & illuminare exemplis alios dignoscuntur) societas & allocutio talibus proficit, ipsosque ad baptismum, id est, ad puritatem conscientiæ invitat pariter & inducit , Psal. 17. *Cum Sancto Sanctus eris.* Datoque quod aliquis sit Æthiops, id est, peccatorum fuligine denigratus, id est, in altis sæculi dignitatibus elevatus , & curriculo diversorum negotiorum agitatus , si tamen Scripturam libenter legit, & societatem bonorum diligit , ipsorumque verba & documenta audit,faciliter ad salutem pervenit. Undè Joan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

Capitulum nonum. Textus. Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis. G

Moralitatum Cap. VII.

BEati Pauli conversio fuit mirabilis valdè. Nam cum actualiter peccaret, & ad ducendum vinctos in Hierusalem , si qui Judæi in Christum crediderant , properaret in Damascum, subitò circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram audivit vocem Domini ipsum desuper arguentem. *Saule , Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum recalcitrare.* Qui dixit : *Quis es Domine?* cui responsum est. *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Surge,& ingredere in civitatem, &c.* Paulus igitur,qui dicebatur Saulus,qui ex circumfulsione divini luminis fuerat ad terram prostratus & excœcatus,de terra surrexit ; sed apertis oculis nihil videns , per manus tractus à sociis in Damascum, ab Anania baptizatus fuit , & squammis de oculis cadentibus visum recepit , & cibo sumpto confortatus , & à discipulo informatus gentibus & Judæis prædicavit , vas electionis à Domino dictus

Digitized by Google

ctus. *Vade* (inquit Christus Ananiæ) *quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram regibus, & principibus, & filiis Israël.* Quod utique factum est, quia quantò existens in perfidia fuerat nequior, tantò ad fidem conversus est melior & constantior atque major, sicut ipse de se dicit Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia.*

Ista possunt applicari ad modum & formam, quâ possunt converti homines obstinati, & in sua malitia confirmati. Oportet enim, quod Deus autè omnia ipsos luce cœlesti, id est, divina gratia, inspiret interiùs & infundat. Deindè per tribulationem & timorem ipsos ad terram deprimat, & superbiam, & violentiam per timorem mortis, judicii & inferni conterat, tandem visum præsumptæ sapientiæ auferat, & per conscientiæ stimulum ipsos acriter reprehendat. *Saule* (inquit) *quid me persequeris?* id est, cognosce, quanta contra Deum feceris; & tunc sequitur, quod ipsos per spem salutis erigat, & ad ingrediendum, considerandum & affectandum Paradisi civitatem ipsos inducat, dicens Genes. 35. *Surge & ingredere civitatem. Surgite & ascendamus in Bethel,* & tunc necesse est, quod tales apertis oculis nihil videant, id est, quod mentis oculos per mentis discretionem aperiant, & sic esse nihil cogitent hoc, quæ ante viderant, id est, quod aliqua mundi bona non respiciant. Matth. 17. *Neminem viderunt nisi solum Jesum.* Tandem oportet, quod bonis sociis, & fidelibus prædicantibus isti committantur, à quibus per manus, id est, per bona exempla trahantur, & ad Ananiam, qui interpretatur donum gratiæ, id est, divinam gratiam & misericordiam, in Damascum, qui interpretatur sanguinis potus, id est, ad sanguinis Christi & Eucharistiæ receptionem introducantur, ubi per lachrymarum exuberantiam baptizantur, ut sic squamis, id est, vitiorum immunditiis, per confessionem cadentibus, visus mentalis discretionis in eis reparetur, & quantò ante pejores fuerint, tantò in meliores homines convertantur, ità quod vasa electionis à Deo vocari mereantur, & ad officium Prælationis præ cæteris eligantur.

Vel dic, quod Prælatus, quando vult obstinatum corrigere, debet eum primò per fortem tribulationem prosternere, & ad terram, id est, ad mortis considerationem ejicere, & tandem per consolationem erigere, bonis pædagogis & sociis committere, ut suprà. Et sic Saulus, qui interpretatur abutens consilio, efficietur Paulus, qui interpretatur os tubæ, vel electionis miraculum, in quantum de abusore & malo ipse efficietur bonus, & in quantum ad tubalis prædicationis officium miraculosè à Domino erit electus Isa. 58. *Clama ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam.*

Vel dic, quod Paulus, qui ad terram prostratus, excœcatus est, ità quod apertis oculis nihil videbat, donec introductus Damascum visum recepit, potest significare avaros, qui in terram, id est, ad terrena per affectionem prostrati solent visum veræ discretionis perdere, ità quod quamvis oculos intellectûs apertos habeant, quantum ad sapientiam sæcularem, & in mundanis negotiis limpidos & acutos; nihil tamen, quod ad salutem pertinet, vident, nec quæ spectant ad animam, agnoscere studeant Psal. 113. *Oculos habent & non videbunt.* Veruntamen postquam civitatem Damasci, quæ interpretatur sanguinem propinans, id est, in infernum, (ubi sanguis crudeliter propinatur damnatis) intraverunt; tunc incipient visum discretionis recipere & se cognoscere. Undè Luc. 10. *Elevans oculos, cum esset in tormentis, vidit.* Super quem locum Gregorius dicit, quod *adversitas aperit oculos.* Isa. 28. *Vexatio dabit intellectum.*

Illud, quod ponitur hic, quod, cum Paulus quærebat se adjungere fratribus in Hierusalem, illi timebant & fugiebant eum, nescientes ipsum conversum, scientes quanta mala inferre fidelibus solebat.

Hoc potest allegari, quod mala fama difficilè tollitur, quod, qui semel criminosus extitit, dato, quod non in veritate sit correptus, tamen pro suspecto habeatur, Eccles. 10. *Si hebetatum fuerit ferrum, non ut priùs multo labore exacuetur.*

Socii Pauli vocem ejus audientes nihil videbant.

Hoc potest allegari, quod moderni prædicatorum auditores multa audiunt, sed nihil vident, audiunt verba, sed non vident exempla; quia multi inveniuntur, qui bona dicunt, pauci exemplariter faciunt. Ideò dicitur Mat. 23. *Quæ dicunt facite, & quæ faciunt, nolite facere.* Vel dic, contra auditores, qui benè prædicatorum verba libenter audiunt, nunquam tamen accedunt ad facta, nec volunt ab eis capere aliqua bona exempla operandi, Deut. 4. *Vocem audivistis, sed faciem non vidistis.*

Capitulum decimum. Textus. Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius.

Moralitatum Cap. VIII.

Cornelius Centurio gentilis Italicus per Imperatorem in Palestina Cæsarea constitutus, religiosè vivebat, & timens Deum multas eleëmosynas faciebat, & sæpiùs Deum exorabat; quapropter Deus ipsum perire non sustinens, Angelum sibi misit, per quem ad B. Petrum erectus fidem & baptismum suscepit.

Illud allega, quomodò etiam eleëmosyna in gentilibus & aliis est Deo grata, quæ apud Deum salutem possessori suo meretur, ità quod Divina clementia, ut communiter, hominem pium & misericordem, quamvis aliûs sit peccator, non sustinet damnari, juxta verbum Hier. dicentis *se non audiisse hominem malè mortuum piis operibus assuetum.* Sicut de B. Gregorio legitur, quod paganum suis orationibus ab inferno suscitavit, eò quod ipsum fuisse pium audierat, & ideò dicitur Tob. 4. quod *eleëmosyna à peccato liberat, &c.*

Cum Judæi abominarentur gentiles, ità quod in primitiva Ecclesia Christi discipuli, qui pro majori parte Judæi erant, gentilibus non prædicarent, nec eis communicarent, sed potiùs in Judæa cum Judæis habitarent; factum est, quod Petrus quadam die in Joppen manebat, ubi in solarium unius domus ascenderet & oraret. Factus igitur in extasi, linteum per quatuor Angelos à cœlo dimissum, omnibus serpentibus, quadrupedibus & volatilibus plenum, sibi præsentatum in visu tuetur, & tunc de cœlo auditur vox monens, ut comedat, dicens: *Surge Petre, macta & manduca.* Sed tamen ne ista tanquam immunda & lege prohibita refutaret, continuò subinfertur: *Quod Deus purificavit, tu ne immundum dixeris.* Vas igitur illud mox in cœlum recipitur, & per hanc visionem intellexit Petrus, quod non est personarum acceptio apud Deum, & quod Deus ità benè vult sanari gentiles, ut Judæos, & quod indifferentes debent esse Apostoli, quoad bonos & malos. Exindè factum est, quod discipuli gentibus prædicaverunt, & eis communicantes, ipsos ad fidem & Ecclesiam receperunt. Tunc igitur intravit nuncius Cornelii gentilis, qui fidem & Baptismum petebat & sic in visione cognovit, quod neminem refutare deberet. Indè etiam factum est, quod discretionem ceremonialem ciborum legalium dimiserunt, & cuncta animalia, dum tamen sana essent corporibus, in cibaria receperunt.

Dico contra quosdam, qui sunt tam in sæculo quàm in claustro, qui ità de sua justitia præsumunt, quod gentiles & immunda animalia, id est, peccatores & impios vilipendunt, & cum ipsis communicare dedignantur, & eis prædicare non saragunt, sed contemnunt. Contemnebat enim Pharisæus publicanum. Lucæ 18. Dicunt enim illud Isa. 56. *Recede à me, &c.* Sed illud in suis discipulis Dominus repudiat, & maximè in Petro, id est, in Prælato & prædicatoribus illud non approbat. Vult enim, quod tales nihil immundum reputent, nullum quamvis peccatorem repudient & contemnant, sed generaliter bonis & malis viam salutis ostendant, & ad omnes indifferenter se habeant, & cum sapientibus & insipientibus, Græcis & barbaris debitores existant, debitum suum solvant, Matth. 9. *Non enim opus est valentibus Medicus sed malè habentibus. Quod Deus purificavit, &c.* quia quos Deus baptismo lavit, vel sanguine redemit, non debent alii contemnere, sed charitatis amplexibus adamare, Matth. 18. *Videte, ne contemnatis unum ex pusillis his.*

Capitulum duodecimum. Textus. Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam.

Moralitatum Cap. IX.

Petrus captus ab Herode, ut post Pascha ab eo occideretur, primò in carcerem fuit missus, duabus catenis vinctus, à quatuor quaternionibus militum custoditus. Verùm, cum oratio fieret ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo, factum est, quod eadem nocte, quâ in crastinum debebat occidi, inter duos milites in carcere dormienti Angelus Domini astitit, & lumen in habitaculo circumfulsit, percussoque latere Petri, excitavit eum dicens illi: *Surge velociter, præcinge te, & calcea te caligas tuas, & circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.* Ceciderunt igitur catenæ de pedibus ejus, & ipse post Angelum ibat, & quod hoc per Angelum fiebat, nesciebat, quinimò se videre somnium æstimabat. Transeuntes igitur primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultrò aperta est eis, & sic de potestate Herodis exivit, & continuò, Angelo recedente, Petrus ad se conversus, Angelicum ministerium recognovit, dicens: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, &c.* Ipse igitur ad fratres venit, & sic miraculosè se liberatum invenit.

Revera talis processus videtur quandoque fieri in conversione peccatoris. Constat enim, quod Petrus, qui interpretatur dissolvens, id est, peccator pœnitens, robustus ad dissolvendum legis divinæ vincula & ad id assuetus, ab Herode, Diabolo, per peccatum capitur, in carcerem malæ consuetudinis mittitur, quatuor quaternionibus, id est, quatuor malis affectionibus traditur, duabus catenis, id est, complacentiâ peccati & difficultate pœnitendi, stringitur, & sic ibi dormit & quiescit, & inter duos milites, scilicet, inter excœcationem mentis & inconsiderationem finis ibi commoratur.

Digitized by Google

ratur. Nec cogitat, quod de ejus damnatione & morte tractetur, & quod in craſtino, id eſt, ſubitò damnandus à dæmonibus exſpectatur. Undè Luc. 19. *Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Sed Deus, qui videt damnationis periculum; Angelum ſuum, id eſt, aliquem evangelicum prædicatorem vel Prælatum, ſibi mittit, qui ipſum arguendo percutit, & ad ſurgendum de peccato, exeundumque de periculo excitat & inducit. Percutit igitur latus, id eſt, cor & pectus ejus, per contritionem; cadunt catenæ vitiorum; per confeſſionem & abſolutionem; ſurgit, per peccati diſplicentiam; præcingit ſe per abſtinentiam, & temperantiam, & ſuperfluitatum relecationem; calceat caligas ſuas, id eſt, multiplicem bonam affectionem; circumdat ſibi veſtimentum ſuum, id eſt, bonam converſationem, & obedientiæ executionem, Exod. 32. *Angelus meus præcedet te, cuſtodi & obſerva mandata ejus*, Priſmam & ſecundam cuſtodiam tranſit per culpæ & pœnæ evaſionem, & ſic ad portam ferream, id eſt, ad duram pœnitentiam, quâ ad civitatem Paradiſi perducitur, per propriæ carnis macerationem venit, & ità liber de manu Herodis, id eſt, Diaboli efficitur, & fratribus, id eſt, fidelibus adjungitur per gratiam & devotionem; Luc. 1. *De manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi*, Deum verò laudat, eò quod ſe & Angelum, qui ipſum liberavit, id eſt, Prælatum, qui ipſum convertit, per gratiarum actionem liberatum cognoſcit, & evaſiſſe periculum & damnationem; dicens: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberavit me*, Pſ. 123. *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Diſcipulis audientibus Petrum ſtare ante januam, & non credentibus, dictum eſt, quod *Angelus ejus erat.*

Hoc poteſt allegari, quomodò quilibet habet Angelum ſibi deputatum, Undè Matth. 18. *Angeli eorum vident faciem Patris, &c.*

Cum Herodes quadam die in Cæſarea, indutus veſte regali pro Tribunali ſederet, & Tyrii & Sydonii, quibus iratus fuerat, adularentur eidem, & vocem Dei & non hominis acclamarent; hoc dictum eſt, quod laudes Deo & non hominibus debitas, ſibi adulando dicerent, ipſumque, eo ſuſtinente & approbante, tanquam Deum collaudarent, affuit Angelus Domini, qui percuſſit ipſum, & ſtatim conſumptus à vermibus expiravit.

Illud poteſt exemplariter dici, quomodò illum Deus deteſtatur & punit, qui propriam conditionem non cognoſcit, ſed ultrà propria merita ſe laudari permittit; Angelus enim, id eſt, divina potentia tales percutit, & vermium, id eſt, dæmonum multitudo ipſum conſumit Iſa. 6. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Vel allega contra Antichriſtum, qui in regia majeſtate ſedebit, & ſe Deum magnificari gaudebit, ideò vermis infernalis ipſum perpetuò devorabit, & Angelus, id eſt, Chriſtus ipſum percutiet & damnabit.

Vel die, quod Herodes, qui interpretatur glorians in pellibus, id eſt, illi, qui in ſua pulchritudine gloriantur, & qui Jacobum, id eſt, ſpoliationem Diaboli in ſe occidunt, & Petrum, id eſt, ſubſtantiam mentis in ſe enervare conantur, qui volunt in ornatu regio ſedere, & adulatorum laudibus ſcalpi, & ultrà merita virtutem ſuam laudari ab adulatoribus delectantur, tales dico, ab Angelo Dei, id eſt, ab anteriori ratione percutiuntur, & à vermibus, id eſt, conſcientiæ remorſu interiùs corroduntur, in quantum conſcientia talium ipſos percutit, quando in ſe non ſentit, quod ab adulatoribus proclamatur.

Vel dic, quod Reges & Magnates hujus mundi exercitûs publicè habent adulatores; intùs, id eſt occultè, vermes, id eſt, detractores, & aliorum devoratores.

Capitulum decimum quartum. Textus. Factum eſt autem in Iconio, ut ſimul introirent ſynagogam.

Moralitatum Cap. X.

PAulo & Barnaba regionem luſtrantibus contigit, quod dum eſſent Lyſtris, vir quidam ſedebat claudis pedibus ex utero matris ſuæ. Dum igitur iſte audiret Paulum loquentem, & videret Paulus, quod haberet fidem, ut ſanus fieret, dixit ad eum Paulus, *Surge & ſta ſuprà pedes tuos rectus.* Qui exiliens ambulabat. Turbæ autem Lycaonicè clamaverunt: *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* Barnabam igitur, Jovem dixerunt: Paulum verò, qui dux erat verbi, Mercurium vocaverunt. Ipſique adductis theſauris & coronis, ipſis ſacrificare voluerunt; niſi Apoſtoli prohibuiſſent.

Iſta applica ad prædicatores, quia quando ipſi ſuis doctrinis & exemplis faciunt claudos, id eſt, peccatores, & in moribus claudicantes rectè per juſtitiam incedere, digni ſunt, quod gentiles, id eſt, ſæculares ipſos Deos, id eſt, Sanctos debeant æſtimare, & ſacrificia bonorum temporalium ipſis miniſtrare, dicentes: *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* Tales Dii, id eſt, cœleſtes merentur dici, & tam Jupiter, qui dicitur juvans pater, quàm Mercurius, qui dicitur aperiens civitatem, poſſunt vocari, eò quod peccatores per eos ſicut per Patres ſolent juvari, & ipſis cœli civitas aperiri; Pſ. 81. *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Talibus debent ſacrificia, id eſt, terreni honores offerri; qui verò ultra modum excedunt, debent per Prædicatores refutari, teſte Greg. *Prædicatoribus, qui largiuntur ſpiritualia, debentur temporalia.*

Vel dic, quod nullus ſanctus homo debet ſuſtinere, quod aliquis ipſum Deum reputet, id eſt, quod majores lapides, quàm ſua requirunt merita ſibi formet. Vel quod ſacrificia vanæ laudis ſibi offerat, quodque de ipſo aliquid ultra veritatem exiſtimet, Hier. 6. *Ad quid offertis mihi thus de Saba?* Cujus contrarium fecit Herodes, Act. 12. qui, ſicut ſuprà viſum eſt, Deum ſe vocari ſuſtinuit, & ideò triſte ſalarium reportavit.

Paulus lapidatus, & extra civitatem Lyſtris tractus, ubi priùs tanquam Deus fuerat æſtimatus, à turbis extrà civitatem projectus, mortuus fuit creditus, qui tandem poſt turbarum receſſum ſurrexit, & circumdantibus fratribus civitatem intravit, & die poſtera de civitate receſſit, & vale faciens fratribus dixit: *Per multas tribulationes oportet nos introire regnum Dei.*

Iſta allega, quod illi, qui in Lyſtris, quæ erat civitas gentilium, id eſt, in mundo, qui eſt habitatio peccatorum, ſicut Dii aliquoties honorantur, ibidem quandoque verſa vice per infortunia lapidantur, ubi enim fortuna hominem elevat, ibidem ipſum quandoque lapidat & condemnat. Undè Seneca: *Fortuna vitrea eſt, dum ſplendet, frangitur.*

Vel dic, quod in hoc poteſt notari, quod quandoque viri ſancti poſſunt mortuos ſe licitè, & alia ſimilia fingere, ut ſic poſſint impiorum ſævitiam declinare.

Capitulum decimum quintum. Textus. Et quidam deſcendentes de Judæa, docebant fratres.

Moralitatum Cap. XI.

IN capitulo decimo quinto fit mentio, quomodò determinatum eſt, converſos ad Chriſti fidem ad onus grave cæremoniarum legis non teneri, ſed non indiget exponi, vide ibi.

Illud autem tandem ſequitur, quod orta eſt diſſenſio inter Paulum & Barnabam, ſtatuentes revilitare fratres in diverſis civitatibus per ipſos converſos, & eos in fide & moribus ſolidare, ità quod ab invicem ſint diviſi, unus quidem electo uno ſocio ad unam partem; alius cum alio ad aliam ivit.

Hoc allega, quod occulta Dei providentia inter viros ſanctos quandoque permittit diſſenſiones vel aliqua alia levia ſcandala; & hoc quando videt hujuſmodi mala in bona poſſe converti, & in melius commutari. Iſti, quamdiù ſolùm fuiſſent ſimul in uno loco, fructum non feciſſent. Nunc autem ab invicem diviſi ſunt, & ſic in pluribus locis prædicaverunt, & nomen Chriſti fidemque ejus multò ampliùs adauxerunt. Bona igitur fuit illa diſſenſio, ex qua occaſionaliter orta eſt fidei Chriſti multiplicatio, Undè Luc. 12. Chriſtus dicit, quod *non venerit pacem mittere in terram, ſed gladium.*

Capitulum decimum ſextum. Textus. Pervenit autem in Derben & Lyſtram. Et ecce diſcipulus quidam.

Moralitatum Cap. XII.

PAulus circumcidit Timotheum, qui erat gentilis, cum tamen ſciret circumciſionem non eſſe neceſſariam; ipſamque & alias cæremonias non eſſe fidelibus imponendas; ſicut patet in capitulo præcedenti; hoc tamen fecit ad Judæorum ſcandalum vitandum, quorum multitudo in illis partibus crediderat, qui adhuc circumciſionem tenebant. Non poterant enim ità ſubitò ritus novos accipere, & ſuos modos abdicare antiquos. Simile probatur infrà, Act. 24. ubi Paulus ſtans in concilio ſeniorum, ut ſe Nazaræum & legis obſervatorem ipſum videri crederent, & illa ſimulavit, & cum aliis Nazaræis ad templum purificandus intravit, utque legis obſervatorem ipſum videri crederent, & illa, quæ de ipſo audierant, falſa exiſtimarent, offerentes ſacrificium acceptavit.

Iſta poſſunt allegari ad duo: unum eſt, pro vitando ſcandalo & periculo licitum eſt fieri, quod alias erat illicitum, & diſſimulare, quod non eſt verum. Undè Luc. 24. *Fingebat ſe longiùs ire.* Aliud eſt; quod citò & faciliter non poteſt mutari, quod diù fuit obſervatum; Prov. 22. *Adoleſcens juxtà viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit, &c.*

Paulus & Silas vetati ſunt à Spiritu ſancto prædicare in Phrygia Bithynia & Galacia. Vocati verò ſunt in Macedonia evangelizare, ſicut Paulo per viſum oſtenſum eſt, ubi videbatur ſibi, quod homo Macedo ad eum venit, & ejus auxilium imploravit.

Hoc poteſt allegari, quomodò ſpiritus, ubi vult, ſpirat, & quomodò quoſdam vocat, & quoſdam repudiat, & quomodò prædicatores ſuos per occultam inſpirationem, nunc ab illo loco

Digitized by Google

co retrahit,nunc ad alium mittit. Novit enim Deus, qui sunt ejus, & ideò secundùm quod unum vel alium elegit,secundùm hoc prædicatores ad eos mittit. Undè Joan. 13. *Ego scio, quos elegerim.*

Cum Philippis,quæ est prima civitas Macedoniæ, esset quædam puella spiritu Pythonico plena,quæ divinando, quæstum maximum suis Dominis exhibebat. Factum est,quod Paulum,& Silam sequeretur, & ad eorum laudem hominibus loqueretur. *Isti homines* (inquit) *servi Dei excelsi sunt, qui annunciant nobis viam salutis.* Compatiens sibi Paulus,imperavit immundo spiritui, quod ipsam dimitteret,& sic eam protinùs à spiritu Pythonico liberavit. Domini verò puellæ videntes,quod lucrum suum defecerat, & quod puella sanata nihil ampliùs divinabat, Apostolos invaserunt, & facto concursu ipsos traxerunt ad Principes, qui ipsos publicè cæsos in carcerem detruserunt. A

Ista allega,quomodò multi sunt, qui non curant de filiorum suorum & subditorum spiritualium salute; sed solùm de propria & temporali utilitate; non curant, si Diabolo & spiritui immundo,& peccato subjiciantur, dum tamen indè aliqua lucra suæ bursæ subornentur. Ista videmus de parentibus,& amicis sæcularibus, quia, si habent aliquam puellam, id est, aliquem filium vel amicum spiritu Pythonico,id est,scientiâ diabolicâ plenum, divinatorem & Advocatum, & in sæcularibus scientiis eruditum, videntes, quod quæstus, honor, utilitas temporalis ex hoc ipsis advenit; nolunt ipsum ab hoc converti, sed potiùs ipsum plùs diligunt in sæculari statu conversari, Phil. 2. *Omnes enim,quæ sua sunt,quærunt, non quæ Jesu Christi.* Undè, si contingat, quod tales per instinctum Pauli & Silæ, id est, bonorum religiosorum spiritualiter sanentur, & ad religionem conversi, à potestate Diaboli liberentur, statim Domini talium, id est, ipsorum temporales parentes, videntes, quod spes temporalis lucri,quam habebant, in tali ceciderit, & defecerit, incipiunt contristari, & contra ipsos, qui eum liberaverunt,id est, qui eum ad religionem duxerunt, solent turbari, & in eos debacchari, dicentes: *Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi,& annunciant morem, quem non licet nobis recipere, cum simus Romani.* Ad literam etiam sæculares vocant religiosos orbis turbatores, & ipsos Judæos, & superstitiosos dicunt,& respectu sui ipsos esse viles reputant; se verò Romanos, id est, nobiles esse asserunt, dicentes: *non licet nobis Domine hunc morem suscipere, cum simus Romani;* id est, non licet nobis religiosos vel clericos fieri, cum simus nobiles, & magni. Undè Joan. 8. *Semen Abrahæ sumus,& nemini servivimus unquam.*

Eodem capite 16. Paulo & Sila rursis in carcerem, & eorum pedibus strictis ligno,factus est terræmotus, fundamenta carceris mota sunt,fores apertæ, vincula soluta, & lumen refulsit undique,quibus vilis, custos carceris conversus est ad Dominum, & cum tota domo sua baptizatus. B

Hoc allegatur, quod mors & tribulatio Apostolorum valdè proficiunt ad utilitatem nostram, dum in eorum tribulationibus, & morte miracula fiebant. Cumque existentes in carcere prædicabant,vel Epistolas scribebant,& ad remota mittebant, quandoque actualiter ad Christum homines convertebant,vel saltem nos alios, qui nunc talia legimus,in fide solidabant; sicut de B. Paulo alibi legitur,qui in carcere positus scribebat Epistolas,quæ nunc magis proficiunt universis, quàm si tunc liber existens personaliter prædicasset. Scit enim Deus de tribulationibus Sanctorum, & aliorum bona elicere,quinimò talia mala evenire non permitteret, nisi sciret ex talibus utilitatem aliquam provenire; Deuter. 32. *Ut sugeretur mel de petra,& oleum de saxo durissimo.*

Capitulum decimum septimum. Textus. Cum autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam

Moralitatum Cap. XIII.

CUm Paulus esset Athenis,& ibi nomen Domini prædicaret, factum est, quod Philosophi, & alii audientes,quod futuram resurrectionem diceret,cœperunt eum deridere, & verba ejus nugatoria reputare. Undè quidam dicebant: quod *novorum dæmoniorum videbatur esse denunciator.* Alii dicebant, quod *erat verborum inutilium seminator.* Ipse propter hoc non destitit, sed cum ipsis disputans,& fidem eis prædicans, multos ad fidem convertit. Et dicitur ibidem, quod *Athenienses & alii hospites ad nihil aliud vacabant nisi dicere, & audire aliquid novi.*

Ista possunt applicari contra modernos auditores sermonum. Ad hoc devenit humana dementia,quod homines plùs quærunt audire C nugas,quàm utilia; quinimò multi videntur esse similes Athenien-sibus,qui curiositatis gratiâ magis, quàm utilitatis sermones aliorum audiunt, quos tandem modica occasione despiciunt. Undè Seneca: *Natura humana novitatis est avida.* Si autem Prædicator dicat communia, & utilia, & non ad voluntatem ipsorum; statim solent eum despicere, & omnia verba ejus, quanquam sancta & utilia, damnare dicentes: *Quid vult seminator verborum hic dicere?* alii dicunt, quod *novorum dæmoniorum videtur denunciator esse*, Prov. 18. *Non recipit stultus verba prudentiæ,&c.*

Videns Paulus idololatriæ deditam Athenìensium civitatem, incitabatur ejus spiritus; inter cætera verò simulacra cum invenit ibi idolum, cujus titulus erat: *Ignoto Deo*, hominibus ipsis annuntiavit, dicens: *Quod ignorantes colitis, hoc ego nuntio vobis.* Narratur enim,quod in passione Christi cum solis eclypsis universalis fieret, & ipsa eclypsis naturaliter non fieri valeret, pro eo quod luna in oppositione, & non in conjunctione solis esset; Philosophi, qui erant Athenis, illud tam mirandum factum alicui ignoto Numini attribuerunt, quod tunc pati alicubi dixerunt, & ideò ignoto Deo aram fecerunt, & ibi titulum: *Ignoto Deo*, erexerunt. Tunc fertur Dionysius in Areopago, id est loco, ubi disputabatur, præfectus, ista verba dixisse: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissipatur.* Populo igitur super titulo hujus idoli disputante, ipse Dionysius Christo credidit, & unà cum multis aliis Pauli discipulus fuit factus.

Illud allega contra gentiles, qui adorant Deum ignotum. Adorant enim Deum tanquam creatorem: ignotus tamen est eis, quia Christum nesciunt redemptorem, Jo. 4. Undè possumus dicere: *Nos adoramus, quod scimus, vos adoratis, quod nescitis, &c.*

Vel allega inter miracula facta in Christi passione, vel de conversione Dionysii.

Capitulum decimum nonum. Textus. Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi. D

Moralitatum Cap. XIV.

VIdentes quidam Judæi miracula, quæ faciebat Paulus, & quomodò dæmones de obsessis corporibus expellebat, cœperunt per nomen Christi dæmones adjurare, & quanquam in Christum non crederent, cœperunt tamen super obsessis nomen Domini invocare dicentes: *Adjuro vos per Deum, quem Paulus prædicat.* Dum igitur quadam die hoc facerent, incepit dæmon in dæmonaico dicere hæc verba: *Jesum novi, & Paulum scio, vos autem, qui estis?* Insiliens autem in ipsos ad terram eos prostravit, & dominatus amborum ipsos nudos, & vulneratos dimisit.

Illud potest allegari contra prædicatores, qui dicunt & non faciunt, qui juxta verbum Apostoli: *Confitentur se Deum nosse, factis autem negant,* ad Tit. 1. Sicut ad literam sunt hypocritæ, qui in nomine Jesu solent prædicare, & quamvis ipsi non obediant, nec fidem ejus per bona opera teneant, gaudent tamen prædicando in ejus nomine ejus virtutes facere, ità quod quandoque benè docendo solent dæmones, & peccata de peccatoribus propulsare. Undè Mar. 9. *Domine vidimus quendam in nomine tuo, &c.* Sed quid? Pro certo Dominus contra tales indignatur, & eos tanquam indignos, quod prædicent nomen suum, in manibus dæmonum tradit, à quibus finaliter affliguntur, Psalm. 49. *Quare enarras justitias meas,* dixit Dominus peccatori, *& assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, &c. propterea Deus destruet te in finem.*

Vel dic, quod istimet dæmoniaci, quos ipse volebat curare, id est, peccatores, quos talis malus peccator vult convertere, solent, ipsis dicere: *Jesum novi, & Paulum scio, vos autem, qui estis?* scilicet, qui verba dicitis, & opera non facitis, & ore confitemini, quem operibus impugnatis. *Medice*, inquiunt, *cura te ipsum.* Tales solent quandoque injuriis discerpere, tribulare & opprimere, vestimenta temporalium tollere, & eos infestare, sicut ad literam patet de mundi tyrannis, qui, quia vident religiosos & Prælatos verba habere, & non opera, ideò ipsos spoliant, & contemnunt verba eorum, & per injurias ipsos gravant, Job. 24. *Nudos dimittunt vestimenta tollentes.* Igitur taliter prædicanti dicunt illud Joan. 9. *In peccatis natus es, & tu doces nos.* E

Capitulum vigesimum. Textus. Postquam cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis.

Moralitatum Cap. XV.

JUvenis quidam,prædicante Paulo,dormivit, & de tertio cœnaculo quasi mortuus cecidit, quem Apostolus mox curavit.

Hoc allegari potest, quod qui sub verbis Apostolorum dormiunt,& qui doctorum prædicatorum prudentiumque hominum sermonibus non intendunt,sed potiùs in vitiis delectantur, faciliter per peccatum corruunt,& cadunt.

Paulus volens ire in Hierusalem,inter cætera dixit de se: *Ecce ego alligatus spiritu, vado in Hierusalem, ignorans quid mihi ibi sit futurum, nisi quia Spiritus sanctus ubique mihi dicit, quod vincula, & carceres me manent,* Undè sequenti cap. 21. dicitur, quod prophetа Agabus zona Pauli pedes suos ligans, dixit: *Hæc dicit Spiritus sanctus,virum cujus zona hæc est, sic alligabunt in Hierusalem.* Qua de causa cum à fratribus rogaretur,quod non iret, sibi suaderi non

Digitized by Google

potuit, ſed contra voluntatem omnium illuc ivit, ubi ſtatim captus, verberatus, alligatus, & Romam poſteà ductus fuit.

Rectè quotidiè ſimilia experimur in actibus humanis; ſic enim neſcio, quâ voce vel occultâ Dei voluntate quandoque homo tanquam alligatus ſpiritu in infortunia ruit; & dato, quod ſciat ſibi proſpera non ſuccedere, negotium tamen illud proſequi non omittit, & cum poſſit fugere, non fugit; ſed ac ſi voluntariè in pœnam rueret, ab opere hujuſmodi non deſiſtit; *alligatus utique ſpiritu*; quod enim Deus futurum decreverit, non poteſt humana ſagacitas impedire, ſed potiùs creatura creatori deſerviens ſolet occultis Dei ordinationibus, cum hora venerit, obedire, Geneſis 24. *A Domino egreſſus eſt ſermo, illud impedire non poſſumus.*

Paulus non gravabat expenſis illos, quibus prædicabat, ſed potiùs manibus laborabat, ut haberet undè viveret, nec ab eis aliquid accipiebat, ſed eos liberè inſtruebat.

Hic poteſt notari, quod prædicatores, quando prædicant, non debent eleemoſynas petere, & hoc, ne videantur quæſtûs gratia prædicare. Undè Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis dare debetis.*

Capitulum vigeſimum primum. Textus. Cum autem factum eſſet, ut navigaremus abſtracti ab eis.

Moralitatum Cap. XVI.

QUamvis B. Paulus ſe alligandum in Hieruſalem, & tribulationes ſe paſſurum audiret, & hoc ſibi Spiritus ſanctus revelaret, & Propheta Agabus prædicaret, fratribus diſſuadentibus, &c. noluit credere, ſed futura tribulamina vilipendens, paratum ſe aſſeruit pro Chriſti nomine mortem & vincula ſuſtinere. E

In hoc docetur, quod Prædicator Evangelicus vel quicunque Profeſſor Catholicus, ubi de Chriſti fidei utilitate agitur, non debet tribulationes metuere, nec iter ſuum ad fidei, & prædicationis opera dimittere, ſed pro nomine Domini vinculis, mortique & laboribus, ſi fuerit neceſſe, ſe donare, dicens Domino illud quod dicitur Luc. 22. *Paratus ſum tecum in mortem, & in carcerem ire.* Et Marc. 14. *Si oportet me mori tecum, &c.*

Conſequenter hic & in cap. 22. & 23. fit mentio, quomodò Paulus in ſeditione fuit captus, & à tribuno ereptus, tortoribus traditus, ſed ſe Romanum dicens, à torſionibus dimiſſus. Tandem in judicio multipliciter accuſatus, à Judæis per ſummum Sacerdotem percuti juſſus, ità quod idem Princeps Sacerdotum à Paulo extitit maledictus. *Percutiat te Deus, paries dealbate. Tu ſedens judicas ſecundùm legem, & contra legem jubes me percuti.* Sed hæc omnia tranſeo, excepto hoc, quod cum ipſum torquere vellent, Romanum ſe civem allegavit. Cujus ſimile ſuprà fecerat Actor. 16. Ubi propter Pythoniſſam liberatam in carcerem miſſus fuit.

Hoc allega, quod non eſt malum viro Dei quandoque bonis temporalibus, privilegiis & auxiliis humanis ſibi remedium quærere; ut ubi propter Dei timorem non paritur, ſaltem timore vel amore hominum aliqualiter faveatur.

Illud autem hic ex cap. 23. conſequenter infero, quod cum Judæi tam Phariſæi quàm Saducæi, qui erant ſectæ diverſæ (quia Phariſæi reſurrectionem futuram credebant, Angelos, & animas G poſt mortem vivere aſſerebant. Saducæi verò negabant) ſimul contra Paulum conveniſſent, & ipſum contra mortem impeterent, cautè cœpit clamare, & dicere coram eis: *Viri fratres & ego Phariſæus ſum filius Phariſæorum, & de ſpe, & reſurrectione futurorum ego judicor.* Quod audientes Phariſæi, ſtatim à Saducæis diviſi ſunt, ità quod inter ſe contendere, & diſputare cœperunt, & ità Phariſæi, qui contra Paulum acerbiùs ſævierunt, pro ipſo pugnare cœperunt.

Illud poteſt allegari, quod ſi quis plures adverſarios contra ſe confœderatos habeat, ſumma prudentia eſt, ſi eorum fœdus & concordiam adinvicem aliquo articulo dirumpat, ut ipſos per partes faciliùs ſuperet, & evadat.

Illud etiam quod ſequitur eod. cap. 23. ſcilicet, quod quadraginta viri venerunt ad Principes Sacerdotum, dicentes illis, *Devotione devovimus, nos nihil guſtaturos, donec occidamus Paulum.* Et ideò ordinaverunt inter ſe, quod iterum ad judicem coram tribuno vocaretur, ut dum veniret ad locum, interficeretur ab eis, quod tamen, Deo nolente, fuit aliter ordinatum.

Hoc poteſt allegari, quod hodiè multi ſunt homines iniqui, qui ſe reputant devotè & ſanctè agere, quando ſanctos viros poſſunt occidere. Sicut ad literam videmus de multis malis ſæcularibus, qui rectè ſe reputant bonos, quando religioſis & clericis poſſunt nocere. Undè Joan. 16. *Veniet* (inquit) *dies, in quo omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.*

* * *

Capitulum vigeſimum ſextum. Textus. Agrippa verò ad Paulum ait: permittitur tibi loqui pro temetipſo. H

Moralitatum Cap. XVII.

DOminus diſpoſuerat, quod Paulus Romam iret, & ibi nomen Domini prædicaret. Undè ſuprà dixit ſibi Actor. 23. *Conſtans eſto Paule, ſicut de me teſtificatus es in Hieruſalem, ità Romæ oportet te teſtificari.* Veruntamen per quot vias, modos & cauſas Romam pervenit, & ſuprà & infrà patet. cap. 27. Fuit enim de Hieruſalem in Cæſaream ductus, & ibi coram Fœlice accuſatus, tandem ab eo dimiſſus, & per biennium relaxatus, poſteà iterum vinctus, & Feſto ſucceſſori traditus eſt, & ab eo volente gratiam præſtare Judæis, ut reduceretur in Hieruſalem, judicatus. Tunc verò Paulus Cæſarem appellavit, & ſic miſſus ad Cæſarem, Romam venit, coram quo nomen Domini prædicavit, & multum Domino collegit, ubi poſteà mortem pro Domino toleravit.

Iſta allega, quomodò Deus per multas vias ſolet effectus ſuos producere, quomodò & quando decrevit aliquid fieri, dato quod multa intervalla fiant, ità quod negotium ex toto videatur ſopitum, finaliter tamen ſolet ſuſcitare, & occaſione accepta procurat, quod decreverat, evenire. Habet enim Dominus in omni negotio, quod decrevit, modos, cauſas, ordinationem, tempus, horam, & regulam ordinatam, quæ omnia quandoque ſuſpendit, & pòſt, quando tempus fuerit, negotium, quod decreverat, introducit. Undè Eccl. 8. *Omni negotio tempus eſt, &c.*

Capitulum vigeſimum ſeptimum. Textus. Ut autem judicatum eſt navigari eum in Italiam.

Moralitatum Cap. XVIII.

CUm Paulus cum multis navigando de terra promiſſionis in Italiam duceretur, factum eſt, quod poſt multos maris impetus, A cum incidiſſet cum ſuis in locum Bithalaſſum, quod eſt, profundum, tenax, & bituminoſum, impegerunt navem; ità quod prora ſtabat immobilis, & puppis ſolvebatur à vi maris. Armamentis igitur navis in mare projectis, & neque ſole neque ſyderibus poſt multos dies apparentibus, ſed tempeſtate non exiguâ imminente, ablata erat omnis ſpes & fiducia ſingulorum. Veruntamen Deus ſalutem animarum Paulo conceſſit, ità quod nullus ibidem periit aut defecit, navigantesque Paulus alloquitur, & ad ſumendum panem incitat, & hortatur. Satiati igitur cibo navim alleviabant, & frumenta in mare jactabant. Tandem verò fracta navi, aliqui natando ad littus venerunt, alii ſuper tabulas applicuerunt, & ſic omnes periculum evaſerunt.

Navis iſta eſt anima, quæ, ſcilicet, inferiùs ad terrena debet eſſe clauſa, ſuperiùs ad cœleſtia aperta; interiùs per humilitatem concava, per charitatem lata, per perſeverantiam larga, in principio & in fine per abſtinentiam & temperantiam, & continentiam ſtricta. Proverb. 31. *Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Habet etiam iſta navis duas principales partes, ſcilicet proram, quæ ſignificat amorem; puppim, quæ ſignificat timorem. Habet quoque iſta navis armamenta, ſcilicet virtutes, & ſcientias; portat etiam quandoque frumenta, id eſt, terrenas poſſeſſiones & divitias. Iſta igitur eſt veritas, quod quando Paulus, id eſt, humanus animus vel homo tentat navigare de terra promiſſionis, de ſtatu gratiæ in Italiam, quæ interpretatur exceſſus, ſive in mundum (ubi faciliter excedimus per peccatum) & propter hoc mari, id eſt, mundi fluctibus, & amaritudinibus animæ ſuæ navem exponit; quandoque contingit, quod tempeſtas tribulationum ſibi naſcitur; lux verò ſolis, & ſyderum, id eſt Dei gratia, & Sanctorum, vel doctrina bonorum prædicatorum eidem penitùs denegatur. Undè Sap. 17. *Ignis quidem nulla vis poterat eis lucere, nec ſyderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horridam.* Ità quod prora, prima pars navis animæ, ſcilicet amor ipſius in bithalaſſum, quæ eſt terra tenaciſſima, id eſt, in mundi bonis, & terrenis per affectionum tenacitatem impingit; ubi per avaritiam areſcit, & ſiſtit; puppis verò, id eſt, timor impetu maris, id eſt, tribulationibus ſolvitur, & ſic per diverſa peccata navis animæ diſſipatur, armamenta virtutum perduntur, & Paulus cum populo ſuo, id eſt, ratio cum cordis affectibus periculis exponitur. Veruntamen quandoque contingit, quod poſt illam fractionem, id eſt, poſt animæ peccatum, aliqui per mare pœnitentiæ navigantes, & aliqui tabulis divinæ miſericordiæ ſe committentes, ſalvantur & ad portum ſalutis & gratiæ deducuntur. Quod potiſſimè contingit, quando cibo divinæ dilectionis ſunt refecti; frumenta, id eſt bona mundi, in mari, id eſt, ad amaros pauperes per eleemoſynas projiciunt; & navem maris à terrenis exonerant, atque per terrenorum contemptum alleviant, & extollunt. Undè Matth. 8. *Navicula in mari magnis jactabatur fluctibus, &c.* B

Vel

Digitized by Google

Vel dic, quod navis significat Ecclesiam, cujus prima pars Prælatos & Superiores designat; ultima verò pars subditos & sæculares significat. Igitur ista prima pars Ecclesiæ, scilicet Prælati, quando ex toto impingit in bithalassum, id est, in amorem, & avaritiam terrenorum, necessariò fit, ut pars posterior, id est, populus subditorum malorum, istorum exemplo solvantur, ut quod propter istorum avaritiam, terrenis penitùs adhærentium, & de spiritualibus, & æternis minimè curantium, tota navis Ecclesiæ tentationum, & tribulationum fluctibus dissipetur; tempestates enim vitiorum insurgunt, armamenta virtutum projiciuntur, & perit lux solis, & syderum, id est, exempla Sanctorum deficiunt, & sic, qui sunt in hac navi, damnationis periculum pertimescere satis possunt. Undè Ambr. in serm. de confessoribus; Navigantibus nobis per hoc mare magnum valdè pertimescendum est, ne navem nostram fluctus voluptatis absorbeat, aut in æternam damnationis prædam pirata crudelis abducat. Qui igitur salvari vult, debet se in mare, id est, amaritudinem pœnitentiæ mittere, tabulæ divinæ misericordiæ se committere, frumenta, id est, bona mundi projicere, & ad portum salutis, qui Christus est, per bona opera natitare. Undè Jo. 21. *Tunicâ succinxit se, & misit se in mare.*

Vel dic, quod Paulo animæ dantur, ne pereant, in quo notatur,
C quod quandoque societas, & oratio unius boni, causa est salutis multorum. Animæ autem, & non navis salvantur, quia Deus de perditione temporalium non tristatur. Itàque in hoc notari potest, quod apud Deum animæ corporibus, & spiritualia temporalibus præferantur.

Vel dic, quod per navim Pauli intelligitur Ecclesia, quam ipse convertit, scilicet. Asia minor, quæ est Turcia cum omnibus suis Provinciis, & Græcia, & communiter tota Ecclesia orientalis, quia ista Pauli navis periit, in quantum illa Ecclesia per schismata & hæreses aberravit.

Capitulum vigesimum octavum. Textus. Et cum evasissemus, tunc cognovimus, quia Mytilene.

Moralitatum Cap. XIX.

CUm Paulus evasisset de naufragio, & pro calefaciendo se pyram sarmentorum congereret, contigit, quod vipera vi caloris commota, manum Pauli arriperet, & morsâ manu inferiùs dependeret; quod videntes viri Insulæ, ipsum homicidam dicebant, *utique* (inquiunt) *homicida est homo ille, qui cum à mari evaserit, ultio divina non sinet eum vivere;* ipsumque in tumorem convertendum, & subitò moriturum credebant; sed videntes, quod excussa bestia in ignem nil omninò nocuit, ipsum Deum esse ferebant.

Istud allega contra vanam, & mutabilem opinionem quorundam fatuorum, qui nescientes Dei judicia, quando vident aliquod infortunium alicui accidere, & serpentes, id est, dæmones & tyrannos ipsum atrociter invadere, statim solent eum homicidam vel malum hominem æstimare, & per æternam damnationem perire, & ut mori debeat, exspectare eum; quan-
D doque tamen vident contrarium accidere, & læsionem nullam subsequi, sed post tribulationem hujusmodi pacem, & solatium sibi esse. Tob. 13. *Post tempestatem tranquillum facit.* & econverso: quando vident sibi prospera succedere, & nullam læsionem serpentum, id est, nullam tribulationem majorem incurrere, solent statim eum Deum, & justum hominem judicare, cum tamen contingat, ut bonis mala, & malis bona soleant provenire; ità quod temporales casus, qui accidunt, boni sive mali bonitatem vel malitiam hominum non possint declarare, sicut ostensum est Luc. 13. vide ibi.

Vel dic, quod cum homo evasit naufragium damnationis æternæ mundi navem fractam exeundo, & ad littus religionis per pœnitentiam se transferendo, sæpè contingit, quod dum per aliquam recreationem temporalem se calefacere nititur, serpentes, id est, detractores contra eum insurgunt, qui manum, id est, opera ipsius mordent, & eum (si possint) invenenant, & diffamant; sicque fit, quod ubi ad tranquillitatem portûs religionis crediderat venisse, detractorum rabies ipsum fortiùs lædat. Veruntamen talis Paulus, id est, homo justus debet tales serpentes in ignem suæ invidiæ excutere; & sic de eorum detractionibus non curare, & si ipsos excusserit, & non curaverit, ipsum nequibunt lædere vel nocere, ità quod alii suam perfectionem videntes, ipsum Deum & justum hominem poterunt æstimare, Mat. 7. *Verè filius Dei erat iste.*

Vel dic, quod in littore religionis solent dæmones serpentini illos acriùs per tentationes mordere, quos vident de navi mundi maris periculum evasisse, & de mundo ad religionis ac pœnitentiæ littora transfugisse.

E Vel dic, quod quando Paulus, id est, bonus Prælatus aliquem serpentem, id est, aliquem malum subditum in ignem tribulationis per correctionem mittit, statim contra eum, si post est insurgit, & eum diffamat & pungit. Quia dicitur Eccl. 10. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber;* quia quando Prælatus nititur in malis subditis sepem malarum excusationum, spinarum, vitiorum per correctionem destruere, talis coluber solet eum invadere. Quod videns Prælatus ipsum debet in istum ignem fortiter excutere, & ad subeundum correctionem acriùs compellere, & à tali morsu, id est, rebellione compescere, & arcere, Psalm. 139. *In ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.*

Moralitatum super Acta Apostolorum Finis.

MORALITATUM LIBER TRIGESIMUS QUARTUS super Apocalpysim.

Capitulum primum. Textus. Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere servis suis.

Moralitatum Cap. I.

IOANNES in Insula, quæ dicitur Pathmos, quæ adhuc est propè Ephesum in Asia minori, quæ nunc dicitur Turcia, vidit raptus in spiritu septem candelabra aurea. In quorum medio similis erat filio hominis vestitus podere, præcinctus ad mammillas Zonâ aureâ, caput ejus & pili candidi tanquam lana alba, & tanquam nix; oculi ejus sicut flamma ignis, pedes similes aurichalco in camino ardenti, vox ejus sicut vox aquarum multarum, & in dextera septem stellæ, & ex ore ejus exivit gladius bis acutus, & facies ejus lucebat sicut sol in virtute sua, qui dicebat omnibus per hæc verba: *Ego sum primus, & novissimus, fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.*

Moraliter ista Insula est Ecclesia, quæ à mari, id est, amaris tribulationibus velut Insula circumitur. Ista dicitur Pathmos, id est, F
separatio, hostium vel palpantium, quia exindè debent separari hostes, id est, detractores; palpantes, id est, adulatores. Ille vir mirabilis, qui ibi videtur, est vir justus & perfectus vel Prælatus, qui pro certo ipsi filio hominis similis dicitur, qui pro eo, quod Christo, filio virginis per bona opera conformatur. Undè Isa. 14. *Similis ero altissimo.* Septem candelabra significant universitatem bonorum, & honestarum personarum, quia per septem universitas (teste Greg.) designatur: & isti dicuntur aurei, quantum ad valorem sanctitatis, & quantum ad splendorem scientiæ, & sagacitatis, apparentiæ & honestatis; quia pro certo in medio istorum, id est, in Societate perfectorum debet iste Prælatus, & perfectus ambulare, & vivere, & quia sancta bona societas, honesta & discreta maximè ad Prælatos religiosos, & alios viros perfectos noscitur pertinere; quia *cum sancto sanctus eris. In medio*, inquit, *candelabrorum aureorum.* Undè Eccles. 27. *In medio cogitantium legem Dei assiduus esto.* Iste igitur circa mammillas, id est, in pectore, & in corde debet habere zonam auream, id est, ruborem fervidæ charitatis. Caput ejus, id est, intentio debet esse ad modum nivis albæ & ut lana, per candorem innocentiæ & puritatis, & per mollitiem laneæ simplicitatis. Debet habere vestimentum poderis, id est, decorem exterioris honestatis. Oculi intellectûs sui debent esse ignei, per splendorem discretionis & veritatis. Pedes ejus id est, affectiones, debent esse ignei, & sonare per clamorem fervidæ charitatis, orationis, desiderii, & spiritualis cupiditatis. Apocalyps. 10. *Pedes ejus sunt columna ignis.* Vox ejus debet esse sonora per clamorem prædicationis, & per ostensionem authoritatis, quia ipsum decet loqui authenticè, & severè, ne sua authoritas contemnatur, Dan. 10. *Vox sermonum ejus sicut vox multitudinis*, & benè multitudinis, quia in omni actu vox solennis personæ, æquipollere debet multitudini aliorum. Item debet habere septem stellas, scilicet, septem dona sancti Spiritûs, id est, perfectionem sanctitatis Apoc. 2. *Qui habet septem stellas in dextera sua.* Facies ejus debet splendere per dulcorem lætitiæ, & G
affabilitatis, quia in omnibus debet se ostendere lætum, affabilem & benignum, Matth. sexto. *Unge caput tuum oleo, & faciem tuam lava;* & tamen ipse debet habere in ore gladium bis acutum, id est, rigorem duplicis justitiæ & severitatis, quia ipse debet malos corrigere, id est, comminando amissionem gloriæ, & immissionem pœnæ æternæ; Psalm. 56. *Lingua eorum gladius acutus,* quia secundùm Apostolum Hebr. 4. *Vivus debet esse sermo, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Et tunc tales pro certo dicere possunt: *Ego sum primus & novissimus*, qui etiam scilicet, primi mortui sunt & novissimi in hac vita per utilitatem dejectionis, & humilitatis; sed finaliter in Paradiso fiunt viventes, & primi per vigorem perpetuæ dignitatis, & per vigorem felicitatis, & perpetuæ firmitatis, & tunc erunt primi novissimi, & novissimi primi. Illi, qui modo sunt per humilitatem mortui mundo, id est, nihil valentes, & nihil reputati quoad mundum, & novissimi quoad dignitates & mundi prosperitates, erunt primi & feli-

Digitized by Google

feliciores. Et econverso illi, qui modò sunt in prosperitatibus, dignitatibus & honoribus primi, erunt tunc temporis in desolatione, & miseria ultimi, & depressi inferiùs, scilicet, in inferno, quia *Deus esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. 1: *Fui*, inquit, *mortuus, & ego sum vivens.* Quasi diceret: De morte ad vitam devenitur, & de mortificatione carnis & paupertatis, ad humilitatem & gloriam pertransitur.

Vel dic, quod tales ità perfectæ personæ primò fiunt mortuæ, id est, in statu humilitatis; veruntamen finaliter debent vivificari, id est, promoveri ad statum Prælationis, & dignitatis.

Vel dic, quod septem candelabra sunt septem dona, septem verò stellæ, septem sunt pietatis opera.

Vel septem candelabra, septem sunt Sacramenta, septem stellæ sunt septem virtutes & remedia, sicut suprà.

Vel dic, quod Prælatus debet dicere: *Ego sum primus & novissimus*, quia dato, quod sit primus in dignitate, debet tamen esse ultimus in humilitate. Juxtà illud Eccles. 3. *Quantò major es, humilia te in omnibus.* Dicit enim, ego sum mortuus, & ecce sum vivens; quia quandoque debet apparere mortuus, & non advertens multa dissimulare; tandem debet monstrare se viventem, scelera puniendo, & malis obviando.

H Vel dic, quod ille filius hominis est Christus, filius virginis, vel Papa, qui Christo debet esse similis. Corpus ejus significat statum curiæ Romanæ, vel statum Ecclesiæ militantis. Dic igitur, quod in illo corpore Christi mystico caput sunt Prælati, qui debent esse per innocentiam candidi, per mollem clementiam lanei, per frigidam & rigidam justitiam nivei atquè austeri. Undè de ipso capite dicitur Cant. 5. *Caput ejus aurum optimum.* Et capilli isti capiti adhærentes, sunt Prælatorum familiares, qui debent esse albi & innocentes, mundi, casti, & continentes. Eccl. 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Oculi illius corporis sunt auditores & judices, qui debent esse per lucem discretionis flammei, per justitiam, & rigorem ignei. Undè Dan. 10. *Oculi ejus ut lampas ardens, &c.* Vox istius corporis significat Prædicatores, qui ad similitudinem aquarum multarum, id est, scripturarum, & scientiarum debent clamare, & suo clamore viam Domini demonstrare. Undè Jo. 1. *Ego vox clamantis in deserto.* Zona istius corporis significat correctores, qui cingunt corpus Ecclesiæ examinando, & ne defluat per vitia, restringendo, qui debent esse aurei justitiam observando. Undè Eccles. 45. *Circumcinxit eum Zona justitiæ*, ut Papa & Prælati figurentur in illis Angelis Apoc. 13. *Qui erant præcincti Zonis aureis*, id est, correctoribus Sanctis. Dextera corporis significat Clericos, qui tenent locum primum in corpore Ecclesiæ militantis. Undè Ps. 7. *Dextera Domini fecit virtutem.* Ista igitur dextera septem stellas, id est, septem dona Spiritus sancti, vel septem virtutes debet habere, quibus totam noctem, id est, statum sæcularem debet exemplariter illustrare. Undè Gen. 1. *Stellas posuit in firmamento*, id est, in statu Ecclesiastico. Facies hujus corporis significat Doctores, in quibus omnis sensus discretionis sicut in facie debet vigere, & qui per honestam conversationem ad modum solis lucere debent. Undè Mat. 17. *Resplenduit facies ejus sicut sol.* Pedes hujus corporis, qui corpus sustentant, sunt inferiores agricolæ; qui ad modum aurichalci
A debent esse sonori, Deo regratiando, & sicut ignis per claritatem ardere in camino tribulationis, & doloris vivendo; Daniel. 18. *Pedes quasi species æris candentis.* Os verò, quod loquitur, significat advocatos, qui gladium linguæ debent habere bis acutum, in quantum debent allegare pro justitia unius partis, & de injustitia alterius partis, vel in quantum ipsi tenentur intercedere pro promotione bonorum, & punitione malorum. Undè Luc. 22. *Domine, ecce gladii duo hic.* Candelabra, quæ istud corpus & membra istius lustrabant, significant spiritualia Dei dona, quæ totum corpus Ecclesiæ illuminant, quia Christus & membra sua sunt, qui ambulant in medio septem candelabrorum aureorum; de quo dicitur in capitulo sequenti.

Capitulum secundum. Textus. Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: hæc dicit, qui tenet.

Moralitatum Cap. II.

ET Angelo Ephesi, &c. Unus Angelus commendatur à filio hominis, de multis, dicit enim: *scio laborem tuum, opera tua, & patientiam tuam, & quod non potes sustinere malos, & tentas mendaces Apostolos, & sustinuisti propter nomen meum, & facta Nicolaitarum odio odisti.* Sed reprehenditur in uno. *Charitatem* (inquit) *tuam primam reliquisti, sed memor esto, undè excideris, & prima opera fac, alioquin movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, & tunc promittitur sibi, & si vicerit, dabitur sibi edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso.

Hic rectè per Angelum designatur vita Prælati. Prælatus perfectus potest dici Angelus, quia debet esse Angelicus & cœlestis. Iste debet habere bona opera, laborem, patientiam, & justitiam, malos non debet sustinere, sed corrigere & punire. Nicolaitas etiam, qui interpretantur stulti Ecclesiæ, debet odisse, nec debet sustinere malos Clericos vel Religiosos, mendaces etiam Apostolos, id est, hypocritas & fictos tentare debet & pro Dei nomine sine defensione sustinere omnia, Matt. 15. *Sustinete & vigilate mecum.* Sed quandoque accidit, quod ipse perdit charitatem suam primam, quia multi per superbiam, odium & vindictam perdunt virtutem sæpissimè charitatis. Nam sæpè accidit, quod Prælati perdunt gratiam Dei, superbiendo de dignitate, præsumendo de sanctitate. Et tunc dicit eis Christus: *Memor esto, undè excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Quasi diceret: Extrahe te ab istis; eumque hoc duplici modo increpat, scil. timore & amore. Timore, nisi quia hoc fecerit, minatur ei, quia candelabrum suum, id est, suam lucem, & prosperitatem clericalem movebit, & tollet temporaliter, & æternaliter dissipabit. Item amore, quia promittit ei, si ad gratiam, & charitatem B rediens peccata vicerit, & prima opera benè fecerit, quod dabit ei de ligno vitæ Paradisi edere, id est, de societate gloriæ sempiternæ. Et breviter nullus est ità perfectus, quin nõ possit cadere in peccatũ. Veruntamen pœnitentiam debet facere, & primum statum recordari, timore pœnæ & amore gloriæ prima opera perpetrare. Hier. 31. *Dirige cor tuum in via rectâ, in qua ambulasti.*

Angelus Smirnæ commendatur de paupertate, tribulatione, divitiis spiritualibus. Hic blasphematur ab illis, qui se dicebant esse Judæos & non sunt, sed dicitur sibi quod non timeat, quæ passurus est, nec etiam Diaboli carceres, & tentationes, *sed sit fidelis usque ad mortem: & si vicerit, dabitur ei corona, & non lædetur à morte secunda.*

Sic verè, qui sustinent hic miserias, paupertates, tentationes, malorum contemptus, blasphemias, vexationes, si sint fideles, & perseveraverint usque ad mortem, dabitur eis corona vitæ, id est, gloria, & servabuntur à morte secunda, id est, à morte inferni & damnatione animæ. *Nihil*, inquit, *horum timeas, quæ passurus es, sed esto fidelis usque ad mortem, & dabitur tibi corona vitæ.*

Angelo Pergami dicitur: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Postquam de quibusdam reprehenditur, dicitur sibi, quod si pœnitentiam egerit, & vicerit, dabitur sibi manna absconditum, & calculus candidus, ubi nomen Dei scriptum est, quod *nemo scit, nisi qui accipit.*

Tales sunt multi boni existentes, & moram contrahentes in mala societate, ubi est sedes satanæ, ubi tamen boni perseverant, nomen, & fidem Dei servant, nec eum denegant per peccatum, & ideò talibus, si vincunt, si in bonitate sua perseverant, nec per peccatum succubuerint, promittitur *manna absconditum*, id est, dulcedo æternæ gloriæ, quæ à nobis nunc absconditur; promittitur etiam calculus sibi candidus, soliditas perpetuæ Salvationis quantum ad gloC riam corporis. Nam calculus est durus & candidus, levis & rotundus; sic & gloria corporis habet duritiem impassibilitatis, candorem claritatis, levitatem subtilitatis, rotunditatem agilitatis. Igitur nomen, id est, æterna sua potentia vel Majestas, ibi dicitur scriptum, quia in præmio æternæ beatitudinis patet præcipuè Dei virtus, quia Prov. 18. *turris fortissima nomen Domini, ad eam fugiet justus & salvabitur.*

Angelo Smirnæ dicitur à Deo, *habeo adversum te pauca, quia habes tecum tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach ponere scandalum coram filiis Israël, sed age pœnitentiam, alioquin pugnabo tecum in gladio oris mei.*

Sic verè Angeli, id est, Prælati reprehenduntur, qui habent secum multas personas, & eas non puniunt, imò fovent, & maximè homines, qui sunt in scandalum plebi Israël, id est, populo Dei. Isti ergò tenentes doctrinam Balaam significant fornicatores & idololatras, id est, idola, hoc est dictum, mulieres pictas adorantes, id est, sacerdotes & clericos luxuriosos. Nam si Prælatus eos non corrigat, & pœnitentiam non agant, ipse Deus gladio oris sui, id est, Divina sententia eos in æternum occidet, & illum, qui fuit negligens in puniendo. Quia Rom. 1. *Tales digni sunt morte, non solùm, qui talia agunt, sed qui eis consentiunt.* Non sufficit enim quod Angelus, id est, Prælatus sit bonus, imò necesse est, quod ipse non sustineat secum malos, quod tamen est hodiè contrà multos, qui quamvis in se sint boni, tamen non student extirpare malos subditos, imò prece vel pretio aliquoties fovent eos.

Angelo Tyatiræ dictum est: *Novi opera tua, fidem, charitatem, ministerium, patientiam, & opera tua novissima plura prioribus, & qui vicerit usque in finem, & custodierit, dabo ei potestatem super gentes, & regna.*

Sic illi, qui sunt in Ecclesia vel Religione, habent fidem, & charitatem, quorum etiam novissima sunt semper prioribus meliora, id est, qui semper vivunt, se emendando in meliùs, istis dico, quod si vicerint, & hæc custodierint usque in finem, & sic perseverarint, digni erunt, quod promoveantur temporaliter, & æternaliter, & quod accipiant à Deo potestatem super gentes, & regna, & fiant Prælati, & aliorum magistri, Heb. 7. *Talem enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

Erat autem in Tyatira secundùm visionem Joannis Apostoli mulier Jezabel, quæ prophetabat, & servos Dei seducebat, & docebat comedere de idolothytis, & fornicari, & dato, quod ei datũ est pœnitentiæ tempus, ibi tamen nullatenùs pœnitebat, sed dicitur ei, quod *ipsa ponetur in lectum, & illi, qui mœchati sunt cum ea, essent in tribulatione maxima.* Jezabel, quæ interpretatur fluxus sanguinis, significat mundum, à quo sanguis, i.e. carnalis voluptas quotidiè emanat.

Iste

Digitized by Google

Iste quotidiè docet,& prophetizat fornicari, seducere & idolothita, id est, mundi bona Diabolis dedicata per avaritiam manducare, & per contemplationem incorporare, & quod pejus est, quia cum tempus hujus vitæ sit ei concessum ad pœnitentiam, ipse tamen nunquam pœnitet,sed semper in suis iniquitatibus perseverat. Undè Job. 24. *Dedit Deus ei locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbiam;* sed pro certo ista mulier, id est,mundus,unà cum amatoribus suis,qui per diversa vitia quotidiè cum ea mœchantur, finaliter ponentur in lecto mortis æternæ, ubi pro certo in tribulatione maxima,id est,pœnis infernalibus affligentur.

Vel dic literaliter,quod talis est mulier luxuriosa alios seducens,in luxuria perseverans, & impœnitens, Eccl. 23. *Homini fornicario panis est dulcis, non fatigatur transgrediens usque in finem;* sed tam ipsa, quàm fornicatores in lecto mortis & inferni tribulabuntur finaliter in æternum,& nisi pœnitentiam fecerint in hac vita,damnabuntur. Undè Luc. 13. *Nisi pœnitentiam feceritis, omnes simul peribitis.*

E *Capitulum tertium. Textus.* Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, Hæc dicit, qui habet septem Spiritus Dei.

Moralitatum Cap. III.

Reprehenditur Angelus Sardis sic: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas & mortuus es, sed vigila, & confirma cætera, quæ moritura sunt, & in mente habe qualiter acceperis, alioquin veniam ad te, sicut fur horâ,quâ nescis.*

Sic igitur multi Ecclesiastici,qui nomen & famam habent, quod vivant per gratias & virtutes,quia creduntur esse multæ sanctitatis & perfectionis,& tamen mortui sunt per peccatum, istis igitur & omnibus aliis Prælatis dicitur, quod ipsi vigilent per diligentiam super gregem pastoralem Domini, & ipsi confirment, docendo, & admonendo,illos,qui per imbecillitatem,& vitia putrescunt,& moriuntur. Dicitur etiam eis, quod in mente habeant, qualiter acceperint curam,& regimen animarum, alioquin super ipsos veniet ira Dei. Luc. 22. *Vigilate,quia nescitis,quâ horâ Dominus veniet.*

Commendatur Angelus Sardis,quia *secum habet illos,qui non inquinaverunt vestimenta sua.* Et ideò sibi & aliis promittitur,quod *si vicerint,ambulabunt cum filio hominis in vestimentis albis, & erunt scripti in libro vitæ.*

Sic verè Prælatus commendatur, quando habet subditos honestos,& castos, qui vestimenta carnis suæ per luxuriam non inquinant. Ideò si vicerint & perseveraverint, promittitur eis, quod cum Christo ambulabunt in cœlo sursum, induti vestibus albis, id est, dotibus æternæ gloriæ, & in libro æternæ prædestinationis scripti erunt. Undè Act. 1. *Ecce duo viri steterunt in vestibus albis.*

Angelo Philadelphiæ dicitur: *Scio opera tua, & dedi coram te ostium apertum,quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem,* F *& servâsti verbum meum, & non negasti nomen meum, & ego servabo te. Tene,quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, quia,qui vicerit,faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Iste Angelus gerebat personam infirmorum. Nam isti habent modicam virtutem resistendi. Ideò Deus dat ostium apertum veniæ & pœnitentiæ. Illud semper apertum est pro tempore hujus vitæ. Sinus enim Ecclesiæ, qui rectè est ostium Paradisi, semper est apertus, & nunquam pro vita ista clauditur pœnitenti; & hoc,quia infirmi modicam habent virtutem resistendi vitiis & peccatis; quare necesse est, quod habeant faciliùs remedium pœnitendi. Apocalyp. 21. *Portæ civitatis non claudentur die ac nocte,* Et Joan. 10. *Qui non intrat per ostium,* id est, per veniam & pœnitentiam, *fur est,& latro.* Illud enim non potest claudi alicui, quamdiù durat ista misera vita præsens; quapropter infirmus, quantumcunq; fragilis,& ad vitia sit proclivis, desperare non debet. Et ideò sibi dicitur,quod *faciat, quod in se est, & quod servet verbum,& præceptum Dei, nec deneget per hæresim nomen ejus, & sic pro certo Deus servabit eum ab hora tentationis,* quia, scilicet, *Deus facit cum tentatione proventum.* 1. Corinth. 10. *Non permittet vos tentari ultrà, quam potestis.* Teneat igitur quilibet illud,quod habet, id est, gratiam & perfectionem; ne fortè perdat coronam suam,id est,honorem, & præmium gloriæ, quod sibi debetur, & ne alium habeat successorem, qui ipso reprobato habeat coronam gloriæ suæ. Nam si vicerit vitia,erit in templo Dei, id est, in Paradiso vel Ecclesia,columna, id est, persona stabilis, & æterna, & foràs non egredietur ampliùs, quia in Paradiso perpetuò remanebit.

Vel ad literam in Ecclesia fit, quod illi,qui peccata vincunt, columnæ, hoc est, stabiles viri fiunt, & ea interim vincere assuescunt, ità quod de templo, id est,de statu gratiæ non ex tunc ampliùs recedunt seu cadunt.

Angelo Laodicææ taliter comminatur: *Utinam,* inquit, *frigidus esses aut calidus,sed quoniam tepidus es,* id est,neque frigidus, neque calidus, *incipiam te evomere,quia dicis: dives sum & nullius egeo, & nescis,quod sis miser,& miserabilis & pauper & cæcus,& nudus: suadeo tibi emere à me aurum,& argentum ignitum,probatum,ut locuples fias, & vestimentis albis induaris,ut non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos,ut videas,quia qui vicerit,dabo ei sedem in throno meo.*

Tales Angeli multi sunt, qui pro certo non sunt calidi per fervorem devotionis,nec frigidi per algorem divini timoris,& subjectionis; sed sunt medii,quia tepidi & indevoti, quia nec per fervorem Deum perfectè diligunt, nec per timorem ei obediunt perfectè, sed sub Dei misericordia confidentes, tepidi & medii sic incedunt. G Et ideò tales negligentes, & tepidi ab ore Dei sæpè evomuntur,id est, à statu gratiæ, & veritatis cadere permittuntur. Aliquando accidit, quod, quidam tales sunt ità præsumptuosi, & de propriis meritis confidentes, quod credunt se divites in virtutibus esse, & nullius consilio indigere, & tamen secundùm veritatem sæpè accidit, quod spiritualiter ipsi gratiis sint nudi, & virtutibus miseri, & pauperes, quoad Deum ignorantes, & cæci; quia nec vident,nec advertunt illa, quæ maximè timenda sunt,scilicet,mortem, infernum, Paradisum, mundum, peccatum, occultæ Dei providentiæ opera,vel propriam insufficientiam, &c. Undè Luc. 18. *Cæcus sedebat secùs viam.* Istis igitur suaderur, quod à Deo emant aurum,id est, *discretionem* vel valorem sanctitatis & perfectionis,quæ sunt ignita per charitatem,probata per tribulationem, ut sic in donis & gratiis locupletes esse possint, præcipitur etiam cuilibet tali, quod ipse collyrio,id est, aliqua amaritudine compunctionis inungat oculos cordis sui,ut visum spiritualis discretionis recipiat, quem amisit,præcipitur sibi quoque, quod albis vestibus, id est, honesta conversatione induat se,ne nuditas imperfectionis suæ appareat, & ne quilibet ipsum irrideat, aut contemnat; quia vix est aliquis ità sanctus,quin habeat in corde, & opere plura irrisione digna, si vita sua videatur nuda, & si honestatis velamine non fuerit cooperta. Ideò consolando desolatos, & tribulatos atquè desperatos dicit Deus hic: *Ecce quos amo,arguo,& castigo. Ecce sto ad ostium & pulso,si quis audierit vocem meam,& aperuerit januam, intrabo ad illum,& cœnabo cum illo,& ille mecum.* Ac si diceret: Paratus sum inspirando vel prædicando pulsare, & si aperiat cor, per gratiam subintrare.

Capitulum quartum. Textus. Post hæc vidi,& ecce ostium apertum in cœlo. H

Moralitatum Cap. IV.

Joannes raptus in Spiritu vidit ostium apertum in cœlo, & *ecce,* inquit,*sedes,& suprà eam sedens,& qui sedebat,similis erat aspectui lapidis jaspidis & sardinis. Et iris erat in circuitu sedis similis visionis smaragdinæ,& circà sedem sedilia viginti quatuor, & desuper sedebant viginti quatuor seniores,habentes in capitibus suis coronas aureas,& de throno procedebant fulgura, voces & tonitrua: ante thronum erant septem lampades ardentes,& in conspectu sedis mare vitreum simile crystallo,& in circuitu quatuor animalia plena oculis antè, & retrò.*

Dicit igitur, quòd vidit in cœlo. Cœlum est Ecclesia. Sicut enim in cœlo est sol & luna, & planetæ & stellæ, quæ semper volvuntur,& nunquam cadunt,sic in Ecclesia lucent, & influunt sol, id est,Christus; luna,id est,Beata Virgo,planetæ,& stellæ, id est, Sancti & Sanctæ,& licet volvuntur per tribulationes continuè; nunquam tamen deficit Ecclesiæ sedes,nequè etiam perit, quia dicitur Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

Vel dic,quod sol est Papa,luna est Imperator,& Reges: planetæ, sunt Cardinales, vel Prælati,stellæ sunt Clerici,& cæteri Christiani, sedes, quæ erat ibi, est dignitas Ecclesiastica vel sæcularis sedes.

Vel sedens super eam est Prælatus vel Judex, Officialis vel Princeps, qui suprà dignitatis sedem judicat,quia *suprà cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Matth. 23. Sed pro certo quicunque sit sessor, Judex,Prælatus; multa sunt ei necessaria, & primò iste debet esse similis jaspidi & sardini,qui sunt lapides pretiosi, quia debet esse similis Christo, vel sanctis viris perfectis, pretiosis & virtuosis, quia bonus Superior vel Prælatus debet super omnia conari, quod possit bonis, & honestis suis Prædecessoribus assimilari, & maximè illis, qui fuerunt jaspis, qui restitit maleficis; & ut sardis, qui omnis malefici malitiam, si sit purus, cohibet,id est, illis bonis Prælatis, qui maleficis hominibus restiterunt, & tutam patriam reddiderunt.

Secundò dicitur,quod iris erat in circuitu sedis.

Per iridem arcum cœlestem,ubi relucent omnes colores,intelligo regulam Religionis, & processum judiciariæ potestatis, qui quidem A arcus cœlestis dicitur, pro eo quod per eum impii sagittantur, & correctionis jaculis feriuntur,Psalm. 7. *Arcum suum tetendit, & paravit illum, &c.* quia Prælatus vel Judex, mediante justitiâ, regia potestate vel ordine judiciario,habet sagittare,& punire reos, & accusatores, & facere justitiæ complementum, & ibi pro certo habent

Digitized by Google

habent relucere multi colores, id est, multæ causæ, multæ rationes, multæ leges, multæ sanctiones, multi sensus, & multæ opiniones, antequam aliquem puniat de delicto, ut sic tali Prælato dicatur illud Apocalyp. 10. *Vidi Angelum amictum nube, & iris erat in capite ejus.* Et sic iris videtur tangere cœlum & terram. Sic verè rigor justitiæ debet tangere cœlum, id est, nobiles sublimes: terram, id est, infirmos atque viles sine acceptione personarum.

Vel dic, quod sicut iris magis tangit terram, quàm cœlum, quia duobus suis cornibus. Sic verè rigor judiciariæ potestatis plùs debet tangere, & vulnerare terram, id est, terrenos peccatores, quàm cœlum, id est, quàm innocentes spirituales, & cœlestes. Sed dicitur, quod iris *similis erat visioni smaragdinæ.* Est enim ille lapis viridis, confortans oculos; quia ordo justitiarius debet fieri ità maturè, & justè, quod oculi, & judicia aliorum non lædantur, sed magis confortentur, & quicquid agitur, oculos eorum delectet, & ab omnibus commendetur, Matth. 5. *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Tertiò dicitur, quod circa sedem erant viginti quatuor sedilia, & desuper seniores viginti quatuor.

Per ista sedilia intelliguntur minora beneficia, officia vel præbendæ, quæ Prælatus, Judex habet sub se ex jurisdictione. Et pro B certo in istis debent sedere seniores, id est, viri discreti & maturi; & tales etiam debent habere secum senes, Ezech. 8. *Et senes Juda sedebant coram me.* Quod tamen est contra multos judices, qui pessimos homines ponunt in officiis, & contra Prælatos, qui pueros collocant in beneficiis suis, &c.

Hinc quartò dicebatur: *In Capitibus eorum* (Senûm) *coronæ aureæ:* ut sciant Prælati, quod Senibus, qui debent esse in Societate sua, ut eorum consiliis fulciantur, debent dari coronæ in capitibus, scilicet, honores & dignitates, non parvulis ignorantibus & juvenibus insensatis. Ideò Prælato dicitur Eccl. 27. *In medio sensatorum assiduus esto*, ut sic Prælatus dicat illud Ezech. 8. *Sedebam in domo mea, & senes Juda sedebant coram me.*

Septem quoque *Lampades* erant *ardentes ante thronum*, *& de throno exibant fulgura, voces & tonitrua.*

Lampades istæ significant septem dona Spiritus sancti, quæ Judex, & Prælatus debent habere, ut eorum mens per ea illuminetur, & in suis actibus dirigatur.

Vel septem lampades cum igne charitatis, & oleo pietatis sunt septem opera misericordiæ, quæ valdè decent Judicem vel Prælatum Apoc. 2. *Hæc dicit, qui ambulat in medio septem candelabrorum;* & sic de throno isto, id est, de talibus personis vel eorum domibus aut judiciis debent exire fulgur, id est, splendor bonorum exemplorum, vel fulgor splendentis conversationis, voces dulcis consolationis, & tonitruum altæ prædicationis, correctionis & reprehensionis Psalm. 76. *Vox tonitrui tui in rota.* Vel fulgura severæ disciplinæ, voces prædicationis altæ, tonitrua reprehensionis duræ.

Quintò verò dicitur, quod *in conspectu sedis erat vitreum mare*, seu lavatorium vitreum, *simile crystallo*, & illud significat sacram scripturam. Dicitur enim ipsa mare, propter profunditatem inscrutabilem; vitreum propter perspicuitatem intellectualem; crystallinum propter soliditatem immutabilem. Istam enim debet judex habere, & in ea facta sua lavare, Psal. 76. *In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis.*

Sextò dicitur, quod circa sedem erant animalia quatuor oculatas. Ista significant assessores, & consiliatores Prælatorum, qui debent esse animalia, id est, animati per gratiam, & virtutes. Quatuor etiam virtutibus Cardinalibus debent esse privilegiati, & dotati; & pleni oculis, id est, claritate sapientiæ, & discretionis ante, & retrò; quantum ad considerationem præsentium & futurorum. Juxta illud Ezechiel. 1. *Totum corpus in circuitu erat plenum oculis.*

Vel dic, quod ista sedes est Christus in humanitate. Quatuor animalia sunt quatuor Evangelistæ, scilicet Homo Matthæus, Lucas Vitulus, Leo Marcus, Aquila Joannes. Viginti quatuor seniores C sunt Patres veteris testamenti, & novi. Duodecim dicuntur esse illi de lege veteri, quia à duodecim Patriarchis descenderunt. Duodecim etiam dicuntur Patres novi testamenti, quia duodecim articulis crediderunt. Mare est scriptura. Iris est perfectio, etiam sicut suprà. Et pro certo tales debet judex secum habere, & eorum consiliis, & societate uti & regi, & per eos gubernari, non per adulatores & iniquos.

Dicitur, quod *ante thronum erant quatuor animalia plena oculis & retrò, & habebant singula alas suas.* Unum tamen erat, *quod quotiescunque animalia oculata dabant gloriam Deo, statim viginti quatuor seniores procidebant in facies suas, & deponebant coronas suas, & adorabant viventem.*

Animalia ista significant Prælatos, Clericos, & authenticas personas, in statu Religionis vel in Ecclesia conversantes, quia verè illi, qui sunt circa sedem, & ante thronum seu in conspectu Dei, id est, illi, qui in Ecclesia sunt, & qui vacant regimini etiam, & prælationi aliorum, isti debent esse pleni oculis, id est, claritate discretionis ante & retrò, quantum ad præterita & futura. Debent habere alas, quia ipsi debent volare ad cœlum. Et si vis meliùs exponere de sex alis vide, ubi dicitur Isa. 6. *Sex alæ uni, &c.* Sed quando ista animalia, id est, quando Prælati, & authentici dant gloriam Deo, & faciunt bona opera, statim inferiores, & subditi boni & maturi, qui super sedilia inferiorum sedent, bonum accipiunt exemplum, & exemplo eorum bono, ipsi finaliter honorant Deum cœli per bona opera, & coronas gloriæ mundanæ deponunt, & in corde suo vilipendunt, & Deum honorant, & adorant.

Vel dic, quod animalia sunt Clerici & Religiosi, qui sunt propinqui, quantùm ad gradum, sedi Christi. Nam exemplo istorum, qui sunt boni seniores, id est, Principes non obstantibus coronis gloriæ temporalis, Deum cœli glorificant. Et breviter ad exemplum Clericorum se gerit vita sæcularium personarum, sive bonum fecerint, sive malum. Isa. 24. *sicut populus, sic sacerdos.*

Vel dic, quod circa sedem alicujus Prælati vel Principis sunt quatuor oculati consiliarii sive principaliores, quibus proloquentibus, & sententiam suam dicentibus, alii inferiores, quamvis sint sapientes & senes, solent adulando ipsorum dictis alludere, coronas & bireta de capitibus eorum deponere, & ipsorum dicta & consilia commendare. Undè Eccles. 13. *Dives locutus est, & omnes tacuerunt. Verbum ejus usque ad cœlum extulerunt.* Et expone, quod isti Ecclesiastici, & subtiles mali consiliarii habent alas sex, id est, sex specialia vitia, scilicet adulationem & malitiam, quibus volant illi ad Dominos decipiendos; & appetitum laudis & avaritiam, quibus volant ad se ipsos ditandos; & rapinam & superbiam, quibus volant ad subditos opprimendos, & istæ sunt illæ sex alæ, de quibus dicitur Isa. 6. *Sex alæ uni, &c.* D

Capitulum quintum. Textus. Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intùs & foris.

Moralitatum Cap. V.

VIdit Joannes *in dextera sedentis super thronum librum scriptum intùs & foris signatum sigillis septem, & nemo inventus est dignus nec in cœlo, nec in terra, librum respicere, & aperire atque solvere ejus signacula, excepto Leone de tribu Juda, qui est radix David, qui venit aperire librum, & ejus signacula solvere.*

Sedens iste est Pater Deus, qui ab æterno sedet in throno gloriæ suæ. Iste liber significat mundum, & ordinem rerum, processusque earum, qui pro certo à principio semper est in manu Dei, quantùm ad ejus ordinationem, & provisionem, & ille est scriptus intùs, & foris. Intùs quantum ad causas rerum nobis occultas, quæ sunt in mente divina; & foris, quantum ad creaturas, & apparentes eventus rerum. Iste est signatus sigillis septem, id est, septem ætatibus, quia quamdiu durant septem ætates vitæ præsentis, mundus est nobis clausus. Vel etiam septem planetis, quorum influentiis regitur mundus. Nemo etiam est inter homines nequè in cœlo, nequè in terra, qui per se intuitivè videat veritates rerum in existentia propria, nec cuilibet, etiam creaturarum est iste liber notorius & apertus, nisi Leoni Christo Dei filio, de tribu Juda, id est, qui de progenie David fuit natus, qui propter unionem beatificam, quam habet anima sua cum verbo, non obstantibus sigillis, res in propriis sententiis intuetur, Isa. 29. *Dabitur liber scienti literas, & dicit: nescio legere, signatus est enim.*

Vel dic, quod sedens est Deus Pater, dextera ejus est Dei filius, qui dicitur dextera Patris, per quem fecit omnes creaturas. Ista dextera habet unum librum, id est, nostram humanitatem, quam assumpsit in Virgine, quæ humanitas dicitur liber, quia intùs in ea conscientia; exteriùs in apparentia omnes virtutes, perfectiones, gratiæ & exempla scribuntur. Iste liber fuit nobis clausus, signatus, velatus in Sacramento altaris, quia pro certo ibi sunt sigilla septem, id est, septem accidentia, quibus substantia corporis occultatur. Ista sunt sapor, color, odor, figura, quantitas, actio, passio; remanet autem ibi idem color, idem sapor, idem odor, eadem figura rotunda, vel quadrata, eadem quantitas magna vel parva, eadem actio, quia ista potest agere, nutrire, inebriare, ponderare, sonare, &c. sicut antè: eadem passio, quia ità potest tangi, & ità durum invenitur post, sicut antè, & sub istis accidentibus, & sigillis celatur & absconditur corpus Christi. Isa. 45. *Verè tu es Deus absconditus,* in tantum quod non est homo, neque in cœlo, neque in terra, qui, relictis propriis naturalibus, possit solvere & cognoscere ista accidentia & sigilla, & quomodò sub istis latitat corpus Christi, quamdiù sumus in via, *& erit nobis visio omnium sicut liber signati.* Isa. 29. Excepto tamen Leone de tribu Juda, id est, Christo, qui fuit de radice David, de tribu Juda exivit, & quia iste solus inter homines vidit, & cognovit, quia ille per visionem, nos per fidem. B

Digitized by Google

Ex Capitulo quinto, Textus. Et ecce in medio Throni & quatuor animalium.

Moralitatum Cap. VI.

JOannes vidit in medio throni, & quatuor animalium Agnum,& viginti quatuor seniores habentes singuli citharas, & phialas, qui ceciderunt coram agno, & cantaverunt canticum novum.

F Iste agnus benignissimus est Christus, qui *quasi agnus ductus ad victimam.* Isa. 53. Iste enim sedet in throno sacræ scripturæ, ubi sunt quatuor animalia, id est, quatuor Evangelistæ, & viginti quatuor Seniores, id est, viginti quatuor libri veteris testamenti secundùm expositionem Hebræorum. Iste fuit quasi occisus, per passionem, sed modò est stans & immortalis per resurrectionem. Iste habet cornua septem, id est, potestatem in septem mundi climatibus: per cornu enim potentia designatur. Habet etiam septem oculos, id est, septem dona Spiritus sancti. Zach. 3. *Super lapidem unum septem oculi sunt.* Iste de dextra sedentis, id est, Dei Patris, accepit librum, & omnem sapientiam. Et cum aperuisset primum sigillum, id est, cum hominibus revelasset primum secretum divinæ sapientiæ, scilicet cum fidem sanctæ Trinitatis prædicaret mundo, tunc animalia, id est, Evangelia, & viginti quatuor Seniores,id est,libri veteris testamenti,cum citharis, id est, divinis laudibus,cum phialis odoratis, id est, cum sanctorum meritis, historiis, & viris famosis,laudem agno,id est,Christo dederunt,in quantum canticum novum, & prophetias de suo adventu jam revelata facie cecinerunt. Ps. 98. *Cantate Domino canticum novum*, id est, prophetias de suo adventu, *quia mirabilia fecit.*

Vel dic, quod agnus est bonus Prælatus, qui debet esse humilis & pacificus sicut agnus. Ille enim in throno majestatis suæ sedens, debet esse circumdatus, & associatus animalibus quatuor ocularis,&c. id est, bonis & discretis clericis; quatuor scilicet, virtutibus Cardinalibus adornatis, & Senioribus, id est, personis maturis atque subditis morigeratis; ille in repræsentatione sua debet esse quasi occisus, qui præ humilitate debet se reputare mortuum G & occisum, id est, quasi statim moriturum. Debet habere cornua septem, id est, septem principales virtutes, & septem oculos, id est, septem dona Spiritus sancti. Ille debet accipere librum, id est,sacram scripturam præ manibus, & ipsam à sedente in throno, id est, à Christo per devotionem, & orationem acquirere. Ille debet aperire sigilla libri, id est, obscuritates scripturæ, & eas subditis suis revelare docendo, & tunc animalia, & seniores, id est, clerici, & sæculares, id est, bonæ, & honestæ personæ quæcunque, & maximè illæ personæ, quæ habent citharas & canticum divinæ laudis & gratiarum actionis, & Phialas cum odoramentis, id est, fragrantiam devotionis, & orationis, tales inquam, ipsum adorabunt,& laudabunt, canticum laudis, & recommendationis sibi in cunctis partibus resonabunt. Undè Eccl. 44. *Laudemus patres nostros viros gloriosos.* Et secundùm quod dicitur ibidem, cum *animalia & seniores laudarent Deum, audita est vox millia millium Angelorum,qui benedixerunt agnum.* Sic verè quando invenitur talis agnus,id est, bonus Prælatus, qui ab animalibus, id est,à senioribus, & honorabilioribus personis benedicitur & laudatur,pro certo millia millium Angelorum, id est, multitudo sæcularium populorum ipsum similiter benedicunt,& de hoc glorificant & laudant.

Capitulum sextum. Textus. Et vidi quod aperuisset agnus unum de septem sigillis.

Moralitatum Cap. VII.

ET vidi quod aperuisset agnus unum de septem sigillis, & audivi unum de quatuor animalibus dicens,tanquam vocem tonitrui. Veni & vide. Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret. Et cum aperuisset sigillum secundùm, audivi secundùm animal dicens: Veni & vide. Et exivit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei gladius magnus. Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens: Veni & vide. Et ecce equus niger,& qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua, & audivi vocem in medio tanquam quatuor animalium dicentium,Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno, & vinum,& oleum ne læseris. Et cum aperuisset sigillum quartum,audivi H *vocem quarti animalis dicentis: Veni & vide. Et ecce equus pallidus,& qui sedebat super eum,nomen illi mors, & infernus sequebatur eum,& data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte & bestiis terræ. Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtùs altare animas interfectorum, propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant. Et clamabant voce magna, dicentes: usquequo Domine sanctus,& verus non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his,qui habitant in terra? & datæ sunt eis singulis stolæ albæ,& dictum est illis,ut requiescerent adhuc tempus modicum,donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt,sicut & illi.Et vidi,cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræ motus magnus factus est. Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. Et luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt super terram, quemadmodum ficus emittit grossos suos,cum à vento magno movetur. Et cœlum recessit sicut liber involutus. Et omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt, & reges terræ & principes,& tribuni, & divites, & fortes, & omnis liber & servus absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus,& petris: Cadite super nos,& abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. Et quis stare poterit? Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ,ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem, &c.*

Itaque primò super illo: *Et vidi,& ecce equus albus, & qui sedebat super illum,habebat arcum,& data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.*

Equus est nostra caro,Isa,31. *Equi eorum caro,& non spiritus,&c.* Sessor ejus est anima, quæ carni meritò debet præsidere. Et breviter sessor iste cum suo equo albo, significat hominem, qui per castitatem corpus habet candidum, & purum. Iste quandoque habet arcum,id est, rigorem justitiæ, & æquitatis, quia quantum ad sagittandum & corrigendum delinquentes, talis est justus & rigidus, in se vero innocens & castus. Undè Eccles. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Ideo pro certo talibus personis castis & justis debet dari corona,id est,honor, & celsitudo regiæ potestatis, quia tales personæ quando sunt promotæ ad dignitatem, vincunt primò se, & cupiditates suas, & tandem vincunt, & suppeditant omnes malos, & prævalent adversùs Principes & tyrannos. *Exivit* (inquit) *vincens ut vinceret*, qui enim primò se vicerit, alios faciliter vincere poterit. Ideo bene dicit Apostolus Rom. 12. *Noli vinci à malo,sed vince in bono malum.* Undè Seneca lib. de moribus. *Fortior est qui cupiditates suas vincit, quam qui hostes subjecit.* A

Vidit Joannes *equum rufum, & qui sedebat super eum, habebat gladium magnum,& datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut homines invicem se interficerent.*

Charissimi, color rufus teste Aristotel. in Physiognomia, significat malitiam, fraudem, fallaciam & livorem. Illi igitur, qui habent equum rufum, sunt,qui sunt fallaces, invidi, malitiosi. Et pro certo isti hodiè habent gladium maximum, id est, linguam, & loquacitatem,quam ita habent magnam,latam, longam & diffusam, quod per detractionem ad omnes personas & status attingunt, scilicet, de omnibus detrahendo, accusando, & verba referendo. Et ideo pro certo talibus datur hodiè potestas à Diabolo, quod ipsi tollant pacem de terra,quapropter per dicta talium iniquorum, & impiorum, & per ipsorum falsas accusationes, & relationes pax, & concordia dissipatur, & lites & discordiæ seminantur. Eccles. 28. *Susurro, & bilinguis maledictus multos turbavit habentes pacem.*

Vidit Joannes *equum nigrum, & qui sedebat super eum, habebat stateram,audita est vox inter animalia,dicens:Bilibris tritici denario uno,& tres bilibres hordei denario uno,vinum & oleum ne læseris.*

Equus hic est corpus Christi, qui niger, vilis & despectus existit præ tormentis Isaiæ 35. *Vidimus eum, & non erat ei aspectus.* Sessor B istius,id est,Dei filius habet stateram, id est, libram æquitatis, & justitiæ in manu sua, quia habet potestatem judiciariam, & potest ponderare, & librare merita singulorum. Ideo dicitur sibi, *Bilibris tritici,&c.* Triticum significat perfectos, qui medullam devotionis & compassionis habent, & ipsi sunt pleni. Hordeum significat imperfectos, qui cum medulla meritorum, & virtutum habent admixtam corticem venialium peccatorum. Denarius est præmium æternæ beatitudinis; illud est præmium commune. Undè Matth. 20. *Acceperunt singuli singulos denarios.* Dicitur enim,quod bilibris tritici, id est,duæ libræ tritici, & tres bilibres, id est, sex libræ hordei, hoc est dictum: parva quantitas perfectorum, quæ per duo designatur, & magna quantitas imperfectorum, quæ per sex designatur, omnes præmiantur ab illo sessore Christo denario uno, scilicet, præmio æternæ Beatitudinis; quia omnes percipiunt eandem visionem, tamen diversimodè, quia secundum merita alii clariùs, alii obscuriùs vident Deum.Ideo bene dicitur,quod duæ libræ perfectorum tantum reportant, quantum sex imperfectorum vel hordeatorum, quia licet habeant eundem denarium, & idem præmium quantum ad essentiam, tamen plus habent pauci perfecti, quam plures imperfecti, quantum ad modum perfectionis, & quantum ad Dei munificentiam, quia *in domo patris mei mansiones multæ sunt.* Jo. 14. Et sequitur, quod vox dixit illi sessori & liberatori Christo, quod *vinum & oleum ne læseris.* Vinum enim, quod lætificat cor hominis,significat viros lætos & consolatores, & aliorum informatores,& ad bonum incitatores, quia isti auditores inebriant verbo Dei. Oleum autem, quod lenit & nutrit, viros pios significat, & comparientes, qui pauperum infirmitates leniunt, & contemperant, & ipsos per elemosynas nutriunt & educant. Quando igitur Christus ponderabit & liberabit orbem terræ in die judicii, mediante statera justitiæ, ubi merita singulorum decernet; quando etiam perfectis & imperfectis gloriam di-

Digitized by Google

ſtribuere habebit,tunc verò vinum & oleum, id eſt, viros ſapientes, & compatientes miſericordes non lædet, ſcilicet, per æternæ damnationis ſententiam, & rigorem, Apocalyp. 2. quia *qui vicerit, non lædetur à morte.*

C Vel dic, quod equus niger eſt Eccleſia vel Religio, quæ dicitur equus propter habenas juſtitiæ, quibus ligatur. Dicitur niger, propter ſqualorem tribulationis, & abſtinentiæ, quâ ſua ſpecies obſcuratur. Juxta illud Cant. 1. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſum, quia decoloravit me ſol,* id eſt, tribulatio. Seſſor iſtius equi eſt Prælatus, qui debet habere ſtateram juſtitiæ & æquitatis, quia debet ponderare atque cogitare merita ſingulorum, ut videat,quis ſit bonus,quis malus, quis promovendus, quis reprobandus; ſed tamen qualitercunque ſit,denarium tantum, id eſt, tantam portionem bonorum Eccleſiæ, & beneficiorum debent habere duæ libræ tritici, id eſt, duæ perſonæ perfectæ & bonæ, quæ habent medullam devotionis, & compaſſionis, quantum ſex hordei, id eſt, quantum ſex imperfectæ, & immaturæ,Geneſ. 44. Exemplo Joſeph,qui Benjamin fratri ſuo concludit duas partes. Vinum autem & oleum, id eſt, viri diſcreti,& pii non debent ab eo lædi, ſed debent potiùs ſuſtineri.

Vel dic, quod per vinum & oleum intelliguntur agricolæ, de quorum laboribus oleum & vinum acquiritur. Iſti igitur à Superioribus, & Dominis non ſunt lædendi vel moleſtandi, ſed potiùs ſunt diligendi. Undè Eccleſ. 7. *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem ab altiſſimo creatam.*

Joannes vidit *aperto quarto ſigillo equum pallidum, & qui ſedebat ſuper eum,nomen illi mors,& infernus ſequebatur eum, & data eſt ei poteſtas ſuper quatuor terræ plagas interficere gladio, fame,& morte,& beſtiis terræ.* Equus eſt iſte peccator, qui dicitur pallidus, quia caret rubore charitatis, & albedine caſtitatis. Seſſor illius eſt
D Diabolus, mala voluntas vel peccatum, qui ipſum ducunt circumquaque ad motum ſuggeſtionis vel malæ inclinationis. Et iſte dicitur mors,quia hominem temporaliter, & ſpiritualiter occidit. Ideo dicitur quod infernus, id eſt,infernalis pœna ipſum ſequitur. Undè ipſe poterit dicere illud Ozeæ 13. *Morſus tuus ero inferne.* Iſti igitur datur poteſtas ſuper quatuor affectiones cordis humani, qui ſunt dolor, timor, ſpes & gaudium. Nam ex quo peccatum, Diabolus,vel mala voluntas homini dominatur, neceſſe eſt, quod ſuper quatuor affectiones ipſius principetur. Et ipſe annihilet omnes hominis gratias quatuor modis, fame,id eſt, avaritia; beſtiis, id eſt carnalitate, ſenſualitate luxuriæ; gladio iræ & invidiæ; morte otii & deſidiæ. Fames quæ deſiderium affligit, eſt avaritia. Beſtia quæ ſenſu,id eſt,ratione caret,eſt luxuria. Gladius, qui acutè pungit, eſt iracundia. Mors,quæ inſenſibilem, animam immortalem facit, eſt deſidia. Iſta igitur eſt quadruplex mors culpæ, quâ ab iſto malo ſeſſore occiditur anima peccatoris,quantum ad quatuor partes affectionum cordis ſui. Undè Hierem. 15. *Viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies,*dicit Dominus,*gladium & canes, volatilia cœli, & beſtias,* & paulo antè dixerat,quod, *qui ad mortem, ad mortem, qui ad gladium,ad gladium,qui ad famem,ad famem,&c.*

Vidit Joannes, *ſuper altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei,& propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna ad Dominum: Quare non vindicas ſanguinem noſtrum? Et acceperunt divinum reſponſum, quod expectarent adhuc modicum tempus, donec numerus fratrum ſuorum, qui interficientur, compleatur. Et datæ ſunt ſingulis ſtolæ albæ,&c.*

Iſti ſignificant Martyres, quorum animæ ſunt in altari paradiſi Deo præſentatæ. Iſti enim occiſi ſunt propter teſtimonium fidei,& propter verbum Dei, quod prædicabant. Iſti enim zelo juſtitiæ, non vindictæ, petunt venire ad judicium,ſcilicet,ut eorum ſanguis, Beatorumque tribulationes puniantur. Sed pro certo reſpondetur, quod necdum completus eſt numerus Electorum vel Martyrum, qui ſunt per occiſionem ad Deum migraturi, vel aliàs ſecundum ordinem prædeſtinationis Dei in ſæcula poſituri. Et ideo interim dantur eis ſtolæ albæ, ſcilicet, indumentum gloriæ paradiſi, quam nunc habet anima ſeparata, quæ dicitur ſtola prima, Luc. 15. *Citò proferte ſtolam primam, & induite eam.*

Aperto ſexto ſigillo, *Vidi,* (inquit) *Joannes, Et ecce terræ motus factus eſt magnus,& ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna facta eſt tota ſicut ſanguis, & ſtellæ ceciderunt de cœlo, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cum à vento movetur, & cœlum receſſit quaſi liber involutus, & omnis mons & Inſulæ de locis ſuis motæ ſunt, & omnes reges terræ,principes, & divites, & fortes & omnis ſervus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis atque in petris montium, & dicunt montibus & petris: Cadite ſuper nos & operite nos à facie ſedentis ſuper thronum & ab ira agni,quoniam venit dies magnus iræ peccatorum. Et quis poterit ſtare?*

E Iſte terræ motus ſignificat motum tentationum, & tribulationum hujus mundi, & earum invaleſcentiam in hoc mundo. Sol clarus ſignificat ſtatum Prælatorum. Luna mutabilis ſignificat ſtatum Principum & laicorum. Stellæ ſtatum & perſonas bonorum ſubditorum. Cælum eſt Eccleſia. Mons ſignificat ſtatum perfectionis. Inſula mari circumdata ſignificat ſtatum Religionis. Dico igitur,quod ſol, & ſtatus Prælatorum in multis per vitia denigratus eſt. Luna verò, id eſt, ſtatus Principum ſæcularium, per crudelitatem, & rapinam in ſanguinem converſus eſt, & ideo cælum Eccleſiæ à ſtatu proſperitatis receſſit, & ipſum tribulatio circumvolvit. Stellæ etiam, id eſt, bonæ perſonæ per peccatum jam videntur cadere, & mons cujuſcunque perfectionis, inſula cujuſcunque Religionis, jam de loco ſuo, & conditione ſuæ primæ fundationis videntur penitùs commotæ, id eſt, commutatæ. Qui enim bene conſideraret, quales fuerunt, & qualiter ſe habuerunt montes,id eſt,dignitates Eccleſiæ,& inſulæ, id eſt, ſtatus religioſorum, qui fuerunt in Eccleſia primitiva, reverà bene poſſet dicere, quod ſunt motæ de loco ſuo, & quantum ad vitæ perfectionem, & quantum ad morum,& habituum qualitatem, Pſal. 81. *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Ideo propter mala exempla iſtorum ſubditorum, alii inferiores reges,divites, fortes, ſervi & liberi, ab amore div no defecerunt, & jam in cavernis terræ, id eſt, in amore terrenorum ſe penitùs incluſerunt. Undè Joſue 10. *Abſconderunt ſe reges quinque in ſpelunca,&c.*

Vel dic,quod ſol eſt intellectus, qui hodiè per obſcuritatem erroris & ignorantiæ denigratur. Luna mutabilis eſt voluntas, quæ ſanguinea per carnalem amorem efficitur. Stellæ ſunt potentiæ ſenſitivæ, quæ hodiè per prava delectabilia, & peccata diverſa cadere comprobantur. Cælum eſt ratio, quæ hodiè obnubilatur vel excæcatur.

Vel ſtellæ ſunt virtutes,& gratiæ, quæ hodiè cadunt, & perduntur propter terræ motum, & ventum ſuggeſtionum, quo à Diabolo concutiuntur, quia propter iſta jam deficiunt montes contemplationis, jam ceſſant inſulæ compunctionis, & contritionis, quæ eſt in medio maris, id eſt, in medio cordis amari; reges & principes, id eſt, juſtitia & judicium; divites, id eſt ſufficientia; fortes,id eſt,conſtantia; liberi,id eſt,charitas; ſervi, id eſt, humilitas ſe abſcondunt, & deſiſtunt. F

Vel dic,quod Sol eſt veritas,quæ ſplendet, Luna eſt pietas, quæ honorem præbet. Cælum eſt verecundia, quæ honeſtatem celat. Stella eſt prudentia, quæ omnia illuſtrat. Quia igitur invaleſcente terræ motu tentationis, ſol converſus eſt in nigredinem ignorantiæ, Luna pietatis converſa eſt in ſanguinem crudelitatis, & ſævitiæ, Cælum verecundiæ jam receſſit, ſtella prudentiæ jam cecidit. Ideo procul dubio jam moti ſunt montes, id eſt, viri eminentes in perfectione; inſulæ,id eſt, viri maturi, & amari præ dolorosa contritione.

Vel dic,quod ideo montes, & inſulæ, id eſt, ſtatus Eccleſiæ tribulationibus concutiuntur, & à ſtabilitate, quam habuerunt, commoventur; ſervi, liberi,divites,pauperes,& reges, tribuni, generaliter omnes tam ſubditi, quàm Prælati jam miſerabiliter à divina præſentia, à divino ſervitio abſconduntur, & in cavernis terræ, id eſt, tumulis temporalium recluduntur; timent enim coram Agno immaculato, id eſt, coram Chriſto in Eccleſiæ ſervitio comparere; quod patet, quia verè niſi pro diſtributionibus nolunt in Eccleſiam ſubintrare, ſed in caverna, id eſt,in foro, & mundanis, cum talpis, id eſt, cum ſæcularibus cœcis habitare. Undè 1. Reg. 13. *Abſcondunt ſe in ſpeluncis.* Timent enim (ut dicunt) iram agni,id eſt, duritiem humani vel divini ſervitii, quamquam placabilis, & benigni. Undè iſti videntur dicere de Agno illud 1. Reg, 5. *Non maneat apud nos arca Dei Iſrael, quia dura eſt manus ejus,&c.*

Capitulum ſeptimum. Textus. Poſt hæc vidi quatuor Angelos G
ſtantes ſuper quatuor angulos terræ.

Moralitatum Cap. VIII.

Vidit Joannes *quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ,qui tenebant ventos cœli, ne flarent ſuper terram, nec ſuper mare,neque ſuper ullam arborem. Sed iſtis dictum eſt à quodam Angelo habente ſignum Dei vivi, qui aſcendebat de ortu ſolis, quod ipſi non nocerent terræ, neque mari, neque arboribus, quouſque ſignarentur ſervi Dei in fronte eorum, & fuit multitudo maxima ſignatorum, tam de filiis Iſraël, quàm de turba, de omnibus populis & gentibus congregata. Et erant omnes in conſpectu throni induti ſtolis albis,& palmæ in manibus eorum, & agnum benedicebant.*

Iſti quatuor Angeli poſſunt ſignificare Ballivos & Officiales Principum, qui in quatuor partibus mundi ſunt locati, & qui ſtant in diverſis officiis ſuper angulos terræ; qui etiam mari & arboribus, id eſt, omnibus generibus hominum ſubditorum dominantur; terræ hoc eſt villis & civitatibus; mari, id eſt, collegiis & conventibus; arboribus, id eſt, perſonis & hominibus, qui Ballivi de hoc breviter ponuntur in officio, ut noceatur ſubditis, & ut rapiant quicquid poſſunt. Undè Apocal. cap. 9. *Poteſtas eorum nocere hominibus, menſibus quinque.* Et iſti impediunt, ne venti flent ſuper terram, quia omnem conſolationis flatum, & omne refrigerium vel auxilium, quod Principes vel Prælati debent ſubditis, ipſi impediunt, quantum poſſunt. Sed quid? Verè ibi eſt alius Angelus, id eſt, alius conſiliarius vel familiaris, qui portat ſignum & ſigillum Principis utpote conſiliarius, vel ſimiles, cum quo oportet ſecretè loqui; quia breviter nullus eſt immunis à nocumento aliorum, niſi quos ipſe ſignaverit liberandos. Et tales ſic

ſigna-

Digitized by Google

signati per dona vel favores, à Magistris curiæ accepti ab hujusmodi quatuor Angelis malis, id est, ab hujusmodi iniquis non lædun-
tur, imo stant in conspectu throni, id est, in præsentia Principum, & Prælatorum induti stolis & vestibus eorundem, in eorum curiis officiisque ordinati. Alii autem, qui non sunt signati, nec in gratiam majorum specialiter sunt accepti atque recepti, nocumento talium malorum Angelorum, id est, inferiorum Ballivorum, executorum & commissariorum crudelium exponuntur. Et breviter istud est
H verum, quod nullus hodiè Ballivorum malitiam evitat, nisi alicujus magni Angeli, id est, alicujus magni consiliarii favorem procuret. Isti enim mali inferiores illos non audent tangere, quos vident majorem gratiam obtinere.

Vel dic, quod iste secundus Angelus est B. Franciscus, qui ab ortu solis, id est, à statu gratiæ, & virtutis ascendit super terram ipsam, & terrena calcando & etiam prædicando. Ille enim portat sigillum Dei, scilicet, stigmata Passionis Dominicæ. Iste enim per doctrinam suam impedivit, ne Angeli mali nocerent illis, qui signum characteris & crucis per pœnitentiam confessionis & passionis memoriam secum portant. Multos etiam sigillo & imagine Christi signavit, scilicet, fratres suos, quos Christo uniendo similes, & conformes esse voluit & mandavit. Sunt enim hodiè tam de Israël, quàm de gentibus, id est, tam de nobilibus, quàm de ignobilibus maxima turba, quæ per eum coram Domino præsentatur, in statu, scilicet, Religionis & perfectionis, qui amicti stolis candidis castitatis, & habentes palmas victoriæ & perseverantiæ atque firmitatis, Deum & Agnum continuè benedicunt, & ipsi per prædicationes suas ab aliis fiunt benedicti. Undè Act. 6. *Turba enim plurima credidit in Deum.*

Vel dic, quod iste potest significare quemlibet virum perfectum, signo charitatis munitum, qui sibi devotos simili signo consignat, & eos à malis Angelis liberat & defensat.

Vel dic, quod in die judicii illi soli à malis liberabuntur, qui signo charitatis, & gratiæ signati invenientur.

Vel dic, quod illud signum significat memoriam Dominicæ passionis, quo qui signati apparuerint, à dæmonibus non lædentur. Dicat igitur quilibet illud Ps. 85. *Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me.*

Dixit Joannes, quod *ipse vidit coram Deo, & Angelis, animalibus & senioribus turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus tribubus, populis, & linguis, qui erant amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, qui incessanter Deum cum Angelis col-*
A *laudant. Et dictum est ei: Qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt? Hi sunt enim, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni, & ei servient in templo sancto ejus die ac nocte, & non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque æstus, neque dolor, quoniam Agnus, qui est in medio throni, reget eos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

Isti significant Sanctos, qui sunt in patria, qui ante thronum majestatis æternæ perpetuò habent stare cum Angelis, & cum animalibus, id est, cum Evangelistis & senioribus, cum Patriarchis & sanctis. Isti sunt turma innumerabilis, sunt etiam ex cunctis populis congregati, & isti Deum continuò benedicunt, & amicti sunt stolis albis, id est, æternæ gloriæ claritate. Illi palmas inconcussibilis victoriæ secum portant. Sed pro Deo, qui sunt isti? pro certo nulli, nisi qui venerunt ex magna tribulatione, qui in mundo pœnas & miserias propter Deum habuerunt; quia quotquot Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt, isti stolas suas, id est, conscientias laverunt, & primò à vitiis purgaverunt, & hoc in sanguine Agni & passione, & memoria Jesu Christi. Isti enim sursùm in templo paradisi serviunt Agno, id est, Christo, qui eos regit, & ideo non esurient, neque sitient, neque calescent, neque flebunt, neque dolebunt, sed ad fontem vitæ, & æternæ prosperitatis omni voluptate replebuntur. Ps. 34. *Quoniam apud te fons vitæ.*

Capitulum octavum. Textus. Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo.

Moralitatum Cap. IX.

Vidit Joannes *Angelum unum ante altare aureum, quod est in cœlo, & data sunt ei incensa multa, & ascendit fumus aromatum in conspectu Dei.*

Sic verè ante altare paradisi ascendit fumus, odor, & fragrantia
B bonorum meritorum, orationum, & maximè quando in thuribulo cordis nostri ardet ignis, & fervor intimæ charitatis. Tunc enim Angelus noster omnes nostras orationes elevat coram Deo, sicut patet de Angelo Tob. 12.

Quidam Angelus accepit unum thuribulum aureum, & implevit illud de igne altaris, quod est in conspectu Dei, & misit illud in terram, & facta sunt tonitrua, voces & fulgura & terræ motus magnus. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, paraverunt se, ut tubis canerent.

Et iste Angelus est Deus Pater, qui thuribulum, id est, filium suum plenum igne, id est, fervore charitatis misit in terram per incarnationem, qui fumum orationis, & fragrantiam odoriferæ famæ & sanctitatis jugiter emittebat. Et pro certo quando iste fuit missus in terram, tunc ad prædicationem ejus audita sunt tonitrua, id est, minæ; voces, id est, suasiones; fulgura, id est miracula, & exempla, & sic in cordibus auditorum factus est terræ motus contritionis, timoris, amaritudinis, & mœroris. Septem enim Angeli, id est, prædicatores, ex tunc inceperunt prædicare, & tubâ prædicationis per mundum resonare.

Vel dic, quod Angelus est aliquis magnus Princeps vel Prælatus, qui aliquando mittit in aliquam terram pro aliquo officio, aliquod thuribulum, id est, Officialem plenum igne cupiditatis & avaritiæ. Et tunc pro certo in adventu ejus fiunt tonitrua, id est, minæ tribulationis; fiunt etiam fulgura, id est, invasiones, rapinæ & excoriationes, quia omnia comburuntur, & inflammantur, & nihil remanet post ipsum. Undè Joan. 2. *Ante ipsum ignis vorans, &c.* Et ideo tunc audiuntur voces, id est, planctus subditorum, & fit terræ motus magnus, quia tota terra, tota patria per ipsum concutitur & turbatur. Quia sicut dicitur Prov. 29. *Regnantibus impiis, ruina hominum.* Unde si quis peteret, quare talis turbatio auditur in terra, posset responderi illud, Matth. 28. *Ecce terræ motus factus est magnus, &c.*

Vel dic contra Prælatos & Principes, quando de novo promoventur, solent subsidia petere, & sic solent totam subjectam patriam turbare, & tunc magis, quam alias rapinis & exactionibus molestare.

Canente primo Angelo cum tuba sua, *facta est grando & ignis* C
mixtus cum sanguine, & missum est in terram, & tertia pars arborum, & omne fœnum viride combustum est.

Iste Angelus significat adulatores, qui in curiis sunt Principum & Magnatum. Nam quando ipsi in auribus ipsorum faciunt resonare tubam eloquentiæ & adulationis, & quando ipsos justificant, & alios coram ipsis accusant, tunc verè per ipsorum falsa verba generatur grando crudelitatis & sævitiæ, ignis cupiditatis & avaritiæ, sanguis carnalitatis & luxuriæ; quia per verba malorum adulatorum fiunt Principes raptores, crudeles, adulteri & luxuriosi. Ideo benè sequitur, quod *tertia pars arborum comburitur* per rapinam ab ipsis. Arbores, id est, ipsi excellentes, nobiles, divites & potentes comburuntur. Et maximè omne fœnum terræ, id est, populus infimus præ cæteris molestatur.

Vel dic, quod Angelus est primus & novissimus . & . . Nam quando ipse in judicio tubâ suæ authenticæ sententiæ resonabit, tunc grando, id est, tormentorum invasio percutiens, id est, ignis inextinguibilis, sanguis etiam, id est, occisio, & sævitia comburent terram, id est, terrenos & avaros; arbores, id est, altos, elatos & superbos; fœnum, id est, lascivos, molles & floridos luxuriosos. Isti enim dicuntur combusti, quia comburuntur in inferno finaliter, & isti dicuntur tertia pars, quia perfecti, & minus perfecti, justi & pœnitentes faciunt unam partem.

Vel illi, qui sunt in cœlo, & in purgatorio, faciunt secundam partem. Tertiam faciunt damnati peccatores. Tertiam verò partem Angelus comburit, cum Christus in judicio damnatos conterit, quia animabus in Purgatorio tunc parcet, easque liberabit, & cum Angelis ponet; tertia verò pars, quæ sunt damnati, gladio peribit.

Secundus Angelus tubâ cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars ipsius maris sanguis, & tertia pars creaturæ, quæ habebat animas, mortua est in mari, & tertia pars navium interiit.

Iste mons est Prælatus malus vel Judex, qui dicitur magnus per superbiam, ardens per avaritiam, iracundiam & invidiam. Iste mons, quando in mari Religionis vel Ecclesiæ præficitur, tunc verè per ejus prava documenta & exempla, tertia pars maris, id est, Religionis per peccata demolitur, multi enim in sanguinem, id est, in carnalitatem per luxuriam convertuntur. Naves, id est, viri perfecti virtutum mercimoniis onerati, per eorum nequitias destruuntur, & breviter illi, qui habent animas, id est, per spiritum gratiæ vivificantur, fiunt mortui & destructi, quando tales mali homines principantur, Prov. 28. *Regnantibus impiis ruina hominum.*

Vel dic generaliter, quod quando avarus & ardens Prælatus in D
mari, id est, in patria præficitur. Vel etiam quando in aliquo officio vel collegio aliquis Officialis vel Judex avarus, & crudelis extollitur, tunc pro certo tertia pars hominum subditorum, scilicet, pauperes gravissimè molestantur.

Vel dic, quod mons iste significat affluentiam divitiarum, & honoris, qui rectè dicitur ardens; quia ardor ambitionis avaræ est eis inclusus. Nam quando iste mons, id est, temporalis facultas fuit missa in mare, id est, in Ecclesiam, tunc apparuit mare, quasi totaliter infectum; quia tunc plus quàm ejus tertia pars est infecta, & abundantibus prosperis, in sanguinem, id est, in luxuriam est conversa; Ecclesia enim habet tres partes, scilicet, laicos, religiosos & clericos. Sed verè quasi tertia pars, id est, status clericorum in sanguinem luxuriæ est conversus. Undè Ps. 104. *Convertit aquas eorum in sanguinem.* Vel si vis, per tertiam partem intellige quemlibet statum alium, scilicet, religiosos, laicos, &c. Naves etiam, id est, viri perfecti sunt destructi, & illi, qui per gratiam vivebant, per peccatum mortui sunt & consumpti. Ideo quando Constantinus Imperator dedit redditus Ecclesiæ, audita est vox in aëre dicens: *Hodie effusum est venenum in Ecclesia Dei.*

Digitized by Google

Vel dic, quod ille mons elatus, est Diabolus vel Antichristus, ad cujus adventum in mari mundi vel Ecclesiæ tertia pars, vel fortè plus quàm tertia pars peribit.

Tertius Angelus tubâ cecinit, & stella magna tanquam facula ardens cecidit in tertiam partem fluminum, fontium, & aquarum, & stellæ nomen Absinthium. Et factæ sunt aquæ in absinthium, & multi homines mortui sunt ex aquis, quia amaræ factæ sunt.

Stella ista significat peccatum avaritiæ, quod more ignis inflammat. Ista etiam dicitur absinthium, quia amaritudo laborum angustiæ vel timoris, avaritiæ est annexa, & ista pro certo mittitur in aquis, & fluminibus, id est, prosperitatibus & divitiis hujus mundi, E quia ardor ab initio mundi prosperis mixtus est hodiè & conjunctus. Ideo aquæ, id est, mundi prosperitates fiunt hodiè amaræ & doloroſæ ad acquirendum, & servandum propter istam stellam, id est, propter avaritiam concomitantem. Et ideo multi homines, scilicet illi, qui in mundi prosperis ponunt desiderium & spem suam propter terrena, moriuntur, quia propter mundi prospera fiunt avari, superbi & luxuriosi, & sic mortem spiritualem incurrere dignoscuntur. Undè Amos 8. *Multi morientur, in omnibus locis projicietur silentium.*

Vel dic, quod ista stella est Antichristus vel hæreticus igne malitiæ & sævitiæ inflammatus, qui facit aquas sacræ scripturæ corruptas & amaras, eas obliquè exponendo, & ideò multi homines, scilicet, auditores sui in periculum mortis cadunt, nisi caveant.

Vel dic, quod talis stella est dives vel malus consiliarius, qui de cœlo, id est, de curia alicujus Prælati vel Principis dicitur venire vel cadere, quia est per mundi malitiam, & sapientiam clarus & stelleus, per avaritiam ardens & flammeus, per rapinam & exactionem intolerabilis & amarus. Iste enim de aquis, id est, de populis, qui per tres partes dividuntur, scilicet in majores, mediocres & minores, ipsam tertiam partem, scilicet ipsos inferiores aggravat, in quantum rapinis & molestiis ipsos gravat. Ideo scriptura absinthium meritò ipsum vocat.

Vel dic, quod talis est pulchra, & mala mulier ardens & luxuriosa, quæ quando de cœlo, id est, de statu gratiæ cadit, magnam partem aquæ, id est, populi amaricat & corrumpit.

Vel dic contra Apostatam Angelum, qui per scientiam & gratiam primò fuit stella, sed post casum efficitur absinthium, quia sæpè fit amaricatio aliorum. Ideo de quolibet talium dicitur Prov. 15. *Novissima illius amara velut absinthium, & acuta velut gladius biceps, &c.*

Canente verò quarto Angelo, percussa est tertia pars solis & lunæ, & stellarum, & obscurata est tertia pars earum, diei etiam tertia pars, & noctis similiter tertia pars non lucebat, tunc apparuit quædam aquila volans per medium cœlum, clamans & dicens: Væ, væ, væ, in terra habitantibus.

Dies significat statum Ecclesiasticum, in quo lux prudentiæ, & sapientiæ solet lucere. Nox significat statum sæcularem, ubi solet error, & ignorantia abundare. Sol significat Prælatos Ecclesiasticos, qui fidei & statui Ecclesiastico præsunt. Luna significat Principes sæculares, qui per peccatum sæpissimè eclipsantur, & nocti statûs sæculi principantur. Stellæ significant subditos utriusque F statûs. Item quilibet istorum trium, scilicet, solis, lunæ & stellarum, habet tres partes, quia non est homo, qui non habeat tres potentias, scilicet intellectum, memoriam & voluntatem; sed pro certo tertia pars istorum est hodiè percussa, scilicet potentia voluntatis, quia verè, dato, quod intellectus & memoria sint clari & lucidi per scientiæ claritatem; voluntas tamen est obscura, & luce gratiæ privata per malorum appetibilium cupiditatem: Et breviter in die ac nocte, id est, in mundo, & in Ecclesia, in sole, & luna & stellis, id est, in Prælatis, Principibus & subditis tertia pars non lucet, quia quasi voluntas omnium hodiè est perversa, quia indebitè appetit divitias & honores, Ezech. 5. *Tertia pars tui in peste morietur, &c.* Ideo quando aquila Christus Deus in medio cœli in die judicii volitabit, tunc voce suæ terribilis sententiæ triplex væ, scilicet, triplicem maledictionem contra peccatores, qui tunc in terra habitant, fulminabit. Et ista sunt procul dubio pœna damni, & pœna sensus, & desperatio, quæ gravior est. Vel pœna temporalis, pœna æterna, & amissio gloriæ paradisi; vel pœna ignis, & remorsus, & similia. Nam ista tria væ, id est, maledictiones damnatis peccatoribus inferuntur, qui in terra, id est, in terrena prosperitate habitant & versantur, Isa. 24. *Formido, & fovea & laqueus super te, qui habitatores terræ.*

* * * *
* * * *
*

Capitulum nonum. Textus. Et quintus Angelus tubâ cecinit: & vidi stellam de cœlo.

Moralitatum Cap. X.

CAnente quinto Angelo *stella cecidit de cœlo, & data est ei* G *clavis putei abyssi. Et aperuerunt puteum, & exivit indè fumus sicut fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aër de fumo putei.*

Metaphoricè loquendo, videtur, quod stella significat Diabolum, qui de cœlo corruit per peccatum. Puteus significat peccatores & maximè luxuriosos. Tales etiam dicuntur putei abyssi, Prov. 23. quia sicut abyssus non potest satiari, sic nec luxuriosus quamdiù vivat. Ideo dicitur Hier. 3. *Fornicata es cum amatoribus, nec sic es satiata.* Iste igitur stellæ, id est, Diabolo datur clavis putei abyssi, id est, potestas super personam luxuriosam, quia quoties vult Diabolus, facit eum per vana desideria aperiri. Ideo ad suggestionem Diaboli, luxuriosi mittunt fumum, id est, fœtida verba luxuriosa & inhonesta, sicut fornacis ardentis, & luxuriosa, ita quod sol, id est, bonæ personæ, vel aër, id est, tota vicinia per eos obscurantur & fœdantur, pro certo, quia nulla persona est ita sol vel aër, id est, sancta vel pura, quin faciliter inficiatur per puteum abyssi, id est, per malam & luxuriosam personam, si fumus malorum verborum suorum attingit usque ad eam. Undè Eccles. 13. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.*

Vel dic, quod puteus iste est hæreticus, cujus fumus, id est, mala doctrina inficit & corrumpit solem & aërem, id est, Diabolus aperit os eorum per prædicationem; *corrumpit enim bonos mores colloquium pravum.* 1. Cor. 15.

Vidit Joannes exire de fumo putei abyssi locustas similes equis ad prælium, & super capita eorum coronæ aureæ. Et habebant facies sicut homines, capillos sicut mulieres, dentes sicut leones, loricas ferreas, & vox eorum sicut vox curruum, & equorum currentium ad prælium, & caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis eorum, & potestas eorum sicut habent scorpiones. Et præceptum est eis, ne læderent fœnum terræ, nec omne viride, nec omnem arborem. Sed data est eis potestas nocere hominibus non habentibus signum Dei vivi in frontibus eorum, & cruciare eos mensibus quinque, & cruciatus eorum sicut scorpionum, & tunc quærent homines mortem, & non invenient eam.

Ista figura plures habet partes. Primò enim dicit, quod ipse vidit de fumo putei abyssi exire locustas paratas ad prælium, &c. Puteus iste significat mundum, qui ad modum abyssi est obscurus per ignorantiam, insatiabilis per avaritiam, ut habetur Proverb. 27. *Infernus, & perditio nunquam implentur. Sic & oculi hominum insatiabiles.* H Fumus istius putei est prosperitas mundi, quæ verè ad modum fumi faciliter evanescit, Psalm. 36. *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* Locustæ significant Divites, Officiales, Præpositos, qui modum locustæ sursùm volant, sursùm saliunt per ambitionem ad officia & beneficia, & tamen faciliter cadunt in fine in terram per temporalem depressionem, & æternalem damnationem. In fumo igitur putei visæ sunt locustæ, Principes & Judices hodie sunt præ cæteris in fumo mundanæ prosperitatis, ibique habent aureas coronas, id est, Dignitates, & Prælaturas, parati ad prælium contra pauperes & vicinos. Et isti benè dicuntur quasi equi, quia sicut equus est animal luxuriosum, & superbum, sic tales præ cæteris luxuriâ sunt infecti Hierem. 5. *Equi insanientes in fœminas, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Et sicut mediante fortitudine equi aliquando malus miles obtinet in prælio, sic mediantibus Ballivis, & Advocatis, multi obtinent & lucrantur causas suas. Undè de istis locustis dicitur Psal. 77. quod *Deus dedit fructus eorum ærugini, & labores eorum locustæ*, eorum, scilicet pauperum.

Secundò dicitur hic, quod isti habebant facies sicut homines, & capillos sicut mulieres.

Facies quæ est prima pars apparens significat introitum & ingressum Principum. Capilli qui regunt caput, significant palliationes, hypocrises, & fictiones, quibus caput, id est, intentio talium est velata. Mulier, quæ est animal amicabilissimum & deceptorium, significat eorum familiaria & deceptiva colloquia, & gestus. Homo, qui est rationalis significat eorum sensum & discretionem. Quid igitur? Pro certo isti in facie, id est, in ingressu, quando primò apparent, videntur homines, id est, austeri, sapientes, & discreti. Capillos habent mulierum, id est apparentiam amicabilem. Illud apparet, quando tales volunt aliquos pauperes irretire in suis contractibus falsis, & obligationibus, tunc ostendunt se eis familiares, promittendo, & applaudendo: Ballivi etiam id faciunt quando volunt aliquid investigare. Sed pro certo isti non sunt nisi capilli mulierum, id est, fraudulenti palliatores. Undè Eccles. 25. *Non est malitia super malitiam mulierum.* Et illud patet in tertia parte figuræ, quæ jam sequitur.

Tertiò dicitur, quod ipsi habebant dentes sicut leones, loricas sicut loricas ferreas & vocem terribilem.

Per

Digitized by Google

A Per dentes, per quos homo devorat cibos, intelligitur vorax crudelitas vel rapina; quia dato quod iſti videntur homines benigni, & humiles, tamen habent dentes, id eſt, crudelitatem, rapacitate, mordacitatem leoninam, quâ omnes ſubditos cupiunt devorare. Ideo loricis ferreis, id eſt, adulatoribus vel amicis cauteloſis ſe ipſos muniunt & tegunt, quia ſicut patet, ita cautelosè faciunt ſuos contractus, & cautelis malitiarum ſuarum eos velant ab omni ictu, id eſt, ab omni querela eorum coram quocunque Judice ſe defendunt, Ezech. 23. *Loricâ & clypeo armabuntur contra te*, id eſt, malitioſa executione; & vocem habent terribilem ſicut canes, quia ita authenticè loquuntur, & altè pauperibus comminantur, ut ipſos terreant verbis ſuis, & ſic faciliter eos exhæredant leoninis dentibus illi, qui in facie homines videbantur Dan. 7. *Dentes eorum ferrei.* Eccleſ. 21. *Dentes leonis dentes ejus.* Et ideo ſequitur quarta pars figuræ.

Quartò dicitur, quod habebant caudas.

Cauda, quæ eſt poſterior pars, ſignificat finem alicujus negotii. Scorpio, qui facie lambit, & caudâ pungit, ſignificat proditores, qui in facie, id eſt, in principio lambunt & applaudunt, in cauda verò, id eſt, in fine lacerant atque pungunt. Iſti igitur in cauda, id eſt, in fine ſunt ſcorpiones, in quantum per exhæredationem, vexationis puncturam aliis, & aculeum crudelitatis infligunt. Ideo aculeus rapidæ crudelitatis in fine talibus eſt annexus. Undè Prov. 23. *Noviſſimè mordebunt ut coluber.*

Vel cauda eſt ſtatus ſenectutis, quia revera tales in ſenectute ſunt ſcorpiones ſimul, & raptores, aculeum crudelitatis, avaritiæ, & detractionis acriùs infligentes.

Vel dic, quod qui ſunt in facie homines, & in cauda ſcorpiones, ſignificant detractores, qui in facie, id eſt, in præſentia adulatores ſunt, in abſentia ſcorpiones pungitivi, Ezech. 3. *Cum ſcorpionibus habitas.*

Quintò dicitur, quod poteſtas ipſorum eſt nocere hominibus menſibus quinque, &c.

Quinarius, qui eſt imperfectus, ſignificat mundanam vitam talium, quæ pro certo in quocunque eſt imperfecta, quia ut communiter non perficiunt ætatem ſuam, quia moriuntur ſubitò & malè. Iſti igitur poſſunt nocere hominibus, menſibus quinque, quantum durat vita præſens. Et breviter hodiè ſub manu talium præ acerbitate tormentorum & afflictionum ſuarum, multi ſunt homines, qui deſiderant mori, & tamen non inveniunt, ſicut optant. Et finaliter iſti habent ſuper ſe regem Angelum abyſſi, ſci-
B licet, peccatum avaritiæ, quod dicitur exterminans, quia omnia exterminat & corrodit.

Vel ad literam Angelus exterminans ipſos regit, quia Diabolus ipſos confundit Pſalm. 79. *Exterminavit eam de ſylva.*

Vel dic, quod locuſta ſunt detractores, qui contra omnes homines præliantur, & eorum facies, id eſt, apparentia videtur amicabilis & rationalis. Videntur eſſe homines, quia in principio de homine dicunt multa mala, ſed fingunt ſe loqui ex charitate, ut facilius eis credatur; verùm finaliter apparent eorum dentes, ferocitas & inimicitia leonina; quia verè more leonis alios lacerant & diffamant, & cauda, id eſt, finis verborum ſuorum pungit, vel in cauda, id eſt, retrò in abſentia pungunt ſicut aculeus ſcorpionis. Licet enim in principio vel in præſentia blandiuntur, tamen ſemper in fine verborum, detractionis, & punctionis aculei inveniuntur. Et iſti habent poteſtatem nocere ſuis malis verbis, hominibus, id eſt, bonis rationalibus. Fœnum terræ non lædunt, quia tales, ut communiter, non murmurant nec detrahunt de illis, qui parum aut nihil valent, ſed tantum de hominibus, id eſt, de perſonis bonis, & breviter cruciatus eorum eſt ſimilis ſcorpionum, in quantum blandiuntur primitùs, & rector eorum eſt Diabolus exterminator, ad cujus inſtinctum iſti aliis injuriantur. Qui bene dicitur exterminans, pro eo quod, iſtis mediantibus, multi boni puniuntur & exterminantur.

C Vel dic, quod poteſtas eorum bene dicitur nocere hominibus, quia ad literam multi ſunt mali inferiores, qui ſolum habent poteſtatem nocendi, nunquam autem proficiendi.

Vel dic, quod locuſtæ ſunt Diaboli, qui de puteo abyſſi, id eſt, inferni aliquoties exeuntes, per fumum hujus aëris caliginoſi volitant. Iſti ſemper parati ſunt ad prælium tentationum movendum. Iſti ſunt in facie, id eſt, in principio homines, quia multa ſuggerunt facere ſub ſpecie boni, ità quod videntur rationales & humani; capillos, id eſt, cooperturas, & velamenta ſuæ intentionis habent ut mulieres; hoc eſt habent multa falſa & deceptoria, ſunt igitur homines per apparentem rationem; mulieres per fictam palliationem, leones per mordacem tentationem, ſcorpiones in cauda, id eſt, in fine per pungentem & venenatam damnationem, & habent aculeos in cauda, id eſt, tormentorum afflictionem: iſti habent nocere poſt mortem, & in vita hac illis, qui non habent ſignum Dei vivi, id eſt, veritatem gratiæ, & charitatis, & memoriam ſanguinis Chriſti, & ipſos habent cruciare atrociter in inferno, quòd mori & deficere concupiſcent, nec tamen perpetuò morientur, Iſa. 66. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.*

Vel ipſi non poſſunt nocere fœno terræ, id eſt, jacentibus in ter-

ra per humilitatem, nec ulli viridi, id eſt, florentibus per honeſtatem; nec vel uni arbori, id eſt, contemplatoribus æternarum fœlicitatum. Et non hi ſed primi habent ſuper ſe regem Angelum abyſſi Luciferum, qui bene dicitur exterminans, quia omnia bona hominum exterminat, & corrumpit pro poſſe ſuo. Undè Job. 41. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.*

Joannes vidit *quatuor Angelos alligatos in flumine magno Euphrate, qui parati erant in horam, diem, & menſem & annum, ut interficerent tertiam partem hominum. Et quidam Angelus, qui habebat tubam, ſolvit eos, & habebat exercitum innumerabilem & immenſum.*

Euphrates fluvius Babylonicus ſignificat mundi proſperitatem, qui Babylonios, id eſt, mundanos irrigat, & fœcundat, quæ ſemper fluit & deficit: ſicut quatuor Angeli, qui ſunt ibi alligati, ſignificant mundi Principes, & potentes, qui in mundi proſperis ſunt incluſi, & ligati, & iſti dicuntur quatuor, quia ipſi mundi quatuor partes inhabitant. Angelus qui habet tubam, ipſorum Ballivos, & ſuorum malorum actuum laudatores ſignificat, qui tubâ ſuæ eloquentiæ & adulationis coram ipſis reſonant inceſſanter. Sunt igitur in flumine proſperitatis hujus mundi hodiè quatuor Angeli, id eſt, Principes & poteſtates, qui ſemper ſunt parati omni hora, die, menſe & anno homines interficere per rapinam & expoliationem, & incendere unà cum exercitu ſuo innumerabili, id eſt, collegiis, & conſortiis famulorum & advocatorum, quos nutriunt ad hoc, ut ſubditos devorent & infe- D ſtent. Et pro certo quando Angelus curialis, id eſt, adulatores reſonant coram eis, eos laudando, & ſubditos accuſando, tunc iſti & exercitus eorum moventur ad alios occidendum, id eſt, ad alios moleſtandum. Et ſic Joannes vidit equeſtrem exercitum, cujus numerus erat vigeſies ſepties centies dena millia, milites autem habebant loricas igneas & ſulphureas & hyacinthinas. Sic hodiè iſte exercitus Ballivorum eſt valde multiplicatus. Sunt etiam armati contra alios loricâ malitiarum & cautelarum, quæ ſunt igneæ per avaritiam, ſulphureæ per luxuriam, hyacinthinæ, id eſt, coloris cœleſtis vel fumei per ſuperbiam.

Vel loricæ malorum ſunt advocati, qui more loricarum malos defendunt, & iſti ſunt ignei, avari, ſulphurei, luxurioſi, & hyacinthini, ſcilicet, ornati proſperitate & ſuperbi Pſalm. 10. *Ignis ſulphur pars calicis eorum.*

Joannes vidit *equos mirabiles in quodam exercitu congregatos, qui caudas habebant ſimiles ſerpentibus, habentes capita, cum quibus nocebant, capita eorum erant ſicut capita leonum, & de ore ipſorum procedebat ignis, ſulphur & fumus. Et tertia pars hominum occiſa eſt ab iſtis tribus plagis terræ, ſcilicet igne, fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore equorum, poteſtas erat in ore ipſorum, & in caudis eorum. Ità vidi equos in viſione.*

Equi iſti ſignificant mundi divites, ſuperbos & luxurioſos, quia equus eſt animal ſuperbum, & luxurioſum. Iſti enim habent caput intentionum ad modum leonis, quia juventus eorum, & principium vitæ ſuæ, quæ per caput deſignatur, eſt leoninum, quia in juventute ſunt crudeles, fortes & ſuperbi, *Ioo enim fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum*, ſicut dicitur Prov. 30. *Cauda ipſorum*, id eſt, ſenectus & finis vitæ eſt ſimilis ſerpentibus, qui in fine ſunt ſerpentini, & tortuoſi per malitiam, & terræ inhærentes per avaritiam; quòd eò communiter plus cupiunt avari in ſenectute, quàm in juventute, quia eorum cauda, id eſt malitia habet caput ſerpentinum, id eſt, intentionem aliquam avaram & fallacem. Et iſti de ore ſuo mittunt ignem, fumum E & ſulphur, id eſt, tria genera malorum verborum, quia omnia verba illorum aut pertinent ad fumum, id eſt, ad elationem ſuperbiæ & jactantiæ, aut ad ignem, id eſt, ad inflammationem rapinæ & avaritiæ, aut ad ſulphur, id eſt, ad fœtorem carnalitatis, & luxuriæ. Ideo iſti nocent multis hominibus per has plagas, ſuperbia enim eorum invadit ſuperiores, avaritia minores, luxuria mulieres. Et breviter poteſtas ipſorum eſt in ore, id eſt, in verbis & in cauda ſerpentina, id eſt, in malitiis eorundem.

Vel dic, quod iſti ſunt cuncti mali Prælati moderni, qui ſunt luxurioſi ſicut equus, quorum caput, id eſt, quorum ingreſſus & principium eſt leoninum, id eſt, rigidum & auſterum, quia in principio juſtè & rigidè volunt regnare, ſed in cauda, id eſt, in fine ſiunt ſerpentini, id eſt, avari; terrenis per avaritiam inhærentes, dona & munera diligentes, &c. ut ſupra.

Capitulum decimum. Texsus. Et vidi Angelum fortem deſcendentem de cœlo.

Moralitatum Cap. XI.

JOannes vidit *unum Angelum fortem deſcendentem de cœlo amictum nube, & iris erat in capite ejus, & facies ejus ſicut ſol, & pedes ejus ſicut columna ignis, & habebat in manu ſua libellum apertum, & poſuit pedem dextrum ſuum ſupra mare, & ſiniſtrum ſupra terram, & clamavit quemadmodum leo rugit, & cum clamaſſet, locuti ſunt*

Digitized by Google

…oannes librum de manu Angeli, & fuit …m mel, & cum illum devoraſſet, amaricatus …e eſt Prælatus Angelicus & cœleſtis. Nubes, quæ con… …norem plurimum, ſignificat dulcorem pietatis, quo Præla… …debet eſſe humectatus, & de pluvia beneficiorum & Eleëmoſynarum debet aliis diſtillare. Undè Job. 37. *Nubes ſpargunt humorem ſuum, &c.* Iris, qui eſt ſignum fœderis inter Deum & hominem, ſignificat virtutem pacis, & unitatis, quam Prælatus debet ha-
F bere, & per quam debet ſubditos Deo per ſuum patrocinium concordare, & inter eos concordiam & pacem generare.

Vel etiam iris continens omnes colores, ſignificat picturam honeſtæ converſationis Prælati, in quo omnes colores, id eſt, omnia bona exempla, virtutes & perfectiones debent relucere Apoc. 4. *Et iris in circuitu ſedis erat.* Mare, quod eſt amarum, ſignificat amaritudinem mortis & inferni. Terra, quæ eſt nutrix omnium viventium, ſignificat fertilitatem, & opulentiam paradiſi. Pes dexter eſt timor, ſiniſter eſt amor & affectio; libellus apertus ſignificat ſcripturam ſacram. Septem tonitrua ſignificant univerſitatem prædicatorum, qui habent peccatores more tonitrui conturbare. Vidit igitur Joannes Angelum, id eſt, perfectum virum Angelicum, & ſpiritualem, fortem per conſtantiæ firmitatem, deſcendentem de cœlo, quia ſe non reputat dignum ibi aſcendere, ſed magis in infernum deſcendere per humilitatem; amictum nube per roridam pietatem, & in capite, id eſt, in intentione habebat iridem, omnimodam ſanctitatem, pacis & concordiæ unitatem. Facies ejus, id eſt, intellectus debet lucere, ut ſol per ſapientiæ claritatem. Pedes, id eſt, affectiones debent eſſe ſicut ignis per ferventiſſimam charitatem; librum debet habere, id eſt, ſacræ ſcripturæ ſagacitatem. Ezech. 2. *Ecce manus miſſa eſt de me, in qua erat liber involutus.* Iſte debet habere pedem dextrum, id eſt, timorem ſuper mare, id eſt, ſuper amaritudinem mortis, & inferni per jugem conſiderationem. Pedem ſiniſtrum, id eſt, amorem & affectionem debet habere ſuper terram, id eſt, terram viventium vel paradiſum, per gloriæ Paradiſi conſiderationem Pſal. 76. *In mari via tua.* Dicitur etiam habere vocem ſicut leo per rigoris & authoritatis oſtenſionem. Debet etiam facere, quod ſeptem tonitrua, id eſt, univerſitas prædicatorum loquatur mundo per prædicationem. Et iſte debet tradere librum Joanni, id eſt, ſubditis & ſæcularibus per ſcripturæ doctrinam, & expoſitionem, quam ipſi ſubditi debent comedere, id eſt, incorporare per auditum, & devotionem, & in ventre memoriæ retinere, & iſte pro certo erit dulcis eis ſicut mel per conſiderationem, & æternorum meditationem; amarum etiam facit ventrem eorum & mentem per infernalium tormentorum conſiderationem, ut ſic de ſubditis dicatur illud Baru. 4. *Hic eſt liber mandatorum Dei.* Et Eccl. 24. *Hæc omnia liber vitæ.*

G Vel dic, quod hic Angelus eſt Chriſtus, qui *Angelus teſtamenti* dicitur. Malach. 3. Hic venit de cœlo per incarnationem, amictus fuit nube, id eſt, puriſſima humanitate. Coronatus fuit iride, id eſt, cœleſti divinitate. Pes ejus dexter erat Deitas, & ille apparuit ſuper mare, quando ibi ſiccis pedibus ambulabat. Siniſter autem eſt humanitas, & hic apparuit ſummè ſuper terram, laborando & ambulando. Baruc. 3. *Poſtea in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Et iſte clamavit ſicut leo per prædicationem. Poſtea ſeptem tonitrua, id eſt, univerſitas prædicatorum incepit loqui & prædicare. Iſte habet librum ſacræ ſcripturæ, & ipſum aliis per inſpirationem porrigit & revelat, &c.

Capitulum undecimum. Textus. Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ.

Moralitatum Cap. XII.

Joanni dato ſibi calamo menſuræ ad modum virgæ dictum eſt. *Surge* (inquit) *metire templum Dei & altare, & omnes adorantes in eo. Atrium autem quod eſt foris, non metiaris, quia datum eſt gentibus, & ſanctam civitatem calcabunt menſibus quadraginta duobus.*

Iſte menſor eſt Chriſtus in judicio, quia ibi dabitur ei calamus menſuræ poteſtatis judiciariæ, & rigoris, juſtitiæ & æquitatis, mediantibus quibus ipſe menſurabit, & judicabit merita ſingulorum, & templum Eccleſiæ, altare religionis, adorantesque in eis, id eſt, omnes fideles calamo diſcretionis metietur; quanta ſit in eis longitudo ſpei vel longanimitatis, profunditas humilitatis, latitudo charitatis, altitudo contemplationis & ſublimitas virtutum. Atrium, quod eſt foris, ſignificat Eccleſiam & collegium damnatorum, maximè infidelium, qui non ſunt de domo Eccleſiæ. Iſti non metientur, quia nulla dictarum dimenſionum in eis invenitur, & ipſi jam judicati reputantur, *quia qui non crediderit, jam judicatus eſt*, Joan. 3. ſed gentilibus, id eſt, ſine lege viventibus Dæmonibus dabuntur ad calcandum, & perpetuo cruciandum.

H Vel gentes, id eſt, Dæmones calcabunt, & affligent Eccleſiam, & civitatem ſanctam, quantum poterunt, & maximè tempore Antichriſti, qui menſibus quadraginta duobus, id eſt, tribus annis cum dimidio adverſus Eccleſiam prævalebunt, Pſalm. 5. *Conculcaverunt me inimici mei tota die.*

Vel dic, quod iſte menſor eſt Judex vel Prælatus, qui calamo juſtitiæ, & virgâ directionis & correctionis, ſingulorum merita metietur, ut ſciat, qui promovendi ſunt, & qui corrigendi. De atrio, quod eſt foris, id eſt, de mundo & ſtatu ſæcularium, non ſe debet intromittere, nec de eis, qui ſunt foris, id eſt extra juriſdictionem ſuam aliqualiter contrectare, ſed ipſos gentibus, ſcilicet illis, ad quos pertinet, dimittere menſurandum, & gubernandum Hier. 6. *Paſcet unuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt.*

Vidit Joannes ſervos duos Chriſti, *Heliam & Enoch, qui prophetaverunt diebus mille ducentis ſexaginta*, & dicit, quod *iſti erant duæ olivæ & duo candelabria lucentia ante Dominum, & habent poteſtatem claudere cœlum, ne pluat, & convertendi aquas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, ſed venit quædam beſtia quæ aſcendit de abyſſo, & fecit contra eos bellum, & occidit eos, & jacuerunt corpora eorum in medio civitatis, quæ ſpiritualiter dicitur Sodoma, & Ægyptus, contra quos prædicaverunt in morte eorum, ſed finaliter iſti receperunt vitam, & aſcenderunt in templum in nube, & timuerunt omnes inimici eorum.*

Iſti duo Prophetæ & beſtia, quæ eſt contra eos, mundanorum, & religioſorum: Theologorum, & Juriſtarum gerunt figuram. Nam Theologi & Religioſi boni dicuntur duo, per duplicem charitatem, olivæ per virentem honeſtatem, candelabra per lucentem vitæ & doctrinæ claritatem, dicuntur ſtare in conſpectu Dei per fidem & longanimitatem. Iſti enim prophetant, & prædicant verbum Dei, quod redarguit impios, & mundanos. Iſti claudunt cœlum, id eſt, ſacram ſcripturam, quæ celat Dei arcana, quando volunt, quod pluvia doctrinæ non defluat in mundanos: aquas & ſcientias & ſcripturas vertunt in ſanguinem, id eſt, in ſpirituale nutrimentum, quando volunt: etiam iſti ſolùm hodie habent cœlum ſacræ ſcripturæ in manibus ſuis, & ad ipſos pertinet prædicare vel concionari, cum pauci hodiè ſtudeant Theologiæ niſi ipſi. Et breviter iſti percutiunt, redarguunt, corrigunt terram, id eſt, terrenos peccatores Iſa. 11. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Sed pro certo beſtia, quæ de A
abyſſo venit, id eſt, peccatores maximè mundanæ ſapientiæ profeſſores, pugnant contra iſtos hodiè, ſcilicet eos diffamando, condemnando, & multa mala atque falſa eis imponendo. Alii, quos aliquando redarguunt, de hoc gaudent; quia verè quaſi omnes mundani gaudent & obloquuntur, quando audiunt aliquem religioſum ab aliqua beſtia, id eſt, ab aliquo malo homine diffamari; quia *non amat peſtilens eum qui ſe corripit.* Prov. 15. Ideò multi bene jacent hodie in platea hujus mundi ſine honore quaſi mortui, propter hujuſmodi infamias inuſtas, qui quidem mundus dicitur civitas Sodoma, id eſt, muta: dicitur Ægyptus, id eſt, obſcura, quia mundus eſt mutus quoad Dei laudem, & obſcurus propter ignorantiam, & errorem, ſed finaliter in die judicii ipſi reviviſcent, & in cœlum aſcendent, videntibus ſuis diffamatoribus inimicis.

Vel dic, quod tales injuſtè occiſi & depreſſi in fine, pateſcente veritate, reſurgunt, & redeunt ad honorem, & in cœlum in dignitatem & gloriam aſcendunt, malis gratiis inimicorum ſuorum; qui de ipſorum depreſſionibus lætabantur. Undè Sap. 5. *Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, videntes turbabuntur, &c. dicentes: Hi ſunt quos, &c. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei.*

Vel dic, quod iſti Prophetæ ſignificant aliquem bonum virum diſcretum, juſtè regnantem in officio Prælaturæ, in religione Eccleſiæ, vel in curia Principis ſæcularis; qui rectè dicitur oliva propter pietatem, candelabrum per honeſtatem, terram, id eſt, prævaricatorem percutit per juſtitiæ æquitatem. Beſtia ſignificat malitioſum hominem inimicum ſuum, qui quandoque de abyſſo, id eſt, de ſtatu vili, & humili plebe venit, qui fortè eſt in eadem Religione, curia vel Eccleſia, qui inſidiatur eidem. Et quid? Pro certo accidit, quod iſta beſtia, id eſt, rationalis perſona præliatur contra illos Prophetas, id eſt, contra bonum Judicem vel Prælatum movet ſibi litem, ſcilicet, eum apud Majores accuſando, ita quod finaliter ipſum ſuppeditat, atque contra ipſum prævalet. Ipſumque facit deponi ab officio & beneficio, vel facit eum damnari temporaliter, vel occidi, quod in platea hujus mundi vel religionis jacet mortuus, id B
eſt, ſine poteſtate, & honore depreſſus, carnes eorum, id eſt, illi, qui ſunt de parentela ſua vel familiaritate ipſius, diſperguntur per plateam, id eſt, Prioratus vel Conventus ad literam ab eo exhæredantur, ita quod coguntur per plateam mendicare. Et tunc gaudent malevoli ſui, maximè illi, quos correxerant, & punierant, quamvis juſtè; contra illud Prov. 14. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.* Sed pro certo ſæpe accidit Dei judicio, quod tales iterum reviviſcunt, & redeunt ad proſperitatem, & aſcendunt in cœlum, id eſt, ad majorem, quam ante fuerant, dignitatem. Et tunc, qui de eorum caſu gaviſi ſunt, contriſtantur, timent, admirantur, & ſtupent, quia ſæpe accidit, quod qui lætantur in caſu aliorum, cadunt poſtmodum ipſis reſurgentibus, quia ſicut dicitur Prov. 17. *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.*

Vel

Digitized by Google

Vel dic, quod isti Prophetæ sunt boni, qui à bestiis, id est, à Principibus iniquis, vel mundi Potestatibus occiduntur vel exhæredantur, ita quod eorum carnes & filii jacent in plateis sine honore, sed finaliter in die judicii resurgent, & in cœlum ascendent, & sui invasores in inferno succumbent.

Vel secundùm sensum literæ expone de Antichristo, qui de abysso, id est, de Diabolo veniet, & contra Heliam & Enoch dimicabit, & eos in Hierusalem occidet, sed tamen ipsi resurgent, & in cœlum ascendent.

Vidit Joannes templum apertum in cœlo, & visa est arca testamenti in templo, & tunc facta sunt fulgura, & voces & terræ motus, & grando.

Cœlum est Ecclesia, Templum est Religio. Arca testamenti est bonus Prælatus, vel quæcunque bona persona ibi habitans, quæ ad modum arcæ virtutes & merita intra se servat. Quando igitur in templo Religionis apparet arca testamenti, id est, bonus Prælatus, vel perfectus homo, tunc exinde procedunt fulgura bonorum operum, & exemplorum, splendor honestæ conversationis, voces divinæ laudis & altæ prædicationis, grando aspera correctionis, & ex parte aliorum terræmotus, timoris & contritionis, voces etiam confessionis, quia verè bonus prælatus, & bona persona, in religione causat in aliis multa bona, Psalm. 17. *Fulgura multiplicabit*, id est, bona documenta, & exempla; & *conturbabit eos*, scilicet, pecçatores videntes audientesque.

C *Capitulum duodecimum. Textus.* Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus.

Moralitatum Cap. XIII.

Signum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, & erat ibi mulier in utero habens puerum masculum, & clamavit, & cruciabatur parturiens. Et aliud signum est in cœlo, scilicet, quidam draco rufus, qui insidiabatur mulieri, ut devoraret filium ejus, sed filius ejus raptus est ad Deum, & mulier fugit in solitudinem, & draco projectus in terram.

Ista mulier est anima beata, quæ à Deo despensatur. Sol, qui semper lucet, significat gloriam æternam, quæ in perqetro non mutatur. Luna significat mundi prosperitatem mortalem, mutabilem, & defectibilem, quæ faciliter eclipsatur. In cœlo igitur anima, mulier, id est, conjux Dei patris amicitur sole & tegitur, scilicet, æterna claritate. Luna, id est, mortalis vita & mutabilis prosperitas sub pedibus ejus est: quia ipsam jam superavit, & eam vilipendit & calcat. In capite autem ejus est corona duodecim stellarum, id est, duodecim gaudiorum. In quodam sermone quidam exponens coronam illius mulieris dicit, quod corona duodecim stellarum in patria, erit memoria sine oblivione, ratio sine diminutione, voluntas sine perturbatione, impassibilitas sine ruptione, corporis claritas sine offuscatione, carnis agilitas sine retardatione,
D corporis subtilitas sine obviatione. Item octava erat diligere proximum sicut seipsum. Nona erat videre proximum in omni virtute diligente se, sicut seipsum. Decima Deum perfectè diligere plus quam seipsum. Undecima diligere seipsum tantummodo propter Deum. Duodecima videre Deum diligentem se plus quam homo diligat seipsum. Ista ulterius est prægnans, quia filium masculum, id est, Christum habet in se per dilectionem & devotionem. Sed pro certo draco magnus Diabolus quamplurimum ei invidet, sed ipse non prævalet, quia ipse fuit de cœlo projectus, & in terram cecidit. Ideo sanctos, qui sunt in patria, lædere non valebit.

Vel dic, quod hæc mulier est vir perfectus, qui dicitur mulier, quasi mollis aër; Aër dico, propter scientiæ puritatem, mollis per pietatem & benignitatem, & iste sole, id est clara sagaci discretione, vel conversationis honestate amicitur; & luna, id est mutabilis prosperitas sub pedibus ejus vilipenditur & calcatur, & in capite ejus, id est, in mente illius, duodecim stellæ, id est, duodecim stellæ articuli fidei firmiter & tenaciter rad cati tenentur, Apocalypsi 22. *Afferens fructus duodecim per menses singulos.* Ista ulterius dicitur prægnans, quia verè tales in utero conscientiæ continent filium masculum, id est, bonum & firmum propositum, quod summè cupiunt parere, & demonstrare per bonorum operum executionem, & complementum. Ideo dicitur Joan. 16. *Mulier cum parit, tristitiam habet, sed cum peperit, non meminit pressuræ suæ propter gaudium.* Sed quando draco rufus, id est, malitiosus & venenosus, & infamis Diabolus videt talem mulierem, id est, bonam personam bono proposito impræqnatam, & bona opera parere cupientem, verè ipse insidiatur ei per malas suas suggestiones, ipse nititur devorare, & annihilare, & propositi sui partum impedire, ne exeat ad bonum opus. Sed verè mulier ista nihilominus debet parere, & suum bonum propositum adimplere, & illud debet Deo committere; quia partus ejus debet esse raptus ad Deum, id est, ad laudem, & gloriam Dei ordinatus, & ipse debet in desertum religionis vel pœnitentiæ fugere. Et sic draco Diabolus cadet, & ipsum non poterit superare Psalmo 45. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

Vel dic, quod ista mulier est Ecclesia, quæ antiquitùs habuit solem, id est, Christum & bona spiritualia pro vestimento. Luna, id est, mutabilis mundi prosperitas sub pedibus ejus erat, scilicet, contempta & calcata, quia pro certo tunc sola spiritualia eligebantur atque diligebantur; caduca verò & lunaria spernebantur, & hoc maximè in principio, quando ipsa habebat in capite coronam duodecim stellarum, id est, duodecim Apostolos, qui in capite, id est, in principio ipsam coronaverunt, & sic stellis duodecim E ornaverunt, sicut de civitate nova dicitur Apocal. 21. Quod *habebat pro portis duodecim margaritas.* Tunc igitur draco, id est, Diabolus vel tyranni non potuerunt impedire, quin pareret populum fidelium prædicando, & convertendo, & quin acquireret bona temporalia pro Christo miseros pauperes nutriendo. Veruntamen, quia videtur jam hodie è converso amicta lunâ, & solem sub pedibus ejus tenere, id est, temporalia diligere, & spiritualia calcare: Ideo timendum est, ne ipsam draco insidians possit devorare.

Vel dic, quod talis draco significat malos tyrannos & Principes sæculares, qui Ecclesiæ vel personæ, si quam prægnantem viderint, id est, divitem, insidiantur, ipsamque capere conantur, quapropter multoties tales Personæ fugere compelluntur, sicut ad literam patet de subditis tyrannorum. Psalmo 103. *Draco quem tu formasti ad illudendum te.*

Michael & draco præliabantur in cœlo, sed vincente Michaële, draco projectus est cum Angelis suis in terram, habens iram magnam, sciens, quoniam modicum tempus habet. Draco autem videns se projectum, prosecutus est mulierem, quæ peperit masculum, sed dicitur, *quod isti mulieri datæ sunt duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum, ut alatur certo tempore. Et tunc videns draco fugere mulierem, misit post ipsam ex ore suo fluvium magnum, ut faceret ipsam à flumine trahi, sed terra adjuvit mulierem, & aperuit os suum & absorbuit fluvium. Et iratus est draco contra mulierem, quia vidit, quod ei nocere non poterat, & habuit facere prælium cum his de semine ejus, qui custodiebant mandata Dei.*

Draco iste significat Diabolum, qui cum pugnaret in principio cum Michaële, & Angelis ejus bonis, contradicendo & superbiendo fuit in terram damnatus, & reprobatus, & in aëre caliginoso inclusus, ubi pro certo iram & invidiam, desperationem, & tristitiam magnam habet. Mulier ista est humana natura fragilis, & debilis ultra modum. Quando igitur videt se projectum, invidet muleri, scilicet, humanæ naturæ, & ideo statim persecutus est eam in persona Adæ & Evæ. Tamen ex Dei benignitate finaliter datæ sunt isti mulieri, scilicet, humanæ naturæ, alæ duæ, id est, duo sacramenta, scilicet, baptismus & pœnitentia, quibus mediantibus potest volare usque ad solitudinem, & locum secretum paradisi, ut ibi alatur æternæ gloriæ voluptate. Igitur ipsa mulier potest dicere illud Psalm. 54. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Sed quid facit Diabolus? Quando videt, quod F humana natura non potest in cœlum ascendere cum aliis suis, verè emittit de ore suo, id est, de suis suggestionibus flumen magnum, id est, inundationem fortium tentationum, vel fluvium, id est, aquas carnalium atque temporalium voluptatum, ut sic faciat eam ad se trahi, & à volatu in cœlum impediri & retrahi, & ideo statim quando homo videt hunc fluvium, terra debet eum adjuvare, id est, memoria terrestreitatis & mortalitatis nostræ, vel asperitas pœnitentiæ & infirmitas humanitatis nostræ: vel terra, id est, B. Virgo, pro eo orando, quia pro certo, si ista terra aperiat os suum per confessionem, id est, divini auxilii implorationem, statim flumen tentationum erit absorptum, nec contra hominem prævalebit, Psalm. 105. *Aperta est terra & deglutivit Dathan.*

Vel dic, quod terra significat timorem Dei, qui pro certo multum juvat peccatorem, Psalm. 75. *Terra tremuit, & quievit.*

Vel dic, quod mulier est simplex & bonus homo, cui Diabolus insidiatur & invidet, quando videt, quod in hoc sæculo innocentiam, & justitiam servat, & de multis criminibus eum tentat, & contra eum multimodè præliatur. Ideo ipse debet assumere alas boni propositi, ut alas aquilinas claræ discretionis, & altæ contemplationis, & volare & fugere usque ad solitudinem religionis, & ibi nutriri pabulo devotionis debet. Et si draco Diabolus mittat post ipsum fluvium tentationis, vel sibi offerat fluvium carnalis & temporalis delectationis, terra, id est, corpus suum proprium eum adjuvet, sustinendo pœnam & macerationem per culturam pœnitentiæ, & maximè aperiendo os per confessionem, orationem & laudem. Vel si vis solitudo significat paradisum, ubi debet volare per desiderium, & affectum.

Vel dic, quod mulier prægnans est bonus & simplex subditus, prægnans, plenus & dives, Draco rufus est Princeps vel Prælatus, G vel Judex, Causidicus malitiosus, rapax & venenosus. Iste igitur draco, quando videt juxta se aliquam mulierem prægnantem, id est, aliquam simplicem personam plenam divitiis temporalibus, statim insidiatur ei, & cogitat modos, & vias, quomodo ab ista fœtum suum, id est, divitias & facultates extorqueat & acquirat, easque devoret, & manducet fraude, malitia vel rapinâ; sed quandoque

Digitized by Google

doque fit, quod ista mulier, id est, iste bonus homo habet aliquas alas, id est, aliquos amicos vel defensores, qui ipsum portant & sustinent, & quibus mediantibus iste quandoque fugit & evadit manus istius impii draconis. Et dum videt se ei non posse nocere, tunc mittit post eum flumen ex ore, id est, impetum minarum, accusationum & impositionum, quia imponit sibi multa crimina, & accusat eum apud majores, ut sic faciat eum trahi ad suum propositum, & inclinari. Hier. 51. *Absorbuit me quasi draco, implet ventrem suum.* Et tunc non habet remedium, nisi terra aperiat os suum, id est, Advocati vel aliqui adulatores, testes vel defensores ipsum proprio ore excusent, & fluvium accusationis extirpent. Sæpè tamen accidit, quod quando draco, id est, malitiosa persona, videt se non posse nocere mulieri, id est, alicui personæ, contra quam habet cor, verè tunc contra amicos, & filios insurgit, quod est contra rationem, quia *filius non debet portare iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii.*

Vel dic ad literam, quod mulier, quandoque invaditur à dracone, id est, à luxurioso, qui ipsam rogat de malo, quæ statim debet fugere, & vitare consortium suum, & si ipse mittit post eam fluvium, id est, leones, vel fluvium, id est, mollitiem verborum & donorum, verè ipsa terra debet eam juvare, id est, consideratio mortis & terrestreitatis propriæ, quæ debet hæc omnia refutare. Et licet ista mulier est quandoque amicta sole, id est, generis claritate, & luna sub pedibus ejus, id est, quod omnis defectus, & rusticitas est sub ea, licet etiam patria vel civitas est ei subjecta, sitque coronata stellis, id est, amicis & parentibus; solum tamen remedium est fugere, & terræ, id est, vilitatis nostræ miseriam cogitare.

Vel dic, quod mulier est bonus vel perfectus Prælatus, habens solem discretionis, calcans lunam prosperitatis, coronatus & associatus stellis, id est, bonis & honestis personis, claris, nobilibus & discretis. Draco est aliquis malitiosus subditus, quem ipse habet, venenatus & brigosus. H Quando igitur mulier ista, id est, Prælatus debet parere, id est aliquod beneficium alicui concedere, statim fit prælium & contentio in cœlo Ecclesiæ vel Religionis inter draconem & Michaëlem, id est, inter bonos, & ambitiosos. Nam draco id est malitiosus subditus, cupit istum fœtum, id est, beneficium devorare & obtinere, Sed quando ille fœtus rapitur à Deo & ex Dei voluntate alicui bono conceditur, & draco ambitiosus ejicitur in terram, id est, mittitur in statu infimo, nec promovetur, tunc draco iste irascitur contra mulierem, id est, contra Prælatum, & facit contra eum conspirationes, & compellit eum fugere, id est, adire curiam Romanam, ut ibi tueatur. Exemplo David, quem filius suus ambitiosus compulit fugere in desertum; & tunc iste draco, id est, subditus ambitiosus, immittit contra eum fluvium, id est, occasionem criminalium impositionum, quem nisi terra, id est, Deus, vel B. Virgo, vel firmitas suæ veritatis, sanctitatis, & justitiæ adjuverit, vel terra, id est, Advocatorum sagacitas donis, & precibus bene culta ore suo excusaverit, & fluvium istarum occasionum absorbuerit, vel nisi terra, id est, terrenorum multiplicitas confoverit, pro certo in magno periculo erit, illosque de semine suo & familiares pro posse prosequitur & invadit, Ezech. 22. *Leoni gentium assimilavi te.*

Capitulum deciumum tertium. Textus. Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem.

Moralitatum Cap. XIV.

VIdit Joannes *unam bestiam ascendentem de mari, habentem cornua septem, & capita decem, & super caput ejus nomina blasphemiæ. Ista bestia similis erat urso, quantum ad pedes, quia habebat pedes ursi, caput pardi, os leonis, & loquebatur grandia & blasphemias in Deum & in sanctos. Et draco quidem dedit ei potestatem maximam, in tantum quod nullus erat in terra, qui poterat ei resistere, & ideo fecit bellum contra sanctos, & devicit eos, & blasphemias loquebatur contra illos, qui in cœlis habitant. Et data est ei potestas super omnem populum, tribum & linguam, & numerati sunt universi, & adoraverunt draconem, qui potestatem dedit bestiæ. Ista tamen bestia finaliter missa est in stagnum ignis ardentis & sulphuris.*

A Ista bestia est Ballivus, qui dicitur bestia quasi Vastia, quia tales solent vastare omnia bona subditorum. Mare significat statum humilem, pauperem & avarum. Bestia ascendens de mari est Ballivus, Officialis vel Advocatus, qui venit ex humili, & vili plebe & paupere statu, qui scilic. tantum ascendit quandoque paulatim, quod acquirit plura capita, id est, plura officia & dignitates. Habet etiam plura cornua, id est, magistros, adjutores, familiares, per quorum virtutem omnes alios corrumpit, & invadit. Abac. 3. *Cornua in manibus ejus, ante faciem eius ibit mors.* Tales sunt similes pardo per crudelitatem, quantum ad corpus intentionis. Pardus enim est anima præceps ad sanguinem, sic isti non gaudent, nisi quando possunt occidere, vel officium suum crudeliter exercere, Isa. 1. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine.* Item sunt similes urso per luxuriam, quantum ad pedes affectionis. Ursus enim diligit summè dulcedinem mellis. Sic verè amor & affectio istorum non est nisi ad mel, id est, ad ducedinem luxuriæ & carnalitatis. Canticorum 4. *Mel & lac sub lingua tua.* Item sunt similes leoni per superbiam & jactantiæ vanitatem, quantum ad os locutionis. Leo enim est animal superbissimum, & os ejus semper fœtet. Sic isti semper habent os, id est, verba leonina, superba & luxuriosa, authentica, jactantia, minantia atque vana, fœtida & luxuriosa. Psalm. 49. *Os tuum abundavit malitiâ.* Ideo verè tales loquuntur grandia, jactando blasphemias, & contra Deum & sanctos mentiendo, vel contra sanctos, id est, contra bonas personas & simplices comminando, scilicet, accusando Job. 23. *Os meum implebo increpationibus.* Sed quid? pro certo tales habent draconem, qui dat eis potestatem, scilicet, aliquem malum Principem, & Magistrum, cum quo sunt in servitio, & à quo dependet eorum potestas principalis. Vel aliquem consiliarum magnum in curia Principis vel Prælati, qui eos sustinet, in tantum quod nullus potest eis resistere, imo populus & lingua, id est, omnia genera hominum timent & adorant etiam talem draconem & Principem, qui eis dat hujusmodi potestatem. Et breviter ipsi faciunt bellum contra sanctos, id est, contra bonos, simplices & pauperes: (sancti enim sunt in terra, qui, scilicet, sine terrena prosperitate vivunt.) ipsoque superant & vincunt; contra illos etiam, qui sunt in cœlo, id est, in statu Religionis vel Ecclesiæ, vel in cœlo, id est, in statu dignitatis, & exellentiæ, blasphemias, id est, accusationes & murmurationes impiè proloquuntur. Et finaliter totus populus miratur, tota patria loquitur de eorum gloria & majestate, excellentia & veritate. Sed caveant, ne accidat illis, sicut isti bestiæ, quæ finaliter posita fuit in stagno ardentis ignis & sulphuris. Sic verè isti in tormentis infernalibus comburentur æternaliter, & sic videmus tales sæpe igne tribulationis comburi temporaliter, & etiam Deo judice ad miseriam veniunt finaliter, Psal. 36. *Vidi impium superexultatum, & ecce transivi & non erat.* Raro enim contingit, quod qui de nihilo veniunt ad tantam prosperitatem, finaliter non recidant in infortunii pœnalitatem.

Vel dic, quod ista bestia est Clericus bestialis, qui à mari, id est, ab humili plebe & paupere statu veniens, quandoque acquirit plura capita, id est, dignitates & præbendas, & quandoque cornua, id est, mitram, dum fit Episcopus vel Abbas, vel cornua, id est, pompam vel elationes. Et iste pro certo acquirit partem magnam non a se, sed dracone, id est, ab aliquo amico vel fautore, Episcopo, vel Cardinali ejus promotore, virtute cujus nullus potest sibi resistere quoquo modo.

Vel dic, quod iste est Antichristus, quem draco, id est, Lucifer, introducet, id est, ei dabit maximam potestatem. Iste à mari, id est, à peccatorum amaritudine veniet & ascendet, quia in peccato erit conceptus & nutritus, & ideo habebit cornua septem, id est, septem peccata mortalia, vel in actu vel in habitu. Item habebit decem capita, id est decem transgressiones mandatorum legis. Iste habebit caput pardi, per crudelitatem, pedes, id est, affectiones ursi per fictam benignitatem, quia ursus est animal, quod amat ludere. Sic iste alios terrendo sicut pardus, alios ludendo & blandiendo sicut ursus seducet, Dan. 7. *Ecce alia bestia similis urso. Os eius erit leoninum per superbiam, jactantiam & blasphemiam contra Deum. Et tribus annis cum dimidio prævalebit. Et breviter nullus potest ei resistere, sed tribus & linguæ obedient ei, & omnes mirabuntur de ejus potestate, sed finaliter peribit igne, & sulphure comburetur in inferno.*

Vidit Joannes *secundam bestiam ascendentem de terra, & data est ei potestas à prima bestia, & omnem potestatem ipsius faciebat & C fecit signa magna in terra, quod fecit ignem de cœlo descendere in terram in conspectu omnium hominum, & fecit omnes habitantes in terra, pusillos & magnos, liberos, & servos, pauperes & divites adorare bestiam primam & portare imaginem ejus, & numerum nominis ejus, & characterem bestiæ in manu dextera, & in frontibus eorum.* In fine tamen *prima bestia & secunda missæ sunt in stagnum ignis ardentis & sulphuris*, sicut dicitur infra cap. 19. Ista autem *bestia habebat cornua sicut agnus, & loquebatur sicut draco.*

Prima bestia est Antichristus, sicut dictum est. Et ista secunda bestia significat suos ministros Pseudo-prophetas, qui cum magna potestate Christianos seducent, falsa miracula & signa facient, omnia genera hominum ad eum convertent, & ipsum facient ab omnibus credi Deum, & honorari nomen ejus & imaginem revereri: & characterem ejus, id est, imaginem suæ potentiæ per impressionem in fronte, id est, in mente tenaciter retineri. Habebunt etiam cornua agni, id est, fictam benignitatem, & loquentur sicut draco per apertam crudelitatem; quia alios blandiendo sicut agnus, alios sicut draco sæviendo seducent. Finaliter tamen cum magistro suo ignis incendiis cremabuntur, Ezech. 38. *Ignis & sulphur super eos, & super populum ejus.*

Vel dic, quod prima bestia, quæ à dracone habet potestatem, est malus Judex, princeps vel Prælatus, habens plura capita, id est, plures dignitates vel castra, à dracone, id est, à Diabolo simoniacè introductus, scilicet, in exercitum bonorum & malorum: Secunda bestia significat ipsorum Judices & Ballivos, qui ab ista bestia prima recipiunt potestatem sive auctoritatem. Isti igitur habent maximam

Digitized by Google

maximam in hoc mundo poteſtatem, & faciunt prodigia & ſigna in terra, quia verè dato, quod iſti aſcenderunt à terra, id eſt, à ſtatu infimo, paupere & humili plebe, ipſi tamen faciunt ædificia, turres & prædia, & alia multa magna, ita quod de operibus, quæ iſti faciunt, alii videntur dicere illud Dan. 3. *Signa & mirabilia facta ſunt apud me.* Iſti faciunt ignem deſcendere in terram, quia ignem
D rapinæ & excoriationis, uſuræ & avaritiæ faciunt pullulare, quia per eorum ſuggeſtiones & accuſationes Principes & Prælati ſuos deprædantur, & eos igne rapinæ devorant & inflammant, dicentes illud Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?* Et breviter iſti ſeducunt omnes habitantes in terra. Et quare hoc? quia ipſi habent cornua ſicut agnus, & loquuntur ſicut draco. Cornua enim, quæ ſunt in prima parte & caput beſtiæ, ſignificant introitum, & ingreſſum, & principium eorum, quia pro certo in cornibus, id eſt, in principio officii ſui ipſi videntur benigniſſimi ſicut agnus; ſed verè in fine, quando aliquamdiu fuerint in officio, & creverint, ipſi loquuntur ſicut draco, id eſt, crudeliter & authenticè populum cum mundo accuſando, & ad modum draconis omnem patriam venenando. Unde populus poteſt dicere Hier. 51. *Abſorbuit me quaſi draco, implevit ventrem teneritudine mea.* Et breviter in tota terra, ubi præſunt, non remanet ſervus nec liber, id eſt, nec religioſus nec ſæcularis, nec dives, nec pauper, nec magnus, nec puſillus, quin iſtorum compulſionibus, malitiis & inventionibus oporteat ipſam primam beſtiam, ſcilicet, Principem vel Prælatum adorare, & munera & emendas dare, vel aliàs honorare. Iſti enim faciunt per ſuas exactiones quod omnes alii veniant honorent & adorent Principes & Prælatos, ſcilicet, munera offerendo, ſubventiones præſtando, & emendas indebitè colligendo, & imagines eorum, id eſt, ipſorum uxores, filios, filias & nepotes atque ſecretarios eorundem venerando. Non eſt enim qui ſe abſcondat à calore talium. Unde Job. 3. *Parvus & magnus ibi ſunt, ſervus & liber.* Sed finaliter iſta beſtia prima, ſcilicet, Princeps malus, & beſtia ſecunda, ſcilicet, mali Ballivi eorum, igne & ſulphure comburentur, & in inferno perpetuo cruciabuntur Eccleſ. 7. *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.*

E Vel dic, quod prima beſtia, cui nullus poteſt reſiſtere, eſt peccatum luxuriæ, quæ facit hominem beſtialem: vel mulier pulchra & luxurioſa. Iſti enim peccato pauci reſiſtunt. Nam luxuria, vel luxurioſa & pulchra mulier præliatur contra ſanctos, & devincit eos multoties, ſicut patet in Samſone & Salomone Eccleſ. 25. *Non eſt malitia ſuper malitiam mulieris.*

Secunda beſtia ſignificat vetulas maquerellas, quæ ſeducunt habitantes in terra verbis ſuis. Et hoc patet, quia ipſæ ſunt ſicut agnus, dum blandiendo benigniter juvenculas alloquuntur. Et ſicut draco, ſcilicet, inſidiando, venenando, decipiendo, in quantum per eas aliæ ad peccatum trahuntur. Et breviter iſtæ faciunt, quod omnes habitantes in terra, ſervi & liberi, ſæculares & religioſi, divites & pauperes, obediunt primæ beſtiæ, id eſt, peccato luxuriæ, vel alicui meretrici mulieri, & quod omnes adorent imaginem ejus, id eſt, ipſius pulchritudinem. Illud patet, quia ferè modò quaſi omnes homines portant in frontibus ſuis, id eſt, in apparentia characteres iſtius beſtiæ, id eſt, impreſſiones luxuriæ, ſcilicet, geſtus, dicta & facta. Etiam ad literam multi ſunt, qui portant ipſorum nomina in veſtibus ſuis, id eſt, ipſorum imagines vel ſigna, vel etiam imaginem & characterem habent in fronte, in quantum ingerunt membra ſuæ pulchritudinis in anima vel in corde. Numerum etiam nominis ſui deferunt, in quantum nomen ſuum in litteris ſcriptum ſecum gerunt, Pſalm. 38. *Veruntamen in imagine pertranſit homo.* Ideo tam prima quàm ſecunda beſtia, id eſt, tam luxuria vel mulier luxurioſa, quàm ſua vetula, ignis & ſulphuris fœtoribus finaliter in inferno comburentur, Pſalm. 20. *Ignis, ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.*

Vel dic, quod ſecunda beſtia eſt detractor, cujus cornua, id eſt, exterior faſtus eſt ad modum agni, id eſt, humilis & benignus, ipſe tamen loquitur ſicut draco detrahendo, ita quod ignem diſcordiæ & rixæ generat.

Capitulum decimum quartum. Textus. Et vidi & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion.

Moralitatum Cap. XV.

VIdit Joannes *ſupra montem Sion agnum ſtantem: & in conſpectu ejus centum quadraginta quatuor millia habentia nomen ejus, & nomen patris ejus ſcriptum in frontibus eorum. Et audita eſt vox in cœlo quaſi aquarum multarum, & audivit tanquam vocem tonitrui magni, & ſicut vocem citharædorum citharizantium in citharis ſuis ante ſedem agni, & cantabant canticum novum in conſpectu agni & quatuor animalium, & viginti quatuor ſeniorum. Et dicitur, quod iſti ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & qui empti ſunt de terra, atque ſequuntur agnum quocunque ierit, & in quorum ore non eſt inventum mendacium.*
F

Iſte agnus ſignificat homines mites, & humiles & benignos, qui pro certo debent eſſe conſtituti ſuper montem Eccleſiæ vel Religionis, ſcilicet in excellentia dignitatis, quia ſemper ſunt aliis tales præferendi. Iſti igitur debent habere ſecum in ſocietate plura genera hominum, ſcilicet animalia plena oculis antè & retrò, id eſt, viros diſcretos, Clericos clarè videntes. Item ſeniores, id eſt, laicos maturos & honeſtos, ac morum venuſtate fulgentes. Item cithariſtas, id eſt, cantores Deum & ſanctos laudantes, & canticum novum, id eſt, divinum officium concinentes, & multa millia aliorum, id eſt, bonorum ſubditorum Eccleſ. 9. *Viri juſti ſunt tibi convivæ.* Et iſti debent habere conſiderationes quatuor, videlicet Dei Patris nomen in frontibus ſcriptum, id eſt, in apparentia exteriori honeſtam converſationem. Agnum etiam, id eſt, bonum Prælatum ſuum debent ſequi per imitationem, nec debent cum mulieribus coinquinari, per luxuriæ fœditatem, & à terra debent eſſe empti, per avaritiæ contemptum & abominationem, & in ore eorum non debet inveniri mendacium, per aliquam malam locutionem Eccleſ. 7. *Noli mentiri velle omne mendacium.* Et tales pro certo, ſcilicet viri diſcreti, & Eccleſiaſtici, & maturi, & in Dei laudibus elevati, & veritate ſuffulti, & à terræ avaritia empti & ſegregati, ſunt digni eſſe in conſpectu agni, id eſt, in conſpectu bonorum Prælatorum in diverſis officiis promoveri. Et maximè quando omne mendacium in oré ipſorum non eſt inventum, & ſunt viri veraces & ſine macula, quales proculdubio decet eſſe ſervitores Prælatorum & quorumcunque Magnatum. Unde Pſalm. 100. dicitur: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum. Oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum, ambulans in*
G *via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Ecce quales debent ſtare ante thronum & in officiis prælatorum. Apoc. 7. *In conſpectu throni amicti ſunt floris albis, & palmæ in manibus eorum.*

Vel dic, quod agnus eſt Chriſtus, *qui ad occiſionem ductus eſt*, Iſa. 53. Mons Sion ſignificat celſitudinem Paradiſi. Sion enim interpretatur ſpecula, quia in Paradiſo Deus ſpeculatur. Iſte ſecum habet quatuor animalia, id eſt, quatuor Evangeliſtas, & viginti quatuor ſeniores, id eſt, univerſitatem Patriarcharum, Prophetarum. Item cithariſtas, id eſt, chorum Angelorum & Archangelorum Deum continuè laudantium, & dicentium illud Pſalm. 93. & 97. *Cantate domino canticum novum.* Et quid? pro certo iſti omnes, qui habent in frontibus, id eſt, in mentibus ſuis nomen Dei Patris, & fidem Trinitatis ſcriptam & impreſſam, & maximè, qui ſine macula, ſine mendacio, ſine mulierum contagio perſeverant, digni ſunt eſſe in conſpectu Dei ſurſùm in Paradiſo, & maximè quando empti ſunt de terra, id eſt, terrena cupiditate; quia verè tales ſequuntur & ſequi poſſunt agnum Chriſtum, quocunque ierit, id eſt, uſque ad altitudinem Paradiſi, Matt. 8. *Sequar te magiſter, quocunque ieris.* Sequuntur enim boni Chriſtum per omnes vias perfectionis ipſum imitando, tandem ſequuntur eum in Paradiſum ipſum contemplando. Unde Matt. 14. *Sequimini eum, quocunque introierit.*

Vel dic, quod agnus eſt ignarus juvenis Prælatus, quia verè multi tales ſtant hodiè ſupra montem Sion, ſcilicet in ſtatu regiminis, & in excellentia dignitatis, quia hodiè dato, quod in Religione & Eccleſia ſint multa animalia, id eſt, multi viri diſcreti, multi ſeniores providi; fit tamen ſic, quod quandoque in throno, id eſt, in dignitate & prælatione non ponunt hodiè tales, ſed magis agni, id eſt, juvenes ignari hodiè favore, pretio & prece occupant Eccleſiaſticas dignitates Iſa. 3. *Dabo pueros Principes eorum.* Eccleſ. 10. *Vidi ſtultum in dignitate ſublimi.* Et ideo quid faciunt iſti? Certe ipſi ponunt ſuos in diverſis præbendis & beneficiis Eccleſiæ, ac multa millia eorum, qui portant nomen patris ſui, id eſt, qui ſunt de parentela ſua & ſuorum, & de patria & familia, ſunt circa ipſum. Etiam auditur maxima multitudo cithariſtarum, id eſt, adulatorum, qui citharis, id eſt novis linguis non ceſſant nova cantica reſonare. Et breviter quando tales Prælati ſunt ſic in thronis & in prælationibus indignè promoti, nolunt habere ſecum niſi adulatores, id eſt, malas perſonas, & ſuis notis, familiaribus amicis replent totam ſanctam Eccleſiam Dei. Dicunt enim illud H Cant. 5. *Convenite amici mei & bibite*, ita quod tales convocando videntur dicere illud Iſa. 57. *Accedite huc.*

Vidit Joannes *Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram. Et clamavit voce magna, dicens: Timete Dominum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & fontes aquarum, quia appropinquat judicii ejus hora.*

Iſte eſt prædicator, qui debet dici Angelus, id eſt, nuncius Dei patris, qui durus & angelicus debet eſſe. Iſti enim traditum eſt evangelium, id eſt, officium prædicandi, ut doceat & informet ſedentes ſuper terram, id eſt, peccatores, qui in mundo ſuper terram, id eſt, in amore terrenorum quieſcunt, Unde Luc. 1. *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Iſtis autem dicit, quod ipſi timeant Dominum, & adorent eum, qui fecit cœlum, id eſt, Eccleſiam triumphantem & terram, id eſt, Eccleſiam militantem, quæ ſæpè teritur tribulationibus, mare fluctuoſum, id eſt, ſtatum ſæcularem, fontes aquarum, id eſt, ſtatus & conventus regularium, ubi aqua dulcis devotionis invenitur, Hierem. 10. *Quis non timebi-*

te

Digitized by Google

te ô rex gentium? Summa intentio prædicatorum debet esse, quod imprimant timorem divinum in cordibus audientium, exemplo Tobiæ. Ratio autem assignatur, quare auditores timere debent, quia appropinquabit hora judicii, ubi impios condenabit Dominus, 1. Reg. 2. Quidam Angelus clamavit, *quod Babylon civitas magna cecidit, quæ de vino suæ fornicationis potavit omnes gentes.*

Iste Angelus significat omnes prædicatores, qui pro certo omnes clamant, & à principio clamaverunt, Babylon, id est, mundum plenum confusione cecidisse, & à statu virtutum à principio corruisse, & vino, id est, consolatione suæ fornicationis, id est, suæ prosperitatis peccatores inebriatos fuisse. Unde Hierem. 51. *De* A *vino furoris ejus biberunt gentes, ideo commotæ sunt.*

Clamavit quidam Angelus, *quod quicunque adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem ejus, oportebit eum bibere de vino furoris Domini, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum & agni, & fumus ejus in sæcula ascendet, nec habebit requiem die ac nocte.*

Angelus iste est sacra scriptura vel communitas sanctorum. Ista enim prædicat & clamat, quod illi, qui adorant & honorant bestiam, id est, malam mulierem, bestialem, luxuriosam, & qui ejus imaginem, id est, pulchritudinem venerantur, qui etiam characterem, id est, impressionem sui amoris retinent atque servant, tales dico calicem furoris, id est, vindictæ Dei & suam austeram sententiam potabunt. Ezech. 23. *Calicem furoris Domini bibisti, & potasti illum usque ad fœces*, id est, usque ad æternam damnationem. Et igne & sulphure cremabuntur, id est, erunt in ardore & fœtore, in hoc mundo per culpam, & finaliter in inferno per pœnam. Et fumus eorum, id est, eorum infamia perpetuò ascendet, & perpetuò ipsorum dolor & gemitus non requiescet. Thre. 5. *Lassis non dabatur requies.* Ad literam enim luxuriosus, qui est infatuatus de imagine & pulchritudine mulierum, semper est in igne & angustia, labore & infamia, & finaliter in perpetuo dolore & tristitia, Psal. 48. *Laborabit in æternum.*

Visa est nubes candida in cœlo, & super eam similis filio hominis, & habebat coronam auream in capite, & falcem acutam in manibus, & dictum est ei à quodam Angelo, quod ipse mitteret falcem suam, & meteret messem terræ, quoniam maturavit, & misit falcem suam, & messuit terram.

Per nubem, quæ de vaporibus terrenis & aqueis constituitur, intelligitur corpus humanum de terra & aqua, id est, de carne & sanguine constitutum. Angelus, qui est in nube candida, est bonus Prælatus vel Vir Angelicus, qui in nube corporis habet candorem castitatis. Iste habet coronam auream, id est, excellentiam dignitatis. Habet falcem acutam in manu sua, id est, rigorem judiciariæ potestatis, sed alius Angelus, id est, aliæ personæ bonæ collegii sui, qui habent zelum Ecclesiæ vel Religionis, debent stimulare, quod ipse mittat falcem suam, id est, quod ipse exerceat justitiam & rigorem suum, & quod terram, id est, subditos terrenos & avaros metat, & abscindat atque castiget. Unde pro certo, quando ipsi vident malos in patria abundare, ipsi debent di- B cere & consulere ipsi Principi vel prælato illud Joël. 3. *Mittite falces vestras, quoniam maturavit messis.*

Vel dic, quod hic filius hominis est Christus, qui in nube candida, id est, in purissima Virgine fuit visus. Iste enim habet coronam auream, id est, Regiam Majestatem & honoris dignitatem, Falcem etiam acutam, id est, rigoris austeritatem. Quando igitur in judicio messis terræ, id est reproborum multitudo maturaverit, id est, satis creverit; tunc verò ad instinctum Angelorum, Martyrum & Sanctorum, & per eorum ministerium, ipse mittet falcem suam, id est, emittet vindictam sui rigoris & suæ judiciariæ potestatis, & falcabit & evellet de mundo messem terræ, id est, collegium improborum, Matth. 13. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala.*

Vel dic, quod iste est malus Prælatus, qui in nube candida, id est, candore mundanæ gloriæ conversatur, qui cum falce acuta austeræ correctionis & crudelitatis, ad vocem alterius Angeli, id est, ad vocem Angelorum suorum, Ballivorum falcat & colligit messem terræ, id est, bona terræ & subditorum suorum, quos excoriat & prædatur. Dicunt enim mali Angeli & Ballivi Dominis suis, quando occasionem nocendi adinvenerunt: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam maturavit messis.* Undè satis citò eveniet, quod jam statim sequitur: *Mitte falcem tuam & vindemia botros vineæ terræ.* Et hoc maximè dicunt, quando vident rusticos pullulasse. Undè de talibus dicitur Joan. 4. *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.*

Vidit Joannes *quendam Angelum exire de templo, habentem falcem acutam, & venit alius Angelus de altari, qui habebat potestatem super ignem, & clamavit voce magna ad alium Angelum: Mitte falcem tuam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus. Et misit falcem suam, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum Dei magnum, & calcatus est lacus extra* C *civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta, &c.*

Angelus est Christus, qui de templo Paradisi in die judicii veniet. Iste enim Angelus habebat falcem acutam, id est, potestatem acuti rigoris, & judiciariæ potestatis, quâ peccatores atrociter defalcabit. Secundus Angelus significat Angelos Dei ministros, qui tunc temporis erunt executores suæ sententiæ, & ideo isti dicuntur habere potestatem super ignem, quia ignis est ardor Divinæ justitiæ, & per eorum ministerium exercetur, Dicitur etiam iste Angelus secundus venire de altari, id est, ab ista sede Majestatis Divinæ, à qua omnes Angeli accipiunt potestatem. Isto igitur Angelo secundo, in exercitu Angelorum clamante & ministrante veniet filius Dei Angelus testamenti, & mittet falcem justitiæ suæ in vineam terræ, id est, in collegium hominum terrenorum sive mundum, qui dicitur vinea, quia alios inebriat dictis & factis suis malis, vino, scilicet, in quo est luxuria. Botros etiam, id est, homines succidet & vindemiabit, & à terra evellet, & vineam, id est, mundum suis fructibus, id est, habitationibus denudabit. Th. 1. *Vindemiavit me sicut locutus est Dominus.* Botros istos, id est, molles & teneros peccatores mittet in lacum Dei magnum, id est, in infernum, ubi erunt calcati & depressi, & sanguis, id est, pœna & damnatio illius lacûs inferni attinget usque ad equos, id est, usque ad carnales peccatores, & usque ad frænos equorum, id est, usque ad illos, qui eos frænant & regunt, scilicet, mundi Principes & Rectores, quia in sanguine æternæ damnationis erunt, peccatores tam subditi quàm Magni. Ideo dicitur Isa. 24. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere.*

Vel dic, quod primus Angelus significat Principes & Tyrannos, qui pro certo omni die de templo, id est, de amore templi vel Ecclesiæ fugiunt & recedunt. Isti dicuntur habere falcem acutam, id est, potestatem puniendi, & auctoritatem jurisdictionis. Secundus Angelus significat talium Ballivos & Officiales, qui verè de altari veniunt, quia tales non diligunt nec missam, nec altare, imo exindè fugiunt & recedunt. Ideo dicuntur ex altari venire, non ad ipsum ire. Secundus, scilicet, Angelus clamat ad primum, id est, Ballivus malus clamat & consulit Prælato, Principi vel Tyranno, quod ipse mittat falcem suæ potestatis in vineam terræ, id est, in terram sibi subjectam, & in Patriam suam, & hoc certè ut ipse per rapinam accipiat & colligat botros vineæ, id est, bona temporalia subditorum, dicens cum Jezabel illud, quod 3. Reg. 11. dicitur: *Surge posside vineam Naboth.* Et isti secundi Angeli, id est, pravi Ballivi & Consiliatores, dicuntur habere potestatem super ignem, & super ardorem avaritiæ & rapinæ, quia ad hoc tenentur à Principibus, ut alios igniant, inflamment & molestent, Daniel 7. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Ideo ad eorum instinctum & consilium, ipsi primi Angeli falcant & spoliant terram suam, & botros, id est, bona temporalia subditorum, D & mittunt in lacum, id est, in hospitium suum, & ipsum exindè calcunt & replent, ita quod sanguis, id est, hujusmodi actionis & crudelitatis infamia necesse est, quod exeat & appareat, & quandoque perveniat usque ad frænos equorum & usque ad superiores mundi Principes & Rectores, scilicet, ad Regem vel ad Papam, qui alios dirigunt & frænant, in quantum subditi sic depressi coguntur appellare, & talium crudelitates superioribus intimare.

Vel dic ad literam, quod hodiè sanguis substantiæ subditorum usque ad frænos equorum pervenit, in quantum phalerati equi de bonis istorum emuntur, & in quantum pompæ Dominorum ad expensas istius sanguinis deducuntur. Ita quod istis potest dici illud Isai. 1. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine.*

Capitulum decimum quintum. Textus. Et vidi aliud signum in cœlo magnum & mirabile.

Moralitatum Cap. XVI.

Vidit Joannes *mare vitreum igne mixtum, & eos qui vicerunt bestiam ejus, & numerum nominis ejus stantes supra mare, habentes citharam Dei, & cantabant canticum Moysis & agni.*

Mare istud significat æternæ gloriæ voluptatem. Et dicitur mare propter inexhaustibilem abundantiam. Dicitur vitreum, propter claritatem inoffuscabilem. Dicitur mixtum igne, propter charitatem inextinguibilem. In tali igitur mari, id est, in æternæ gloriæ claritate, erunt illi qui vicerunt, dum viverent, bestiam, id est, Diabolum, qui omnia vastat, seu filium ejus, id est, peccatum superbiæ; & imagines ejus, id est, mulieres & fictionem luxuriæ, & numerum nominis ejus, id est, numerationem pecuniæ, vel peccatum avaritiæ. Tales, dico, erunt in isto mari, id est, in affluentia gloriæ sempiternæ, & ibi cantabunt canticum Moysis, id est, canticum veteris testamenti, & canticum agni & Evangelii. Moyses verò & agnus, id est, Christus fuerunt duo legislatores, à quo pendent lex & Prophetæ. Ideo tunc quælibet anima beata poterit dicere de isto mari illud Ezech. 27. *Perfecti decoris ego sum, & in corde sita.* Econtra verò, qui ista tria non vicerunt, sed acceperunt nomen, imaginem & numerum, id est, superbiam, luxuriam & avaritiam, in stagno ignis, id est, in inferno ponentur, & in ipso perpetuò comburentur. Unde Apoc. 15. expressè ponitur: *Qui vicerunt bestiam & imaginem ejus & numerum nominis ejus.*

Ex

Digitized by Google

Ex capitulo decimo quinto. Textus. Et post hæc vidi, & ecce apertum est Templum tabernaculi.

Moralitatum Cap. XVII.

Apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo, & exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lapide mundo & candido, amicti circa pectora zonis aureis, & dedit eis unum ex quatuor animalibus septem phialas aureas, plenas iracundiâ Dei viventis, & tunc impletum est Templum Dei fumo à majestate Dei & virtute; & nemo poterat introire in Templum, donec consummarentur septem plagæ Angelorum istorum.

Isti septem Angeli significant universitatem prædicatorum, & virorum perfectorum, qui de templo Ecclesiæ vel Religionis in mundum exeunt & mittuntur. Illi habent septem plagas, quia auditoribus suis possunt inferre plagam, & dolorem contritionis pro septem vitiis capitalibus, quæ fecerunt. Et isti vestiti sunt lapide, id est, duritiâ & firmitate propositi, qui lapis, id est, constantia, debet esse munda ab omni pravitate, candida & casta. Isti debent esse cincti zonis aureis circa pectus, quia circa cor & circa pectus debent habere zonam auream, id est, Evangelium, & charitatis vinculum, quæ pios debet stringere, & cingere, ne pervanos defluant cogitatus. Aurum enim rubet, & cunctis metallis est pretiosius, & sic significat ruborem charitatis, quæ omnibus supereminet, Apoc. 1. *Præcinctum ad mammillas zonâ aureâ.* Isti igitur septem accipiunt phialas aureas, id est, prædicationes, quæ sunt phialæ ad potandum & inebriandum auditores, & hoc ab uno de quatuor animalibus, id est, de quatuor Evangelistis, & Evangelicis eorundem prædicationibus, ut puta quia de Evangelio vel scriptura debent prædicatores accipere thema suum. Istæ autem phialæ irâ Dei dicuntur plenæ, quia in prædicationibus Doctorum, & in scriptura de ira & justitia Divina fit mentio: tunc autem templum Dei, id est, locus vel Ecclesia, ubi prædicatur, fumo impletur & obscuritate; quia quilibet fit fumosus & turbidus de statu proprio, quando audit prædicationem, & Dei vindictam & iram imminere, quæ sibi in phiala propinatur, *quia tunc nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit.* Eccles. 9. Unde Isa. 9. *Impleta est domus Dei fumo*, & hoc à Majestate Dei considerata & annunciata. Tunc enim nemo potest intrare templum Dei, quia tunc homo æstimat se non posse, nec debere intrare Templum Paradisi, videns iram Dei, & rigorem suæ justitiæ, quæ sibi paratur. Et sic homo tumidius & fumidus necesse habet recurrere ad Deum, requirere salutem non ex propriis meritis, sed ex Dei largitate, Eph. 2. *Donum Dei non est ex operibus, alioquin non esset gratia.*

Vel dic, quod isti Angeli significant Ballivos & Officiales, qui in templo, id est, in domibus Principum conversantur; tales enim hodie sunt induti vestibus mundis & candidis, & ad literam lapidibus & margaritis sunt ornati, & zonis aureis circumamicti. Tales habent plagas novissimas, quia usque ad novissimum ipsi per rapinas vulnerant subditos, quibus præsunt. Isti habent phialas plenas irâ Dei. Phiala, quæ est vas plenum liquore, significat conscientias & voluntates talium iniquorum, quæ pro certo plenæ sunt veneno malitiæ & iracundiæ, quia per rapinas omnes invenenant & decipiunt. Et ideo templum impletur fumo, quia verè templum, domus Principum & Prælatorum, sunt hodie plenæ fumo, id est, infamiâ propter istorum nequitias & rapinas, Bar. 6. *Nigræ sunt facies eorum, & de fumo qui in domo fit.* Nemo autem poterat intrare Templum, donec consummarentur plagæ istorum
G Angelorum, quia verè nullus potest intrare domum Principum, nec fieri de familia sua, nisi velit esse talis Angelus, scilic. qui consummet & perficiat plagas istas, aliosque plages, & vulneret per rapinam.

Vel dic, quod isti sunt Dæmones, qui habent plagat tribulationum, & phialas & pocula tentationum, quibus mediantibus fumus obscuritatis, & error ignorantiæ & peccati generantur in templo conscientiæ, & sic impediuntur homines, ne intrent in templum Paradisi.

Vel dic, quod templum est Ecclesia, quæ pro certo hodiè est plena fumo, id est, omnimoda vanitate, infamiâ vel ignorantiâ & obscuritate, vel fumo, qui lacrymas inducit, id est, tribulationem amaritudinem & dolorem. Angeli isti sunt mali spirituales Ecclesiastici viri, qui habent phialas plenas irâ Dei, id est conscientias plenas vitiis & peccatis. Habent etiam isti Angeli plagas novissimas & gravissimas, quia isti suis malis exemplis plagant & vulnerant totum mundum. Breviter igitur sic fit hodiè, quod nullus potest intrare templum Ecclesiæ ad beneficia obtinenda, donec consummantur super eum plagæ multæ, quia nullus hodie promovetur, quin tribulationes plurimas etiam ab ipsis malis Ecclesiasticis patiatur. Homo enim hodiè ibi vix ingreditur, nisi plagæ Simoniæ & adulationis vel violentiæ erga eum consummantur. Zach. 13. *Quæ sunt plagæ in manibus tuis? Et dicit: His plagatus sum in domo eorum, qui diligunt me.*

Cap. 16. Primus Angelus effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sævum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui adoraverunt bestiam & imaginem ejus.

Iste Angelus est Christus, qui dicitur *Angelus testamenti*, & dicitur primus, id est, *primogenitus in multis fratribus* Rom. 8. Phiala ejus est sententia & justitia, Bestia est Diabolus. Character, quod ipse imprimit, est peccatum. Imago ejus est mundi gloria, quæ non est realis, sed fictitia & imaginaria. Vel imago est pulchritudo mulierum, Bestia autem est peccatum luxuriæ, quod facit hominem bestialem. Character sunt nutus & gestus. Figura sunt dicta insolentiæ & levitatis, cantus & saltus, quæ omnia à bestia, id est, à luxuria imprimuntur. Quando igitur primus Angelus Christus H
effuderit phialam iræ suæ, id est, sententiæ judiciariæ super terram, impios terrenos condemnando, tunc verè fiet vulnus sævum & pessimum, & vulnus æternæ damnationis, illis, qui bestiam, Diabolo obediendo adoraverunt, qui characterem peccati, & impressionem suæ suggestionis receperunt, & imaginem ejus, id est, mundi gloriam dilexerunt. Vel vulnus damnationis fiet illis, qui characterem, id est, impressionem bestiæ, id est, luxuriæ receperunt, & qui imaginem hujus bestiæ, id est, mulieres luxuriosas adoraverunt & honoraverunt.

Vel dic, quod quando primus Advocatus vel Consiliarius effudit phialam suam, id est accusationem & venenum malorum consiliorum supra terram, id est, contra subditos, tunc sequitur vulnus sævum & pessimum, id est, sævitia excoriationis & rapina subditorũ.

Vel dic, quod Angelus est Diabolus, qui dicitur primus, quia *ipse est principium viarum Dei.* Job 40. Ipse effudit phialam in terram, id est, venenum tentationum. Et sic sequitur vulnus sævum, id est diversa vitia & peccata, maximè super illos, qui characterem bestiæ, id est, carnis suggestionem habent, & qui imagines mundi, id est, mulieres vel res delectabiles amplectuntur. Unde Sap. 15. *Diligit mortua imaginis effigiem.*

Vel dic, quod phiala est prosperitas, quæ vulnus damnationis inducit, vel mala suggestio, quæ in patriam vulnus discordiæ introducit.

Vel dic, quod iste est proditor & detractor per quorum malitias sequuntur lites & vulnera, &c.

Cap. 16. Secundus angelus effudit phialam suam supra mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima vivens mortua est in mari.

Mare fluctuosum amarum, & turbidum est mundus, ubi fluctus tentationum, obscuritas, rubor tristitiæ & desolationis, & amaritudo tribulationis viget, Quando igitur secundus Angelus, id est, Diabolus effudit phialam suam, id est, suam pœnosam tentationem, tunc verè efficitur sanguineus & carnalis, quia suggestio Diaboli facit in mundo generari sanguinem luxuriæ & carnalitatis, qui more sanguinis, quicquid tangit, inficit & corrumpit. Ideo illi qui in isto mari, id est, in mundo vivunt vita corporali, moriuntur morte spirituali, & peccato luxuriæ corrumpuntur, Isa. 9. *Vestimentum mixtum sanguine erit in conbustionem & cibus ignis.*

Vel dic, quod mare est Religio, quæ debet esse amara per pœni- A
tentiam & contritionem. Quando igitur Angelus effudit in mare phialam suam, id est, in Religionem bona temporalia & prosperitatem, tunc verè facta fuit sanguinea & carnalis, & sanguine voluptatis & luxuriæ tota plena, ideo animæ, quæ in isto mari, id est, in Religione versantur, quasi omnes hodiè sunt mortuæ, scilicet per luxuriam, & infectæ Ps. 77. *Convertit aquas eorum in sanguinem.*

Vel dic, quod iste secundus Angelus significat aliquem Principem vel Consiliarium, qui est secundus in domo vel in curia alicujus Principis vel Prælati, Nam quando talis effundit philam suam, id est, venenum suorum malorum consiliorum in aurem magistri sui, tunc verè mare fit sanguis, quia in mari, id est, in patria subjecta, sanguis, id est, crudelitas generatur. Et ideo, illos, qui vivunt in hoc mari, sc. simplices subditi, occidunt per excoriationes & rapinas. Constat enim, quod per consilia malorum, Principes faciunt crudeles exactiones, & quandoque sanguinem & rapinam.

Cap. 16. Tertius angelus effudit phialam suam super fontes & flumina, & factus est sanguis. Et auditus est alius Angelus, dicens: Justus es Domine, qui hoc judicasti, quia sanguinem sanctorum tuorum effuderunt, & sanguinem dedisti eis bibere.

Iste Angelus est Christus, qui dicitur secundus quia ipse est persona secunda in Trinitate. Iste enim effundet in die judicii phialam suam super fontes & flumina, id est, super delitias & voluptates, & tunc convertentur in pœnam & damnationem, quæ per sanguinem designantur. Et ideo dicitur Deus justè judicare, nam illis, qui effuderunt sanguinem Sanctorum, id est, substantiam temporalem simplicium subditorum, talibus, dico, datur sanguis bibendus, id est, æterna damnatio seu pœna Ps. 77. *Convertit aquas eorum in sanguinem.*

Vel dic, quod quando Angelus, id est, Diabolus effundit phialam suarum tentationum, tunc fontes & flumina, id est, mundi divitiæ & delitiæ in sanguinem, id est, in peccatum luxuriæ convertuntur. Facile enim est, ut homo de divitiis & delitiis ad luxuriam dilabatur. Unde dicitur Sap. 11. *Pro fonte sempiterni fluminis sanguinem bibere dedisti iniquis.*

Cap. 16. Quatenus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est ei affligere homines æstu & igne, & æstuaverunt æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, & non egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. B

Iste

Digitized by Google

Iſte Angelus eſt Diabolus, qui phialam ſuæ ſuggeſtionis effudit in ſolem, id eſt, in Papam, vel Regem, vel alios Principes vel Prælatos. Vel iſte Angelus ſignificat eorum Conſiliarios, Officiales, advocatos & Seneſchallos, qui phialam, id eſt, venenum malorum conſiliorum, actionum, ſuggeſtionum, ipſi ſoli, id eſt, ipſis ſolis Principibus & Prælatis propinant, & tunc iſte ſol, id eſt, Princeps vel Prælatus fulgens authentica poteſtate atque majeſtate & mundana claritate, eorum conſiliis & litigationibus concitatus, affligit homines ſibi ſubditos æſtu & igne, id eſt, ardore rapinæ & exactionis, ita quod ipſi quandoque blaſphemant & vilificant nomen Dei præ triſtitia & dolore, Jud. 8. *Cecidit ſol ſuper caput ejus, & mortuus eſt.*

Vel dic, quod Angelus iſte eſt Diabolus, qui phialam ſuæ ſuggeſtionis admiſcet ſoli, id eſt, ſplendori gloriæ mundanæ, ideo iſte ſol, id eſt, iſta proſperitas mundi, affligit & cruciat homines, qui ipſum diligunt, igne & ardore cupiditatis, & æſtu luxuriæ & carnalitatis, & quandoque cogit eos nomen Dei per diverſa vitia blaſphemare Pſal. 19. *In ignem dejicies eos, &c.*

Vel dic, quod homines obſtinati, dato quod à ſole Chriſto affligantur ardore tribulationum, ipſi tamen non agunt pœnitentiam, ſed Deum blaſphemantes potiùs in peccatis obdurantur. Job 41. *Cor ejus indurabitur quaſi lapis.*

Cap. 16. Quintus angelus effudit phialam ſuper ſedem beſtiæ, & factum eſt regnum ejus tenebroſum, & manducaverunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemaverunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

Beſtia eſt crudelis Princeps vel Prælatus, qui diſſipat terram ſuam. Et Beſtia ſecundùm Iſidorum dicitur quaſi Vaſtia à vaſtando. Sedes ipſius eſt Judex vel Ballivi ſui, vel ipſorum poteſtas judiciaria. Angelus igitur, id eſt. Diabolus effundit quandoque phialam avaritiæ acceptioniſque perſonarum ſuper ſedem beſtiæ, id eſt, ſuper illos, qui regunt juriſdictionem Principis vel Prælati, & ſuper Judices & Ballivos, & tunc totum regnum, id eſt, tota patria fit turbata & tenebroſa, quia ſicut dicitur Proverbiorum. 28. *Regnantibus impiis, ruina hominum.* Nam tot dolores & vulnera, rapinæ & verbera pauperibus ſubditis inferuntur, quod ipſi cogunt per triſtitiam linguas & labia ſua maſticare, & contra Deum cœli murmurando, & blaſphemando deſperare, & ſine pœnitentia contra Deum murmurare. Unde Prov. 29. *Cum impii ſumpſerunt principatum, gemit populus.*

C Vel dic, quod Angelus ille eſt hæreticus, cujus phiala eſt corrupta & venenoſa doctrina, quam ut effudit ſuper ſedem beſtiæ, id eſt, ſuper illos, qui ſedent in prælatione, & judicaturi ſunt hujus mundi ſtatum, totum regnum & omnes ſubditi fiunt obſcuri & tenebroſi per ignorantiam & errorem. Et ideo ſæpe accidit, quod præ deſperatione, iſti frendent contra Deum linguis ſuis, & dentibus blaſphemando, non curant amplius pœnitere. Unde Apoc. 2. *Dedit ei dominus locum pœnitentiæ, & ipſa non vult pœnitere à fornicatione ſua.*

Vel dic, quod ſedes eſt Judex vel Prælatus, in quem pro certo cum Angelus, id eſt, adulator effudit phialam adulationis ſuæ ſtatim fit totum regnum vel collegium tenebroſum ſeu turbatum, quia ad vocem adulatorum mali Prælati & Judices turbant & deſtrunt ſuam terram. Et ideo homines præ dolore & murmuratione manducant & devorant linguas de eo loqendo.

D Vel Angelus eſt Chriſtus in judicio, qui phialam ſuæ ſententiæ ſuper ſedem, id eſt ſuper prætidentes in thronis hujus ſæculi fulminabit, & tunc totum regnum beſtiæ, id eſt, totum collegium reproborum, in cujus beſtiæ ſede Diabolus, Antichriſtus regnabit, fit tenebroſum, quia in infernalibus tenebris recludentur, ubi *præ dolore & deſperatione linguas proprias maſticabunt, Deum & ſanctos blaſphemabunt & præ obſtinatione de malis commiſſis nunquam pœnitebunt.*

Cap. 16. Sextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen Euphraten, & ſiccavit aquas ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu ſolis, & tunc vidit Joannes exire de ore draconis, & beſtiæ pſeudo-prophetæ, tres ſpiritus immundos ad modum ranarum, qui ſunt ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & iſti ſpiritus procedunt ad reges totius terræ, congregare eos ad prælium, ad diem magnum Dei omnipotentis, & congregati ſunt in monte, qui dicitur Armadegon, id eſt, mons furum vel mons globoſus. Et tunc dicitur, quod beatus qui vigilat, & qui cuſtodit veſtimentum ſuum, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.

Iſte Angelus eſt Diabolus, Euphrates frugifer eſt Religio, quæ ſolebat fruges & fructus bonorum operum & virtutum facere. Diabolus enim cum phiala ſuæ tentationis ſiccat hodiè à flumine Religionis, aquas ejus, id eſt aquam compunctionis & compaſſionis. Ideo Reges, qui ſunt ab ortu ſolis, id eſt, perfecti viri, qui in ortu gratiarum & virtutum alios regunt, & docent, in prælium congregantur, quia verè reges & Prælati majores & provecti, qui ſunt in Eccleſia vel Religione, ſunt hodie præliantes ad invicem, id eſt, diſcordes & diviſi, quia quilibet vult apparere magis, quàm ſocius, ſuus; ideo quilibet facit ſectam ſuam, quod totum accidit per ſiccationem & defectum aquarum compunctionis & devotionis. Si enim iſtæ ſemper durarent, ſemper filii Eccleſiæ concordarent, & nunquam diſcreparent, Pſal. 104. *Abierant in ſicco flumina.* Sed quomodo fit iſta briga ſeu contentio Eccleſiæ? Nam dracones, id eſt, detractores malitioſi, beſtiæ etiam, id eſt, rudes, viles & monſtroſi: pſeudo-prophetæ, id eſt, hypocritæ, ficti & ſuperſtitioſi, tales, dico, mittunt hodiè ex ore ſuo multos ſpiritus immundos, id eſt, multa verba injuſta & prava in modum ranarum, quia iſta verba videntur eſſe ranæ per clamorem improbæ loquacitatis. Nam malitioſus emittit verbum adulationis, propheta falſus hæreticus vel hypocrita verbum deceptionis & fictionis. Ec ſic fit quod iſtæ ranæ, id eſt, iſta malorum mala verba currunt hodiè uſque ad ortum ſolis, id eſt, circumquaque. Et ideo fit, quod per verba iſtorum adulatorum, detractorum & ſimplicium hypocritarum, Reges terræ, id eſt, multæ bonæ perſonæ, qui alios deberent regere, dividuntur, & præliantur, & ſibi invicem publicè vel ſecretè adverſantur, Eccl. 28. *Suſurro & bilinguis maledictus, &c.* Et ideo viſis tot tribulationibus beatus eſt, qui non facit, ac non tenet ſe de una parte niſi quantum de alia; ſed cuſtodit veſtimenta ſua, id eſt, qui tenet ſe clauſum involutum, ne nudus ambulet, id eſt, ne nudè appareat turpitudo ſuarum malarum affectionum & aliorum vitiorum, quia verè in omni caſu maxima beatitudo eſt, quando homo ſe tenet ita clauſum & veſtitum atque celatum, quod nudus atque manifeſtus non appareat, & quando turpitudo ſuorum actuum & vitiorum, & nuditas, id eſt, paupertas bonorum, quæ in ipſo eſt, nemini oſtenditur. Undè Act. 12. *Circumda tibi veſtimenta tua, & ſequere Angelum.*

Vel dic, quod Euphrates eſt homo, qui fruges gratiarum & virtutum debet habere. Iſte igitur per phialam Diabolicæ tentationis ſiccatur ab humore devotionis & compaſſionis, & ideo verè conſumptis aquis devotionis & lachrymarum, ſtatim præparatur via Regibus terræ, id eſt, capitalibus vitiis & peccatis, quæ in ejus conſcientia congregantur, niti per diverſos motus & affectus & cogitatus contrarios adversùs ea prælietur, Pſalm. 47. *Reges terræ congregati ſunt, &c.* Beatus igitur, qui vigilat, id eſt, ſollicitus eſt de virtute, & qui veſtimentum virtutum cuſtodit, ne poſt mortem nudus appareat coram Deo.

Vel dic, quod veſtimentum eſt virtus honeſtatis, quæ omnia cooperit & celat, quam boni & mali debent cuſtodire, ne turpitudo ſuarum conceptionum appareat circumquaque. Quia ſicut dicitur Prov. 25. *Infelix eſt, qui perdidit pallium, &c.*

Cap. 16. *Septimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem, & exivit vox magna de templo, & facta ſunt fulgura, tonitrua & voces, & terræ motus factus eſt magnus, qualis antea non fuit. Et tunc facta eſt civitas magna in tres partes, & civitates gentium ceciderunt.*

Aër clarus & limpidus ſignificat ſtatum Clericorum literatorum, qui ſunt clari per ſubtilitatem ſcientiarum & diſcretionum. In iſtos igitur effudit Angelus Satanæ phialam venenatarum tentationum, & phialam, id eſt, poculum proſperitatis temporalis & voluptatis. Et nunc pro certo, vox de templo audita eſt, quia ad literam, quando, procurante Diabolo, primò fuerunt dati redditus Eccleſiæ, audita eſt vox in aëre dicens: *Hodie effuſum eſt venenum in Eccleſia Dei.* Et quare venenum? quia tunc in ſtatu Clericorum & Religioſorum audiri cœperunt & videri fulgura, quæ lædunt oculos malorum exemplorum & tonitrua litium & turbationum, voces infamiarum & contentionum. Et breviter tota *civitas* & magna & ſancta, ſcilicet Eccleſia, *diviſa fuit in tres partes*, quia ibi eſt una pars, quæ ſequitur ſuperbiam & vanitatem. Alia luxuriam & carnalitatem. Alia avaritiam & cupiditatem. Iſtæ ſunt tres lanceæ infixæ in corde Abſalon, id eſt, peccatoris, & ideo ſequitur tertium, quod *civitates gentium ceciderunt.* Eſt enim conveniens, quod Clericis concidentibus & delinquentibus, civitates, id eſt, ſtatus gentium & perſonarum ſæcularium, per eorum mala exempla & vitia corrumpuntur, & faciliter cadant in peccatum. Ideo dicitur Thren. 1. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo, &c.*

Vel dic, quod aër eſt Prælatus Eccleſiæ vel Religionis alicujus, F clarus excellentia vel dignitate. Quando igitur talis eſt imbutus phialâ Diabolica, id eſt, malitiâ & iniquitate, tunc in templo Religionis vel Eccleſiæ audiuntur voces magnæ litium, contentionum, detractionum, appellationum. Videntur etiam ibi fulgura, id eſt, mala exempla, quæ ab ipſo malis ſubditis oſtenduntur. Item tonitrua jactantiæ, & blaſphemiæ & comminationes, quantum ad ſubditos. Et ultra hoc terræ motus tribulationum, & oppreſſionum, quia tales verbis, comminationibus & oppreſſionibus gravant ſubditos & innocentes, & maximè illos, qui non ſunt de parte ſua. Ideo civitas Eccleſiæ vel religionis dividitur in plures partes, per particularitatem & plures ſectas, & ex hoc ſequitur caſus civitatis gentium, id eſt, deſtructio ſæcularium populorum, qui per exempla eorum decipiuntur & currunt in profundum. Undè Luc. 11. *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.*

Vel dic, quod talis Angelus cum ſua phiala eſt detractor vel adulator cum ſua locutione venenoſa, à quo ſcilicet, aër ſocietatis inficitur, & lis, id eſt, diſcordia & diviſio generatur, &c.

Cap. 16. *Factum eſt, quod Babylon illa magna civitas venit ad memoriam ante Dominum, ut daretur illi calix vini indignationis iræ ejus. Tunc enim omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi.* Et ſequitur, quod *grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo ſuper homines, & blaſphemaverunt Deum propter plagam grandinis, quia eſt magna facta vehementer.* Baby-

Digitized by Google

G Babylon, quæ interpretatur confusio, significat mundum, ubi omnia sunt confusa & malè ordinata, quia pejores sunt meliùs promoti melioribus. Iste enim venit in memoriam ante Deum, quia hodiè propter peccata mundi, necesse est, quod Deus potet homines vino indignationis suæ. Illud autem vinum est damnatio vel tribulatio. Hodiè enim non invenitur insula, id est, status perfectus religionis, qui scilicet mari, sicut insula, id est, pœnitentiâ & amaritudine circumdetur. Hodiè non invenitur mons, id est, vir altæ contemplationis. Quid? Pro certo invenitur grando rapinæ & exactionis, quantùm ad superiores, blasphemia & juratio desperationis & tristis desolationis quantùm ad inferiores. Undè Apoc. 6. *Omnes montes & insula de loco suo mota sunt.*

Vel dic, quod grando magna quasi talentum descendens de cælo, significat præsentem & æternam damnationem, quæ infertur hominibus propter peccatum, quia meritò hæc patimur; quia *peccavimus in fratrem nostrum, ideo venit super nos tribulatio.* Gen. 42. Sed ista grando est sicut talentum, quod est pondus & mensura. Circa quod est notandum, quod tribulatio, quæ nunc infertur, vel in futuro, ponderata est à Deo, mensurata & limata secundùm demerita personarum: Ideo dicitur talentum à talis. Quia qualis culpa, talis pœna. Undè Deut. 25. *Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus.* Et illa grando venit de cœlo super homines, id est, à sursùm à Dei ordinatione, bona & justa, quanquam nobis ignota, quia *non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, ut dicitur Amos 3. Sed sequitur unum terribile, scilicet, quod *homines blasphemaverunt Deum propter grandines*; quia dato, quod peccatores videant se justè pati propter peccata sua, & videant Deum justè offensum ipsis; tamen non emendantur, nec ad Deum convertuntur, sed magis Deum suis factis & verbis irritant & blasphemant. Quod maximè erit verum de damnatis, qui erunt in suis malitiis obstinati. Undè Hier. 5. *Domine vulnerasti eos & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.*

Vel expone de die judicii, ubi Babylon, id est, mundus à Deo condemnabitur, & grandine, id est, æterna damnatione punietur; & ubi mons & insula ad literam non invenitur, quia tota terra erit plana.

Capitulum decimum septimum. Textus. Et venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas.

Moralitatum Cap. XVIII.

H Joannes sublatus in desertum, vidit *mulierem meretricem, cum qua fornicati sunt omnes reges terræ, & omnes habitantes in terra biberunt de vino prostitutionis suæ, quæ sedebat super aquas multas. Et vidit quod mulier sedebat super unam bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem cornua decem. Et erat mulier circumdata cocco purpureo, auro & lapide pretioso & margaritis, & habebat in manibus suis vas aureum, plenum abominatione & immunditia fornicationis suæ, & in fronte ejus erat scriptum: Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Et vidit mulierem ebriam de sanguine Martyrum Jesu, & mirati sunt omnes de muliere & bestia, quæ portabat eam, sed communiter dicitur, quod bestia ista ascendit de abyssо, & ad interitum vadit.* De muliere autem dicitur infra capitulo sequenti, quod *quantum glorificavit se in delitiis suis, tantum datum est ei tormentum & luctus, & quod una die venerunt plagæ ejus, scilicet luctus, mors, fames & ignis, quia magnus*, inquit, *Dominus, qui judicabit eam.*

Desertum est mundus iste, ubi pauca bona crescunt, Matth. 14. *Desertus est locus.* Mulier ista significat Advocatos & sapientes cæteros hujus mundi, qui dicuntur mulier, quasi mollis aër, quia in delitiarum mollitie sunt nutriti. Et dicuntur meretrix, quia tales more meretricis semper diligunt, non personam meliorem, sed largiorem donatorem. Ezech. 16. *Cunctis meretricibus dantur mercedes.* Cum ista igitur muliere, id est mundi sapientibus fornicantur Reges terræ, & Principes habent cum istis sua colloquia, & cum eis associantur; etiam omnes habitatores terræ indigent vino
A prostitutionis, id est, suâ fallaci sapientiâ, discretione & astutiâ Hierem. 51. *Calix aureus Babylon in manu Domini, de vino ejus biberunt gentes, & ideo commotæ sunt.* Et sequitur, quod ista mulier, id est, sapientes, sedent & principantur super aquas, id est, super populos multos, quæ aquæ, super quas mulier sedet, populi sunt & tribus, & linguæ: capit. eodem dicitur, quod ista mulier principaliter sedebat super unam bestiam coccineam, quia tales semper habent unam bestiam, id est, unum magistrum vel Prælatum, cui principaliter innituntur; qui principaliter ipsos fovet & sustinet, cui principaliter famulantur, & quem principaliter consulunt atque regunt. Et pro certo ista bestia, id est, mali Principes & Fautores talium iniquorum, dicuntur coccinei, rubei & inflammati. Dicuntur etiam bestiæ, quia verè quasi omnes sunt bestiales, luxuriosi, hebetati, & ignorantes. Habent etiam plura capita, id est, plura castra, prædia & homagia, plura etiam cornua & plures Ballivos & collaterales sibi in diversis officiis adhærentes, quibus mediantibus multos servos suos cornu percutiunt atque lædunt, Zach. 1. *Ista sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam.* Et talis bestia, id est, tales fautores malorum, sunt pleni nominibus blasphemiæ, quia verè isti habent plura nomina, infamiâ & blasphemiâ plena; quia dicuntur luxuriosi, raptores & malorum fautores, superbi & pomposi, &c. Proverb. 10. *Nomen impiorum putrescet.* Super tales igitur innititur & sedet mulier, id est, fallaces Advocati, quia istos isti Domini bestiales sustinent, & tales ad literam sunt hodiè vestiti, ornati, ditati, purpurâ, cocco, auro, lapidibus & margaritis, & cunctis divitiis pretiosis; Psal. 72. *Et ipsi peccatores abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.* Isti enim habent vas aureum, id est, intellectum subtilissimum, clarum & splendidum quasi aurum, sed illud est plenum malo liquore, id est, immunditiâ & abominatione fornicationis suæ. Hoc est dictum immunditiâ corruptâ & venenosâ, seculari scientiâ & copiâ cautelarum, quæ est abominatio coram Deo, quia sicut dicit Apostolus 1. Cor. 3. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* Isti in fronte, id est, publicâ facie, viâ, nomine & apparentiâ sirâ habent scriptum unum commune nomen, quia dicuntur Babylon, id est, pleni confusione & peccato, mater fornicationis terræ & abominationum, quia verè ab istis Magistris & Advocatis, quasi à matribus principalibus provenerunt mundi fornicationes, abominationes, falsa consilia, pravæ consuetudines, cautelæ & malitiæ, quas isti seminant circumquaque, quæ omnia sunt abominativa apud Deum Isa. 66. *Anima eorum in abominationibus* B *suis delectata est.* Et isti pro certo sunt ebrii sanguine Martyrum Jesu. Martyres Jesu sunt pauperes, qui in hoc mundo sustinent multa mala. Igitur istorum sanguine, id est, ipsorum substantiâ temporali sunt tales ebrii & repleti, quia istum continuè bibunt & hauriunt per excoriationes, fraudes, malitias & rapinas 1. Thes. 5. *Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Et maximè apparent ebrii sine sensu, quia communiter in morte deficit talibus sensus, &c. Ps. 106. *Turbati sunt & morti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* Ista mulier, id est, istæ personæ hodiè tantâ gloriâ temporali pollent, quod omnes homines admirantur de eorum prosperitatibus, sed verè dolorosus sequitur sibi finis, quia dicitur quod bestia, quæ eos portabat, id est, mali principes talium fautores de abysso venerunt, & tamen in interitum vadunt; de abysso inquam, venerunt, id est, de Diabolica inspiratione, vel Simoniaca promotione, vel violenta oppressione, fuerunt facti Principes vel Prælati. Juxta illud Ose. 8. *Isti regnaverunt, sed non ex me, principes extiterunt, sed non per spiritum meum*, & ideo in interitum mortis æternæ necesse est eos ire. Mulier etiam, id est, iniquus Judex, Ballivus vel Officialis, vel quicunque malus sapiens, usurarius seu dives, quantum in vita sua se glorificavit, aut in delitiis fuit, tantum traditur sibi in inferno tormentum & luctus. Undè Ose. 4. *Gloriam ejus in ignominiam mutabo.* Nam in una hora, scilicet in puncto mortis corporalis venient plagæ ejus, id est, æterna damnatio, fames sine saturatione, luctus sine consolatione, mors sine curatione, ignis sine extinctione. Fuerunt enim in hac vita famelici per avaritiam, lugubres per tristitiam, mortui per pigritiam, igniti & inflammati per iracundiam. Ideo meritò eis infligitur perpetua fames, luctus, mors & ignis. Et hoc: quia magnus est Dominus, qui ipsos judicat & condemnat. Undè Ezech. 14. *Quatuor judicia mea pessima gladium, famem, bestiam & pestilentiam, mittam in Hierusalem.*

Vel dic ad literam, quod ista meretrix est mulier luxuriosa, quæ C moratur super aquas delitiarum, quæ fornicatur cum Regibus, id est, cum Clericis & Religiosis, qui habent alios regere, cujus vino, id est, cujus fallacitate, quasi omnes habitatores terræ vel patriæ imbuuntur; & talis est induta auro & purpurâ & cæteris pretiosis, ut magis illiciat intuentes, & in frontibus ejus pro certo scribitur nomen suum, quia verè quilibet potest legere in fronte, id est, in apparentia similium mulierum, quod ipsæ sint Babylon, id est, dignæ confusione, matres & nutrices fornicationum & abominationum. Undè Hier. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere.* Ista etiam mulier quandoque habet unam bestiam quæ portat eam, id est, aliquam malam vetulam maquerellam, quæ est ejus consiliatrix, quia communiter tale opus non fit, nisi aliquo mediante fautore. Et ista pro certo est plena nominibus blasphemiæ, quia tales mediatrices habent nomen vile, turpe & infame. Finaliter autem bestia & mulier, id est, meretrix & mediatrix vadunt in interitum mortis, & quantum habuerunt hic de gloria & delitiis, tantum habebunt ibi de tormentis. Undè 1. Mac. 1. *Secundùm multitudinem gloriæ ejus est multiplicata ignominia ejus.*

Vidit Joannes *mulierem super bestiam equitantem, & illa bestia habebat decem cornua, sed dicitur quod illa cornua occiderunt mulierem illam fornicariam, & desolatam eam fecerunt, & carnes ipsius comederunt, & ipsas ignibus cremaverunt.*

Ista mulier est Judex, Advocatus, fornicarius & variatus, & acceptor munerum & personarum, qui à bestia, id est, à malo Prælato sustinetur & fovetur. Sed verè accidit, quod cornua istius bestiæ, id est, filii & successores istius Prælati vel Principis ab eo, qui oriuntur, oderunt & persequuntur illam mulierem, id est, talem malum patris sui Consiliarium, justo Dei judicio operante; ipsumque juxta sua deme-

Digitized by Google

rita puniunt, quandoque depauperant & denudant, & faciunt desolatum, & carnes ejus, id est, uxores & filios post ejus decessum comedunt per rapinas, & eos comburunt, & per diversas tribulationes cruciant & affligunt. Sæpeenim accidit, quod illos, quos patres dilexerant, filii persequuntur, & carnibus suæ temporalis substantiæ satiantur.

Vel dic, quod mulier est Diabolus vel Antichristus, cum quo Reges, id est, mundi rectores & majores fornicantur & merguntur per peccata; quia iste est, qui super aquas mundanæ prosperitatis sedet & pervertitur. Ista equitat super bestiam, id est, hominem peccatorem bestialem & carnalem, qui pro certo sit cornutus per superbiam & elationem. Fit etiam habens plura capita per obstinationem & per cervicositatem. Dicitur etiam coccineus per sanguineam carnalitatem. Istum ergo equitat Diabolus, & ducit illum per lutum delitiarum & divitiarum, juxta arbitrium voluntatis. Ista etiam mulier Diabolus vel Antichristus habebit in manu sua poculum aureum, id est, sacram scripturam, quæ aurea est, & optimè per Doctores exposita est; veruntamen ipsa tunc erit plena immunditiâ & abominatione, hoc est perversâ & hæreticâ expositione.

Vel poculum est Diabolica tentatio, quâ Diabolus inebriat peccatores. Ideo dicitur Babylon mater fornicationum & abominationum, quia Diabolus est mater omnium malorum. Isti tamen & bestiæ suæ, id est, peccatori sibi obedienti dabitur interitus, fames, ignis & luctus Job. 20. *Luet quæ fecit, nec restituetur.*

Capitulum decimum octavum. Textus. Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cœlo.

Moralitatum Cap. XIX.

Vidit Joannes quendam Angelum descendentem de cœlo, habentem claritatem Dei, & terra illuminata est à claritate ejus. Qui clamavit voce magna: Cecidit Babylon ista magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi & volucris immundæ, & cum ea fornicati sunt omnes reges terræ, & mercatores de virtute delitiarum ejus, divites facti sunt. Et ideo consuluit alia vox, quæ venit de cœlo, dicens: *Exite de ea populo mi, ne participes sitis delitiarum ejus, & de plagis ejus non capiatis, quia pervenerunt ad cœlum peccata ejus, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus.*

E Angelus significat Christum vel perfectos viros prædicatores, qui de cœlo, id est, cœlesti ordinatione ad nos pervenerunt. Isti pleni sunt claritate, id est, lucida discretione, vel claritate, id est, apparentia. Ideo tota terra, id est, tota patria illustrabitur claritate suorum exemplorum & documentorum, Luc. 1. *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.* Isti igitur clamant alta voce, quod Babylon, id est, mundus cecidit, & corruit à statu & rectitudine veritatis, & facta est hodiè habitatio dæmoniorum, id est, crudelium, avarorum & raptorum, custodia spiritus immundi, id est, immundorum, luxuriosorum, & omnis volucris immundæ, id est, sublimium & superborum, quia sicut dicitur 1. Joan. 2. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ.* Nam Reges terræ & mundi Principes, qui alios habent regere, vel etiam Clerici & Religiosi, cum ista civitate, id est, cum mundo fornicantur, se ei commiscendo, & de ejus negotiis se occupando. Mercatores igitur & operarii in ista civitate, lucris & delitiis sunt ditati per avaritiam. Et ideo sequitur consilium. *Exite de ea*, scil. ipsam contemnendo mentaliter, vel Religionem intrando corporaliter, & ne sitis participes in ejus vitiis, ne plagis ipsius & damnationibus pereatis, quia peccata ejus ad cœlum ante Dominum ascenderunt, ita quod necesse habet Deus recordari iniquitates ejus, & has rigore justitiæ vindicare &c.

Erat quædam mulier meretrix & circumdata auro & lapidibus pretiosis, & divitiis infinitis, cum qua ipsi Reges terræ fornicabantur, & de cujus divitiis negotiatores terræ ditabantur, quæ tanta gloria pollebat, quod ipsa dicere videbatur: *Sedeo ut regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* Sed dicitur, quod *quantum se glorificavit & in delitiis fuit, tantum detur ei tormentum & luctus. Nam una die venerunt istæ plagæ, luctus, mors, fames & ignis, & igne est succensa.* Et dicitur ibi, *quod Reges, qui cum ea fornicati sunt, & mercatores, qui ex ea sunt ditati, planxerunt & doluerunt de longè, cum steterunt, præ timore videntes fumum incendii ejus, & dixerunt. Væ, væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat purpurâ & byssо, & cocco, deaurata auro, & lapide pretioso & margaritis, quoniam in una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ.*

F Mulier ista vel civitas significat Ecclesiam vel Religionem, quæ dicitur mulier, quasi mollis aër. Ista debet esse mollis per benignitatem, aër etiam per conscientiæ puritatem. Dicitur civitas quasi civium unitas per concordiam. Ista dudum amicta erat byssо, id est, castitatis puritate. Purpurâ, id est, martyrii sive constantiæ stabilitate. Cocco, id est, ardenti charitate. Auro, id est, sapientiæ claritate. Argento, id est, eloquentiæ venustate. Margaritis, id est, Sanctorum virorum, & bonorum multiplicitate. Lapide pretioso, id est, omnimoda sanctitate. Ideo tunc poterat dicere: *Sedeo ut regina, vidua non sum.* Quia verè Ecclesia, & Religio antiquitùs sedebat, quiescebat, regnabat, & principabatur, & hoc quia vidua tunc non erat, quia tunc erat desponsata viro proprio suo, scilicet, Deo vel bono Prælato, ideo non patiebatur luctum nec desolationem. Sed quid? Pro certo hodiè potest dicere Ecclesia vel Religio illud: *Vidua mulier ego sum, vir meus mortuus est*, quia viri Ecclesiæ, id est, boni Prælati mortui sunt, & ideo ista mulier est fornicaria; quia Reges terræ, id est, moderni Prælati cum ea fornicati sunt; quia non sunt proprii viri sui; quia tot sunt vitiis intenti, quod digni non sunt ei copulari, nec conjungi. Mercatores autem sunt illi, qui per Simoniam emunt Ecclesiæ beneficia, ut ditentur. Et breviter ita est, quod quantum habuit antiquitùs Ecclesia de delitiis, honore, & gloria, tantum habet hodiè de tribulationibus, & dolore. Nam hodiè venerunt plagæ ejus, scil. luctus per recordationem præteritæ prosperitatis. Fames penuriæ, & paupertatis, quia hodiè auferunt sibi Principes bona temporalia. Mors, quia caret vitâ gratiæ, & devotionis. Ignis, id est, ardor tribulationis, vel fames avaritiæ, & ambitionis. Et ideo quia Ecclesia tanta hodiè patitur; reges fornicarii, mali Prælati & negotiatores, & simoniacè promoti in Ecclesia timent hodiè, videntes Ecclesiam succumbere; lugent etiam, & contristantur, dum desolationem Ecclesiæ contemplantur. De longè tamen stant, quia nullus est, qui appropinquat ad pugnandum pro Ecclesia contra Principes, & Tyrannos Matth. 10. *Petrus autem à longè sequebatur, ut videret finem.* Petrus dico, id est, Clericus. Petrus tamen non fuit à longè in mensa, in cœna, sicut nec Prælati, nec Clerici sunt longè, quando debent capere fructus, vel præbendas, &c. Ps. 37. *Amici mei, & proximi mei de longè steterunt.* Et Ps. 108. *Qui oderunt me, expugnabant me gratis.* Hodiè potest dici de Ecclesia, quod sequitur. *Væ, væ, væ, civitas illa magna.* Væ dico, temporaliter quoad pœnam. Væ, dico spiritualiter, quoad culpam. Væ dico civitas magna, quæ byssо puritatis dudum fuit operta, auro sapientiæ, argento eloquentiæ, purpurâ firmitatis, cocco charitatis, & lapidibus omnimodæ sanctitatis. Et quare væ? quia verè hodiè destitutæ sunt tantæ divitiæ, Job. 20. *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus.* G

Vel dic, quod ista mulier potest significare divites mundi, qui fulgent auro, lapidibus, & divitiis infinitis, gloriâ, prosperitate etiam corporali; qui quandoque spoliantur gloriâ suâ, & veniunt ad magnam paupertatem, famem, & luctum, tribulationem, infortunium, & tormentum; & tunc Reges, id est, Principes, & Prælati, qui priùs ipsos sustinebant, & fovebant, & se eis commiscebant, ab eis consilia petendo, vel eos gubernando; negotiatores etiam, id est, noti, & familiares, qui ab eis, & per eos beneficia, divitias, & officia obtinuerunt, de longe stant, non curantes amplius de ipsis nec ipsis adjutorium facientes. Lugent tamen, & desolantur, & quandoque verba lugubria dicunt, sed illud est totum, quia nullus est, qui sibi manum porrigat adjutricem, sed dicunt: Væ, væ, væ, civitas illa magna. Magnum damnum est, inquiunt, magnum est istud infortunium. De cætero juxta Thren. 1. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.*

Dicitur, quod mulier meretrix civitas Babylonica, quando cecidit, & corruit, non habuit amplius divitias, quas priùs habebat. Unde dicitur, quod ipsa perdidit aurum, & argentum, lapides pretiosos, margaritas, byssum, purpuram, coccum, sericum, lignum, thus, ebur, ferrum, æs, marmor, cinnamomum, aromata, unguentum, vinum, oleum, triticum, similam, copiam armentorum, ovium, equorum, rhedarum, mancipiorum, & pomorum. Et breviter dicitur, quod omnia desiderabilia sua recesserunt ab ipsa, & ipsa succensa est igni, & timuerunt omnes, qui navigabant mare, videntes locum incendii ejus. Cœlum autem & Sancti ejus exultaverunt de ejus destructione, quia ipsos cruciaverat, dum durabat.

Ista mulier significat mundi sapientes, & divites, qui pro certo H quando corruunt in inferno per mortem, tunc isti perdunt omnia prospera, perdunt enim aurum mundanæ sapientiæ, argentum eloquentiæ, lapides, & margaritas, id est, copiam amicorum. Nam amici carnales nec volunt, nec possunt eos juvare, Spirituales, id est, Sancti, qui sunt in gloria, ipsos contemnunt, & abhorrent. Undè Thr. 1. *Omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.* Item ibi non est byssus puritatis, purpura dignitatis, quæ est vestis regum; sericum honestatis, de quo fiunt paramenta, coccus charitatis, lignum Thinum, quod est imputribile, constantiæ, & firmitatis, cessabit etiam ibi ebur exterioris pulchritudinis, æs resonans, & impatiens celsitudinis, ferrum crudelitatis, marmor durum longanimitatis, cinnamomum & odoramenta, famositatis; unguenta, & thus, id est, lenitas, & suavitas laudis, & adulationis; vinum, & oleum mundanæ consolationis, simila, & triticum, id est, abundantia corporalis delectationis, oves, & boves, equi, rhedæ, id est, abundantia temporalis facultatis. Et breviter omnia desiderabilia eorum, quicquid habebant de bonis gratuitis, & fortuitis, cuncta perdunt. Quia sicut dicitur Thr. 1. *Manum suam misit hostis*, (id est, Deus per potentiam, & sententiam, qui odio habet omnes peccatores) *ad omnia desiderabilia eorum, & inimici eorum*, id est Dæmones, *apprehenderunt eos inter angustias*, qui & ipsi succensi sunt igne inextingui-

Digitized by Google

tinguibili. Cœlum autem, & Sancti populi, & tota curia cælestis de hoc non tristatur, sed lætatur, quia Divinam sententiam approbant, de rigore justitiæ Deum laudant, & maximè lætantur de damnatione eorum, qui se, & alios, dum viverent, cruciabant. Undè Sap. 5. *Stabunt justi in magna constantia adversùs eos qui se angustiaverunt, &c.* Ideò verè nos, qui navigamus per hoc mare magnum, debemus timere locum incendii istius, scilicet, damnationem istorum hominum & multitudinem inferni horribilium tormentorum, & cavere, ne simile periculum incidamus. Proverbiorum decimo nono. *Quia pestilente flagellato, sapientior erit providus,* & Sapient. 5. *Videntes igitur turbabuntur timore horribili.*

Vel expone de Ecclesia, quæ videtur hodiè quasi damnata, & quasi corrusse, & omnibus supradictis videtur carere, &c.

A Vidit Joan. *Angelum unum, qui habebat unum lapidem molarem, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon illa magna civitas, & ultrà non invenietur, & vox cytharœdorum, & musicorum non erit in ea, & vox molæ, & vox sponsi, & sponsæ non audietur amplius, lux lucernæ non lucebit in ea.*

Sic verè, quando Angelus, Christus projecerit in peccatores, amaros corde, lapidem molarem, id est, durâ sententiâ, & pondus æternæ damnationis, quæ ipsos in inferno molet, & conteret in tormentis, scilicet, in die judicii in eos mittet, & tunc dicetur fulminata sententia in Babylon; id est, reproborum congregatio impetuosè, & citò mittetur in infernum; ubi non erit vox citharæ, id est, lætitia alicujus canoris; & vox molæ, id est, panis delicatus, scilicet, delectamentum alicujus saporis; nec vox sponsi, id est, conjunctio alicujus amoris; nec lux lucernæ, id est, limpitudo alicujus splendoris, quia *lux auferetur ab impiis sua.* Job. 38.

Capitulum decimum nonum. Textus. Post hæc audivi quasi vocem magnam turbarum multarum.

Moralitatum Cap. XX.

DAmnata muliere meretrice, *facta est in cœlo lætitia magna, & quatuor animalia, & viginti quatuor seniores dixerunt Alleluja. Et audita est vox quasi aquarum multarum, & tonitruorum dicentium: Alleluja.* Et hoc quia judicavit Deus de muliere meretrice magna, quæ corrupit terram, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et dicitur, quod *laudem dicebant Dei pusilli, & magni, quia regnabit Deus noster in perpetuum, & venerunt nuptiæ, & uxor agni paravit se, & datum est ei, ut cooperiat se bysso candido, & splendido, quæ sunt justificationes;* & proclamatum est illud scribi debere, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.*

B Sic verè quando mulier meretrix, id est, congregatio reproborum erit damnata, & judicata in judicio, tunc animalia quatuor, id est, Evangelistæ; seniores, id est, Prophetæ, & Patriarchæ erunt in magna lætitia, & consolatione. Tunc enim omnes Beati alta voce dicent, Alleluja; & pusilli, & magni laudabunt Dominum, & Deus similiter regnabit cum eis in æternum. Undè Isa. 51. *Gaudium invenietur in ea, & gratiarum actio, & vox laudis.* Ipsi enim Beati gaudebunt de justitiæ impletione, de malorum damnatione, & de sua salvatione, de impiorum cruciatu, & de sanguinis bonorum effusi vindicatione. Tunc non erunt nuptiæ agni, id est, consolatio, & festivitas sempiterna, ubi agni uxor, id est, Ecclesia militans, tunc triumphans erit parata, & ornata dotibus animæ, & corporis, & operta byssò splendido, id est, æternæ gloriæ claritate, & candore puritatis, justitiæ, & sanctitatis, & tunc verum erit decretum Dei, quod beati erunt, qui ad cœnam agni vocati sunt. Luc. 14. *quia beatus est homo, qui manducabit panem in regno Dei.*

Vidit Joannes cælum apertum, *& ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum justitia judicabat, & pugnabat, & oculi ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus multa diademata, habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse. Et vestitus erat veste sanguine aspersâ, & vocabatur nomen ejus verbum Dei, & exercitus qui in cœlo sunt, sequebantur eum in equis albis, vestiti bysso albo, & mundo, & in ore ejus gladius ex utraque parte acutus, & in ipso percutiebat gentes, & tegebat eas in virga ferrea, & habebat scriptum in femore suo, Rex regum, Dominus Dominantium.* Et iste apprehendit utramque bestiam, & misit eam in stagnum ignis & sulphuris.

Iste equo albo insidens significat virum perfectum, & bonum Prælatum, Principem, seu Regem. Ille enim debet habere equum album, id est, corpus mundum, & immaculatum, ac castum. Equus C enim corpus significat. Undè Isa. 31. *Equi eorum caro, & non spiritus.* Iste debet esse fidelis in commissis, verax in promissis, justus in judicandis, fortis in dimicando contra malos, & adversarios Ecclesiæ, & contra Diabolum resistendo, Ps. 57. *Justè judicate filii hominum.* Oculi ejus, id est, intellectus, & mens, debent esse sicut flamma ignis per clarissimam discretionem. In capite autem, id est, in mente debet habere multa diademata, id est, multimodam virtutem, & perfectionem, quibus anima ejus debet esse coronata, & ornata, quia in capite ejus debet esse corona stellarum duodecim supra Apoc. 12. Nomen istius, id est, sua perfectio, sua fama, sua bonitas debet esse tantummodò sibi nota, quam non debet aliis propalare, nec perfectionem suam per jactantiam, & hypocrisim declarare, sufficit enim sibi, quod solus sciat. Undè Prov. 25. *Secretum extraneo non reveles.* Et Isa. 24. *Secretum meum mihi.* Vestis etiam, id est, exterior apparentia debet esse aspersa sanguine, quia verè sanguis, & pœnalitas, & passio Christi debet in conversatione cujuslibet relucere per pœnitentiam & macerationem, & passionis compassionem; vel sanguis, id est, pœna, labor, & miseria aliorum, debet per compassionem ipsum tingere, & ejus affectum doloribus colorare. Undè Isa. 63. *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Etiam iste debet habere verbum Dei per scripturæ prædicationem, quia sicut verbum declarat mentem, sic iste prædicando debet mentem, & voluntatem cujuslibet declarare. Et si talis fuerit, rationabile est, quod exercitus cœli, id est, collegium, conventus, villæ, patriæ sibi subjectæ, sequantur eum per obedientiam, & imitationem; & cæteræ personæ infirmæ, & imperfectæ, & maximè subditi sui, (si Prælatus nempe talis fuerit) sequantur eum in equis albis, id est, in corporibus puris, & mundis, eum imitando, & obediendo. Undè Apoc. 14. *Hi sequuntur agnum, quocunque ierit.* Iste igitur debet habere gladium in ore, id est, auctoritatem verborum, & sententiam judiciariam bis acutam, scil. unam ad severè puniendum obstinatos, aliam ad benignè castigandum pœnitentes. Vel gladius biceps est utrumque testamentum, quem Prælatus debet habere, quo percutiat, & regat ferreâ virgâ, id est, durâ correctione feriat gentes, & impios sine lege viventes. Undè ipse debet calcare torcular vini furoris, id est, Divinæ justitiæ contra malos. Undè Isa. 63. *Torcular calcavi solus, &c.*

Vel dic, quod iste est Christus, cujus equus, 1. B. Virgo vel pro- D pria caro fuit alba & immaculata; vestis ejus, id est, humanitas, fuit sanguine madidata; exercitus cœli, id est, Angeli, & Christiani sequuntur eum honorando, vel obediendo; vel exercitus, id est, Judæi, & gentiles, fidem ejus credendo, in equis albis, id est, innocentiam baptismalem acquirendo. Iste habet gladium, id est, duram, & bicipitem sententiam, quâ corpus, & animam condemnet; & ipse calcat, & percutit gentes, & impios sine lege viventes, patris judicium exequendo, & iste est fidelis, verax, & justus, & Verbum Dei, cujus nomen nullus propriè scit, nisi ipse, qui habet diademata, id est, dignitates infinitas, & est Rex regum, &c.

Loquente ergo quodam Angelo Joanni, Joannes voluit ipsum pronus in terra adorare, sed dixit ei Angelus: Vide ne feceris. Conservus enim tuus sum, & confratrum tuorum, &c. Dicitur autem in Gen. 18. *quod Abraham videns tres Angelos adoravit, &c.*

In hoc attende nobilitatem humanæ conditionis. Nam Angelus videns naturam humanam Deificatam Verbi Incarnatione, etiam ex hoc totam naturæ nobilitatem reveritus est, noluitque ab homine adorari, & tamen ante Christi adventum hoc permittere videbatur, sicut in Abraham est ostensum, quando tres Angelos adorare voluit, quod ipsi permiserunt.

Vidit Joannes quendam Angelum stantem in sole, qui voce magna clamabat cunctis avibus volantibus per medium cœli, quod congregarentur ad cœnam agni Dei, ut manducarent carnes tribunorum, fortium equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium servorum, pusillorum, & magnorum.

Iste Angelus est Christus, qui in sole stat, in splendore gloriæ æ- E ternæ, in qua veniet ad judicium, apparebit facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua. Iste enim in judicio clamabit, & advocabit volucres cæli, id est, dæmones ut ibi conveniant ad cœnam Dei, id est, ad diem judicii, ubi carnes quæ latent in veste, id est, animas quæ latent sub corpore fortium, & tribunorum, id est, impiorum principum, & superiorum, equorum, id est, mulierum corruptarum, suorum sessorum luxuriosorum servorum, id est, malorum religiosorum, magistrorum, id est, divitum avarorum, pusillorum, id est, malorum pauperum, & minorum perpetuò crucient, & manducent. Undè Deut. 32. *Dentes bestiarum mittam in eos, & devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Dentes enim, & morsus avium significant immanitatem Diabolicæ crudelitatis, quæ damnatos lacerabit.

Vel dic, quod Angelus qui sedebat in sole, id est, in mundanæ gloriæ splendore, est magnus princeps, vel Prælatus, impius tamen, & pauper, qui semper secum vult habere aves, quæ volant per cælum, id est, viros superbos, crudeles, & raptores, tales faciunt de domo, & familia sua, & tales malos, & iniquos faciunt secum convenire ad cœnas, festa, convivia, & solatia domûs suæ. Sed quid? Certè ut ipsi comedant, rapiant, exorient, atque vastent carnes, id est, vastent temporales substantias illorum de terra sua, magnorum, pusillorum, servorum, tribunorum, id est subditorum, vasallorum, & fortium, id est; divitum, agricolarum, qui ex fortitudine laborum habent illud, quod habent. Et breviter tales iniqui raptores, & superbi non tenentur in officio principum, & magistrorum, nisi ut divitias & munera extorqueant pro magistris, sicut nec falco mittitur, nisi ratione prædæ, quam procurat magistro suo. Undè Gen. 25. *Isaac diligebat Esau, eo quod de venatione ejus vescebatur.*

Vidit Joannes bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum bellum cum illo, qui sedebat in equo albo, & exercitum ejus, & apprehensa est bestia, & pseudo-propheta, qui seducebat eos, qui acceperant characterem bestiæ, & adoraverunt imaginem ejus, & missi sunt in stagnum ignis ardentis, & sulphuris,

Digitized by Google

& cæteri occisi sunt gladio qui ex sedentis ore procedit, & omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

Ista bestia est Diabolus. Reges terræ, & exercitus eorum familiares judices, qui mundum regunt, & ibi regnant. Et isti igitur pugnant,& contradicunt contra sedentem in equo albo, id est, in corpore mundo habitat, & moratur. Et cum exercitu ejus, id est; contra illos,qui sunt boni & justi, quia bonum est contra malum,& contra vitam mors, & contra virum justum peccator. Sed finaliter vere in morte,vel in judicio,bestia,& sui reges, & exercitus, id est, Diabolus, & mundi divites cum suis imitatoribus apprehendentur,
F & in stagno ignis,hoc est,in abundantia infernalium tormentorum, ubi est ardor,& ignis inextinguibilis, sulphur, & fœtor intolerabilis, mittentur,& gladio suæ divinæ sententiæ ferientur,& ab avibus cæli,id est,à dæmonibus vorabuntur, vel ab avibus, id est, ab Angelis Dei sententiæ executoribus damnabuntur, & maximè pseudo-prophetæ & illi qui bestiam,id est, Diabolum faciunt adorari, scilicet, illi qui alios incitant ad peccatum. Quia sicut dicit Apostolus Rom. 1. *Non solum qui talia agunt, digni sunt morte, sed etiam hi, qui eis talia consentiunt.*

Vel dic,quod bestia est Antichristus, Propheta significat suos Apostolos. Reges, & exercitus sunt sui sequaces, & eum recipientes, qui omnes igne,& sulphure,ardore,fœtore,& gladio, id est, divinæ sententiæ rigore damnabuntur,& avibus, id est, dæmonibus devorandi perpetuo exponentur.

Capitulum vigesimum. Textus. Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi.

Moralitatum Cap. XXI.

VIdit Joannes *quendam Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi,& habebat catenam magnam in manu sua,& apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus,& ligavit eum in carcere per mille annos,& signavit super illum, ne seducat amplius gentes,& post oportet ipsum modicum solvi,quando videbunt sedes,& sedebunt super eas, & judicium datum est illis.*

Serpens ille fraudulentus, est usurarius, vel advocatus, vel aliquis avarus,& dives,qui est,serpentinus,tortuosus,malitiosus, venenosus Diabolus,& satanas, id est, adversarius omnibus tribubus,& vicinis,quia *manus ejus contra omnes,&c.* Gen. 26. Qui etiam bene dicitur antiquus, quia tales iniqui, ut communiter, diù vivunt.
G Angelus testamenti Christus de cœlo descendet ad judicium in valle Josaphat, & pro certo habebit clavem abyssi, id est, potestatem claudendi,& aperiendi infernum,qui dicitur abyssus,id est,sine byssо,id est,sine candore lucis, & claritatis. Illud enim claudit bonis,& aperit malis. Undè Apoc. 1. *Habebit clavem mortis, & inferni.* Et Apoc. 3. *Qui claudit,& nemo aperit, &c.* Iste enim habet catenam, id est,potestatem ligandi, & incarcerandi, & æternis vinculis condemnandi. Iste finaliter apprehendet istos dracones, & serpentes, id est,istos avaros inflammatos,tortuosos, & malitiosos paupertum adversarios,& nocivos, ligabitque in carcere infernali per mille annos,id est,per tempora longiora usque ad judicium, & signabit super eos sigillum,scilicet, æternæ damnationis super ipsos concludet, quod nullus poterit aperire. Et hoc quidem faciet Deus, ut non seducant amplius pauperes,& vicinos, quos suis falsis consiliis, fraudibus,malitiis,usuris,& rapinis,dum viverent,seducebant,Undè Isa. 14. *Heu cecidisti,qui vulnerabas gentes*, ut dicitur in Ps. 14. *Quod non relinquet Deus virgam peccatorum super sortem justorum,&c.* Quando tamen judicium venit,id est,sedes, & throni positi fuerint, tunc tales modico tempore solventur, & dum corpus resumpserint, & judex indicaverit,tunc statim in corpore,& anima tales iterum ad supplicium rapientur,& in æternis tenebris includentur Job. 12. *Si incluserit, nemo est,qui aperiat.*

Vel dic, quod quando Christus descendit de cœlo per incarnationem,tunc attulit secum clavem,& catenam,id est, potestatem includendi,& ligandi dæmonem,& draconem antiquum, id est,Luciferum. Quod etiam in sua passione fecit, ut non seducat homines sicut priùs. Iste tamen iterum solvetur, scilicet, tempore Antichristi secundum aliquos, sed illud erit modicum, scilicet, per tempus,& tempora,& dimidium temporis, & tunc usque ad judicium durabit, sed statim facto judicio, perpetuò erit clausus.

Dicitur hic, quod postquam sedes posita fuerit, & judicium factum fuerit,illi qui decollati sunt per testimonium JESU,& qui non adoraverunt bestiam, nec receperunt imaginem ejus, vel ejus characterem in frontibus suis & in manibus regnabunt cum Christo per mille annos.

H Sic ferè facto judicio decollati propter Jesum, id est, Martyres, qui non adorant bestiam,id est, qui non obediunt carni propriæ, id est,virgines, & continentes, qui imaginem mundanæ prosperitatis, nec characterem diabolicæ suggestionis recipiunt, ut omnes sancti confessores, omnes tales pro certo cum Christo sunt regnaturi.

Dum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes quæ sunt super quatuor Angulos terræ,Gog,& Magog,& congregabit eos in prælium,& ascendet super altitudinem terræ,& circumibunt castra Sanctorum, & civitatem dilectam,& descendet ignis de cœlo, & devorabit eos, seductor autem cum bestia missus est in stagnum ignis, & sulphuris, die ac nocte cruciandus.

Gog,& Magog,qui sunt duo montes, vel secundum aliquos duo castra in Syria orientali ultra montes & Rifeos significant duos status,scilicet,clerum,& religionem, & qui sunt super Angulos terræ, significant terrenos,cupidos,& avaros,qui terrenis operibus semper vacant. Satanas qui quandoque exiit de inferno, & venit tentare fideles, iste dico exit hodiè, & seducit illos, qui sunt super Angulos quatuor terræ Gog,& Magog,id est, illos qui in mundo, & in claustro habitant,& illi qui inhiant per ambitionem,& avaritiam divitiis temporalibus, & terrenis, nam tales faciliter congregantur ad prælium,quia faciliter propter temporalia surgunt prælia,lites, jurgia, discordiæ, & appellationes. Nam tales hodiè avari,qui sunt quasi innumerabiles,intelliguntur ascendere super terræ altitudinem, id est,super alta officia, dignitates, beneficia claustralia, vel sæcularia. Isti invadunt castra Sanctorum,id est, bona simplicium, & pauperum,& Sanctorum justorum. Civitatem etiam dilectam,& sanctam religionem Ecclesiam,& aliorum status circumëunt, & conturbant, ipsum concludere volentes verbis, & injuriis bonos gravant Ps. 58. *Famem patientur ut canes, & circumibunt civitatem.* Sed verè finaliter ignis æternus infligetur eis de cœlo, id est,à cælesti sententia, & divina,& deceptor eorum, id est, Diabolus, in stagno ignis cum bestia,id est,cum peccatoribus ponetur, dirè perpetuò cruciandus.

Vel dic,quod satanas, & adversarius est bilinguis verborum relator, quo seducente, & obloquente, tam in Gog, quam in Magog, id est,in mundo, & religione multi invicem præliantur, detrahunt, & loquuntur. Isti castra Sanctorum, id est, status bonorum circumeunt,& explorando insidiantur, & civitatem religionis, & Ecclesiæ detractione lacerant, & prædantur. Sed vere finaliter super tales rebelles,detractores,litigiosos, & super satanam, id est, super hujus relatorem,ignis, id est, æterna damnatio de cœlo veniet, & eos Dominus damnabit, & æternis incendiis fulminabit. Undè Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram.* A

Vel dic, quod talis satanas significat malitiosos ballivos, qui non cessant contra Ecclesiam principes concitare, quapropter justum est eos in inferno igne interire.

Vel dic, quod illi qui in claustro & religione vacant circa temporalia negotia,faciliter præliantur per discordiam,& igniunt per avaritiam, terram volunt ascendere per ambitionem,castra circumëunt per sui ostentationem, &c.

Vidit Joannes thronum candidum,& magnum, & sedentem super eum,à cujus conspectu fugit cœlum,& terra, & tunc mare, mors, & infernus dederunt mortuos suos. Et steterunt mortui, pusilli, & magni in conspectu throni,& libri aperti sunt, & judicati sunt secundum ea,quæ scripta erant in libris, & secundum opera eorundem, & apertus est alius liber, qui erat liber vitæ, & qui non est inventus in libro vitæ scriptus,missus est in stagnum ignis, & sulphuris.

Thronus iste significat celsitudinem majestatis, in qua Christus sedebit, quando in judicio apparebit. Ita enim magnificè veniet, quod à conspectu suo cœlum,& terra fugient, in quantum à statu, & forma pristina mutabuntur, & transibunt ad speciem pulchriorem. Et tunc mare, infernus, mors, & terra dabunt mortuos suos, quia resurgent mortui ubicunque fuerint, & stabunt in valle Josaphat in conspectu throni, id est, in conspectu judicis nostri Christi. Undè 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Et tunc libri,id est,singulorum conscientiæ aperientur,ita,quod alter in alterius conscientia intuebitur,quicquid boni,aut mali fecerit in hac vita,& quicquid alii fecerunt, dum viverent, & sic secundum hujusmodi scripturam, id est, opera sive merita, vel demerita, recipient judicium universi. Liber etiam vitæ,id est,secretum mentis divinæ tunc erit apertus. Et qui per prædestinationem, & acceptionem ibi scriptus non fuerit ab æterno necesse habebit damnari, & in stagno,id est,in abundantia ignis perpetuis incendiis assignari. Undè Exod. 32. *Qui peccaverit in me, delebo illum de libro meo quem scripsi, &c.*

Vel dic,quod à conspectu judicis, id est, à consideratione judicii, B
mors,id est,fœtidus,immundus,& luxuriosus,mare,id est, tumens, & fluctuosus superbus,infernus,id est,insatiabilis avarus,debent dare, vomere,& confiteri mortuos suos,id est, vitia, & peccata,& libros conscientiarum aperire,& à sacerdote judicari,& pœnam condescendentem subire,alioquin in libro vitæ, id est, æternæ gloriæ non scribentur, & sic igne perpetuo cremabuntur.

Vel dic, quod quando judex habet ante thronum suos mortuos, id est, suas personas accusatas, tunc verè debet facere, quod libri aperiantur,& quod singulorum merita elucescant, & secundum ea debet eas judicare. Veruntamen quicquid apparet in libris,id est,in libellis,& accusationibus,seu processibus singulorum, ipse tamen à parte sua semper debet habere librum vitæ, id est, conscientiam benè regulatam, æquitatem, & mysterium cum pietate, & clementia moderatam,ut sic secundum merita judicet æqualiter.Et nota istum judicem,quod cælum,& terra fugit à conspectu ejus,quia verè totus mundus solet tremere in conspectu judicis in justitia judicantis. Judex enim debet esse rigidus, & austerus in apparentia, mitis, & benignus in conscientia.

Vel

Digitized by Google

Vel dic, quod liber est voluntas, & amor judicis, in quo omnis judicandus, qui scriptus non fuerit per acceptionem, & recommendationem, & munerum præsentationem, vel alias vere necesse habet mitti in ignem, & tribulationem, sine remedio condemnari, quia si quis non dederit more eorum quippiam, suscitavi super eum prælium.

C *Capitulum vigesimum primum. Textus.* Et vidi cælum novum, & terram novam. Primum enim cœlum.

Moralitatum Cap. XXII.

VIdi inquit Joannes, *cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare non est.*

Cœlum altum significat superiores; terra infima, subditos, & inferiores. Cœlum stellarum significat Ecclesiam, vel religionem, ubi stellæ, id est, claræ, honestæ, & discretæ personæ debent lucere per doctrinam, & exempla. Terra autem significat sæculares. Cœlum igitur & terra sunt hodiè nova, quia omnes mundi status sunt hodiè innovati, & à bonis primis consuetudinibus immutati, quia verè moderni status non videntur esse illi qui primi. Primum nimirú cœlum, & terra abiit, sed pro certo, mare jam non est. Et enim ibi facta talis mutatio, id est, amaritudo pœnitentiæ jam cessavit in sæculo, & in claustro Psal. 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti, &c.* Nunc enim mare, id est, pœnitentia, Jordanis, id est, devotio, fugerunt, & defecerunt.

Joannes sublatus in spiritu in montem magnum, & altum, vidit *quandam novam, & nobilem civitatem, ornatam cum omni lapide pretioso, ita mensuratam, quod longitudo, latitudo, & altitudo erant æquales, & erat civitas aurum mundum, Deus erat lucerna, & templum ejus in ea non erat, nec Sol, nec Luna illi lucebant, quia lucerna ejus est agnus, & portæ ejus non claudebantur die ac nocte, nihil coinquinatum intrabit in illam.*

Civitas iste moraliter est vir perfectus, vel B. Virgo, Ista videlicet in monte alto, id est, in eminentia sanctitatis, ornata est omni lapide pretioso, id est, cum gratia, & virtute. Unde Ezech. 8. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Iste igitur est mensuratus, & adæquatus, temperatus, & moderatus in tribus divisionibus, scilic. in longitudine fidei, & in altitudine spei, & in latitudine charitatis Rom. 12. Est enim in fide necessaria mensura, quia *non plus sapere, quam oportet sapere.* In spe etiam ne forte spes degeneret in præsumptionem. Etiam in amore, ne forte exeat terminos ad corruptionem, & ideò tota civitas, id est, totus homo debet esse aurum mundum. Aurum dico, & ideò dico, quod lucerna ejus est agnus, quia
D verè claritas agni, id est, scientia debet hominem illuminare, & illustrare per spiritualem discretionem. Dabet habere cor mundum, & ideò nihil coinquinatum, id est, nullum vitium debet intrare in eum per opera, vel consensus. Dicitur etiam habere templum suum, & nihil adorare, nihil credere nisi Deum, portæ etiam ejus, scil. voluntas, & sensus debent esse apertæ, ad recipiendum bonam doctrinam, & bona exempla. Unde Zach. 11. *Aperi Libane portas tuas.*

Vel dic ad literam, quod porta debet esse aperta omnibus per hospitalitatem. Unde Job 13. *Foris non mansit peregrinus, hospitium meum viatori patuit.* Illud maxime habuit B. Virgo, quia semper est aperta ad recipiendum ad misericordiam peccatores.

Vel dic, quod civitas ista est Ecclesia, vel religio, ubi debet esse civium unitas, quæ revera debet esse ornata virtutibus, debet esse munda, aurea, mensurata, & divinis gratiis illustrata, cujus templum, & lux debet esse Deus, quia nullus alterius fidem, vel sapientiam debet recipere. Cujus tamen contrarium faciunt moderni Ecclesiastici audiendo leges. Semper debet esse aperta. Non claditur enim per terminos hujus vitæ, sed aperta est ad recipiendum fidem, & pœnitentiam peccatorum. Unde illud prædictum: *Foris non mansit peregrinus, &c.* Job. 13. Nullus coinquinatus, vel Simoniacus debet intrare in ea, nec ad ejus officia promoveri. Sed hodiè pro dolor verificatur illud Thr. 1. *Vidi gentes ingressas sanctuarium tuum, de quibus præceperas, ne intrarent Ecclesiam tuam.* Dilata si vis, sicut in præcedenti capitulo.

Vel expone de gloria æterna, ubi non intrat aliquis coinquinatus, ubi est claritas indefectibilis.

Civitas nova Hierusalem, quam vidit Joannes, habebat murum magnum, & altum, in quo duodecim erant portæ, postea quælibet duodecim habuit Angelos, & nomina duodecim filiorum Israel, in portis singulis erant scripta, & erat civitas in quadro posita, longitudo ejus tanta, quanta & latitudo, latera ejus erant æqualia. Hic dicitur etiam, *quod duodecim portæ, duodecim margaritæ, singulæ portæ erant ex singulis magaritis. Illam enim quidam Angelus cum arundine aurea mensuraverat, & in suis partibus adæquaverat.*

E Per istam civitatem, id est, civium unitatem, Ecclesiam intelligimus. De quo Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Murus istius civitatis significat fidem Christi, quæ est murus inexpugnabilis civitatis. Unde Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Per duodecim portas intelliguntur duodecim Apostoli, & quicunque boni prædicatores, & prælati, qui pro eo portæ dictæ sunt, quia per eos fideles murum, & ambitum civitatis, id est, fidem Ecclesiæ intraverunt. Unde Isa. 26. *Aperite portas justitiæ, & ingrodietur gens justa.* Margaritæ etiam quæ sunt candidæ, confessores dicti sunt; pro eo quod per castimoniam, & innocentiam canduerunt, & per sapientiam splenduerunt. Unde Matth. 13. Christus dici potuit similis homini patrifamilias, quærenti bonas margaritas. Per duodecim angulos intelligimus duodecim articulos fidei, quia quælibet porta, id est, quilibet Angelus, vel bonus prædicator, vel prælatus, duodecim angulos habet, id est, duodecim articulos fidei credit. Articuli verò fidei anguli dicuntur, pro eo quia in ipsis, scil. in lapidibus angularibus totius vitæ congeries continetur, atque sustinetur. Unde Jos. 4. *Elegerunt de medio alvei duodecim lapides durissimos.* Per duodecim filios Israël, & per eorum nomina intelligo fidem veteris testamenti, & omnium Patriarcharum, qui pro certo & duodecim anguli, & duodecim Patriarcharum nomina in portis sunt, ad denotandum, quod duodecim Apostoli, & duodecim Patriarchæ cum eorum sequacibus duodecim articulos fidei crediderunt, simulque in eandem fidem, & Apostoli, & Patriarchæ convenerunt. Ideò tam Apostoli, quam Patriarchæ duodecim esse dicuntur, pro eo, quod eadem fides duodecim articulorum ab ipsis creditur, & habetur. Unde Gen. 42. *Duodecim fratres unius patris filii sumus.* Ista enim civitas, scil. Ecclesia, dicitur quadrata, per quatuor virtutum cardinalium quadraturam, mensurata per debiti regiminis prælaturam, dicitur adæquata per debitam justitiam, & censuram, quia pro certo latera ipsius civitatis, id est, personæ, debent inter se æqualitatem habere, in quantum proportionabiliter debent in gradu, & statu convenire invicem. Dico igitur, quod civitas muro fidei circumcincta per quatuor virtutes quadrata, & ab ipso Angelo testamenti arundine suæ occultæ dispositionis in suis personis proportionabiliter adæquata duodecim portas. id est, duodecim Apostolos cum duodecim angulis, id est, cum duodecim articulis fidei habuit, in quibus etiam nomina filiorum F
Israël, id est, antiquorum patrum fidem continuit, & sic utramque fidem novi, & veteris Testamenti simul convenire monstraverunt, & sic etiam Christus *est paterfamilias, qui profert de thesauro suo vetera, & nova* Matth. 13.

Vel dic, quod ista civitas est anima, in qua scilic. intellectus est Rex, & voluntas regina, populus potentiæ sensitivæ, quæ murum divinæ gloriæ, & protectionis continet, & duodecim portas, id est, duodecim Apostolorum doctrinas tenet, duodecim angulos, id est, articulos fidei credit, & nomina duodecim Patriarcharum, & Sanctorum patrum nomina, & exempla per imitationem ostendit. Quæ per quatuor virtutes est quadrata, per justiam adæquata, per temperantiam debitè mensurata. Unde Isa. 43. *Extendetur super eum mensura.*

Vel dib, quod Angelus qui mensurat civitatem, est bonus Prælatus, qui sum mensura aurea, id est, mediante justitia, & prudentia debet Ecclesiam sibi commissam, & etiam subditos mensurare, & quantum proficiant, vel deficiant cogitare, ut sic possit eos secundum merita in officiis, & beneficiis promovere.

Civitas nova Hierusalem habebat in suis partibus, scilicet, orientali, aquilonari, occidentali, aurali duodecim portas, quia scilicet ab oriente erant tres portæ, ab occidente similiter tres protendebantur, ab australi similiter tres, &c. sic concludebatur portis duodecim, &c.

Ista quæ jam de Hierusalem dicta sunt mysticè, intelligi & aliter possunt. Sic enim perfectus homo moraliter habet quatuor portas, id est quatuor Cardinales virtutes, scilic. orientalem quæ est pars G
lucida, & hæc est prudentia. Aquilonarem quæ est pars constricta, & solida, & hæc est fortitudo, seu constantia. Occidentalem quæ est pars frigida, & humida, hæc est temperantia, Meridionalem quæ est pars fervida, & est justitia, quia pro certo homo justus, seu civitas animæ, vel cordis religio, vel Ecclesia debet habere prudentiam ad illuminandum tanquam orientem. Fortitudinem ad mala sustinedum tanquam aquilonem, Temperantiam ad prosperis benè utendum tanquam occidentem. Justitiam ad mala punidum tanquam meridionalem partem fervidam, & urentem. Undè Ezech. 1. *Apparuit rota una super terram habens quatuor facies*, id est, quatuor virtutes cardinales, sed quælibet illarum partium, seu virtutum habet tres portas, id est, tres particulares virtutes, quia orientalis prudentia habet portam sapientiæ, per quam intrat notitiam superiorum. Portam scientiæ per quam intrat notitiam rerum inferiorum. Portam consilii per quam intrat notitiam actuum & agibilium exteriorum. Unde 1. Joann. 5. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo*, id est, tres sunt virtutes quæ cælesti subministrant prudentiæ, ut de viro prudenti dicatur illud 2. Reg. 23. *David sedet in cathedra sapientissimus inter eos.* Item aqilonaris fortitudo tres similiter habet portas, id est, tres alias particulares virtutes, per quas ingreditur civitatem mentis, & istæ sunt humilitas, spes, & oratio. Spes non attendit ad præmium, Oratio procurat adjutorium, Humilitas debilitat adversariũ. Istis nimirũ tribus virtutibus roboratur fortitudo mentis, & corporis. Et per istas tres portas intrant merita domum cordis. 2. Reg. 23. Unde de istis tribus partibus fortitudinis potest dici illud: *Irruperunt tres fortes castra Philistinorum, &c.* Item occidentalis temperantia habet tres portas, id est, tres virtutes Theologicas particulares, scilicet, timorem, quo temperantur cordis vanitates, Abstinentiam qua temperantur carnis voluptates. Paupertatem voluntariam, qua temperantur rerum superflui-

Digitized by Google

tates. Et sic potest dici de temperantia illud quod dicitur Isa. 40. *Quod ipse apprehendit tribus digitis molem terræ &c.* Item meridionalis justitia similiter habet tres portas, id est, habet tres speciales
H virtutes, scilic. liberalitatem, quæ præmiat bonos, & severitatem, quæ sententiat malos, & perversos, æquitatem, quæ judicat inter universos. Unde 3. Reg. 7. Justitia potest dici illud atrium majus rotundum, quod habebat ordines de lapidibus sectis. Justitia non atrium majus dicitur, quia major, & utilior cæteris virtutibus perhibetur. Dicitur etiam rotunda, quia ista debet esse plena, & vera, & nunquam per fallaciam obliqua, & per dissimulationem variam angulosa, Tres etiam ordines dicuntur habere in quantum tres partes suæ, seu virtutes prædictæ semper debent concomitare. Istæ igitur sunt duodecim partes portæ, per quas intrat ad animam Spiritus S. & gratiæ, & virtutes, quia pro certo per portas prudentiæ intrat Deus ad nos erudiendum. Per portas fortitudinis intrat ad nos roborandum. Per portas temperantiæ intrat ad nos mundificandum. Per portas justitiæ intrat ad nos justificandum. Unde David. Psal. 117. *Aperite mihi portas justitiæ.* Et de tali triplicitate dicitur illud Eccles. 25. *In tribus beneplacitum est spiritui meo.*

Vel dic, quod civitas est Ecclesia. Portæ duodecim significant fidem, quæ duodecim articulos habet, sed istæ portæ in tres distinguuntur, pro eo, quod in quatuor plagis terræ circumquaque est Ecclesia, seu fideles, ut Trinitatis mysterium credatur, & fides ipsius teneatur.

Vel dic, quod civitas est homo, qui in oriente pueritiæ, in aquilone adolescentiæ, in meridie juventutis, in occidente senectutis, necesse est, quod tres portas habeat, id est, quod sanctæ Trinitatis fidem credat, vel tres portas, id est, tres virtutes Theologicas, scil. fidem, spem, & charitatem habeat, Vel tres portas, id est, munditiem cordis, oris, & operis gerat, ut dicat illud prædictum Eccl. 25. *In tribus beneplacitum est spiritui meo.*

Nova civitas Hierusalem multa duodenaria continebat.

Continebat enim duodecim studia, duodecim portas, duodecim angulos, duodecim lapides pretiosos, duodecim nomina Apostolorum, duodecim nomina filiorum Israël.

Cum dictum sit, quod civitas animam significet, sciendum est, quod per stadia, quæ dicuntur à stando intelligitur suæ perseverantiæ stabilitas. Per fundamenta quæ habet, intelligitur virtutum cardinalium firmitas. Per portas ejus intelligitur Sacramentorum utilitas. Per lapides pretiosos intelligitur suarum virtutum moralium nobilitas. Per Apostolorum nomina, doctrinæ Apostolorum auctori-
A tas. Per nomina filiorum Israël, Sanctorum Patrum, & suorum exemplorum sanctitas, sive bonitas. Istæ sunt partes civitatis moralis, id est, animæ, sine quibus non dicitur neque Hierusalem, neque nova, quæ Deus spiritualiter continet. Hierusalem, id est, pacifica, nova, id est, gratiosa, & placida debet dici. Unde Apoc. 21. *Vidi civitatem sanctam Hierusalem de cœlo descendentem.* Sed quid? In omnibus istis perfectæ animæ partibus debet numerus duodenarius, per quem fides Catholica intelligitur, relucere. Numerus duodenarius duodecim fidei articulos significat, quos pro certo in omnibus actibus anima sancta portat, quia revera nulla pars ipsius sufficiens esset, nisi ibi fidei veritas reluceret, quia nec portæ sensuum, nec fundamenta virtutum cardinalium, nec lapides pretiosi virtutum moralium, anguli Sacramentorum, nec omnia seu doctrina Apostolorum, nec exempla Sanctorum Patrum proficiunt, nisi duodenarius fidei semper adsit. Unde Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Vel dic, quod ista civitas est Ecclesia, cujus stadia, quæ ipsum mensuraverunt, fuerunt Angeli, fundmenta fuerunt Patriarchæ. Portæ fuerunt Apvstoli. Angeli fuerunt virtutes. Lapides pretiosi fuerunt virgines, & confessores. Apostoli sunt Prælati & prædicatores. Filii Israël sunt omnes fideles. In istis autem omnibus duodenarius numerus, id est fides catholica resplenduit, & ipsum fidei veritas semper fuit.

Vel dic, quod iste duodenarius numerus est nobis stadium ad currendum, fundamentum ad sustinendum, porta ad intrandum, Angelus ad fortificandum, lapis pretiosus ad nos ditandum: Apostolus ad nos docendum, Patriarcha ad nos spiritualiter generandum.

Vidit Joannes civitatem novam, cujus plateæ erant ex auro purissimo, perlucidæ tanquam vitrum, cujus fundamentum erat ornatum omni lapide pretioso. Ibi namquè nominat duodecim lapides pretiosos, quibus est ornatum fundamentum civitatis. Primus lapis fuit Jaspis. Secundus saphirus. Tertius chalcedonius. Quartus smaragdus. Quintus sardonius. Sextus sardius. Septimus chrysolytus. Octavus beryllus. Nonus topazius. Decimus chrysopasius. Undecimus hyacinthus. Duodecimus amethystus.

Ista civitas est anima, vel quilibet vir perfectus, cujus plateæ conscientiæ debent esse aureæ per sanctitatem, seu vitreæ, & lucidæ per sapientiæ claritatem. Fundamentum enim cordis sui debet
B habere duodecim ornamenta, duodecim virtutes figuratas in istis duodecim lapidibus pretiosis, ut sic propriè sit illud fundamentum sicut vas auri solidum, *ornatum omni lapide pretioso.* Eccl. 50.

Est igitur primus lapis jaspis, qui phantasmata fugat, & incantatoribus resistit, sedes oculorum purgat, & visum acuit. Hæc est fides, quæ est prima aliarum virtutum, quia secundum Apostolum Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Ista enim est quæ phantasmata, id est, dæmonia fugat, & incantatoribus, id est, hæreticis obviat, oculum cordis, id est, visum discretionis acuit atque purgat. Unde Isa. 54. *Ponam jaspidem propugnacula tua.*

Secundus lapis est saphirus, qui cælestem habet colorem, & secundum Dioscoridem, virtutem lætificativam, per quam significatur spes, quæ tota est lucida, & cœlestis, in quantum cælestia sperat bona, quæ etiam desolatos lætificat, & ideò de hoc dicit Dominus animæ, vel Ecclesiæ: *Fundabo te in saphiris.* Isa. 54.

Tertius lapis est chalcedonius, qui secundum Dioscoridem facit vincere causas, & calefactas attrahit paleas, per quem intelligitur charitas, quæ aliarum virtutum est servatrix, quæ causas, id est, tentationes vincit, & quæ paleas, id est, infirmos ad salutem trahit. Unde 1. Cor. 13. *Charitas ὸmnia suffert.*

Quartus lapis est smaragdus, qui est viridis coloris, confortans oculos, & qui visum confortat, & portandi se dat persuasoria verba, & divinare volentibus valet secundum Lapidarium. Et per istum intelligitur prudentia, quæ oculos aliorum confortat, in quantum delectabile est videre hominem prudentem. Visum intellectus servat, verba persuasoria, & eloquentia dat, divinare, & prædicare volentes super omnia juvat. Ista enim est prima cardinalium virtutum, quam homo summè debet appetere, scil. prudentiam, & hoc quia sine ista cætera parum noscuntur valere. Ideò bene docet Sapiens Prov. 7. *Dixi sapientiæ, soror mea es, & prudentiam amicam vocavi.*

Quintus lapis est sardonius, qui luxuriam depellit, & hominem C humilem, pudicum facit, & significat temperantiam, quæ luxuriam, id est, omnem superfluitatem tollit, humilitatem, & pudicitiam semper gignit. De qua Prosper in lib. de vita contemplativa ait; *Temperantia facit hominem soprium, parcum, moderatum, & puaicum.* Hæc enim libidinis affectum temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, inter nos confusa omnia ordinat, parvas cogitationes removet, sanctas inserit, voluptates extinguit, & totum hominem temperat, & componit.

Sextus lapis est sardius, qui sanguinei coloris est, in cujus præsentia onyx lapis maleficus non potest nocere, timorem pellit, & hominem audacem facit. Iste significat fortitudinem, quia pro certo iste coloris sanguinei debet esse, in quantum proprium sanguinem fundere non solet timere, quinimo solet timorem pellere, & homines audaces facere, & nocumentum onycis, id est, tentationem diabolicam resistendo refrænare. Unde Ambrosius lib. 1. de officiis de fortitudine dicit, quod *Fortitudo virtutes custodit, justitiam servat, contra vitia est inimica, ad laborem fortis, ad pericula rigida, & adversa.*

Septimus lapis est chrysolytus, ignem velocissime rapiens, qui dæmones fugat, & terret, & timores nocturnos pellit. Et iste significat justitiam, quæ ignem zeli, & severitatis faciliter concipit, dæmones, id est, malefcos homines tollit, & timore malorum sublato patriam securam reddit. Unde de illo lapide, scilic. de justitia, & justo homine dicitur illud Dan. 10. *Quod ipse vidit filium hominis, cujus corpus erat quasi chrysolitus.*

Octavus lapis est beryllus, cujus virtus secundum Dioscoridem est contra pericula hostium, & contra inimicum, hominem invictum facit, & inter beryllos ille qui est pallidior est melior, per quem intelligitur patientia, quæ inter lites, & pericula summe valet, quia sicut Senica: *Cujuslibet doloris remedium est patientia.*

Nonus lapis est topazius, sive topazion indeclinabile. Lapis clarissimus, quia secundum Lapidarium ad sanguinem stringendum, ad quam bullire non permittendum valet, omnium lapidum superat claritltem. Et sic iste significat castitatem, quæ est proculdubio D virtus rara, quia rara avis in terris & nigro simillima cygno, quæ sanguinem luxuriæ restringuit, & fervorem concupiscentiæ compescit, & aliarum virtutum pulchritudinem antecedit. Unde Sap. 5. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate.*

Decimus lapis est chrysopasius, quem lux celat, & prodit obscuritas. In obscuro enim splendet, & sub dio positus ejus claritas absconditur; atque pallet, & iste est humilitas, quæ sub dio, id est, in hominis apparentia non quærit splendere, sed in obscuro, id est, in abscondito, & secreto, quia pro certo humilitas obscuritatem quærit, & omnem hominis præsentiam, omnemque vanam gloriam semper fugit. Unde illud Matth. 6. *Intra cubiculum tuum, & ora patrem tuum qui in cœlis est, qui videt in abscondito.*

Undecimus lapis est Hyacinthus, qui est lapis secundum tempora conditionem mutans, quia secundum quod tempus est, turbidum, vel serenum, lapis iste fit serenus, & turbidus. Et significat virtutem discretionis quæ secundum bona tempora, & personas se solet mutare, & unam cum uno, & aliam cum alio, nunc clara, & affabilis, nunc obscura, & tristabilis debet esse. Vel dic, quod ista est comparatio quæ novit *cum flentibus flere, & cum gaudentibus gaudere*, exemplo Apostoli 1. Cor. 9. qui dicebat: *Omnibus omnia factus sum.*

Duodecimus lapis est amethystus, lapis violaceus in colore, qui secundum Dioscoridem valet contra ebrietatem, bonum confert intellectum,

Digitized by Google

intellectum,& hominem facit vigilem. Et iſte ſignificat ſobrietatem, quæ ad literam ebrietati reſiſtit, hominem vigilem, & diligentem efficit, malas & immundas cognitiones repellit, & intellectum acuit. Unde Leo Papa in ſumma: *De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubria conſilia.* Per hanc enim caro concupiſcens moritur, & ſpiritus virtutibus innovatur.

Iſta ſunt duodecim hominis fundamenta, ſeu duodecim fundamenta noſtræ conſcientiæ, vel gratiæ, vel etiam Eccleſiæ ornamenta, & duodecim lapidum pretioſorum, id eſt, virtutum ſpiritualium paramenta, ita quod cuilibet homini ſic fundato, vel ipſi Eccleſiæ ſic à Deo ſtabilitæ, vel etiam cuilibet prælato, qui eſt ſubditorum ſeu Eccleſiæ fundamentum, poteſt dici illud Ezec.28.*Omnis lapis pretioſus operimentum tuum*, ſardius, topazius, jaſpis, chryſolitus, & onix, beryllus, ſaphirus, & carbunculus, & ſmaragdus, ut de talibus fundamentis dicatur illud Pſalm.86. *Fundamenta ejus, in montibus ſanctis.*

E *Capitulum vigeſimum ſecundum. Textus.* Et oſtendit mihi fluvium aquæ ſplendidum tanquam cryſtallum.

Moralitatum Cap. XXIII.

Sicut dicitur Apoc. 22. *Civitas nova novum habebat templum, nec ſole nec luna egebat, quia ipſam Dominus illuminabat. Et lucerna ipſius agnus erat. Iſta enim nullam prorsùs habebat noctem, portæ ejus nullatenùs claudebantur, & nullus coinquinatus aut abominationem, aut mendacium faciens illuc ingrediebatur, imò canes, venefici, impudici, homicidæ, ſervientes idolis, & mendacia facientes foras ejiciebantur, quia ibi erat ſedes Dei, & agni, & ſervi ejus ad ſerviendum ei, ad videndum faciem ejus omnes ibi ſolummodo admittebantur.*

Iſta poſſunt allegoricè dici de Eccleſia, vel religione, quia pro certo iſta non debet habere, vel quærere templum, id eſt, cujuſcunque hypocriſis vanitatem, ſolem, id eſt, mundanæ gloriæ claritatem. Lunam, id eſt, mundanæ proſperitatis mutabilitatem, & ecliptibilem facultatem, quia pro certo ſolum Deum debet habere pro lumine, & ſtolam agni, id eſt, Chriſti gratiam debet appetere pro lucerna, quia Eccleſia, vel religio à Deo debet illuminationem accipere, mundi lumen, aut gloriam non quærere, ſed lucem, quæ Chriſtus eſt, ſolummodo affectare Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Portæ illius debent eſſe apertæ, quia portæ ejus ſpirituales debent eſſe apertæ ad recipiendum peccatores ad fidem, & ad pœnitentiam, quia iſta non debet claudere gremium pœnitenti, & dignos ad officia, vel beneficia admittendum, Unde Iſa, 26. *Aperite portas, ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem*: portæ ipſius materiales ad pauperes ſuſtentandum, & hoſpitalitatem indigendibus faciendum, ut ſic dicatur illud Job. 31. *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.* Unde verificator ait:

F *Porta patens eſto, nulli claudaris honeſto.*

Quia revera ſervi Dei, & agni, id eſt, viri juſti, debent infra portas Eccleſiæ per promotionem admitti, ut ibi poſſint Deo ſervire, & faciem ejus contemplari, ut dicitur Pſalm. 117. *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino, hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam.* Nullus tamen immundus, aut peccator ibidem recipi debet, quinimo canes, id eſt, inſatiabiles, cupidi & avari, venefici, id eſt, peſtiferi, immundi, id eſt, luxurioſi, homicidæ, id eſt, detractores, & malefici & idololatræ, id eſt, ſuperſtitioſi, & hæretici, & ſortilegi debent foris extra Eccleſiam impromoti relinqui. Non enim dignum eſt, quod tales ad fidem Dei, & agni, id eſt ad ſtatum Eccleſiaſticæ dignitatis aſcendant, vel ad portas Eccleſiæ introëant Pſal.98. *Quibus juravi in ira mea ſi introibunt in requiem meam.* Cujus tamen prò dolor fit hodiè oppoſitum, quia mali per portas Eccleſiæ introducuntur, boni verò, & ſervi Domini ab Eccleſiæ beneficiis repelluntur. Unde Thren.1. *Vidi gentes ingreſſas ſanctuarium tuum, de quibus præceperas, ut intrarent Eccleſiam tuam.*

Vel dic, quod iſta civitas eſt paradiſus, ubi non eſt templum manufactum, nec ſol, nec luna, quia ſpeculum ejus in æternum eſt Deus ipſis luminare & lucerna. Iſta eſt civitas, quæ uſque ad finem ſæculi apertas habet januas, ſolos tamen servos Dei recipit, coinquinatos, & peccatores alios non admittit, quia ſecundum Auguſtinum *ſicut nulli digno negabitur, ita nulli indigno conferetur.*

Vel dic, quod in malo ſignificato talis civitas eſt anima peccatrix, vel Eccleſia moderna, quia jam non eſt templum devotionis, ubi deficit ſol diſcretionis, vel ceſſat luna rectæ compaſſionis, ubi non clauduntur portæ ſenſuum delectabilium, nec portæ beneficiorum clauduntur ambitioſis, ſeu munera apportantibus.

G Vel dic, quod civitas eſt verbum juſti, in quo eſt ſedes Dei, & agni per gratiam, quæ à Deo illuminatur per fidem, & ſapientiam, ita quod non habet noctem, id eſt, errorem, aut ignorantiam, nec quærit templum, id eſt, Eccleſiaſticam dignitatem, nec ſolem, id eſt, mundanæ ſcientiæ claritatem, nec lunam, id eſt, mundanæ opulentiæ facultatem. Portas cordis, & ſenſuum habet apertas, ad recipiendum res, quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ, Veruntamen, nihil coinquinatum, id eſt, nulla mala cogitatio, aut affectio mala debet ibi recipi per alicujus malæ complacentiæ voluptatem. Unde illud Matth. 13. *Elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt.*

Vidit Joannes *fluvium aquæ vitæ ſplendidum tanquam cryſtallum in medio plateæ civitatis procedentem de ſede Dei vivi, & agni, & ex una parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, reddens fructus, & folia ſua ad ſanitatem gentium.*

Per iſtum fluvium intelligitur voluptas æternæ gloriæ, quæ ſatiat, potat, & refrigerat beatos, & quæ in civitate Dei, id eſt, paradiſi de ipſa ſede majeſtatis divinæ immediatè influit Pſal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ.* Iſte igitur fluvius æternæ vitæ, vel gloriæ duas habet partes, ſcilicet Chriſti divinitatem, & humanitatem; quia in iſtis duabus pendet tota contemplatio beatorum, ſed ex utraque parte iſtius fluminis invenitur lignum vitæ, id eſt ex una natura vitalis, perpetua, & æterna, videlicet natura Angelica ex parte ejus divinitatis, & natura humana ex parte ipſius humanitatis. Homo enim & Angelus, ſunt duo ligna vitæ, quæ percipiunt viſionem beatam, & potantur flumine voluptatis æternæ. Unde de quolibet beato dicitur illud Pſ. 1. *Quod ipſe ſit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo* Pſal. 1. *Et folium ejus*, id eſt, decor ejus, *non defluet, ideo quæcunque faciet, ſemper proſperabuntur.* Sed pro certo iſta ligna, id eſt, beati, proferunt per menſes ſingulos fructus duodecim. Menſis enim dicitur à mane, quod eſt defectus, eo quod in quolibet menſe luna deficit, & ſignificat defectus hujus mortalis vitæ, fructus verò ligni vitæ, ſignificant gaudia, & præmia paradiſi. Oportet enim oſtendere quomodo per menſes ſingulos, id eſt, contra duodecim defectus, quos patitur iſta vita, illæ arbores paradiſi, ſcilic, beati, duodecim fructus, id eſt, duodecim gaudia ſive præmia, ita ut ſinguli fructus ſingulis menſibus, & ſingula præmia, ſive gaudia ſingulis hujus vitæ defectibus applicentur. Menſes igitur, id eſt defectus noſtri in hac vita ſunt ſex quantum ad animam; ſcilicet, oblivio in memoria, in intellectu ignorantia, in affectu concupiſcentia, dolor præſentium malorum, timor futurorum, languor virtutum naturalium. Quantum ad corpus ſunt alii ſex, ſcil. paſſibilitas ſine ſanitate, gravitas ſine agilitate, obſcuritas ſine claritate, & plena cœcitate, condenſitas ſine ſubtilitate, labor ſine quiete, mors cum neceſſitate. Sed pro certo contra iſtos duodecim menſes, ſeu defectus, ſancti habent duodecim fructus, id eſt, duodecim gaudia. Et primo, ſcilicet, quantum ad animam, in memoria firmitatem, ſine oblivionis fervore, in intellectu veritatem, ſine ignorantiæ errore, in affectu ſufficientiam, ſine cupiditatis ardore, in animo voluptatem, ſine triſtitia, vel dolore, in ſtatu ſecuritatem, ſine dubio, vel timore, in natura proſperitatem, ſine deſiderio, vel languore. Item quantum ad corpus habebunt ſanctitatem ſine paſſibilitate, agilitatem ſine ponderoſitate, claritatem ſine obſcuritate, ſubtilitatem ſine denſitate, quietem ſine turbatione, vitam ſine mortis terminatione. Et ſic beati qui ſunt ligna vitæ, per ſingulos menſes habent ſingulos fructus, remedia, vel profectus, ita quod quælibet anima poteſt dici illa mulier, de qua Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.*

H Vel dic, quod lignum vitæ, quod ſedet ſuper oram fluminis Dei ſedentis, eſt vir juſtus, qui ſuper fluvium devotionis, compaſſionis, & compunctionis ſedet, qui fluvius à ſede Dei & agni, id eſt, inſpiratione, vel influentia Chriſti provenit; quia pro certo ille duodecim fructus ſolet portare, id eſt, duodecim pietatis opera facere, & indè alios recreare, qui fructus, id eſt, pietatis opera ſunt duodecim, ſcilic. ſex ſpiritualia, & ſex corporalia, qui in iſtis duobus verſibus continentur:

Inſtrue, caſtiga, remitte, ſolare, fer, ora.
Veſtio, poto, cibo, recolligo, viſito, condo. A

Ut ſic de homine pio, & fructuoſo dicatur illud 3. Reg. 11. quod *Abias diviſit pallium ſuum in duodecim partes* Pallium enim bonorum noſtrorum tam ſpiritualium, quam corporalium in duodecim partes dividitur, quando duodecim pietatis opera à nobis in alios diffunduntur. Et procul dubio folia iſtius ligni, id eſt, verba viri juſti ad ſanitatem aliorum proficiunt, in quantum verbis talium alii boni fiunt.

Vel quod illud lignum ſignificat crucem cum ſuo crucifixo, quod in medio civitatis Eccleſiæ ſuper fluvium devotionis eſt ſitum, quia pro certo per menſes ſingulos, id eſt, contra ſingulos vitiorum defectus ibi inveniuntur duodecim gratiarum, virtutum, & exemplorum fructus. Menſis enim dictus eſt à mente, quod eſt defectus, & ſignificat mundi defectus, vel vitia.

Eſt enim primus menſis in anno peccati Januarius, qui dicitur, quaſi anni janua, ſignificans ſuperbiam, quæ eſt initium, & janua peccatorum. Unde illud Eccleſ. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Et illa pingitur cum tribus facibus, eo quod triplex eſt ſuperbia, ſcilicet, præferre ſe majoribus, paribus, & minoribus. Vel eo quod ſuperbia naſcitur ex tribus cauſis, ſcilicet, eminentiis, divitiis, & ex gratiis naturalibus. Vel iſtas tres facies habere dicitur, pro eo quod ſuperbus ſupra plures homines valere ſe opinatur. Unde Ezech. 1. *Quatuor facies uni.* & ideo ſol in aquario tunc dicitur eſſe, qui ſcilicet, pincerna Deorum dicitur fuiſſe, ad denotandum quod ſuperbi ſummè gaudent in magnatûm officiis alti eſſe.

Secundus

Digitized by Google

Secundus mensis est Februarius, dictus à Febre, quia pingitur se calefacere ad ignem, & significat defectum luxuriæ, qui facit eam per mala desideria calefieri, & febricitare, & semper in igne concupiscentiæ æstuare. Undè illud Eccles. 38. *Vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis concertatur.* Et tunc sol in piscibus esse dicitur, quia, scil. sol, id est, ratio luxuriosorum, in piscibus, id est, in carnis voluptatibus implicatur.

Tertius mensis est Martius, dictus à Marte Deo belli, qui pingitur scindens vineam, & in ipso sol est in ariete, & significat iracundiam, quæ contra homines per impatientiam movet bella, atque vineas, id est, simplices scindit, & lædit, & more arietis ipsos litibus, & contentionibus percutit, & invadit, verbis, & verberibus, & accusatione non modica ipsos ferit Eccl. 28. *Homo homini servat iram.*

B Quartus mensis est Aprilis, ubi terra se incipit aperire, qui pingitur homo armatus, vadens ad bella super equum. Et tunc est sol in tauro, qui significat peccatum crudelitatis, & sævitiæ, quod est semper armatum ad vindictam de adversariis sumendam: & more tauri semper sævitiosè incedit, & terram, seu patriam suam rapinis, & exactionibus aliorum vires cere facit. Contra quos dicitur illud Ecclesiast. 6. *Non te extollis in cogitatione tua, sicut taurum evertens domesticos tuos.* Quia sicut dicitur Eccles. 28 *Qui vindicare vult, à Deo inveniet vindictam.*

Quintus mensis est Majus, à madificatione pluviarum dictus, qui pingitur juvenis, floribus circumseptus, significans peccatum lasciviæ, quod fatui juvenes floribus, id est, curiosis vestibus, & moribus se adornant, & nihil aliud quam flores mundanæ gloriæ optant, & delitiis carnalibus præ cæteris se madidant, & humectant, dicentes illud quod dicitur. Sap. 2. *Vino & unguentis pretiosis impleamus nos, & non pratereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Ideò sol tunc videtur esse in geminis, quia isti lætitiam suam geminant, & duplicant.

Sextus mensis est Junius, in quo jam terra calescit, & siccatur. Et ideò prata tunc temporis defalcantur, quia iste cum falce secando herbam depingitur. Et Sol in cancro ejus medio subinfertur, & significat peccatum parcitatis, & avaritiæ, quod est in male servando, quod, scilicet, facit terram nostri cordis per cupiditatem calefieri, & in incon passionem siccari, & quod herbas, id est, divitias falcare, & amplecti, & sibi per parcitatem retineri curat, & nihil expendere, omnia autem servat, & quod solem, id est, animam in cancro (quod est animal retrogradum) intrare facit, in quantum ipsum à cœlestibus ad terrena retrogredi procurat. Undè Innocentius de miseria humana dicit, quod *avarus nec patientibus compatitur, nec miseriis miseretur.* Sequitur. *Iste est, qui Deo præfert aurum, paradiso præponit argentum.*

C Septimus mensis est Julius, in quo oritur stella, quæ dicitur canis, & Sol in leonem intrat, in quo maximus regnat calor, & iste pingitur, quasi segetes secans, quia tunc solent arva segetibus expoliari, significans detractionem, & invidiam, quam concomitatur canis mordens, Leo ore fœtens, id est, mordax oblocutio, fœtida inflammatio, quia detractor, & invidus solent segetes, & virtutes, & sufficientias aliorum falce tuæ linguæ truncare, & ipsos bonis suis, & honoribus spoliare. Undè Job. 24. *Agrum non suum demetunt, & vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant.*

Octavus mensis est Augustus, qui dicitur ab augendo, tunc enim segetes triturantur, & grana segetum augentur, & ideo iste blata triturans, & excutiens pingitur, & Sol in signum virginis tunc movetur, significans vitium rapinæ, & avaritiæ, quod est in male acquirendo, quia avatia non cessat grana segetum, id est, divitias pauperum, per rapinas, & usuras excutere, & divitias divitiis adaugere, & ipsos pauperes tribulationibus triturare, & ideò Sol, id est, animus talium tunc temporis solet virginem, id est, sterilitatem virtutum subintrare. Undè Oseæ 10. *Ephraim vitula docta diligere triturare, & ego transivi super pulchritudinem colli ejus.* Ephraim enim interpretatur augustus, & designat illos, qui divitias suas augere non cessant. Undè Prov. 22. *Calumniator pauperum ut divitias suas augeat, dabit ipse, & ditiori, & egebit.*

Nonus est September, in quo vina colliguntur, & ideò vindemians, seu in doliis vina fundens depingitur, & significat ebrietatem, seu delitiarum voluptatem, quæ de vinis, & delitiis curam gerit De quo Isa. 5. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum & ad sectandum ebrietatem usque ad vesperam.* Et ideo tunc temporis Sol intra libram esse dicitur, quia isti ad nihil aliud vacant, nisi ad librandum, ponderandumque, cui vinum profertur, ad ipsaque vina libandum Domino ventri suo.

D Decimus mensis est October, in quo semina in terram projiciuntur, ideò in forma hominis seminantis pingitur, quia tunc primus fructus per semina nova alios recuperare conantur, & significat vitium inconstantiæ, quod fructus bonorum operum non custodit, imo quotidiè per ipsum perdit illos, & quotidie semina bonorum propositorum recuperare contendit. Ideò Sol tunc in scorpione dicitur, pro eo quod Sol, id est, mens talium more scorpionis in cauda, id est, in fine, à facie, id est, a principio diversificari dicitur. Ita quod talibus seminatoribus potest dici illud Lev. 26. *Frustra feretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur.* Iste enim mensis nunquam comedit, quod seminat, sicut nec homo inconstans fructum capit de bono, quod inchoat. Undè Luc. 14. *Iste homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.*

Undecimus mensis est November, in quo tantum frigus viget, quod pori terræ, & animalium clauduntur, & labor exterius impeditur. Ideò tunc quiescunt aves, & amplius, si cibum habeant, impinguantur. Ideò in forma hominis pascentis, & impinguantis suos porcos, & excutientis glandes depingitur. Sol tunc signum sagittarii peragratur, significans carnalem affectionem, & ex frigore indevotionis portas cordis, & aures claudit, & vires animæ taliter stringit, quod laborare per bona opera non permittit, quinimo ista facit possessores suos quieti, & otio vacare, & suos, id est, filios vel nepotes, & consanguineos carnales divitiis, & beneficiis impinguare. Ita quod solent pro istis glandibus, id est, pro terrenis bonis suis acquirendis quam plurimum laborare. Undè Sol, id est, animus talium sagittariorum dicitur percutere, quia constat, quod isti mali Ecclesiastici, & usuratii ratione suæ carnalis affectionis pro filiis suis ditandis, & etiam nepotibus, solent alios sagittare, & quandoque rapinis, & exactionibus molestare, ut sic possent glandes bonorum temporalium excutere, & habere. Undè Hieron. *Quanta mala nos compellit facere carnalis affectus.*

Duodecimus mensis est December, qui corpora frigorum fortitudine lædit, qui in figura hominis porcum occidentis pingitur, pro eo quod tunc temporis porci, & animalia quæ impinguata fuerant, occiduntur. Sol etiam tunc temporis per signum capricorni vagatur. Iste igitur mensis duritiem, & severitatem significat, quæ solet alios frigore, & tribulatione percutere, & quoscunque porcos, id est, homines peccatores, & infirmos sine misericordia occidere, & corrigere. Sicut ad literam patet in crudelibus judicibus, & E
Prælatis, qui sine compassione crudeliter puniunt delinquentes, nec quacunque levi occasione homo deliquerit, eidem miserentur. De quibus dicit Seneca in lib. de Clementia: *Crudeles vocabo, qui puniendi cupidam habent.* Isti igitur capricorni dicuntur, quia dato quod quandoque præ cæteris viriis fortiant alios, tamen peccatores cornu petere, & cornu ventilare nimis austerè noscuntur. Undè Daniel. 8. *Ecce hircus caprarum veniebat impetu fortitudinis suæ.* Isti sunt duodecim mali menses, id est, duodecim defectus humani, contra quos pro certo (sicut jam supra dictum est) lignum vitæ, id est, crux cum crucifixo portat duodecim bona exempla, ut singuli menses per fructus singulos, id est, singula vitia per virtutes singulas temperentur.

Dico igitur quod de isto ligno vitæ, id est, cruce, & crucifixo tu potes colligere contra Januarium, humilitatem in capitis inclinatione, quia inclinato capite emisit spiritum, id est, superbiam.

Contra Februarium, luxuriæ timorem incutis spinea perforatione, & in oculorum ad terram depressione, quia punctura timoris Domini in consideratione terræ, id est, mortis carnis concupiscentia. Undè Prov. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata, per timorem Domini declinat omnis à malo. Mens justi meditabitur obedientiam, os impiorum redundat malis.*

Contra Martium, iracundiæ patientiam in auris auscultatione, quia dato quod improperia multa audisset, tamen cum maledicetur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. Tradebat autem judicanti se injuste, dicens illud Psalm. 37. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.*

Contra Aprilem vindictæ, & sævitiæ, collige misericordiam in benigna linguæ locutione, in hoc scilicet, quod crucifixoribus misericorditer indulsit dans exemplum de hoc quod ipse docuit, dicens, ut habetur Luc. 6. *Dimittite, & dimittetur vobis.*

Contra malum lasciviæ, & inanis lætitiæ contritionem & dolorem in oris fellea, & amara potatione, dicens Psal. 68. cum Ezechia Matth. 27. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.*

Contra Junium parcitatis collige liberalitatem, in manuum perforatione & extensione Es. 38. *Manus enim perforata mala continet, quod immittitur, extensa vero alteri porrigit, quod appetit* Da igitur liberaliter juxta verbum Eccl. 4. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.*

Contra Julium detractionis, & invidiæ, collige, charitatem in corde, & lateris apertione, quia cor suum videtur tibi velle dare, dum latus tenet apertum. Undè Joan. 5. *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Contra Augustum rapinæ, & avaritiæ, collige paupertatem in corporis denudatione. Nudus enim in cruce mansit, & nuditatem, & paupertatem in hoc diligere nos instruxit. Juxta illud Gregorii. *Nudi post nudum curramus.*

Contra Septembrem delitiarum, & voluptatum, collige asperam pœnitentiam in corporis flagellatione. Caro enim ejus non fuit in delitiis ibi, sed in pœnis, & suppliciis, dans exindè exemplum quod magis sunt diligenda aspera quam prospera. Unde Job. 33. *Consumpta est caro ejus à supplicus.*

Contra Octobrem inconstantiæ collige perseverantiam in pedis conclavatione, & confixione: Ita enim fuit conclavatus, quod nec Judæorum insultationibus, nec inimicorum tentationibus crucem dimittere voluit, dans exemplum perseverandi in cruce, id est, in cruciatu, & labore assumpto. Undè Senec. *Utere officio quod semel sumpsisti, turpe enim onere cedere.*

Contra Novembrem carnalis affectionis, collige contemptum cujusque G
amoris superflui in discipulorum fuga, & desertione, & in totius corporis a terra elevatione. In quo nobis dat exemplum, quod circa nos per carnis affectionem non debemus amicos, & notos tenere. Undè Ps. 37. *Noti mei longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebat animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Quinimo debemus sursum per contemplationem suspensi à terra, & terrenis elevati esse. Undè Job. 7. *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.*

Contra Decembrem nimiæ severitatis, & duritiæ, collige compassionem delinquentium in crucifixi corporis dispositione, quia iste fuit crucifixus facie ad occidentem, dorso ad orientem, dextera autem ad aquilonem, sinistra ad meridiem versus, in quo datur nobis intelligi, quod ipse piè per passionem respicit occidentales congelatos, id est, peccatores, dorsum verò vertit ad orientales, id est, ad superbos, de suis præsumentes virtutibus. Dexteram etiam æternæ liberalitatis suæ porrigit aquilonaribus, id est, suis pauperibus, sinistram verò æternæ adversitatis, & inimicitiæ minatur meridionalibus, id est, divitibus Luc. 1. Quia iste, *qui esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*, dat nobis exemplum, quod peccatores delinquentes non debemus contemnere, nec per austeram severitatem lædere, sed eis misericorditer compati, & eos extensis brachiis per misericordiam, & pœnitentiam amplecti, & recipere. Quia sicut ipse dicit Luc. 15. *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Et sic dico, quod lignum vitæ, id est, crux, vel Christus contra duodecim menses duodecim vitiorum profert fructus duodecim bonorum exemplorum, scil. humilitatem contra superbiam, timorem contra carnis concupiscentiam, patientiam contra iracundiam, misericordiam contra vindictam, & sævitiam, contritionem contra lasciviam, liberalitatem H
contra parcitatem, charitatem contra invidiam, & paupertatem contra avaritiam, disciplinam contra voluptatem, perseverantiam contra vagabilitatem, contemplationem contra carnalem amorem, compassionem contra nimiæ severitatis ardorem. Lignum igitur vitæ protulit nobis duodecim fructus per menses singulos Joan. 11. *Duodecim enim horæ sunt diei.* Vide supra lib. 5. cap. ubi de duodecim mensibus invenies aliter expositum.

FINIS.

Digitized by Google